HIERONYMI TRAGI, DE STIRPIVM, MAXIME EARVM, QVAE IN GERMANIA NOSTRA NASCVNTVR,

usitatis nomenclaturis, proprijsq; differentijs, neq; non temperaturis ac facultatibus, Commentariorum Libri tres, Germanica primum lingua conscripti, nunc in Latinam conuersi, Interprete DAVIDE KYBERO Argentinensi.




HIS ACCESSERVNT A FRONTE PRAEFATIONES DVAE: *altera* D. CONRADI GESNERI *Tigurini, Medici clarißimi, rei herbariæ scriptorum, qui in hunc usq; diem scripserunt, catalogum complectens: altera ipsius Autoris, herbariæ cognitionis laudes, & alia nonnulla scitu tum necessaria, tum iucundißima, continens.*

PRAETEREA, COROLLARII VICE AD CALCEM OPERIS, *adiectus est Benedicti Textoris Segusiani de Stirpium differentijs, ex Dioscoride secundum locos communes, Libellus, omnibus plantariæ cognitionis studiosis utilißimus.*

AD HAEC INDICES SEX: QVIBVS NON TANTVM *Nomenclaturæ Græcæ, Latinæ, Germanicæ, Arabicæ, Hebraicæq; sed & morborum curationes optimo ordine indicantur, subiunximus.*





ILLVSTRISSIMO, CLARISSIMOQVE PRINCIPI, AC DOMINO, D. VVOLFGANGO PALATINO APVD RHEnum, Duci Bauariæ, Comiti Veldentiæ, &c. Domino suo clementissimo.

S. D. P.



VIREGIBVS, PRINCIPIbus, aut magnatibus labores suos literarios nuncupare solent, princeps illustrissime: ij mibi tribus potissimum rationibus moueri uidentur. Non solum enim ornamentum quoddam lucubrationibus suis hoc pacto adferri existimant: uerum etiam cum ea bonorum uirorum sors semper fuerit: ut pro immensis in gratiam Reipub. exhaustis laboribus, inuidia uicissim ipsi grauentur: ac quæ prauitas improborū est hominum, calumniam effugere raro possint: defensores ac propugnatores aduersus iniquos suos necessitate coacti quærunt. Accedit huc alia non minus grauis, quam iusta causa: quæ uiros doctos impellit: ut in fronte lucubrationum suarum, magnorum principum, præsertim eorum, qui non tantum nobilitate, & antiquitate generis, sed uirtute quoq;, & rebus præclare gestis clari sunt, laudes, ac præconia præmittant. Etenim si uirtus sola cum in omni hominum genere, tum uero in principibus uiris, maxime quando ueræ religionis studio, eruditioni, et opum splendori coniuncta fuerit, laudabiles eos efficit, in quibus est, & immortalitatem meretur: institutum istorum omnibus modis & probandum, & sequendum imitandumq; iudico. Neq; uero adulationis suspi-

cio in hanc consuetudinem cadere debet, quoniam nulla alia ratio-ne principum, & nobilium laudes à doctis hominibus celebrantur: nisi ut ad posteritatem uirtutis exempla, quibus illa tanquam præscripto in rebus agendis uti, & ad uirtutis studium incitari possit, transmittantur. Hoc sane consilio ueteres, et classicos illos scriptores usos fuisse uerisimile est: dum sui quisque temporis Imperatoribus, regibus, principibus, alijsque magni nominis uiris sua inscribunt uolumina. Sed quorsum tandem hæc, dicet aliquis, euadet oratio? Nempe eò: ut intelligat Clementia tua, tum ex his, tum ex ijs quæ paulò post subijciemus, nequaquam uanas fuisse causas, ob quas Hieronymi Tragi de stirpium natura commentarios, à me latinos factos, sub illustrißimo C. T. nomine in lucem prodire uoluerim. Quanquam autem, ut de postrema causa nonnihil dicam, non tantum generis, uerum etiam uirtutis insignibus, atque ornamentis quamplurimis ac maximis C. T. præditam omnes boni agnoscant: tamen ea dicendi facultate me minime instructum, tenuitatis meæ probè mihi conscius, libenter fateor: quantam illustrißimæ T. Clementiæ ornamentorum magnitudo requirere uidetur. Nemo enim est, qui nesciat Christianæ, & purioris religionis, bonarumque literarũ amore incredibili, studioque flagrantißimo incensum C. T. animum. Quæ duo quàm claros efficiant, & æternitatis gloria uerè suspiciendos Principes: & sacræ, & humaniores literæ satis docere nos possunt. Neque hic cæteras uirtutes enumerare uolo: hoc est, animi celsitudinem, prudentiam, iustitiam, clementiam, humanitatem, & fortunæ bona, (hæc enim animi sunt, & paucis uere tribui possunt, hoc præsertim nostro sæculo) quibus Rex regum, Dominus dominantium,

Prin-

Princepsq; principum, Deus Opt. Max. Clementiam tuam ornauit, decorauitq;. Quamobrem consultius esse arbitror, tanti Principis laudes non attingere, quam non satis ornatè, atque copiose, quod merebantur, exponere. Adde, quod summos, clarißimosq; Principes, magnos ètiam, ac eruditione & eloquentia insignes, quibus ego infimæ sortis homuncio, nullaq; uel eruditione, uel eloquentia instructus, adiungi nec debeo, nec possum, collaudare, & celebrare decet. Si namq; Atheniensis ille ciuis infimi generis homo, licet consilium optimum inuenisset, illud tamen non ipse, sed alium authoritate pollẽtem exponere uoluit, (ne ob personæ suæ uilitatem consilium ponderis minus haberet) si hic inquam laudatur: propterea quod non solum quid, uerum etiam à quo ea dicantur, quæ ad omnes pertinent, considerandum duxit: quanto rectius ego facio, quod ab eo argumento abstineo, quod cum amplißimum sit, & magnam requirat eloquentiam: à summis, & excellentißimis uiris tractari debeat. Itaque ad reliquas duas causas uenio (ne nimium sim prolixus) quæ instituto nostro magis quam hæc, cuius modo mentionem fecimus, fauere uidentur. Etenim quemadmodũ Sol almus luce sua inferiorẽ mundum illustrat, nihil interim ab eodem splendoris recipiens: ita non dedignabitur, ut speramus C. T. nostrũ opus illustrißimo suo nomine exornare, illustrareq;, etiamsi nihil, aut minimum ex illo ad C. T. redeat splendoris. Quanquam non omnino dedecori, quin potius laudi, & ornamento, quantum iudicamus, quocunque tandem loco à zoilis Tragi habeatur, fuerit. Cum namque hactenus inter Germanos nostros tanto fauore exceptum fuerit: ut pleriq; uel doctißimi omnibus cæteris hos de Stirpium natura

commentarios præferre non dubitarint, (absit inuidia dicto) nobis pollicemur omnibus bonis, reiq́; herbariæ studiosis exterarũ quoq́; nationum gratissimos futuros. Vnde non parum laudis, & existimationis ad C. T. accedere poterit. Ciuis enim tuus est Tragus, nec uulgaris, & magno loco apud C. T. habitus. Ex quo intelligent omnes C. T. doctos homines amare, et fouere: summisq́; laudibus extollent C. T. uerè principem animum: qui cum eruditionis non sit expers: eruditos quoq́; & humaniores literas magni faciat. Norunt enim omnes, non solum eos, qui Ecclesiastico, & Scolastico munere in principatu C. T. funguntur, uerum etiã consiliarios eiusdem prudentia, sapientiaq́;, & eruditione excellere. Sed quid de Consiliariorũ, ludi moderatorum, et Ecclesiæ ministrorum eruditione dico? Cur nõ potius C. T. doctrinam quã ab ineunte ætate haud uulgari imbutam illam scimus, prædico? O populum fœlicem, cui talis princeps contigit: qui cum sapientissimus ipse sit, sapientes etiam habeat consiliarios, doctosq́; in omni functionũ genere uiros. Nescio sanè utri gratuler: populo ne, cui pietas ipsa, & sapientia præesse uidetur: an uero C. T. quæ tot, & amplissimis donis à Deo opt. max. ornata est. Sed quia, ut ante dixi, ingenij mei tenuitas, & uitæ conditio obstant, quo minus laudes C. T. celebrare oratione possim: pergam deinceps, & reliquas exponã causas, quæ me eo impulerũt: ut C. T. hos de Stirpium natura commentarios à me latinitate donatos offerrẽ. Hoc enim persuadeat sibi C. T. ea me uerecundia præditum: ut nunquam ad amplissimam C. T. aulam accessurus, & C. T. quam intelligo nunc politicis, & grauissimis negotijs occupatam, interpellaturus fuissem: nisi me necessitas, cui nulla ratione obsistere potui, coë-

tui, coegisset. Nam ut nihil magni, aut eximij in conuertendo hoc scripto praestitisse me agnosco: ita non paruo me exposui periculo. Nullũ enim studiorum genus existit: quod plus laboris minus uero laudis, et praemij propositum habeat: ipsa authorum ex lingua hac in illam traductione. Ac ferendum quidem erat, si nihil illi gloriae, & remunerationis accederet: modo non uituperationis, et calumniae plurimum à malignis hominibus expectandum esset. Reperias etenim quamplurimos, qui cum ipsi Reip. in hoc studiorum genere inseruire, aut non possint, aut non uelint (fruges ut opinor tantum consumere nati) alios, qui pro uirili in id incumbunt: ut spartam, quae ipsis obtigit, exornẽt: repraehensionibus suis, ac linguae uirulentia, à coeptis nonnunquam deterreãt, auocentq;. Atqui conatus horum, & fauore prosequendi, et promouendi erãt: debebantq; iniusti rerum aestimatores illi cogitare: id quod prudentissimè dictum à Graecis est: μωμεῖσθαι μὲν ῥάδιον ἐστὶν, μιμεῖσθαι δὲ πάνυ χαλεπόν. Facilimum enim est alienum opus reprehendere: sed non perinde facile, aliquid simile, aut praestantius elaborare, atq; conficere. Praesertim in hoc curriculo: quod multis prodesse queat. Sed & inter doctiores (quod ualde deplorandum existimo) nonnullos reperias: quibus nihil placet, nisi quod ipsi elucubrarũt: qui & alios siue pares sibi, siue impares ferre nequeunt. Hinc illae aemulationes, hinc concertationes, hinc calumniae, hinc deniq; conuitia: quibus mutuò sese literati homines (si modo literati nominandi sunt, qui ab omni humanitate sunt alienissimi,) saepenumero conficiunt, proficiscuntur. Vt quamplurima hodie scripta uidere sit: quae bonis, & modestis hominibus authores suos nulla alia de causa inuisos reddant: quàm quod illi calumniae potius, quàm ueri

tatis studio digladiari uideantur. Proinde dubium mihi non est: quod multis doctissimis uiris, & ipsi Trago, (contra quem quosdam calamum iam strinxisse, nō ita pridem audiuimus) euenit, hoc me effugere nequaquam posse. Erunt namq;, qui quoniam Tragum lingua patria Germanis suis de stirpibus differentem ferre non potuerint: multò minus in linguam Latinam transfusum eius opus tolerare uelint. Vnde quamcunq; illum calumniandi uel ab interprete, uel aliunde occasionē arripere conabuntur. Quod uero ad meam attinet translationē: de qua in Præfatione ad Lectorem plura dicturus sum: non dubito quin in aliquibus uel mentē authoris non satis expreßisse, uel nō satis eleganter, ut decebat, reddidisse nonnullis uideri poßim. Ac non diffiteor, eam me elegantiam, & perspicuitatem ad hoc opus minimè attulisse: quam uel ipse desiderabā, uel alij expectabant: & inerūt fortasse aliqua magno quoq; huic operi errata. Sed meminerint hij, ingenui esse hominis, quæ emendanda sunt emendare: neq; propterea ab uno, & altero errato uniuersum opus damnare, dirisq; execrationibus proscindere: et quod inuidorum est ingeniū, etiam benè dicta sinistra interpretatione notare. Ex his quæ huc usq; diximus princeps illustrissime, (ne longius mea euagetur oratio) facile intelliget C. T. quo in loco res nostræ uersentur: quæ nobis ab iniquis nostris pericula immineant: & quid à zoilis utriq; expectandum sit. Nam, ut ante dixi, haud dubie mei quoq; mihi non deerunt Momi: præsertim, cum authorem plærisq; inuisum, in linguam latinam conuerterim. Quæ quoniam ita se habent: quid quæso nobis reliquum est: nisi ut defensorem, & propugnatorem, qui nostram aduersus maleuolos tueatur causam, quæramus? Neq; uero aliud quidq;

cupimus,

cupimus, nisi ut commentarij isti siue germanici, siue latini; quo animo à nobis scripti, & conuersi sunt: eodem ab omnibus legantur, & iudicentur. Non enim in hoc æditi sunt, ut uel authori, uel interpreti quidquam gloriæ adferant: alijs ue qui idem argumentum tractant, aliquid detrahant: sed ut rei herbariæ studiosis, si non excellentes, at nonnullas commoditates apportarent: nosq; inter eos inueniremur: qui pro uiribus Rempub. dono sibi à Deo Opt. Max. collato iuuare uoluisse uiderentur. Ac nihil moramur, quo loco hæc nostra habeātur: sicut nec inique ferimus, si scripta aliorum nostris laboribus præferantur. Sit sane suus cuiq; honos: & quam quisq; authoritatem meretur, eam obtineat: modo facessant inuidia, & calumniandi studium. Exposui non tantū commune utriusq; hoc est authoris, & interpretis periculum, uerum etiā quis noster in æditione huius operis animus sit, paucis, et obiter perstrinxi: quò & iustam, & necessariam nos petere defensionem. C. T. agnoscat. Quare ut ambagibus, quas uerecundia in petionibus ingenuis hominibus suggerere solet, omissis, quod uolo paucis absoluam: T. C. magnopere rogo, atq; obsecro, ut hos commentarios, qualescunq; esse alijs uideantur, aduersus iniquos nostros iudices tueri atq; defendere dignetur. Porrò in bonam spem uenio: nullam hoc in negocio nos repulsam passuros: neq; grauatim huius operis defensionem C. T. suscepturam esse. Neq; uideo (pace C. T. dixerim) qua ratione uel patrociniū nobis recusare, uel consilium quo freti, quidquid id est, quod in hoc opere ornando præstitimus, T. C. dedicare non dubitauimus, improbare possit C. T. Si enim uel authorem ipsum, uel opus respicere uelimus: cui potius nuncupanda erat hæc Cōmentariorum Tragi trans-

latio: aut quis illius aduersus uitilitigatores patronus magis legitti mus esse potuit T. C.? Meminit haud dubie C. T. opus Germanicum in ditione C. T. cæptum, confectumq́ꝫ, ac illustrißimæ Principi, et Dominæ. D. Elizabethæ, ex clarißima Cattorum Principis familia prognatæ, matri C. T. Principi omnium uirtutum genere clarißimæ, cum primo partu in lucem æderetur, dedicatum esse. Cui ergo idem opus iam latinum factum nuncupari iustius debuit, quàm T. C. præsertim linguam latinam haud uulgariter callenti? Iam cum Tragus ciuis C. T. sit, & ciues suos defendere Principum uirorum peculiare sit officium: etiam eorum liberi (quibus merito accenseri debent hæ studiosorum quasi fœturæ, ac tanquam opellæ) non solum à principe suo ius ciuitatis habent: sed etiam optimo iure defensionem ab eodem sperant, atq; expectant. Ego autem tametsi C. T. ciuis non sim: tamen non tantum ciuibus tuis faueo, id quod officium qualecumq́ꝫ quod in convertendis Hieronymi Tragi commentarijs præstiti, declarare potest: uerum etiam C. T. insignia ornamenta ueneror, & suspicio. Cumq́ꝫ ingenui homines quorumcunq́ꝫ erga se studium, & animi propensionem laudandam semper existimauerint: hanc animi nostri quo erga C. T. affecti sumus, significationem gratam futuram speramus. Nec dubitamus, quin pro insigni beneuolentia, qua tum bonas literas, & liberalia studia, tum eorum sectatores, & amatores C. T. complectitur, hoc quoque opus commendatißimum habituram. Quod cum fecerit, non solum nos, uerumetiam omnes rei herbariæ studiosos, quibus hæc scripta, & translata sunt, immortali sibi deuinciet beneficio. Sed ne plus æquò C.

T. molesti

T. molestissimus, finem epistolæ nostræ imponimus: si prius C. T. rogauerimus: ne in malam partem nostram interpretetur importunitatem. Precamur autem Deum Opt. Max. æternũ Domini nostri Iesu Christi patrem: ut gubernacula rerum, quæ C. T. commisit, ita fortunare dignetur: ut ad gloriam sanctissimi eius nominis, & C. T. ac subditorum omnium æternam salutem cedant, Amen. Argentinæ, anno salutis M. D. LII. mense Martio.

Clementiæ Tuæ

deditissimus.

Dauid Kyberus Argentinensis.

DAVIDIS KYBERI AD CANDIDUM LECTOREM PRAEFATIO.



IDEO PLERISQVE, HVMANISSIME LECTOR, qui authores uel conuertendos, uel enarrandos susceperunt, eum fere morem esse: ut quædam in laudem tum authoris, tum libri præfentur. Ego uero in præsentia neq; de authore, neq; de opere eius quicquam dicere constitui, non tantum quia vino uendibili suspensâ hedera opus non est, ut uulgatum habet prouerbium: uerum etiam quia & authoris nostri, & diuinissimæ rei herbariæ cognitionis laudes copiose in præfationibus duabus, quæ sequuntur, positę sunt. Itaq; omissis his ad alia pergemus, & de versione nostra nonnihil dicemus. Hanc equidem nõ ostentandæ eruditionis, (quam nullam, aut perexiguam nobis inesse satis scimus) aut gloriæ aucupandæ gratia suscepimus: sed eo nomine (quod norunt & D. Vuendelinus, & D. Tragus aliiq; nonnulli, qui eius rei mihi authores fuere) ut, quemadmodum nostris germanici, ita exteris latini de stirpibus Tragi commentarij prodessent. Cum namque ingratitudine & inuidia nihil magis detestandum mortales ducant, sane non uideo, quo pacto utriusque sceleris suspicione liberare nos queamus, si quæ nostra profert Germania, quorum ad omnes ex æquo pertineat utilitas, ea aliis communicare nolimus. Atqui nisi omnium ingratissimi uideri uelimus, negare non possumus ab exteris nationibus cum in omni bonarum literarũ genere, tum uero in re herbaria plurimos, & præstantissimos in Germaniam nostram inuectos libros. Iam ut non tantum gratitudinis significationem aliquam demus: uerum etiam hos qui sumptibus, & laboribus in id incumbunt, ut quam amplissimis nos sibi deuinciant beneficiis, ad tam diuina, & utilia studia magis magisq; incitemus, & incendamus, æquum esse iudico, ut & nos illis candide nostra impertiamus. Eo certe studio Latinitati hos commentarios donare uoluimus: ut intelligant omnes nihil nobis prius esse: quam ut & nostros homines & quoscunque alios nostra iuuemus opera. Proinde rogamus omnes rei herbariæ studiosos, ne uel temere, uel inuidiose, sed ut candide, & in bonam partem nostros labores, bono animo à nobis susceptos iudicent, interpretenturq; . Tametsi enim eam perspicuitatem, elegantiamq; orationis, ad hoc opus minime attuli, quam res ipsa postulabat: tamen optima fide in his commentariis conuertendi usum me esse intelliget, quicunq; Latina nostra cum Germanicis contulerit. Ac non dubito quin æquos iudices habiturus sim eos qui labores nostros penitius introspexerint, candorisq; uel minimum habuerint. Nam

reliquos

reliquos qui omnia reprehendere solent, aut certe nil nisi errata, & uitia arripere, quo prauitatem, ingenij sui quod malum est & coniunctione quadam malis quam bonis plus afficitur, fœlicius prodant, negligendos prorsus existimo. Quod si hij omnino pergant nobis esse molesti, hoc unum illis imprecabimur, ut & ipsi aliquando tantum laboris in eiusmodi studio consumere cogãtur, quantum nos ad conuersionem istorum commentariorum insumpsimus. Cæterum luce clarius apparebit (ut puto) non tam facile esse proprios labores suscipere, quam alienos reprehendere. Ac non dubitarim si tam prodesse Reipub. cuperent, quam eos, qui hoc pro uiribus conantur reprehendere parati sunt, quin longe candidius alienos essent iudicaturi labores. Sed relinquamus hos sibi, qui admoneri se non patiuntur. Nec illorum iniquitatem, quæ non magis alijs nocet, quam seipsam prodit, morari ingenuos homines decet. Nos ad institutum nostrum accedamus. Nam quid in hoc opere præstiterimus: & quæ in translatione nostra candidum lectorem obseruare uelimus, paucis præfationis loco præmittere operæ pretium duximus. Primum ergo sciat humanissimus lector, bona nos fide (quod Interpretis officium esse sentimus) id reddidisse, quod Germanici habebant Commentarij: nullis quod equidem sciam, omissis, paucissimis uero mutatis. Nihil enim immutare uoluimus, nisi ubi uel ordo, uel perspicuitas, quæ duo in omni oratione magnum habent momentum, id requirere uidebantur. Neq; enim ita uerbis alligatum atq; astrictum interpretem esse oportet, ut ab illis discedere interdum non liceat, præsertim ubi linguarum, & phraseωs dissimilitudo nos admonet, urgetq;. Quam autem à Latina phrasi Germanica interdum discrepet, nemini qui utramq; linguam callet, arbitror esse obscurum. Adde quod author ipse mutandi, subtrahendi, & ad probatissimorum scriptorum exemplaria corrigendi hos commentarios potestatem mihi fecerat, maxime quod ad nomenclaturas attinet. Quanquam in alieno libro, tantum iuris mihi sumere, neque etiam tantum iudicio meo tribuere uolui, ut quod ad rem ipsam attinet mutare quicquam conarer, nisi ubi manifesta me cogerent errata, à quibus neminem mortalium plane liberum esse iudico. Et fidelis interpretis est, summum studium, maximamq; adhibere diligentiã, ut quoad eius fieri potest, non solũ proprijs usitatisq; in cõuertendo utatur uerbis, uerum etiam errata, quæ uel oculatissimis quandoque obrepunt, è medio tollat. Iam neque nomenclaturas, in quibus sæpe prolixus est Tragus, castigare, mutare, aut abrogare uolui, tum quod iudicio meo, quoniã solus in uasto hoc opere laborabam, nequaq; fiderẽ, tum etiam quia pleriq; suas afferebant causas, ob quas hæc omnia essent relinquenda. Quos enim prolixitas hæc offendit, illi uno, & altero nomine obseruato, reliqua legendo præterire possunt, & ad uirium explicationem properare. Rursus

quibus

quibus grata est diligens rerum inuestigatio, illi habebunt quod legant: Mihi certe, ut ingenue fatear quod sentio, inter conuertendum, persæpe molesta fuit tam prolixa de nominibus disputatio, dum tot authores, quorum testimonijs frequentissime Tragus utitur euoluere cogor: sæpe etiam iucunda fuit. Non raro superuacanea, sæpissime uero utilissima & necessaria uisa est. Porro adiecimus nos quarundam plantarum historijs Hebraica nomina, non quæ ipsi cõfinxissemus, quod nonnullos fecisse uideo, sed ea maxime quæ uel in Biblijs, uel Rabbinorum, & Talmudistarum scriptis extarent: ideocꝫ ubicꝫ fere testimonia locorum, unde ea desumpsissemus, adiecimus. Verum enimuero ex Phrisio ab initio quædam mutuati sumus, cuius nos postea pœnituit, cum perpenso illius scripto nihil illo insulsius extare deprehendimus. Non pauca autem apud Hebræos inuenimus uocabula, quæ Serapionis plantarum appellationibus exacte respondent, ut uidere potes in Mandragoræ, Citri, & quarundam aliarum plantarum historia. Oramus autem rei herbariæ studiosos: ut æqui, bonicꝫ faciant hanc nostrã opellam, quam aliquando Deo fauente, ubi plus otij nacti fuerimus, expolire, atque exornare studebimus. Cæterum dum ex Dioscoride testimonia adducimus: Vergilium Marcellum in capitum distinctione, Ruellium uero in versione sequimur. In Theophrasto citando nonnunquam Græci exemplaris in quo decem de plantarum historia extant libri, interdum Gazæ, qui nouem tantum libros conuertit, partitione usi sumus, cuius rei lectorem admonere placuit, ne hæc illum diuersitas turbaret. Diligenter autem & summo studio rei herbariæ scriptorum loca, quæ ab Authore adducuntur, in omnibus capitibus annotauimus: ut si minus hæc nostra translatio quibusdam satisfaciat: ad primos fontes se conferre possint. Nam licet pro uirili, propria, & rei herbariæ accommodata phrasi, singula reddere conatus sim: tamen fieri non potest, ut in tam ampla materia aliquando non peccetur: id quod doctissimis uiris contigisse uidemus. Hermolai enim Barbari translationem sæpe emendat Marcellus Vergilius, & hunc non raro Manardus & Ruellius corrigunt: sicut nec ipsam Ruellij conuersionem in omnibus eruditis placere uidemus. Quid mirum ergo si idem mihi aliquando usu ueniat: quod doctissimis quoque accidisse perspicuum est. Nolim tamen sciolos (eruditorum enim limam non subterfugio, quin imò gratias magnas illis habebo, si non solum erudite, sed & candide errata nostra emendent) impetu quodam, & temeritate nostra inuadere, quæ quanto nobis labore constiterint, quantácꝫ diligentia usi fuerimus, dum in conuertendis his commentarijs, quindecim ad minus rei herbariæ scriptores perlegimus, phrasimcꝫ eorum imitari conati sumus, & nos experti sumus, & alij testabuntur, qui & ipsi in hoc studiorum curriculo aliquando uersati sunt.

sunt. Qui ergo adeo præcipitis sunt iudicij, ij prius reliquos euoluant herbarios tam ueteres, quàm recentiores, ac diligenter nostra cum Germanicis conferant, postea iudicent, sed cum candore, & æquitate. Cæterum consilio excellentissimi Medici Domini Conradi Gesneri, libellum Benedicti Textoris, cuius argumentum, & usum facile ex inscriptione, & Præfatione cognosces, coronidis uice adiecimus. Subiunximus & senos indices, summa à nobis confectos diligentia. Quod si non per omnia uotis respondeant: ignoscat nobis candidus lector. Nihil enim adeo elaboratum conficiunt homines, quod non aliqua parte imperfectionis particeps sit Et cogitet humanissimus lector solum me, & alijs studijs, pluribusq; negotijs occnpatum hæc Commentaria in lucem ædenda adornasse: nec aliorum auxilio adiutum, nisi duorum adolescentum, qui uno, & altero indice colligendo auxiliares nobis manus præbuerunt. Hæc ferè sunt, quorum candidum lectorē admonere uoluimus. Et quia longis in hoc opere absoluendo laboribus defatigati, ac fracti propè sumus: hic subsistemus, rogantes rei herbariæ studiosos, ut hilari fronte nostros labores suscipiant: & Tragum uirum bonum ac bene de hoc studij genere meritum, ea beneuolentia, qua uiros integerrimos, & Reipub. utilissimos complecti solemus, prosequantur. Vale.

CONRADI GESNERI MEDICI TIGVRINI AD REI MEDICAE STVDIOSOS PRAEFATIO,

in libros de natura Stirpium Hieronymi Tragi, in qua enumerantur qui de plantis quouis modo in hunc usq; diem aliquid literis prodiderunt.



ON PARVA HAEC SAECVLI NOSTRI PER Dei gratiam fœlicitas est, quod partim nostra, partim patrum nostrorum memoria, literarum artium atq; scientiarum fere omnium indigna, tum in uerbis tum in rebus, & rerum cognitione barbaries, à bonis & eruditis uiris depelli, & pristinus Græcæ Latinæq; linguarum nitor in integrum tanquam postliminio reuocari & restitui cœpit. Vnde mox omnes scientiarum thesauri, linguarum ceu clauium & instrumentorum usu, patefacti, & optima uariarum rerum in sacris humanisq; literis cognitio, à qua priorum aliquot sæculorum homines iamdiu exclusi erant, bonis & studiosis omnibus tanquam in penetralia admissis, reserata communicataq; est. Eodem autem tempore ut reliqua naturalis philosophia & Medicina, sic & stirpium historia paulatim renata, diuersisq; nationibus quasi certatim exculta est, ita ut nullo unquam ante nos sæculo ad tantum fastigium peruenisse uideatur. Quamuis enim multa à ueteribus tradita nobis incognita sunt, uel quia illi descriptiones singulorum accuratas non reliquerunt, uel quia regiones nostræ non proferunt: multo plura tamen alia medicamenta, in plantarum genere imprimis, priscis ignota, certè non prodita, ætas nostra agnoscit & usurpat fœliciter. Verum esse quod dico facile cõstabit, illi qui numerum ueterum pharmacorum, quæ pleraq; omnia Dioscorides descripsit, & rursus eorum quæ hodie ab hominibus eruditis nota, & literis illustrata sunt, inter se contulerit. Neq; id mirum, facile enim maiorum inuentis pauca semper paulatim adijciuntur: & ut Ascræus ille ait, pauca etiam sæpius adiecta, magnum deniq; cumulum efficiunt.

Quoniam uerò illorum qui rem herbariam & uniuersam plantarum historiam prodiderunt, auxerunt, illustrarunt, per diuersa tempora, nationes, & linguas magnus est numerus, nomina singulorum, quotquot memoria complecti & ab alijs memorata colligere in præsentia potui, ordine quodam recensere uolui. Primum igitur Græcos, deinde Latinos ueteres, tertio Arabes, quarto recentiores, qui tum latinè tum alijs linguis hodie uulgaribus scripserunt, literarum in singulis seriem secutus enumerabo. Nam temporum ordo in multis ignotus nobis est, & quinam alijs doctius aut utilius scripserint iudicium tum difficile tum inuidiosum. Poteram

eos pri-

eos priuatim numerare quorum scripta extant: poteram pro ipsa tractationis differentia catalogos instituere. scripserunt enim quidam grammatice tantum, ut nos in catalogo nostro, ubi nomina solum interpretamur. alij historicè, ut Oribasius ex Dioscoride: & nos quoque in historia nostra, descriptionibus tantum expressis, facultatibus uero omissis præterquam communibus quas paucissimis efferri licebat. Galenus & eum secuti, Aëtius, Ægineta, uires & facultates ferme tantum exposuerunt, hoc est, medice scripserunt. alij philosophice & physice, ut Aristoteles, Theophrastus, & si qui alij plantarum genera, species, differentias, & partes secundum locos communes distribuerunt, aut causas inuestigarunt. est enim Physica quoq; descriptio duplex, illam historicam, hanc ætiologicam Græci uocant. utroq; modo ut Aristoteles animalium, sic stirpium Theophrastus historiam prosequitur. Quidam deniq; rustice, ut Geoponicorum & Cepuricorum authores, qui sationes, plantationes & cultus uarios docuerunt. Alij forte etiam aliter, ut qui de coronis & floribus scripserunt, quiq; de odoribus, κοσμητικῶς, ἐρωτικῶς, συμποσιακῶς, & (ut ita dicam) ἡδυπαθικῶς. Possunt & βαφικῶς tractari, si quis eas explicauerit quæ tinctoribus & pictoribus utiles sunt. Aliqui illas tantum attigerunt quæ cibi aut condimenti usum præstant, μαγειρικῶς, ὑγιεινῶς, καὶ πρὸς ἡδονήν. Qui de plantis magice & superstitiose scripserũt, ut Orpheus & Democritus, quem sæpe deridet Plinius, indigni sunt mentione. Sunt qui ex supradictis modis, duos tresúe aut plures coniunxerint. Sunt quorum scripta partim extent, partim amissa sint. Quamobrem non inueni commodiorem simul facilioremq; rationem, quam alphabeticam: cui hoc etiam accedit commodi, quod nihil opus sit eadem diuersis in locis repeti, id quod omnino faciendum fuisset tractationis discrimen sequenti: ut in Theophrasto, qui non physice tantum, idq; bifariam, ut dixi, de plantis agit, sed etiam historice & medice passim, & similiter in alijs pluribus. Porro licet nonnulli recentiorum parum Latine aut docte scripserint, & erudito hoc sæculo ab omnibus contemnantur, nolui tamen illos silentio præterire, quod harum rerum studiosi & curiosi homines, in plerisque omnibus etiam barbaris libris (quos ab ijs solis qui iam iudicio ualent, optimis legendis primum exercitati, uersari uelim) non inutilia quædam reperturi sint, quamuis & pauca, & uix digna fortassis ea temporis iactura quæ in istis inquirendis insumitur. Sed quidam adeo curiosi sunt, ut quodcunq; studium sibi excolendum sumpserint, in eo ut excellant, minutatim omnia perquirant. Mihi quidem ipsi hæc authorum commemoratio iucunda est, & gratitudinis quoddam officium cuique pro scriptis & lucubrationibus suis, quibus posteritati consultum quantum in se esset quisq; uoluit, hisce enumerandis ferme præstare mihi uideor.

GRAECI QVI DE PLANTIS SCRIPSERVNT.

A ÆTius, uide in Cl. Galeno.

ALExander Magnus, quære in Herme.

ALExias rhizotomus, in Thrasya dicetur.

ANAxagoras physicus Philosophus citatur à Theophrasto de Hist. 3 I. ubi de generatione plantarum agit.

ANDreã qui multa superstitiose & arroganter scripsit, relinqui suadeo: & multò magis Pamphilum, qui ne in somnis quidem unquam uidit stirpes illas, quarum effigies describere conatur. Tales enim homines, ut et Tarentini Heraclides eos comparabat simillimi sunt præconibus, qui fugitiui alicuius mancipij, etiam nunquam ab eis conspecti, notas quas auditu acceperint describunt: & tanquam incantationis alicuius uerba proferunt, ne si proxime quidem astaret, illum quem describunt cogniturì, Galenus. Κρατεύας ὁ ῥιζοτόμος, καὶ Ἀνδρέας ὁ ἰατρὸς (hi enim cæteræ diligentius hanc partem tractasse uidentur) utilissimas radices multas herbasq; aliquot inde scriptas reliquerunt. Veruntamen pro antiquioribus testandũ illud est, in paucis quę tradita ab eis fuerunt, quod exactum erat eos tradidisse, Dioscorides.

Brunfelsius Andream Chium herbarum scriptorem in primo Dioscoridis libro memorari ait: ego Chij cognomen (ut sic appellem quod gentile est) nusquam legisse memini. Nam Plinius etiam Andreã medicũ per sepe citans, primum libro uicesimo, deinde sex proximè sequentibus, patriæ nomen, quod equidem sciam, nusquam adiecit.

Andream medicum de serpentibus, & de ijs quæ falsò creduntur scripta quędam reliquisse author est Athenæus, Eiusdem libri qui Νάρθηξ inscriptus sit meminit Scholiastes Nicandri in Theriacis.

Androcides animaduersa brassicæ natura uiti infensa. ex eadem remedium contra uinũ & ebrietatem inuenit, Theophrastus circa finem libri quarti de hist. pl. & ex eo mutuatus Plinius 17.24. qui raphanũ uocem Grecam reliquit, Gaza melius brassicam transtulit. Idem nimirum fuit Andracydes, quando & temporis ratio congruit, qui (ut refert Plinius 14.5.) ad regẽ Alexandrum scripsit: Vinum potaturus, o rex, memento te bibere sanguinem terræ, &c.

ANdrotion author est myrtum & oleam maximè purgatione egere, Theophrast. de hist. plan. 2.8. Idem à Varrone & Columella nominatur inter rei rusticæ scriptores quorum patria ignoratur: item à Plinio inter eosdem, libro 8. & 10.14.15.17.18.

ANtigoni cuiusdam uerba de lauro & dauco refert Nicandri Scholiastes in Teriacis.

APollodo-

APpollodorus de odoribus scripsit, Plinius lib.21.& 13. Idem lib.20. & 24. Apollodorum Tarentinum & alterum Cittiensem, ambos medicos commemorat.

APpollonius medicamenta parabilia conscripsit, Galenus in præfatione lib. 6. de simplicibus, ubi simplicium pharmacorum scriptores enumerat. Non exprimit autem cuias is fuerit, cum plures hoc nomine medici fuerint, ut Antiocheni duo, Memphites, Pitanęus, & quart⁹ cognomento Mys. Memphytem quidem aliquid de plantis condidisse ex Scholijs in Nicandri Theriaca constat. Claudij Appollonij medici secundo de antidotis Galenus meminit. Sed parabilium remediorum scriptores alij etiam plures sunt, qui non ex professo de stirpibus, sed obiter quæd ãde eis prodiderunt.

ARchigenes inter recentiores medicos in therapeuticis suis libris multa passim de usu remediorum scripsit Galenus.

ARchilochus cytisum ait utilem esse pecori, quia lac auget, Nicandri Scholia in Ther.

ARistenas ceu qui de plantis aliquid scripserit, Ibidem.

ARistogiton anonymon herbam celebrauit, Plinius.

ARistophilus pharmacopola Plataicus uires quasdam herbarum mirabiles compertas sibi esse dicebat, Theophrastus de hist. plant. 9.19.

ARistotelis de plantis libri obscuri sunt, propter illam per diuersas linguas mutationẽ obscuriores etiã facti. Transtulit eos Andreas de Lacuna, & alius quidam innominatus. Citantur alicubi ab Athenæo. Noui Augustini Niphi coniecturam, qui Theophrasto adscriptos libros Aristotelis esse putat: & duos illos breues Aristoteli attributos, Theophrasti esse non probo.

Aristotelis problemata de stirpium genere & oleraceis, problematum eius sectione 36. leguntur.

ASclepiades medicus citatur à Plinio libris 7.15.20.& alijs septem deinceps. Plurima autem de eo scribit lib.26. cap.3. item lib.7. cap. 37. & lib. 25. cap 1.

Nemo æque de omnibus medicamentis simplicibus scripsit, ac Dioscorides, nisi quis etiam Tanitrum Asclepiadis (Τάνιτρον τοῦ Ἀσκληπιάδου) laudet: qui sane meretur laudari, præterquam in ijs ubi causas rerum assignare conatur, Galenus. Ego Tanitrum libri alicuius inscriptionem esse, conijcio, cuius author sit Asclepiades.

ASclepiodotus Alexandrinus à puero ferebatur prõptissimi inter ęquales ingenij & doctissimus esse, ita ut curiosius de quauis re obuia interrogaret siue naturali siue artificiali. Itaque breui tempore omnino perceperat tum colorum quibus tinctores utuntur mixtiones omnes, & omne genus tincturæ ad uestes pertinentes, item innumeras lignorum differentias, &

quomodo fibræ ipsarum secundum rectum differrent, aut quomodo contextæ essent. Quin & lapidum herbarumq́ uariæ facultates ac species, tum communiũ tum rariorum, omnibus modis ab eo inquirebãtur ac inueniebantur. Quamobrem multum negotij facessebat rerum singularum professoribus, sæpe illos conueniens, & singulatim quam accuratissime inquirẽs. Plantarum quidem historiam maximi faciebat: & magnis etiam animalium, partim ipse suis oculis perdiscens & explorans quantum poterat, partim inquirens ab alijs quam diligentissime, & omnia de ijsdem ueterum scripta perlegens &c. Suidas.

B BAssus Tylæus, uide in Sextio Nigro.

Iulius Bassus (homo Romanus aut Latinus saltem,) Græce de medicina scripsit, citatus a Plinio lib. 24. & 26.

BIon Solensis citatur a Plinio cum alibi, tum libris 14. 15. 17. 10. in quib⁹ de uitibus, arboribus & agricultura docet, & libro 28. Cæcilius Bion qui scripsit περὶ δυνάμεων, inter externos: Cæcilius uero medicus simpliciter libro 29. inter Latinos authores.

C CÆcilius, lege Bion.

CAllimachus & Mnestheus medici apud Græcos de coronis priuatim scripsere, quæ nocerent capiti, Plinius 31. 3.

Callimachũ de trifolio scribentẽ Nicandri interpres in Theriacis citat.

CAstritius, Cesennius & Firmus Cepurica, i. de re hortensi scripserunt, Plinius lib. 19. inter Latinos authores.

CEsennius in Castritio dictus est.

CHæreas Atheniensis aliquid de plantis scripsit, circa carduos & spinas diligentissimus teste Plinio lib. 20. cap. 23. Citatur & ab eodem libris 8. 12. 14. 10. 17. 18.

Chrysippi uolumina referta herbarum mentione inuenimus, Plinius. Idem lib. 20. Chrysippus medicus, inquit, priuatim uolumen Brassicæ dicauit, per singula membra hominis digestum.

CL. Galeni libri doctissimi de simplicibus medicamentis extant undecim, pro quibus ut plurimum illi debere nos fateor: ita miror tam doctum & excellentem hominem, & diuitijs omniq́ occasione noua experiendi affluentem, non solum tamen plantas nouas nullas descripsisse, neque ueterũ nomina sui sæculi, aut aliarum linguarum nominibus interpretatum esse, uerum etiam plurima a Dioscoride alijsq́ tradita præterijsse. Quod forsitan fecit, quod in ipsa arte elaboranda plus temporis ponendum existimaret, & materiam medicam satis abunde nobis suppetere, magisq́ ut ea quę in promptu & communia sunt penitius cognosceremus secundum primas & secundas singularum qualitates, & insuper experientiam, opus esse putaret, quam multis, uarijsq́ & incertis nouis absque fine perquirendis occupari.

cupari. Hæc excusatio etiamsi alicuius momenti est, non omnino tamen mihi satisfacit. nam ne in illis quidem quæ tradit, experientiam suam nobis approbat: cum in plurimis appareat eum de facultatibus stirpium, earumq; gradibus, ut uocant, non eo quo debebat modo pronunciare, a` primis qualitatibus ad secundas progrediendo, aut ex gustu & sapore de eis iudicando: sed uice uersa, ex secundis qualitatibus quas Dioscorides aliiq; ei attribuunt, de primis iudicium ferendo: quod ut fieri aliquando potest, cum simplices remediorum sunt facultates, ita cum eadem partibus & uiribus diuersis constant, fieri non potest, multo minus uero ex tertijs qualitatibus secundas ac primas inuenire est, at secundas & tertias ex primis, facilius atque certius. Hinc equidem conijcio plantas illas in quibus eum iudicandis quo dixi modo errare contigit, uel ignotas ei prorsus, uel per negligentiam uel quod nimium suo iudicio tribueret, inter scribendum non gustatas esse, aut ullo experimento probatas. Hæc & nostra iam olim fuit sententia, & postea Valerium Cordum, & alios quosdam a` simplicium medicamentorum cognitione laudatos homines similiter sensisse intellexi. Eandem reprehensionem & maiorem etiam merentur, Ægineta, Aëtius, & Oribasius, qui similiter ut Galenus aliorum ante se multa medicamenta omisit, sic ipsi multa Galeni, & insuper tantum eius authoritati tribuerunt, ut ne latum quidem unguem ab eius iudicio usquam discesserint, & nihil fere prorsus de suo adiecerint: sed omnia sua ex Galeno uel ijsdem uerbis, uel breuius aliquanto repetierint. Itaque hac in parte multo magis laudauerim Arabes, qui inter cætera quæ a` Gręcis mutuantur, multa passim de suo & Græcis incognita addiderunt, sed his ut hoc facerent maior occasio fuit, ut qui in alia orbis parte, & posteriores tempore uixerint. Attribuitur etiam Galeno de simplicibus liber ad Paternianum qui latine tantum & si parum latine circumfertur, nullo interpretis nomine adiecto: neq; equidem ex Græco translatum puto. Gręce non extat. Capita sunt 299. enumeratis ordine alphabeti Latini medicamentis. Insunt Barbara quædam & Arabica uocabula. Nihil fere, ni fallor, in eo legitur quod non ab alijs authoribus melius & purius traditum habeamus. Item de centaurio minore libellus.

Galeni librum de 46 plantis habemus cum commentario Humain, Gentilis.

CLeodemi sententiam de generatione plantarum adfert Theophrastus de histo. pl. 3. 2. ubi Græce κλειόδημος legitur, alibi uero κλείδημος, Clidemus, ut lib. 5. cap. 12. de causis, ubi de morbis arborum loquitur: & eiusdem operis libro primo cap. 10. causam inquirens cur calida hyeme potius germinent, æstate frigida.

CLeophanti medici nomen frequēs legitur in historia Plinij a` libro 20.

usque ad 27.lib.26. uini rationem ab eo illustratam scribit: & alibi uixisse eum ante Asclepiadem.

CRateuas, Dionisius, Metrodorus, de herbis Græce scripserunt, ratione blandissima, sed qua nihil pene aliud quam rei difficultas intelligatur. Pinxere namque effigies herbarum, atque ita subscripsere effectus. Verum & pictura fallax est, & coloribus tam numerosis, præsertim in æmulatione naturæ, multum degenerat transscribentium sors uaria. Præterea parum est singulas earũ ætates pingi, cũ quadripartitis uarietatibus anni faciem mutent. Quare cæteri sermone eas tradidere: aliqui ne effigie quidem indicata, & nudis plerunque nominibus defuncti, quoniam satis uidebatur potestates uimq́; demonstrare quærere uolentibus, Plinius: à quo passim citatur lib.20.& septem proxime sequentibus.

Crateuas rhizotomus, diligenter quidem scripsit quæ scripsit de radicibus & herbis, sed multa præteriit, Dioscor. Galenus reprehendit illos qui herbarum et aliorum remediorum cognitionẽ ex libris et descriptionibus, quam præceptoribus repetunt: & similes eos ait esse τοῖς ἐκ τῶν βιβλίων κυβερνήταις, id est, nauium gubernatoribus qui artem ex commentario aliquo hauserint. Si quis tamen, inquit, huiusmodi descriptionibus egeat, nemo tam miser (aut imperitus) est, qui in Dioscoridis, Nigri, Heraclidæ, Crateuæ, & aliorũ q̃plurimorũ qui in arte ista consenuerunt, libros sit neglecturus.

CRateuæ ῥιζοτομικὸν Nicandri Scholiastes in Theriacis allegat: ubi etiã legimus inuenisse eum Thapsum herbam in Thapso insula una Sporadum.

Extat ad ipsum Hippocratis epistola, quæ eũ laudat tanq̃ optimũ rhizotomon, q̊d & ipse exercitatus sit in hac arte, & à maioribus eam acceperit.

D DAlion herbarius citatur à Plinio lib.20.cap.17.& sequentibus aliquot libris, & in iisdem etiam DAmion medicus.

DAmocrates trimetris iambicis iberidem herbam celebrauit in libro qui Clinicus inscribitur, quos recitat Galenus libro 10. de comp. phar. sec. locos in cura ischiadicorum, alibi etiam tum eodem in opere, tum in eo q̊d est de compositione secundum genera, & libro secundo de antidotis, uersus ipsius de medicamentis quibusdam compositis refert.

Seruilius Damocrates inuentor & buccinator herbæ quam iberida appellauit, qua cum omnes suos ægros curabat, Plinius 25.8.

DEmocritus peragratis Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptiq́; magis, uolumen de herbarum effectu composuit, & similiter Pythagoras, Plinius. Citatur Democritus apud Theophrastum de hist.plant.1. 8.& de causis 2.16..& 6.1. Ex duobus quidem prioribus locis ipsum etiam de plantis, quod ad causas, literis mandasse nonnihil satis clarum fit.

Democritus in libro Chirocinetam inscripto de herbis quibusdam magicis mirabiles effectus tradit, quos repetit Plinius 24.17.

DIago-

DIagoram medicum de plantis aliquid composuisse apparet ex frequenti eius citatione apud Plinium libris 12.13. 20.& sequentibus aliquot. Libri quidem uicesimi capite18.mentionem eius facit in opio seu papaueris succo parando.

DIeuches multa obiter de usu remediorum scripsit in therapeuticis suis uoluminibus, Galenus, Citatur etiam passim a`Plinio lib. 20. & septem deinceps. De Brassica priuatim scripsit, eodem teste.

DIocles Carystius rationalis sectæ medicus & herbariæ medicinæ studiosus fuit, aliquoties citatus a`Galeno, Plutarcho, Scholiaste Nicandri in Theriacis: item a`Plin. lib. 20.& 7. sequentibus.

Dioclis Carystij uolumina, qui secundus ab Hippocrate ætate famaq́; extitit, referta herbarum mentione inuenimus uolumina, Plinius 26.2. idem Galenus testatur. Athæneus huius Dioclis ὑγιεινὰ citat.

DIodotus, Niger, & Petronius medici, Asclepiadęomnes, cōmentarios de usitata materia medica scripserūt, &c. Diosc. uide in Nigro. Plinius libro 20. circa finem capitis octaui, Petronius Diodotus (inquit) qui Antilegomena scripsit, in totū damnauit serin, multis modis arguens. Eundē (Petroniū Diodotū) aliq̄ties libris quatuor sequentibus nominat, & Diodoti Empirica lib. 20. cap. 12.

DIogenes Physicus philosophus citatur a`Theophrasto de hist. plant. 3. 2. ubi de generatione plantarum agit.

DIonysius scriptor περὶ φυτῶν memoratur a` M. Varrone de re rusti. 1. 1. Plinius Dionysium effigies herbarum pinxisse ait, ut in Crateua recitaui. Idem alibi sępe in plantarum mentione Dionysij medici authoritate utitur, libris 12. 13. 20. & septem deinceps, & Salustij Dionysij medici libro 32. cap. 7. ex ramis remedium describens.

Dionysij ῥιζοτομικὰ, Nicandri in Theriacis Scholiastes adducit.

DIoscorides, uide Pedacius.

DIphilus Siphnius medicus reliquit librum de alimentis, uel ut Athenęus citat περὶ τῶν προσφερομένων, τοῖς νοσοῦσι καὶ ὑγιαίνουσιν, in quo multa passim de stirpibus & alimento ex eis docuit.

E

EPænetus de oleribus scripsit, Scholiastes Nicandri in Theriacis.

EPisharmi medici mentio fit apud Plinium lib 20. & septem deinceps.

ERasistrati uolumina referta herbarum mentione inuenimus, Plinius.

EVax rex Arabum de simplicium effectibus ad Neronem scripsit, Plinius, insinuat autem eum Græce scripsisse. Extat hodie libellus Latinis carminibus ineptis exaratis, qui in hunc regem authorem refertur.

EVdemus pharmacopola hac in arte facile princeps: & alter Chius Eudemus arte minime laudatus, nominantur 9.18.

Eudamus hic fuisse uidetur cuius in Pluto Aristophanes meminit, tanquam Pharmacopolæ annulos uendentis cōtra uenena & serpentium morsus.

Atheneus libro 9. Dipnos. ex Eudemi Atheniensis de oleribus libro uerba quædam recitat. Idem libro primo Euthydemi cuiusdam quæ de oleribus scripserit meminit.

EVryphon in Therapeuticis suis uoluminibus passim quædam ad plantas pertinentia adfert, Galenus.

G Glaucias medicus aliquid de herbis conscripsit, circa carduos diligentissimus, referente Plinio lib. 20. cap. 23. Idem sequentibus etiam septem libris aliquoties eundem authorem nominat.

GLaucon bupleuron olus laudauit in medicina, Plinius 22. 22.

H Heraclides Tarentinus & Iolas Bithynus medicamenta simplicia paucis attigerunt, re herbaria prorsus relicta, metallorum quoq; & aromatum nulla mentione facta, Dioscorides in præfatione. Ego eos de radicibus & liquoribus potius quàm de herbis egisse puto, nam & paulo post radices & herbas distinguit Dioscorides. Galenus hunc authorem de pharmacorū apparatu & delectu precepisse ait: unde uideri posset descriptiones ac uires, herbarum presertim, preterijsse: nisi rursus hæc Galeni uerba eodem in loco (in præfatione libri 6. de simpl.) legerentur: Si quis plantarum descriptionibus egeat, Dioscoridis, Nigri, Heraclidæ, Grateuæ & aliorum qui in arte ista consenuerunt, libros sibi comparabit.

Heraclides Tarentinus citatur à Plinio li. 12. & 13. & Heraclides medicus in eiusdem duodecimi libri authorum catalogo tanquam diuersus, quod mihi non uidetur. & libro 23. & quatuor sequentibus.

HErmæ Ægyptio attribuitur quidam liber continens herbas sacras triginta sex horoscoporum, ex quo Pamphilus aeton, id est, aquilam dictam herbam commemorat, Galenus: addens, hęc omnia nugas esse, & ab authore excogitata, nec usquam in natura extare herbas illas triginta sex. Ego apud Aggregatorem sæpe inuenio Thessalion quendam citatum; qui herbis nomina à zodiaci signis indit. Vidi & Iatromathematica Hermę Trismegisto attributa in quo medicamenta aliquot simplicia, calida primum, post frigida enumerantur.

Apud Græcos est quidam liber Alexandri Magni de septem herbis septem planetarum: & alter, qui dicitur Thessali Mysteriū, & Hermes, id est, Mercurius de duodecim herbis duodecim signis attributis, & septem alijs herbis per septem stellas. Hi libri rectè huic operi præponentur, Gerardus Cremonensis in præfatione sua in libros Kiranidis à se translatos.

HErophilus clarus medicina, herbarum studiosus fuit maximè, unde & dictum ab eo ferunt quasdam fortassis etiam calcatas prodesse, ut refert Plinius

nius 25.2. Hinc forte aniculæ medicæ calceis quasdam imponi iubent, ut chelidonium contra auriginem. Meminit eius etiam Galenus lib.2. Therapeut. Et in præfatione in sextum de simplicibus, de usu remediorum multa passim in therapeuticis ipsius uoluminibus reperiri scribit.

Herophilo quanquam subtilioris sectæ conditori, ante omnes celebratam rationem eam (per herbas medendi, legimus:) Paulatim (post ueteres illos medicos) usu ad uerba garrulitatemque descendēte. Sedere nanque in his scholis auditioni operatos gratius erat, quàm ire per solitudines, & quærere herbas alias alijs diebus anni, Plinius 26. 2. qui & sequente mox capite huius authoris meminit, & rursus 29.1.

HIcesius de conditura uini scripsit, Plinius lib. 14. ca. 19. qui & inter medicos hunc authorem nominare solet libro 20. & septem sequentibus. Et 27.4. Hicesius non paruæ authoritatis medicus anonymon herbam celebrauit.

Hippocratis qui primus medendi præcepta clarissimè condidit, referta herbarum mentione inuenimus uōlumina, Plinius. Idem testatur Galenus in præfatione libri sexti de simplic. med.

HIppon etiam aliquid de plantis scripsit ut apparet apud Theophrastum 1. 6. & 3. 3. de hist. plant.

IOlas (Ἰόλλας) Bithynus materiam medicam tractauit, sed imperfectè. Vide supra in Heraclide Tarentino. Apud Plinium ubique Iollas per l duplex scribitur: à quo citatur libris 12. 13. & 20. & sequentibus septem. et 33. 34. 35. In Nicandri Theriacorum Scholijs Iolaus pro Iola non recte legitur. I

IVbæ regis in Aphrica authoritatem sæpissime de plantis quibusdam peregrinis scribens adfert Plinius lib. 13. 14. &c. Nusquam autem ex professo hunc regem de plantis scripsisse puto, sed historias earum expeditionibus & peregrinationibus suis à se descriptis obiter inseruisse, ut animalium quoque.

Celebrauit inter alia herbam Euphorbiam, Plin. 25. 7.

IVlius Bassus, uide in Basso.

LYcus Neapolitanus medicus citatur à Plinio li. 20. ca. 20. ubi de atriplice scribit & aliquoties in septem deinceps libris, & alibi, semper inter externos, & inter medicos, ubi illorum nomina separat. L

Manteas (Μαντέας) scripsit de medicamentis purgantibus, & clysteribus: item de remedijs secundum partes corporis humani, Galen. M

MEdius medicus citatur à Plinio lib. 20. & septem deinceps.

MEnander qui Biochresta scripsit, citatur Plinio libro 19. & octo sequentibus, neque inter medicos numeratur, & si pleraque omnia, ni fallor, ubi nominatur, ad plantas pertineant.

Menestor citatur à Theoprasto de hist. pl. 1. 3. & 5. 4. & 5. 10. & de causis pl. libro 1. cap. 21. & eiusdem libri cap. 26. in quibus locis omnibus

aliquid ab eo quod ad plantas pertineat proditum refertur. item 2. 5. de causis.

Menetheus quidam, μενεθεὺς, scripsit nomenclaturas pharmacorũ, ut refert Galenus in Glossis in dictione βίσμος. Sed quærendũ an uox corrupta, necq; enim usitatum inuenio huiusmodi proprium nomen, nec etymon apparet.

Menodorus Erasistratus medicus fuit, Hicesij amicus, cuius de cucurbitis scripta Athenæus repetit lib. 2. Sympos.

Metrodórus herbas depinxit: uide supra in Crateua. Plinius libro 21. & sex sequentibus Metrodorum medicum non raro citat.

Mictonis (Μίκτωνος) rhizotomica Scholiastes Nicandri in Theriacis adducit. Plinius libro 20. & septem sequentibus non Mictonem sed Mictionem medicum nominat: & libro 28. Mictionem Smyrnæum.

Idem libro 20. cap. 13. Mictionis rhizotomumena memorat, ego rhizotomica potius dixerim.

MNesidis medici de opio sententiam Plinius profert lib. 20. cap. 18. & libris septem sequentibus, & lib. 13. & 33. 34. 35. sæpe hunc authorem nominat.

MNesthei Atheniensis medici uolumen περὶ ἐδεστῶν, hoc est de ijs quæ in cibo sumuntur, Athenæus prædicat lib. 2. Dipnos.

Mnestheus de coronis priuatim scripsit quæ nocerent capiti, Plinius 21. 3. Eiusdem subinde meminit libro 20. & septem sequentibus.

MVsæus post Orpheum & Hesiodus, polion herbam mirati sunt, Plinius 25. 1.

N NIcandri Poetę Theriaca & Alexipharmaca extãt, quibus passim multas herbarum descriptiones ac uires intermiscet. Citatur à Dioscoride (ut in morsu cenchri) & Plinio. Et mihi quidem uidetur Dioscorides plurima à Nicandro mutuatus, cum eadem præscribant in plerisq; omnibus uenenis tum signa tum remedia, & herbis quas describunt notas easdem ferè attribuant, ut nihil apud Nicandrum sit quod non apud Dioscoridem quoq; legatur. aut potius ambo ex uno quodam tertio sua descripserunt. Plinius Nicandri authoritate utitur libro 8. 10. 11. 20. & septem deinceps. Item 29. 31. 32. 36. 37.

NIceratus medicus, uide mox in Nigro. Multa de re medica scripsit, sed nihil tam probatur Cælio Aureliano q̃ commentarium eius de catalepsia. Nominatur à Plinio lib. 31.

Niger, Plinio Sextius uel Sestius, Niger, homo Latinus Gręce de medicina scripsit, Citatus à Plinio libros 12. 13. 14. 20. cum decem sequentibus, & 32. 33. 34. Qui plantarum descriptiones desiderat, Nigri, Dioscoridis & aliorũ qui in arte ista consenuerunt uolumina facile sibi comparabit, Galenus.

Ego pleraq; à Plinio citata ex Sestio nigro, apud Dioscoridem reperio, ut sunt loci de castoreo, salamandra, maluis, & nasturtio, in quo tamen quędam Plinius

dam Plinius

dam Plinius è Sextio citat quæ apud Dioscoridem non leguntur. Recentiores, ut Bassus Tylæus, Niceratus, Petronius, Niger & Diodotus, Asclepiadæ omnes, communem notam'que omnibus & in uitæ humanæ usu quotidianam materiam exacta descriptione dignati, medicas remediorum uires, & probationes in decursu tradiderunt: non experientia rerum uires probationes & efficatiam metientes, sed uano de causis sermone usque ad contentionis tumorem, ubique rem extollentes & alia pro alijs aliquando describentes. Siquidem qui inter eos excellere Niger uidetur, multa passim falsa tradidit, unde apparet pleraque non ut ipse uiderat, sed ex historia aliorumque traditionibus docuisse, Dioscorides.

OLympias Thebana medicinæ perita, citatur frequenter à Plinio li. 20. & septem deinceps. O

OPhion medicus aliquoties legitur apud Plinium lib. 20. & sequentibus septem circa plantas & earum uires, etsi impressi codices Opion habeant. in catalogo quidem authorum, hoc est libro primo semper Ophion scribitur.

Nominatur & Ophilius medicus libro 28. Plinij.

ORibasius ex Dioscoride plantarum descriptiones ordine alphabeti digessit.

ORpheus primus omniũ quos memoria nouit, de herbis curiosius aliqua prodidit, Plinius. Et mox, Orpheus & Hesiodus suffitiones commendauere.

Extant etiamnum huius curiositatis indicia in libro qui hymnos continet, siue huius siue alterius Orphæi, ubi semper quæ singulis dijs suffiri debeant, initio singulorum hymnorum nominantur.

PAmphilus de stirpibus uolumen edidit ordine literarũ, in quo sæpe fabulas quasdam aniles recenset, & superstitiosa quædam describit, & incantationes quibus in eruendis herbis quidã utuntur: Quin et amuleta quædã et alia uana, nõ curiosa solũ & extra rem medicã, sed et falsa omnia. Solet autem unicuique herbæ primum uaria nomina temere adijcere, ut Ægyptia, Babylonia, & quæ quidã peculiariter aut symbolice eis imposuerũt, (hinc nimirũ adiectæ sunt illę quę in nonnullis exemplaribus Dioscoridis reperiũtur nomenclaturæ.) Deinde metamorphoses addit, si quẽ hominũ forte in stirpem mutatũ esse in fabulis sit: tum incantationes, sacrificia & suffimenta quæ circa herbas eruendas à nonnullis obseruantur, & alias huiusmodi nugas ac superstitiones: cuius generis etiam hoc est quod herbas alias alijs dijs aut dæmonibus sacras facit, & quasdã à syderibus uel horoscopis denominat. Sed apparet eum nihil quàm grammaticũ fuisse, nec uidisse herbas de quibus scribit, ut supra etiam in Andrea dictum est) nec uires earum expertum esse, et quibusuis aliorum scriptis temere fidem adhibuisse, Galenus. P

Pamphilus

Pamphilus in Glossis κιτρίον a`Romanis inquit κίτρον, appellari, Athenæus libro 3. Et alibi aliquoties citat Pamphili Alexandrini de nominibus & glossis librum. ego eundem hunc Alexandrinum grammaticum cuius Pratũ dictionũ Suidæ dictionario accessit, de plantis etiam scripsisse puto.

PAulus Ægineta Galeni de simplicibus medicamentis libros in compendium redegit.

PEdacius, uel ut alij malunt, Pedanius Dioscorides, Anazarbeus, miles sub Antonio & Cleopatra, omnem materiam medicam omnium absolutissime scripsit, Galeno etiam teste, &c. de quo plura in Bibliotheca scripsimus: & ipse de suo opere satis multa in præfatione dicit.

Dioscoridem cum ipsa Cleopatra uixisse Suidas author est, & libros uiginti quatuor medicinales ab eo conscriptos. Quos libros nihil aliud continere quam illos qui habentur puto, ordine uiginti quatuor apud Græcos literarum digestos, quo ordine etiam hodie reperiri eos audio.

PEtrichus, Πέτριχος.

CAucalis illinitur & contra uenena marinorum, sicut Petreius in carmine suo significat, Plinius. 22. 22. Ego Petrichum hunc authorem esse puto, qui & carmine scripsit & Ophiaca, hoc est, remedia serpentium & ueneratorum, quæ a`Nicãdri Scholiaste aliquoties citatur, nec refert quod Petreius alibi etiam sæpe in Plinio legatur, item Petreius, & Petridius libro primo in catalogo authorum a`libro 20. usq; ad 27. semper .n. hoc nomen eodẽ ordine & inter medicos ponitur, ut a`Petricho ubique corruptum facile intelligatur. Petridius qui Ophiaca scripsit, Plinius 20. 23. Hæc scripseram cum reperi Gyraldum in opere suo de Poëtis, Plinij loco supra citato ex libro 22. Petricum legere, sine aspiratione, nimirum emendatiore codice usum. Etiamsi uero hoc in opere Petrichus de animalibus uenenatis eorumq; remedijs agat, multus tamen obiter est in plantis etiam & earum uiribus scribendis.

PEtronius, uide in Diodoto.

PHanias physicus medicus qui de stirpibus scripsit, citatur a`Plinio lib. 21. & sex deinceps. Athenæus Eressium & peripateticum fuisse scribit, quintum eius de plantis librum adducens libro tertio Dipnosophistarum, & rursus libro nono. Reperio & φαινίας aliquoties apud eundem per αι quod nõ placet.

PHilippus & Archigenes inter recentiores multa utiliter de usu remediorum simplicium in Therapeuticis suis uoluminibus scripserunt, Galenus in præfatione libri 6. de simp. Quidam pro Philippo hic Pamphilum legunt, sed perperam: cum Pamphilum Galenus omnino relinquendum, ut qui prorsus inutiliter scripserit, suadeat, neque ulli eius therapeutici libri ut Archigenis & Philippi ferantur.

Plinius 18. 31. Philippum quendam citat qui astronomicum aliquid reliquerit.

Philip-

Philippus Cous primus Empericam separauit a` logica, rationes accipiens ab Herophylo cuius discipulus fuit, Galenus in Isagoge.

PHilistion medicus nominatur a` Plinio libro 20. & septem sequentibus ita ut appareat eum permulta ex plantis remedia tradidisse.

PHilotimi liber περὶ τροφῆς, hoc est, de alimentis memoratur Athenæo, libro secundo.

Phyllinus medicus nominatur a` Plinio lib. 20. & septem sequentibus.

PListonicus & Praxagoras in therapeuticis suis uoluminibus non pauca passim de usu simplicium pharmacoporum docent.

Plistonici frequens mentio fit apud Plinium lib. 20. & septem deinceps, & 36.

PLutarchus etiam nominatur in Scholijs Theriacorum Nicandri, tanq̃ de herbarum aliquid scripserit, forte obiter tantum.

PRaxagoræ & Chrysippi uolumina referta herbarum mentione inuenimus, Plinius: qui passim eius authoritate utitur libro 20. & septem sequentibus. Vide in Plistonico.

PYthagoras mirabiles quosdam herbarum affectus tradit in libro quẽ quidam Cleomporo medico ascribunt, sed Pythagoræ pertinax fama antiquitasq́ uindicant, Plinius 24. 17.

Et alibi Pythagoras clarus sapientia, primus, (etsi prius scripserit Orphæus, sed pauca quædam curiosa) uolumen de herbarum effectu composuit. Composuit & Democritus, ambo peragratis Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptiq́ magis.

Et alibi: Brassicam priuatim celebrauit, ut & M. Cato.

RVfus Ephesius libros quatuor de herbis hexametro carmine condidit, & multa passim remedia in therapeuticis suis libris describit, Galenus. Aldus olim Venetijs cum Dioscoride Græco carmina aliquot Græca de uiribus quarundam herbarum excudit, authoris incerti, quæ an Rufi sint alijs inquirendum relinquo. R

SAlustius Dionysius. Vide Dionysius. S

SAtyrus quidam nominatur a` Theophrasto de hist. plant. 3. 12. ita ut de plantis aliquid scripsisse uideri possit.

SEruilius Damocrates, uide Damocrates.

SExtius alia`s Sestius, uide Niger.

SImus medicus super uiribus herbarum quarundam memoratur a` Plinio, lib. 21. & sex deinceps.

SOlon Smyrnæus atriplex difficulter in Italia nasci tradidit, Plin. lib. 20.

SOranus Ephesius, qui sub Traiano & adhuc sub Galeno uixit, composuit libros aliquot pharmacorum, Cælio Aureliano teste.

SOsimenes medicus stirpium aliquot uires prodidit, citante Plinio libro 20. & quinque sequentibus.

SYmeon.

Symeon Sethi librum de cibariorũ & condimentorũ facultatibus condidit Græce, quem & Latinum habemus Lilio Greg. Gyraldo interprete.

T Tanitrus uide in Asclepiade.

Themison celebrauit uulgarem herbam plantaginem uolumine de ea edito.

THeophrasti libri de historia deq; causis plantarũ, noti sunt omnibus: de quibus nonnihil supra in Aristotele diximus, plura autem in primo Tomo Bibliothecæ. Et in libris quidem de historia inscriptis, stirpium genera species, ac differentias describens, historias quoq; passim siue descriptiones & medicas facultates aliosq; usus admiscet. In libris uero de causis plane physicum agit, uariorum quæ circa plantas eueniunt affectuum causas reddendo. Theodorus Gaza horum uoluminum interpres in multis reprehendi potest, sensum authoris non assequutus, ut ego ipse collatis plerisq; locis diligenter obseruaui. Idem dixerim de locis illis quæ ex hoc authore Plinius transtulit.

Theophrasti φυτικῶν liber decimusquartus citatur à Scholiaste Nicandri in Alexipharmacis, ubi os in persico caryon appellari docet.

De floribus scripsit Theophrastus apud Græcos: ex nostris autem inscripsere aliqui libros Anthologicon: flores uero persecutus est nemo quod equidem inueniam, Plinius 21.3. Idem plerosq; libros sui operis Theophrasti authoritate ornauit, nempe octauum & sex deinceps, & decimumsextum cum tredecim sequentibus: & 31.35 36.37.

THessalus, uide supra in Herme.

THrasyas Mantinensis radicũ peritissimus habitus est, Theophr. 9.17. & 18. hist. Alexias quoq; eius discipulus ingenij plurimũ ualuit acrimonia nec infra illum bonis artibus fuit instructus. nam et reliquas medicinæ partes, quas ille non tenuit, is egregie cõsecutus est, Idẽ 9.17. hist. plant.

TImaristi medici mentio crebra apud Plinium lib. 21. & sex deinceps. Libro 26. non recte pro Timaristo Tmiarchus scribitur.

TLepolemus medicus subinde nominatur Plinio in describendis plantarum uiribus libro 20. & septem sequentibus. Primus quidem liber, id est, Catalogus authorum Theopolemum pro Tlepolemo perperam habet. Nos libro 20. ca. 17. Tlepolemum legimus. Theopolemi certe nomen ominosius est, quàm ut eo usus quisquam existimari debeat. Tlepolemus uero usitatum est nomen, idem fere quod Menæchnus significans.

TRyphonis Alexandrini φυτικὰ siue φυτῶν ἱστορίαι citat Athenæus lib. 3. tribus in locis: & primo quidem secundum huius operis librum nominat.

TYKanion ceu qui de stirpibus aliquid condiderit à Scholiaste Theriacorum Nicandri nominatur. Eundem esse credo Tyrannionẽ Messenium philosophum, qui (Suida teste) de auspicijs & alia plura utilia scripsit.

Xenocrates

XEnocrates Aphrodienſis homo curioſus & magicæ uanitatis non ex X
pers, condidit antiphraſin ſuper diuerſis et peregrinis ſtirpium nominibus, Galenus.

Eundem eſſe puto quem Plinius inter medicos citat lib. 20. & decem ſequentibus. Idem alium Epheſium nominat li. 12. & 13.

LATINI VETERES

Æmilius Macer Veronenſis poeta, uolucres & herbarum facultates car A
mine proſecutus eſt. de quo Ouidius in libro de Triſtib.

Sæpe ſuas uolucres legit mihi grandior æuo,
Quæq; nocet ſerpens. quæ iuuat herba Macer.

Meminit & Plinius Macri, eiusq; teſtimonijs utitur, item Galenus libro 6. Pharmacorum. Æmilius macer (inquit Gyraldus) patriam habuit Veronam, ſed diu Romæ uerſatus eſt, in poematis ſuis Nicandrum poetam imitatus, ut ſcribit Fabius &c. Huius Macri nomine corruptores quidam & plagiarij, de herbis opuſculum, carmine quidem concinnatum, ſed rude et barbarum in uulgus dederunt. In eo quoq; C. Plinius citatur, qui uno plus minus ſeculo poſt Macrum floruit. Plura uide in Biblioth. noſtra.

Æmilij Macri authoritate utitur Plinius libris 9. 10. 11. & 17.

ANtonius Caſtor.

Nobis herbas pleraſq; omnes, inquit Plinius, (à priſcis deſcriptas) exceptis admodum paucis, contigit contemplari ſcientia Antonij Caſtoris, cui ſumma authoritas erat in ea arte noſtro æuo, uiſendo hortulo eius, in quo plurimas alebat, centeſimum ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne ętate quidem memoria aut uigore concuſſis. Citatur autem à Plinio li. 20. & ſeptem ſequentibus.

ANtonius Muſa Cæſaris Augusti medicus de herbæ uetonicæ remedijs 47. libellum ad M. Agrippam exarauit. Vide plura in Biblioth. noſtra.

C. Plinius ſecundus in Hiſtoria mundi, quæ libris 37. conſtat, ſedecim C
ſcripſit de ſtirpibus, nempe à duodecimo uſq; ad uigeſimum ſeptimum, uarijs omnino modis de eis tractans, philoſophice, hiſtorice, medice, ruſtice, magice &c. In hoc opere emendando multi hactenus egregij uiri deſudarunt, quorum lucubrationes extant. Nos nuper etiam Gulielmum Pellicerium epiſcopum Montiſpeſſulanenſem emendatiſſimam horum uoluminum æditionem parare audiuimus.

Magna pars Dioſcoridis ſcriptorum in Plinij etiam hiſtorijs reperitur, cum tamē Dioſcoridem ipſe nuſquam citet alijs nimirum authoribus uſus

ex quibus

ex quibus Dioscorides quoque pleraque desumpserat. Ex Theophrasti etiam de historia plant. libro plurima transtulit, & quædam non satis feliciter, ut in Theophrasto dixi.

C. Plinij Secundi nomine excusi sunt de re medica libri quinque. Horum primi tres passim ex Plinij operibus ab aliquo collecti uidentur, aduersus morbos diuersos. Quartus simplicium medicamentorum numero 58. facultates describit, Galenum & Dioscoridem aliquoties citans, unde apparet C. Plinij Secundi hoc opus non esse. Paulus Iouius in libro de piscibus Romanis cap. 35. Plinij Valeriani esse iudicat, cuius marmoreum sepulchrũ etiamnum Comi conspiciatur ubi Pliniorum familia floruit.

C. Valgius uir illustris & eruditione spectatus post M. Catonem & Pompeium Lenæum, de remedijs herbarum uolumen imperfectum ædidit ad diuum Augustum, Plinius: qui & testimonijs eius utitur libris 23. 24. 26.

I IVlius Bassus homo Latinus Græcè de medicina scripsit: uide supra in Basso inter Græcos.

L L. Apuleij Madaurensis philosophi Platonici de uiribus herbarum liber hodie in manibus habetur, quem à Chirone Centauro præceptore Achillis, & ab Æsculapio dicitur accepisse.

M Macer, Vide Æmilius Macer.

M. Cato. Herbarum remedia apud Latinos primus & diu solus idem ille M. Cato, omnium bonarum artium magister, paucis duntaxat attigit, boum etiam medicina non omissa, Plinius.

Brassicam peculialiter celebrauit, Idem 20. 9. in opere scilicet de re rust.

P PLinius Valerianus, uide C. Plinius.

POmpeius Lenæus.

Mitridates Ponti rex, in reliqua ingenij magnitudine, medicinæ peculiariter studiosus, ab hominibus subiectis, qui fuere pars magna terrarum, singula exquirens, scrinium commentationum harum (de remedijs stirpium) & exemplaria, effectusque in arcanis suis reliquit. Pompeius autem omni regia præda potitus, transferre ea sermone nostro libertum suum Pompeium Lenæum, grammaticæ artis doctissimum, iussit: uitæque ita profuit non minus quàm reipub. uictoria illa. Et hoc primum tempore hanc scientiam ad nostros peruenisse animaduerto, Plinius.

S SExtius (alias Sestius) Niger, homo Latinus Græcè de medicina scripsit: Vide inter Græcos in Nigro.

ARABICI SCRIPTORES

A AVerrois libro 5. sui colliget, id est, uniuersalis, in re medica operis, primum de alimentis & medicamentis, eorumque facultatibus ac differentijs

in genere

in genere agit, deinde insigniorum stirpiũ uires ex Galeni libris de simplicibus eodem ordine alphabeti Græci recenset, ut nos obseruauimus.

AVicenna librũ secundũ sui operis de medicamẽtis simplicibus omnis generis conscripsit, omnibus in unũ literarum ordinẽ redactis, in quo authores citat, Galenum, Dioscoridem, & paucos quosdam Arabes.

Idem in libro de corde, simplicia medicamenta (ut uocant) cordiala, serie literarum enumerat.

Aben bitar (uel, ut alij scribunt, Ebenbitar) scripsit de simplicibus medicamentis opus insigne & magnum, ordine alphabetico, citatis authoribus, quod à Bellunensi aliquoties citatur, qui & Arabicum expositorem eum alicubi nominat. Hoc nuper ex peregrinatione sua in Orientem doctissim⁹ uir Guil. Postellus secum aduexit. In eo (inquit in epistola quam de suis ac peregrinis & secum aduectis libris nuper ad me scripsit) simplicia quamplurima & remedia innumera, quorum nec nomen, nec uirtus, nec usus, nobis adhuc innotuit, sunt expressa: atq; omnia ita absolute, ut quicquid super ijsdem medicamentis apud Dioscoridem, Galenum & Oribasium imperfectum & mutilatum est ex hoc uolumine restitui & sarciri possit.

Idem & alia multa de medicamentis simplicibus uolumina, innominatis authoribus, & Dioscoridis compendium, (omnia puto Arabice scripta) se attulisse scribit.

ALcanzi ab Auicenna & Io. Serapione in explicandis simplicium facultatibus citatur: item à Ioanne Mesue.

ARahib apud Auicennam.

ALchuin aliquid de simplicibus condidit, citante Bellunensi in Auicennam.

Ebenesis liber de simplicibus memoratur Bellunensi, qui eundem expositorem Arabicum uocat, & expositionem eius in librum Samarcandi citat, ex capite de mania. Samarcandum uero alibi de signis scripsisse ait.

Ebengieslen de simplicibus apud eundem.

Elluchasem Elimithar medicus de Baldais in Tacuinis sanitatis tuendę, plurimorum tum alimentorum tum medicaminum simplicium facultates describit, eorum duntaxat quæ in cibum uel condimenta ueniunt per classes quasdam rerum, ordine dicens de fructibus arborum, de cerealibus, seminibus, leguminibus, panificio, oleribus, & reliquis.

HAli filius Abba libro secundo partis secundæ uoluminis Regalis de medicamentis simplicibus agit.

HVmain, quem uulgo Ioannitium uocant, citatur ab Auicenna aliquoties libro secundo ut in Scebram: & à Ioanne Mesue tum hic tum filius eius.

Cl. Galeni librum de 46. plantis habemus cum commentario Humain, Gentilis.

I IO. Damascenus filius Mesue librum ædidit de simplicibus pharmacis purgantibus tum lenioribus tum uehementibus.

IO. filius Serapionis omnium qui ante ipsum de medicamentis simplicibus scripserant tum Græcorum tum Arabum lucubrationes collegit, & in ordinem digessit. Ab initio quidem operis authores enumerantur 79. quorum nomina hic omitto, quod plerique obscuri sint, & nihil eorum extet, quod sciam, ut Abugerig, Abix, Atabari, Albasari, &c. Sed maxima huius operis pars ex Dioscoridis & Galeni uerbis constat. Insunt tamen plurima passim (ut etiam in Auicennæ libro secundo) à Græcis ueteribus non descripta simplicia, partim cognita hodie, partim incognita.

ISaaci liber de diætis particularibus plurima alimentorum condimentorumque genera enumerat, cum singulorum facultatibus tum circa uictus rationem, tum ad medendum, similiter ut in suo de alimentis libro Symeon Sethi.

R RAsis uolumen de re medica in nouem libros digestum condidit, quorum tertius alimentorum & medicamentorum simplicium facultates edocet. Io. Serapio etiam passim huius authoris uerba citat, quæ conferendo deprehendi alia esse quam quæ in iam dicto Rasis libro habentur: an uero in continente sic inscripto huius authoris opere inueniantur, haud scio.

S SAlomonem Dauidis filium, in historia Regum, mortalium omnium multo sapientissimum fuisse legimus, mox autem inter fructus & opera sapientiæ eius commemorantur, Parabolarum tria millia, Carmina quinque supra mille, Historia plantarum à cedro usque ad hyssopum, (hoc est, omne genus plantarum, arborum, fruticum & herbarum:) postremo historia animalium.

SErasim (aliàs Sirasi, uel Sirasim) interpretatur uocabula quædã Arabica, cum alia tum simplicium pharmacorum, citatus aliquoties Bellunensi.

RECENTIORES.

A ADamus Lonicerus Germanus nuperrime de omni materia medica scripsit, uolumine ex ueterum ac recentiorum scriptis concinnato utiliter, breuiter ac modeste, hoc est, citra reprehensionem aliorum. Multis quidẽ in locis Hyeronymi Tragi & Valerij Cordi, sententiam sequitur.

AEgidij (eiusdem scilicet qui de urinis & pulsibus scripsit) de herbarum quarundam uiribus carmina legere memini. Conieci aliquando huius esse carmina illa de herbis quæ Æmilio Macro adscribuntur, propter similitudinem styli.

ALbertus Magnus in libello secretorum herbis quibusdam uires magicas

gicas adſcribit. In eiuſdem libello de mirabilibus mundi diuerſa herbarum uocabula,ſed corruptiſſima leguntur.Hæc legat qui bonas horas male collocare uolet.

ALoiſij Mundellæ clariſſimi hoc tempore medici Brixiæ in Italia Animaduerſiones in examen ſimplicium Antonij Muſæ Braſſauoli.

AMati Luſitani Annotationes in Dioſcoridem.

ANdreæ Carolſtadij de uiribus & uſu Braſſicæ libellus Germanicus.

ANtonius Muſa Braſſauolus medicus illuſtriſſimi Ferrariæ ducis Herculis Eſtenſis,conſcripſit examen omnium ſimplicium medicamentorum, quorum uſus eſt in officinis.

ARnoldo de uilla noua quidam attribuunt librum de omni genere ſimplicium medicamentorum qui Aggregator practicus inſcribitur, conſarcinatus ex Auicennna,Serapione, Pandectario, Plateario,&c,ſed falſo,cum in eodem opere Arnoldus de Villa noua citetur.

Cæterum in libro cui titulus de ſimplicibus, medicamentotum facultates per locos deſcribit Arnoldus,hoc eſt,ſecũdum qualitates primas,ſecundas & tertias,&c. Vide infra in Iacobo de Dondis.

Vidi & fragmentum libelli eius de remedijs ex quercu.

BAptiſta Fiera in Cœna ſua plurima ſimplicia condimentaq; & eorum facultates carmine elegiaco ſatis eleganter deſcripſit. B

BAptiſta Sardus ſcripſit in Pandectas Syluatici.

BArtholomæi Anglici libri 19. de proprietatibus rerum ex libris ueterũ collecti,ſed ſine iudicio & eruditione,& ſtilo barbaro, ſuperiore ſæculo in pretio erant. Horum decimus nonus de plantis agit.

BEnedictus Textor Seguſianus medicus eruditus, ſuperioribus annis libellum de ſtirpium differentijs ex deſcriptionibus Dioſcoridis, utili ſane, & pulcherrima methodo digeſſit.

CArolus figulus in Botanomethodo de herbis cognoſcendis in genere quædam tractat. C

CArolus Stephanus multa utiliſſime docet in libris de re hortenſi, Vineto,Seminario,aut Plantario,Agro aut Prato,& Sylua, quibus non ſolũ plantarum cognitionem,ſed etiam linguæ Latinæ uſum illuſtrauit.

CLemundus Anglus & Stephanus Aquæus Bituricenſis in totam naturalem hiſtoriam Plinij commentarios reliquerunt,in quibus an quicquam ad plantarum cognitionem utile reperiatur, haud ſcio.

COnradi Geſneri extat catalogus plantarum, ubi nomina duntaxat in quatuor linguis Latina,Græca,Germanica & Gallica e regione ponuntur. Adiectæ ſunt quæ in pleriſq; Dioſcoridis codicibus reperiuntur nomenclaturæ ſtirpium uariæ & plæræq; barbaræ,ſerie literarum.

Item hiſtoria plantarum,eodem ordine,deſcriptiones tantũ cõtinens ex

Dioſcoride, Plinio Theophraſto: facultates autem breuiſſime in genere tantum ex Aegineta fere, &c. cum Græcis & Arabicis nominibus per margines adiectis.

In libro phyſicorum, qui cum ſecunda parte Bibliothecæ habetur, ſtirpium quaſdam claſſes inſtituit, & locos aliquot authorum ubi de ſingulis agant oſtendit.

Purgantia quoque medicamenta, & aluum mollientia, & uomitoria eodem ordine recenſuit, &c.

COnradus Mengenberger de plantis & cæteris diuerſis rebus naturæ uolumen Germanice ſcriptum reliquit.

EVcharius Rhodion, uide in Ioanne Cuba.

EVonymi Philiatri Theſaurus de liquoribus & oleis deſtillatis, alijsq́ medicamentis quorū non in ſubſtantia uſus eſt, Tiguri nuperrime excuſus.

EVricij Cordi dialogus de herbis uarijs.

Idē Nicandri Theriaca & Alexipharmaca latinis carminibus expreſſit.

FAuſtus Longianus Dioſcoridem in linguam Italicam tranſtulit ante Pet. And. Matthæolum.

GAbriel Humelbergius Antonij Muſę de herba Vetonica, & L. Apuleij de medicaminibus herbarum libros recognouit, & commentarios adiecit, ex quibus quod ad plantarum cognitionem nihil proficias.

GAleatij cuiuſdam librum ante annos octoginta ſcriptum uidi, in quo ordine literarum omne genus ſimplicium pharmacorum deſcribit, & facultates recenſet, ſtilo barbaro, & Arabicis plerunque nominibus.

GAlfredum neſcio quem de herbis aliquid ſcripſiſſe legi.

Gualtherus Riffus Dioſcoridem ædidit cum annotatiouibus, in quibus nihil proprium ab eo afferri puto, ſed aliorum duntaxat in eundem authorem aut ſimilis argumenti ſcripta reperi, adiectis etiam figuris ſtirpium & animalium aliquot.

Idem in Germanico ſuo de liquorib⁹ deſtillandis opere, ſingulis fere liquorib⁹ uires adſcribit eaſdē quę plantis ipſis attribuuntur, & licet ſemper alienis utatur ſcriptis, authores tamen nuſquam nominat.

GVilielmus Pellicerius epiſcopus Monſpeſſulanenſis, uir cum alias tum ſtirpium & animalium præcipue piſcium hiſtoriæ longe doctiſſimus, Plinij naturalis hiſtoriæ, ut ſupra dixi, emendatiſſimam æditionem parat.

Guilielmus Placentinus libro quarto voluminis, quod Summam conſeruationis & curationis inſcripſit, de medicamentis tum ſimplicibus tum compoſitis pertractat.

GVilielmns Turnerus uir diligentiſſimus doctiſſimusq́, plantarum effigies & uires Anglice deſcripſit, cuius operis partem excuſam nuper uidimus, & quod reliquum eſt auidiſſime expectamus.

HErmo-

HErmolaus Barbarus patritius Venetus uir eruditionis nomine nunquam satis laudatus, Dioscoridem nobis primus Latinum reddidit, elegantissima & Pliniana oratione, ubi tamen accusatur, quod nimio Plinium imitandi studio nonnunquam à Dioscoridis sententia recesserit. Adiecit etiam Corollarium longe doctissimum & uarij argumenti, quo non Dioscoridem solum & rem medicam illustrat: sed etiam utranque linguam & omnem philologiam pulcherrime exornat. Idem in Plinianis Castigationibus passim quædam ad stirpium cognitionem utilia intermiscet. H

HIeronymus Brunsuicensis primus de liquoribus destillandis ex omni remediorũ simplicium genere Germanis suis scripsit utilissimum uolumen: ex quo postea multi multa mutuati, de ijsdem uel Germanice uel Latine condiderunt. Eucharius Rhodion quidem totum fere illud opus in Germanicum librum de simplicibus medic. Ioannis Cubæ transtulisse se profitetur. Eundem autem puto esse librum quem Theodericus Dorstenius è Germanico nuper Latinum fecit.

HIeronymus Cardanus medicus Mediolanensis libro octauo operis de Subtilitate multa de plantis rara & egregia adfert, philosophice, medice & historice. Item in libello de Simplici medicina hæc tractat:

Quod nulla simplex medicina est sine culpa.

De principalibus uniuscuiusque medicinæ iuuamentis.

De earundem proprijs nocumentis.

De ipsorum nocumentorum peculiaribus emendationibus.

De quorundam illarum malo usu.

Item in libro de 100. Erroribus, Errore 11. Quod auxilia simplicia & composita corrupta habeant.

HIeronymus Tragus, uide in fine huius alphabeti.

Hildegardis abbatissa in Germania circa annum Domini 1180. elucubrauit libros quatuor de medicamentis simplicibus, ex metallis, plantis, & animalibus &c. phrasis pro sæculi ratione barbara est, & multa insunt superstitiosa, & omni ratione carentia.

IAcobi de Dondis, quem uulgo Aggregatorem uocant, librum de uiribus simplicium, alicubi aut uidi aut citatum legi, & forsan is est qui Arnoldo de Villa noua attribuitur, nam Arnoldi non esse certum est, & Aggregator quoque inscribitur, sicut magnum uolumen huius Iacobi, ubi medicamenta tum simplicia tum composita per locos communes secundum facultates eorum digessit. I

IAcobus Goupylus medicus Parisiensis Græce & Latine doctissimus Dioscoridem nuper plurimis in locis emendatum in utraque lingua dedit, seruata Io. Ruellij translatione.

IAcobus Syluius Ambian⁹ de omni re medica optime meritus in libris

de simplicium medicamentorum delectu, præparatione & compositione, uniuersam materiam medicam utilissime illustrauit.

IAnus Cornarius Macri poëma de plantis: & aliud incerti authoris de ijsdem & animalium partibus ac terræ speciebus emendauit, & annotationes adiecit.

IO. Agricolæ Ammonij libri 2. de herbis alijsq́ medicamentis simplicibus ueterum & recentiorum.

Idem scripsit Indicem copiosum simplicium pharmacorum à Dioscoride proditorum: Et alium communem libris de simplic. Dioscoride, Galeni & Serapionis.

IO. Atrocianus commentarios quosdam ædidit in Macrum de herbis.

IO. Bapt. Egnatij in Dioscoridē annotationes extant, quas nondū uidi.

IO. Cuba medicus olim Francfordiæ ad Mœnum de simplicibus medicamentis Germanice scripsit, quem librum postea Eucharius Rhodion pater, eiusdem urbis medicus emēdauit & auxit cum aliàs tum inserto passim Hieronymi Brunsuicensis libro de liquoribus destillatis. Idem, aut propemodum idem, opus esse puto quod nuper Theodericus Dorstenius Botanici titulo Latinum dedit, sed multis locis auctius. Impressa sunt hæc uolumina aliquoties ab Egenolpho Francfordiæ cum imaginibus.

IO. Dantzius condidit dialogos utilissimos de simplicium pharmacorū facultatibus in genere, ex prioribus Galeni libris eiusdem argumenti.

Dioscoridem etiā Germanice reddidit, qui & cum figuris publicatus est.

IO. Lonicerus Scholia composuit in Dioscoridis libros cum nomenclaturis Græcis, Latinis, Germanicis, & Hebraicis.

IO. Manardus in doctissimis epistolis suis tum alia multa passim ad cognitionem medicaminum simplicium erudite docet, tum in prima libri octaui epistola Marcelli Vergilij interpretationem in primum Dioscoridis librum examinat.

IO. Michaëlis Sauonarolæ catalogus, continens tam simplicium quam compositorum medicamentorum nomenclaturas, usum & summam.

IO. Monhemius librum de plantis in publicum dedit, in quem totam nostram plantarum historiam transcripsit: & quędam ex catalogo nostro plantarū. Adiecit insuper nōnullas, ex L. Fuchsio præcipue, ut uidetur, recentiorū pręsertim & ueteribus indictarū stirpium descriptiones, ordine literarū.

IO. Platearij liber (uulgo dictus Circa instans, ab initio eius) de medicamētis simplicib⁹, ijs duntaxat quorū frequētior usus est in pharmacopolijs.

IO. Ruellius Gręce et Latinę lingué peritissimus, de natura stirpiū libros tres eleganter docte & copiose cōscripsit, ita ut omnes qui ante eū scripserūt facile uicerit. Primi quidē libri bona pars cōmunes & generales de plantis cōsiderationes cōtinet, ad imitationē historię plantarū Theophrasti. Multa

etiam

etiam in eodẽ gramatice interpretatur. Vellem eũ quæcunque ex ueteribus & alijs desumpsit, ita separasse, ut quæ cuius authoris essent, appareret: quæ item ipsius, id si fecisset, facilius etiã excusaretur crebræ illæ earundẽ rerũ, uerbis paululũ uariantibus, repetitiones. Ita nihil est omni ex parte absolutũ.

Dioscoridẽ quoq; Latine expressit: quæ eius translatio, cæteris (Marcelli & Hermolai) fere præfertur, quoniam postrema est, inspectis ab ipso aliorũ interpretationibus. Sed hæc etiam suis næuis non caret.

IO. Tollati cuiusdã liber de remedijs herbarũ alijsq;, Margarita medicinæ inscriptis, ordine literarũ Argẽtinæ publicat⁹ est, anno Dñi 1518. chartis 10.

ISidorus lib. 17 Etymologiarũ de re rust. & uarijs plantis quędã scripsit.

KIranis, (uel ut alij scribũt, Kiranides, Kiranus, Caranus) scripsit quædã Arabice de facultatibus magicis & medicis stirpiũ quarundã, lapidũ & animaliũ, libris 4 quos Gerard⁹ Cremonẽsis Latinos fecit barbara dictione. K

LAurentius Frisius medicus Germanus scripsit Synonyma materiæ medicæ Latinis, Græcis, Arabicis & Germanicis uocabulis, opusculo Germanico, inepto sane & mendosissimo. L

LEonhartus Fuchsius primum in Paradoxis suis libro primo, multa utiliter super quibusdam simplicibus medicamentis, & circa eadem erroribus scripsit. dein magnum volumen de historia stirpiũ ędidit, Latine & Germanice cum imaginibus: cuius alter etiam Tomus iandudum expectatur.

MArcellus Vergilius Florentinus Dioscoridẽ Latinũ fecit, & comentarios doctissimos adiecit, in quib⁹ partim Dioscoridẽ explicat, partim translationis suæ rationẽ reddit, partim reprehendit Hermolai translationẽ, ad ipsam quidem plantarum rariorũ aut incognitarũ notionẽ non multũ emolumenti adfert. de quo plura scripsi in Bibliotheca. M

MAtthæi Syluatici Pandectæ medicinales quanq; magna barbarie & inscitia rerũ uerborumq; contaminatæ, nonnihil tamen homini docto & industrio ad medicamentorũ simplicium cognitionem occasionis adferũt.

MAcer uide supra inter ueteres Latinos in Æmilio Macro.

MIchaëlis de Capella Synonyma medica: quæ nondum uidi.

NIcolaus Leonicenus in opere de Plinij & aliorum in re medica erroribus, multa ad stirpes noscendas utilia docet.

OTho Brunfelsius stirpium historiam ędidit, Latine & Germanice, cum iconibus perpulchre expressis. Et quanquam alij mox secuti omnia perfectius & eruditius tractauerint, plurimum tamen illi debetur, quod occasionem alijs præbuerit, & plantarum figuras primus omniũ nostro sęculo elegãter & ad uiuum depictas dederit. Idem in Onomastico .i. Dictionario suo medicinali, medicamentorũ simpliciũ et alia plurima uocabula recenset & interpretatur. Verũ id uolumen ineptijs & mẽdis in reb⁹ ac uerbis refertius est, q; ab eruditis hominibus tolerari possit.

Præterea Marcelli Vergilij in Dioscoridem commentarijs ea quæ superflua uidebantur ademit.

Ædidit & reformationem Officinarum per omnia medicamenta simplicia usitata, ubi etiam docet quomodo quæque colligi, seruari, & parari debeant, &c.

P PEtrus Anderas Matthæolus Senensis Dioscoridem nuper in sermonem Italicum conuertit, & commentarios eadem lingua copiosos & eruditos adiecit, ubi diligentissime quæcunque de ijsdem medicamentis Galenus scripserat, suo quæq; loco recenset, plerunque etiam Plinij et aliorum scriptis utitur. Et recentiora medicamenta à Dioscoride omissa ex recentioribus passim commode adijcit, & plurima sua aduersus uarios morbos & eximia quædam experimenta describit. Audio nunc idem opus Venetijs Latine ædendum. Sed ut fata sunt hominum, cum in alijs reprehendendis frequẽtissimus sit, partim iure, partim iniuria, ipse interim suos quoque errores, quorum aliquot ipse deprehendi committit.

PEtrus Hispanus condidit Thesaurum pauperum, qui liber idem fere est cum Rosa Anglica, ut Gatinaria scribit: in quo simpliciũ aliquot medic. facultates ab eo exponi puto.

PEtri Paduani Additiones in ueterem translationem Dioscoridis.

Q Q. Apollinaris nomine Argentinæ nuper æditi sunt libri duo Germanice, quorum prior remedia continet ex stirpibus ad diuersos affectus à capite ad pedes. Secundus herbarum aliquot usitatiorum, & qui ex eis destillantur liquorum facultates præscribit, & herbarum imagines addit. Ego hoc authoris nomen confictum puto, Opus ipsum etsi non inutile est, nihil tamen in eo reperias, quod non contineatur in illorum libris qui de stirpib9 ex professo tradiderunt.

R RAphael Volaterranus commentariorum urbanorum libro 26. de plantis agit.

REmaclus Fusch consarcinauit nomenclaturas stirpium usitatorũ pharmacopolis ordine literarum, Latine, Gallice, Germanice, quandoque etiam Italice & Hispanice. sed ita ut nihil doceat, quod non prius ab alijs scriptũ sit.

Item historiam aquarum destillatarum: & Libellum de simplicium medic. quorum frequentior usus est electione.

ROdericus Lusitanus annotationes non contemnendas in duos priores libros Dioscoridis reliquit.

S SEbastianus Montuus dialexi quarta libri primi, de simp. medic. notione quadam disserit.

SYmon Genuensis Synonyma scripsit.

SYmo-

SYmphoriani Campegij Hortus Gallicus, de medic. simplicibus. Haud scio an idem sit huius authoris liber qui inscribitur Campus Elysius Galliæ. Extant eiusdem Castigationes pharmacopolarum & Arabum medicorum, &c. uide in Bibliotheca nostra.

Theodericus Dorstenius: uide in Io. Cuba. T

Thomas Gypson Anglus herbarium uolumen sermone patrio conscripsit.

VAlerius Cordus Euricij filius scripsit quædam de simplicibus medic. quorum an extet aut excusum sit quicquam, haud scio. In Antidotario quidem, ut uocant, Norimbergæ per ipsum ædito, multa obiter interpretatur. V

VIncentius Belluacensis libro 10. Speculi Naturalis, & quinque sequentibus, de omni genere plantarum perscribit. Sunt autem Collectanea ex scriptis ueterum Græcorum & Arabum fere.

Hactenus recentiores enumeraui, qui stirpium historiam scribendo illustrarunt: inter quos Hieronymus Tragus, Ioannes Ruellius, & Leonardus Fuchsius, tanquam soles quidam inter minora sydera relucent. De Ruellio quid sentiam, & quid in eo desiderem, dixi: quoniam ille diem suum obijt. Scripta certe ipsius æternitatem merentur. De Trago & Fuchsio, qui adhuc in uiuis sunt, non æque decet iudicare. Ambo uiri eruditi sunt, & in hac palæstra exercitatissimi. Vterque uolumen suum, si Deus opt. max. uitam eis extenderit, excolere, augere, & emendare poterit. Ne tamen affectu aliquo motus, nihil de eis dicere uoluisse uidear, ut sententiam meam occultarem: dicam quod sentio, absit inuidia & omnis candide dictorum sinistra interpretatio.

Leonardus Fuchsius igitur paulo post Hieronymum Tragum, opus suum de historia stirpium, quod Tomum primum appellat, euulgauit. Et quoniam utrique in Germania scripserunt, æmulatio quædam inter eos exorta est, ut solet inter homines: sed non inutilis illa. Hac enim excitatus uterque lucubrationes suas magis magisque ornare & augere nunc pergit. Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν. Ego qui utrumque ex æquo amo, & inter optimos ac doctissimos uiros suspicio atque ueneror, (ita tamen ut dissentire ab utroque mihi quoties uidetur liberum esse uelim,) & merito quidem cum ex utriusque scriptis & iam olim profecerim ipse & proficiam indies ita eos hoc certamen certare opto, ut publicæ potius utilitatis & rei ipsius exornandæ perficiendæque, quàm priuatæ gloriæ & ambitionis gratia, quod faciunt fecisse uideri possint. Et spero sane hunc animum, tanquam non doctis tantum sed probis etiam pijsque uiris, in ijs quæ posthac ædent non defuturum. Ego neutrum neutri prætero. habet uterque fortassis quo excellit, sed alius in alio genere, quum comparatio nisi in eodem genere, ut philosophi docent, legitima non

sit. Itaq; laudo & amplector utrunq;, & pro scriptis suis, ex quibus tum fructum tum uoluptatem subinde capio, ex æquo utriq; gratias habeo. Nec metuo ne id mihi ab eis accidat, quod fieri solet ab hominibus improbis. nam quo improbior quisq; est, aut saltem ab animi celsitudine remotior, eò minus tollerare potest illos qui ipsum non maioris quam aduersariū fecerint. Omnino enim præferri uult, nec satis habet non se fieri minoris, quin cõtumeliam & inimicitiam interpretatur, nisi non uno aut altero tantum, sed modis omnibus anteponatur. Huiusmodi uiros si illos quibus describo existimarem, ne incepissem quidem hæc scribere. Sed Fuchsij laudes, quas certe multas & magnas meretur, ne sim prolixior, nunc omitto.

De Trago dicam, quoniam Typographo placuit, ut qualecunque hoc scriptum nostrum in operis ipsius fronte poneretur. Semper igitur mirifice mihi placuit huius uiri studium in stirpium historia indefessum, & quod de illis præcipue plantis quas Germania nostra profert plerisque omnibus, diligentissime omnium hactenus docuerit. Descriptiones singularum tam accuratas & exquisitas instituit, ut quæq; uel primum nascuntur, uel adolescunt, uel iam perfecta sunt, per omnes partes, coloribus etiam, magnitudinibus & figuris, & si quid aliud sub conspectum cadit, ita expressis, ut nullus pictor repræsentare melius possit. Cæteras etiam tactiles qualitates, item odores, saporesq; diligentissime expressit. atq; hæc omnia ferme non ex commentarijs aut historia, sed oculatus ipse testis & obseruator singulorum.

Iam quod ad numerum, nullus est siue ueterum siue recentiorum in hunc usque diem, qui stirpes plures nobis descripserit. Non enim de illis tantum agere uoluit, quæ in communi medicorum aut uulgi usu sunt, sed omnino de omnibus quæ ad manus eius peruenerunt, etsi uel nomina uel uires uel facultates uel etiam utrunque ignoraret, quod eius institutum mihi ualde probatur, nam & ingenuum est quæ nescias fateri, & alijs ad inquirendum proponere: & animus philosophicus ipsis per se naturæ operibus delectatur. Medici uero eruditi de quouis etiam ignoto & nunquam antehac uiso remedio, ex sapore, odore, alijsq; iudicandi & experiendi modis uniuscuiusque uim & naturam facile addiscunt. Accedit & illud ad huius uiri laudes, quod in Germania uel primus (post Brunsuicensem, qui utiliter quidem scripsit, sed propter sæculi sui ruditatem, neq; de multis, nec erudite, præsertim quod ad uetera stirpium nomina attinet,) uel inter primos, hoc argumentum publice illustrarit, & in ijs potissimum plantis quas Germania fert, quæ cæteris omnibus diligentissime sit uersatus.

Porro facultates non illas tantum in singulis explicat, quas doctissimi

quiq;

quicquid ueterum Græcorũ Latinorumque & Arabum tradiderunt: sed plurima passim utilissime de suis ac proprijs experimentis adiungit. Multa à uulgo & uulgari per Germaniam usu accepit: non illa quidem leuia & contemnenda, sed à multis sæculis ueluti per manus tradita, & perpetuo quodam usu confirmata. Huiusmodi sunt remedia multa ex ijs quibus fere utuntur rustici, pastores, hippiatri, & chirurgi quidam, & alij nonnulli illiterati, qui non quibusuis morbis sed certis quibusdam mederi se profitentur, quod & mulierculæ quædam præsertim ætate prouectiores, faciunt. Hoc genus hominum cum non ex literis aut ueterum scriptis, nec ulla methodo, quę exercet, didicerit: uerisimile est eos multa eorum quæ sciunt à maioribus suis & alijs eiusdem nationis hominibus, per communem confirmatumque in singulis regionibus longo tempore usum fama accepisse. Non est autem quod medicum pudeat, uel ex rusticis & mulierculis, & reliquo hominum uulgo, rerum quarundam cognitionem petere. Vniuersalia enim & eam quæ proprie ars dicitur, à uiris eruditis tantum haurire possumus: particularia uero cum cætera tum in simplicibus medicamentis, quod propemodum infinita sunt, à quibusuis hominibus discere non dedignabimur. Habet enim ut dixi, quæque regio, ueluti propria quædam & per manus tradita medicamenta, & medicamentorum nomina, quæ plerunque non temere imposita sunt, sed uel aliud quidpiam ad plantæ naturam pertinens, uel peculiarem aliquam eius in medendo facultatem denotant, qualia sunt apud Germanos Wundkraut/ Wermût/ Sachheil/ Binschkraut/ Jmbenkraut/ Bärwurtz/ Dollwurtz, & alia innumera. Hæc de Hieronymo Trago dixerim, doctrinæ & diligentiæ summæ uiro, non solum in stirpium historia, ut dixi, quam doctissimus uir Dauid Kyberus Argentinensis ex Germanica lingua in Latinam optima fide, purè & eleganter conuertit: uerum etiam in alijs medicamentis simul alimentisque simplicibus, quod nuper declarauit libro Germanico de alimentis ædito, & declarabit amplius, si uixerit, alijs quibusdam ædendis libris, quos ut commode & fœliciter absoluat, faxit Deus opt. maximus.

DE SCRIPTORIBVS ILLIS QVI SPARSIM ET OBITER VTILIA QVAEDAM AD *plantarum cognitionem tradiderunt.*

Hactenus fere qui ex professo & præcipue de stirpibus monumenta reliquerunt, enumeraui: nunc pergam de ijs dicere qui passim, & inter cætera obiter in lucubrationibus suis operæpretium aliquid quod ad plantas

aliquot

aliquot, utcunque paucas, tradiderunt, & primum de medicis, deinde cæteris quibusdam, ut rerum rusticarum aut hortensium scriptoribus, &c. quanquam illi quoque fere medica intermiscent.

Medici igitur plerique omnes in therapeuticis suis uoluminibus, siue practicis, ut uulgo uocant, multa ad stirpium & uirium ipsarum cognitionem utilia intermiscent, quod Galenus etiam testatur in præfatione libri sui sexti de simplicibus, & priuatim de Hippocrate, Euryphonte, Diocle, Plistonico, Herophilo, Philippo & Archigene. Et Plinius de Hippocrate, Praxagora, Chrysippo, Erasistrato, ut supra inter ueteres scriptores singulatim recitauimus. etsi horum omnium nomina, ceu qui non ex professo hoc egerit, illic omitti, & in præsentia tantum memorari poterant. Sed hi non multi sunt, & forte quædam illic commodius dicta. His adnumero etiam Galenum in libris de compos. medic. secundum locos affectos, Aëtium Actuarium, & recentiores, quos nominare nihil attinet. Alexander Benedictus tantum, ut qui excellat, taceri non debet, qui cum in libris suis uiginti nouē multa pulchre & erudite passim de plantis quibusdam scripsisset, ab initio tricesimi & ultimi quibus in libris quænam peculiariter animaduertenda descripserit, tum in stirpium genere tum alia quædam ordine literarum recenset.

His adde plerosq; illos, qui therapeuticos aliorum libros commentarijs suis explicauerunt, inter quos (quod ad hoc argumentum) prætulerim Iani Cornarij annotationes in Galenum κατὰ τόπους.

Medici omnes qui de alimentis scripserunt, ut Galenus & Greci illum secuti, Symeon Sethi, Isaacus, Hieronymus Tragus, Ant. Gazius, & alij multi ueteres ac recentiores, quorum (præsertim ueterum) in præcedentibus aliquot nomina retuli.

Authores librorum de uenenis per classes quasdam de uenenis agere solent: sunt enim alia metallica, alia ex animantibus, alia ex plantis, ut Dioscorides, Nicander, Galenus in libris de antidotis, Petrus Aponensis, Ant. Guainerius, Aëtius, Ægineta, Arnoldus de villa noua, Scribonius largus, Guilielmus, Placentinus, Varignana &c.

Quotquot medicamentorum compositorum descriptiones reliquerūt, Antidotaria uocant: ut Galenus præcipue in libris de Antidotis, Nicolaus Myrepsus in quem eruditæ annotationes Leonh. Fuchsij extant, qui eundē authorem Latinitate donauit. Cornelius Celsius, Scriboni9 Largus, Actuarius. Et ex Arabibus Ioan. Mesue, cuius Antidotarium Christophorus de Barzizijs interpretatur: Iacobus Syluius idem emendauit & pura Latinitate reddidit adiectis Sholijs. Idem nuper monachi quidam in Italia emendarunt & annotationibus illustrarunt, quibus sane plurima ad plantarum historiam utilissima inseruerunt, Rasis. Io. Serapio. Io. Damascenus,

Auicenna

Auicenna libro quinto Canonis. Constantinus. Io. de S. Amando in Antidotarium Nicolai. Galaf Israëlita. Iacobi Manlij Luminare maius siue interpretatio Antidotorum Io. Mesue & aliorum illustrium medicorum.

Bernardus Cordonius circa finem libri primi Operis quod Lilium inscripsit, de Antidotis à capite ad pectus. Arnoldus de uilla noua. Gulielmus Placentinus libro 4. Summæ. Antonius Guainerius. Bartholomæus Montagnana. De medicamentis compositis nostro sæculo apud pharmacopolas usitatis, Ant. Musa & Valerius Cordus scripserunt, & multa utiliter de simplicibus medicamentis quibusdã addiderunt. Theobaldus Lepleignius etiam Enchiridion condidit medicamentorum compos. usitatiorum.

Symphorianus Campegius libro secundo de castigationibus pharmacopolarum castigat Antidotarium Mesuę, Nicolai, Serapionis, & aliorum recentiorum.

Succidaneorum scriptores, ut author libelli qui cum Galeni operibus coniungi solet & Æginetæ, quem nos olim emendatum cum annotatiunculis dedimus. Iacobus Syluius, & Arabs quidam.

Qui uno opere uaria rei medicæ argumenta tractarunt, ut epistolarum & dialogorum conditores. Io. Manardus, Aloisius Mundella. Fuchsius in Paradoxis. Hier. Cardanus in libris Contradictionum, & de erroribus medicorum, & de malo medendi usu.

Dictionariorum conditores, ut Pandectarius. Andr. Bellunen. Brunfelsius, supra etiam nominati.

Qui de abditis rerum causis scripserunt, uel de sympathia & antipathia rerum, ut Io. Fernelius, Hieronymus Fracastorius. Constantino Africano tribuitur liber quidam de physicis ligaturis, quem etiam reperio inter opera Arnoldi de Villa noua.

Scriptores de coloribus ut Aristoteles, Ant. Thylesius, Baysius in libro de uestibus.

Veterinarij, ut Absyrtus, Hierocles & alij quorum scripta uno uolumine Græco comprehenduntur, Vegetius, & rei rust. authores aliquot. Et qui aliorum animalium curationes tradiderunt, ut Demetrius quidam de accipitribus & canibus, cuius Græcum codicem nuper nactus sum.

Geoponicorum seu rei rusticę scriptores Græci Latiniq́ꝫ, quos nominaui Tomo secundo Bibliothecæ libri Physicorum Tit. 13. Est & inter opera Philonis Iudæi de cultu plant. lib.

Vina & uitium genera quidam celebrarunt, quos Plinius recenset 14.19: ut Euphronius, Aristomachus. Coniades, Hicesius, omnes Græci.

Cepuricorũ, i. rei hortensis scriptores ueteres, Firmus Cesennius, Castritius, à Plinio citati: Columella in horto. Recentiores, Carolus Stephanus, Strabus Gallus poëta.

Io. Iouia-

Io. Iouianus Pontanus Poëta celebrauit cultum citrorũ libris sex, quos hortos Hesperidum inscripsit,

Marius Grapaldus in parte operis sui de partibus ædium ad plantas diuertit.

Fr. Massarius dum nonum Plinij librum interpretatur, qui de piscibus est, multa erudite de plantis quibusdam disserit.

Plutarchus in libro de fluuijs uarias quasdam & mirabiles, plerasq; incredibiles, in singulis nascentes herbas commemorat.

Apud Arrianum in Nauigatione maris rubri, raro quædam aromata nominantur, ut magla, moto, gizir, asyphe, mocroti, thymiama, duaca, abirminæa.

Postremo historici quidam & geographi obiter interdũ stirpes aliquas memorant aut describunt: præcipue uero recentiores Noui orbis scriptores quidam, ut Ludouicus Romanus & alij, aromata aliásq; peregrinas plantas sparsim describunt.

DE ILLIS QVI DE MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM FACVLTATIBVS SECVNdum differentias qualitatum primarum, secundarum, & reliquarum scripserunt.

Nunc de illis dicam authoribus, qui plantarum facultates non suas cuiusq; omnes uno loco enumerarunt, sed per classes quasdam & locos communes distribuerũt, primum secundũ qualitates primas, calidum, frigidũ, humidũ, siccũ, earũq; differentias, quas gradus uel abscessus uocant, deinde iuxta secundas qualitates, ut saporum differentiæ sunt, & aliæ quædam, ut sunt astringere, discutere, abstergere & expurgare, ora uasorum aperire, extenuare, euocare uel extrahere, adurere, emollire, indurare, flatus discutere, semen generare uel promouere, urinam ciere, menses detrahere aut sistere, uenenis resistere, ambustis mederi, lenire & mitigare dolorem, strumas discutere, uentrem mollire, purgare, & si quid huiusmodi est. Et secundum tertias qualitates, quibus etiam præcedentium quædam adnumerari possunt. Voco autem tertias particulares, quæ nullo sensu iudicari possunt, sed aut ratione aut experientia tantũ, ut quæ ad certam aliquã corporis partem referuntur, aut certos quosdam morbos peculiariter curant. Est autem huiusmodi medicamentorum distributio, non solum magis artificiosa, sed ad morborum curationes utilior, cum sic ex multis ad eundem usum pertinentibus, commodiora deligere liceat, & in quorundam inopia alia substituere. Sed plerique omnes ex Galeno & alijs collegerunt tantum singularia,

quæ

quæ per suos locos digesserunt. pauci artem ipsam qualitates istas earumq; gradus discernendi docuerunt, & qui id fecerunt plериq; imitati sunt Galenũ qui primus & copiosissime diligentissimeq; hoc præstitit in prioribus quinq; de medic. simplicibus libris. Neq; id mirum, est enim per quam difficile suos cuiq; qualitati gradus assignare, graduum differentias, (hoc est, initia, fines & media,) difficilius. Plurima diuersis aut contrarijs uiribus constant, de quibus minimè facile est pronunciare. Et sæpe in hoc iudicio, ut supra dixi, Galenus etiam hallucinatur. Non ideò tamen negligendum hoc studium est, quoniam nonnihil difficultatis habet. sat enim fuerit, si non exactè & per demonstrationẽ, quam proximè tamen fieri potest, & fide digna coniectura remediorum facultates cognoscere. quæ quidẽ cognitio longè præferenda est illi, quæ circa plantarum historias et nomina uersatur, ab homine medico uidelicet, non enim de Grammaticis aut Philosophis nunc loquor. Itaq; hortor omnes rei medicæ studiosos, præcipuè tyrones, ut stirpium omnium, aut saltem præcipuarum & quæ in aliquo usu receptæ sunt, temperamenta, excessus & qualitates perdiscant, cum ex ueterum libris, ubi & librarij multa corruperunt, & authores ipsi aliquoties aberrarunt, tum ex uniuersali quadam methodo & scientia, quæ ferè ex sapore, odore, colore, & partium crasitie aut tenuitate deducitur, & alijs quibusdam indicijs ratione uel experientia cognoscendis, &c.

Io. Dantzius dialogos quosdam reliquit ex prioribus quinq; Galeni libris de facultatibus simplic. med. dijudicandis, diligenter concinnatos. Et tabulas in eodem uolumine de facultatibus medicam. simpl. quæ apud Diosc. & Galenum reperiuntur, (ijs quæ ab animalibus sumuntur acceptis) ordine alphabetico collocatis simplicibus, ita digestas ut Tacuini Elluchasem, ex libris Galeni. Adiecit etiã typographus alias tabulas ex superioribus collectas, quibus simplicia medic. digeruntur secundum qualitates, quibus præditæ sunt, & affectus quibus medentur, ordine literarum, quales etiam hactenus aliquoties cum Latino Dioscoride, sed corruptissimæ illæ & mendaces impressæ sunt.

Aëtius, Ægineta, & Oribasius, Galenum sequuti, de uiribus medicamẽtorum simp. in genere quædam tradiderunt, classibus institutis.

Quæ Oribasij nomine de uiribus simplicium & eorundem delectu ad Eunapium, Basileæ olim excusa sunt, omnia apud Aëtium quoq; habentur libro secundo. Sunt autem tabulæ simplicium secundum primas & secundas qualitates.

Cor. Celsus libro quinto simplicia med. secundum uarias facultatum differentias enumerat. sed multis uires falsas attribuit: ut & Hermes Trismegistus in Iatromathematicis, frigida & calida medicamenta aliquot seorsim recensens.

De

De simplicium medic. uiribus pronunciandi methodum Io. Serapio & Auerrhois scripserunt, ab initio librorum ubi de ijsdem particulatim tractant. item Albegnefit in libro de facultatibus remediorum & alimentorum, docte quidem & egregie, nisi quod interpretatio barbara est, & Auicenna tractatu primo libri 2.

De alimentorum quidem facultatibus per locos communes in genere Galenus egit.

De medicamentorum simpl. gradibus seu primarum qualitatum differentijs extat scriptum Iac. Alkindi, cuius authoritate etiam Io. Mesue utitur: item Arnoldi de Villanoua per aphorismos. Idem in libro de simplicibus, facultates medicamentorum describit iuxta qualitates primas, secundas & tertias: ut & Iulianita quidam, & Leonardus Fuchsius circa finem libri primi Compendij medicinæ.

Rursus de gradibus medicamentorum scripserunt Iacobus Forliuiensis, Gentilis Fulginas, Laurentius Maioli, Gerardus de solo, Angelus de Gyra.

Constantini Africani liber de gradibus simplicium medicamentorum per singula medicamenta, primum enumerat ea, quæ primi sunt ordinis cuiuscunque facultatis, deinde quæ secundi, & sic deinceps. Præfatur autem pauca de gradibus in genere, chartis undecim.

Iacobus de Dondis qui Aggregator Patauinus cognominatur, ex ueterum scriptis omne genus remediorum & simplicium compositorum per libros nouem digessit, secundum locos communes primarum, secundarum, & tertiarum qualitatum, &c. uide in Bibliotheca nostra.

Otho Brunfelsius Iatrion medic. simplicium inscripsit opus, in quo libris quatuor ex Dioscoride, Plinio & alijs authoribus diuersis medicamenta, præcipue simplicia, ut uarijs quæque affectibus à capite ad pedes conducunt, digessit. item ad ulcera, uulnera, febres, morbos muliebres & uenena.

Leonardus Legius collegit ex priscis aliquot medicis Summam seu Tabulam pharmacorum simplicium & compositorum, secundum ordinem alphabeticum partium corporis, uel affectuum, quibus medentur aut nocent.

Idem in eodem uolumine ordine literarum medic. simplicia usitatiora enumerat, ita ut cum unoquoque nominet medicamentum aliquod compositum cui admiscetur, (qualis fere tabula cum Luminari maiori, ut uocant habetur, sed copiosior.) Deinde simplicia recenset secundum primas qualitates, ordine literarum similiter, sed graduum differentias omittit.

Q. Apollinaris nescio quis (supra dixi suspicari me fictum esse nomen) in priore libro è duobus Germanice nuper æditis, remedia ex plantis ad diuersos affectus à capite ad pedes præscribit.

Io. Ruel.

Io. Ruellius libri primi de natura stirpium capite 21. de medicaminum ratione & uiribus breuiter, sed doctissime agit.

Guilielmus Puteanus in libro ubi aloën aperire ora uenarum, &c. pro Io. Mesue aduersus Manardum & Fuchsium contendit, multa doctissime ad simplicium medic. facultates noscendas in genere differit.

Ianus Cornarius in fine Epigraphes rei medicæ simplicium pharm. classes instituit secundum primas qualitates, adiectis unicuiq; graduum differentijs.

Ant. Guainerius in Antidotario non composita solum medicamenta describit, sed etiam simplicia passim enumerat, quæ alterent, id est, calefaciant uel refrigerent, caput, pectus & pulmonem, cor, stomachum, hepar, splenem, renes, uterum, iuncturas, item purgantia.

Iac. Hollerius de materia chirurgica doctissime scripsit secundum classes facultatum.

Io. Mesuæ in librum de simplicibus pharm. purgantibus erudita metaphrasi illustrauit Io. Tagautius. Extant in eadem annotationes & censuræ Io. Manardi.

Symph. Campegius libro tertio de castigationibus pharmacopolarũ scripsit de modo curandi per medicinas laxatiuas.

Hieronymus Cardanus in libello de simplici medicina, multa de purgantibus tractat.

Nos etiam aliquando tabulas de simpl. medicamentis purgantibus, aluum mollientibus, & uomitorijs, dedimus.

FINIS.

HIERONYMI TRAGI, IN SVOS DE STIRPIVM HISTORIA, COMMENTArios Præfatio.



CVM MVLTA SVNT IN VNIVERSA RERVM natura, in quibus immensam Dei Opt. Max. sapientiam uidere est, & quæ iure quis admirari possit, tum uero hoc admiratione dignissimum, quod è frigida duraque tellure omnis generis elegantissimæ plantæ prorumpunt. Neque uero ex his sapientia tantum, sed & bonitas ac clementia creatoris, summáque cœlestis patris erga homines beneuolentia elucet. Siquidem nulla tam aspera, tam horrida & inculta uspiam locorum terra est, quam non elegantissimis iuxtáque efficacissimis, & ad ualetudinem tuendam ac recuperandam accommodatissimis stirpibus affatim donarit rerum omnium genitor ac conseruator benignissimus. Atqui ea est mortalium ingratitudo, ea insolentia, id denique nouitatis studium, ut nihil illis arrideat, nisi peregrinum, & quod è longinquis regionibus magnis sumptibus apportari necesse sit. Interim quæ domi passim obuia sunt, & nostris corporibus dubio procul magis commoda, quippe quæ sub eodem nobiscum cœlo nascantur, neglecta & contempta iacent. Idem omnibus aliis, quantumuis præstantissimis Dei donis usu uenire solet, ut quia illis obruimur, nihili à nobis æstimentur. Quæ cum ita se habeant, sane causa cur nam illa uel auferantur prorsus, uel obscurentur, haud magno labore inuestigabitur. Scilicet ingratitudinis nostræ pœnas damus probe meritas, dum quas opes impio fastu spernimus, eas aut uniuersas, aut certe usum illarum amittamus Nimirum pari ratione Res Herbaria iusto Dei iudicio in profundissimum obscuritatis ac ignorantiæ cœnum demersa, multis iam sæculis latet. Quotus enim quisque reperitur, qui non longe petitis & exoticis illis medicamentis, quam domesticis uti malit? nonne doctissimi quique de peregrinis ac nunquam sibi uisis herbis, ingentia uolumina scribunt, spretis patriis, quas pedibus quotidie calcant? Atque utinam uel tandem diuinissimæ simplicium cognitioni suus redeat honos, quod procul dubio tum fiet, cum dona Dei nobis collata amplecti, nostraque industria pro uirili ornare contenderimus. Equidem quoties doctorum uirorum ea in re segnitiem, ne quid acerbius dicam, apud me perpendo, non possum non uehementer & ex animo dolere, prouinciam illam à doctioribus, ad indoctos deuolui, qui ne prorsus iaceat in tenebris herbarum cognitio, non raro à Domino Deo per bonos uiros ad scribendum excitantur. Hac certe ratione ad officium scribendi amicorum hortatu & me adduci passus sum,

non

non quod magnam inde me gloriam reportare posse considerem, sed ut exemplo meo doctiores ad negotium tam utile tamq; necessarium suscipiendum stimularem. Antequam uero ad rem ipsam accedamus, præfabimur nonnulla, quæ in rem candidi lectoris, reiq; herbariæ studiosi fore non dubitamus.

QVISNAM PRIMVS IN TERRIS SIMPLICIA VT VOCANT COGNOuerit. Caput. I.

SI sacrosanctæ scripturæ credimus, facile intelligemus dominum Deum opt.max. primum stirpium plantatorem esse, à quo illæ, & creatæ & hucusq; conseruatæ fuerunt. Nam priusquam homo crearetur, omnes plantæ, cuncti frutices, uniuersæq; arbores, genuinis suis uiribus ac facultatibus dotatæ omnibusq; numeris absolutæ, Deo authore è terra exierunt. Quas cum singulari admiratione Adam primus homo contemplatus fuisset, indidit his nomina, pro ineffabili quam à Domino Deo acceperat sapientia rerumq; naturæ cognitione. Quodcunque enim nomen teste Mose Adam rebus indidit, hoc nomine nominabantur. Quam obrem non opus est ut longis uerborum ambagibus disputetur, quis sit author rei herbariæ, quisuè primus illam mortales edocuerit, cum constet ex sacris literis, Dominum Deum opt.max. autorem, creatorem, inuentorem, & conseruatorem esse, non tantum stirpium, sed & uniuersæ naturæ, ab eoq; omnem rerum cognitionem ad mortales profectam. Gen. 2.

ADAMVM PRIMVM HOMINEM OMNES CREATVRAS, NECNON STIRPES PRImum cognouisse, eamq; cognitionem posteris suis communicasse. Cap. II.

NOn est autem obscurum iis, qui poëtarum fabulis relictis ueritatem ex sacris literis cognoscere student, Adamum Protoplastū illum ac totius generis humani parentem, non solum diuino afflatum spiritu omnes creaturas in terra cognouisse, sed & singulis ut supra docuimus proprias indidisse appellationes. Adde his, Adamo, necnon uxori ipsius, Euæ inquam, usum quoq;: quantum ipsis quidem necesse erat, creaturarum perspectum fuisse. Nam nisi ea sapientia & cognitione prædicti fuissent, quo pacto potuisset ipse Adamus in sudore uultus sui, uti dominus Deus iusserat, panem suum (cuius confectionem ignoraret,) comme-

deret? Cæterum constat ex diuinis literis uniuersam terram, & quæcunque in illa continentur, primis nostris parentibus à Deo optimo maximo donatam, subiectamq;. Sic namq; dicebat illis Dominus. Replete terram & subijcite eam. Ecce dedi uobis omnem herbam seminificantem semen, quæ est in superficie uniuersæ terræ, & omne lignum in quo est fructus, lignum uidelicet quod semen seminificat, uobis in cibum erit. Tametsi autem primi nostri parentes, præceptum domini Dei transgressi, non solum iustitiã, sed & sapientiam originalem amiserunt, tamen cognitione & usu herbarũ, frugum & fructuum minime spoliati fuerunt. Nam tertio Geneseos capite respondit Adamo Dominus, herbam agri manducabis. Quod cum ita se habeat, colligi facile potest herbarum terræq; fructuum cognitionem Adamo etiam post lapsum reliquam fuisse. Nisi enim illam habuisset, facile noxia pro salubribus in cibo eligere poterat. Ex his manifestum esse puto Adamum primum extitisse, qui herbariam doctrinam ad posteros propagarit.

QVIS POST ADAMVM HERBARVM COGNITIONI OPERAM DEDERIT. *Caput* III.

EX filijs Adami nonnulli pecuariam exercuerunt, alij, uidelicet Cain & posteri ipsius agriculturã. Hi quoq; alias artes inuenere, tabernaculorũ inquam constructionem, ferri, aliorumq; metallorum tractationem, quæ temporis progressu subinde magis atque magis excultæ, per posteros Noe uniuerso mundo innotuerunt. Rei herbarie cognitio similiter quotidiana experientia aucta à Chaldæis demum & Ægyptijs (quod scripta ipsorum testantur) mirum in modum amplificata fuit.

QVI APVD GRAECOS CAETERASQVE GENTES SIMPLICIVM (VT VOCANT) *inuentores extiterint.* *Caput* IIII.

APollinem Medicinæ inuentorem à ueteribus creditum fuisse, tum alij tum uero Ouidius libro primo Metamorphoseon testatus est cum hunc in modum scribit.

Inuentum medicina meum est, opiferq; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Nos uero superioribus capitib⁹ ostẽdimus Dominũ Deũ ut omniũ rerũ, ita & medicinæ ac herbarũ primum esse authorem, qui illas etiamnum hodie è terra producit, hominibusq; salubres reddit. Hoc non tantum sacræ

testantur

testantur literæ, uerum etiam ueteres ac sapientissimi Græcorum scriptores testantur. Hesiodus namq; & Homerus, ambo uetustissimi poëtæ in carminibus suis aperte fatentur plantarum uires ac facultates, earumq; cognitionem diuinam esse, & à Dijs hominibus communicatam. Homerus certe in Odyss. lib. x. haud obscure testatur herbā Moly uocatam, quæ aduersus Circes ueneficia utilis erat, à Mercurio primū inuentam fuisse. Quæ uerba tametsi fabulis accenseri possint, nemo tamen negare potest cognitionem plantariam huic studio peculiariter deditos homines requirere. Nemo enim fœliciter in quacunq; reuersari solet, nisi inclinatione quadam naturæ fatoue aut diuina ordinatione ad eam trahatur. Quod animaduertentes ueteres magnis ac diuinis honoribus eiusmodi homines affecerunt. Apollo namq; cuius iam ante meminimus apud antiquos Deus habitus fuit, sicut & Aesculapius, Machaon, Podalyrius, ac clarissima Hippocratis Coi familia, qui omnes mortalibus quasi Dij fuerunt.

REGES, PRINCIPES, ALIOSQVE MAGNOS VIROS, REM HERBARIAM OLIM *tractasse,* Caput V.

Multi sane clarissimi Reges Principesq; olim rem herbariam ita amarunt, ut sepositis interdum regijs politicisq; negotijs non paruam herbis cognoscendis operam darent, quo uel sic non tantum Reip. utiles forent, uerum etiam æternum & immortale sibi compararent nomen. Salomonem namq; decantatissimum illum Israēlitarum regem, uel minima ac uilissima naturæ opera considerasse ita ut à Cedro usq; ad Hyssopum, quæ è pariete progignitur disputarit, scriptura sancta commemorat.

Iam si gentiles reges & principes, qui hanc cognitionem & magni fecerunt, & excoluerunt, enumerare uelim, dies me citius deficiat quam omnia persequar. Adferam tamen nonnullos in medium, quo exemplo illorum multi ad tam diuinam cognitionem amandam excitentur. Mithridate ergo Parthorum rex celeberrimus, qui uiginti duas calluit linguas, rei Medicæ studiosissimus, simplicia medicamenta plantasq; diligentissime inuestigauit, & ex his compositionem insignem confecit aduersus omne ueneni genus, quam Mithridatium etiam num hodie uocant, quæ & in omnibus officinis ubiq; terrarum passim & usurpatur & celebratur. Idem Mithridates Scordium quod longis annis nostræ Germaniæ incognitum fuit, inuenit, suoq; nomine Mithridatiam appellauit. Gentius Illyriæ Rex herbæ Gentianæ, quæ in Germania nostra in altis quibusdam montibus & deser-

3. Reg. 4.

tis gignitur, primus inuentor traditur, à quo & apellationē eius herbæ profectam nemo ignorat. Lysimachia à Lysimacho Macedoniæ rege inuentam scribunt, & proprio nomine insignitam.

Iam & Panaces, plantæ laudatissimæ, quæ á facultatibus suis iure apud Germanos heil allen schaden uocari possent, ad Chironem & Herculem inuentores referuntur, ut in Nicandro uidere est. Iubam Mauritaniæ regem herbam Euphorbiam inuenisse legimus. Mercurius herbam Mercurialem & nonnullas alias plantas mortalibus primus indicauit. Hercules præter alia & Hyoscyamum inuenit, sicut & Asclepiades Chamomillam. Themison plantaginis, Achilles Millefolij, Artemisiam, Arthemis, Teucrij, quod alias Veronica dicitur, Teucer inuentor proditur. Sed ut & scriptores nōnullos proferamus, qui plantas quasdam peculiariter laudauere, Polium et Maluas describit Hesiodus. Pythagoras Cepas suas celebrat. Morchion de Raphano librum composuit. Zeno Capparim prædicat, Chrysippus & Cato Brassicam laudant. Vt interim Centarium, Eupatorium, Clymenō, Iridem, & Betonicam prætereamus, quæ omnes plantæ celebres habent inuentores.

Ex his quæ huc usq; diximus facile apparet magno in pretio olim rem herbariam fuisse. Quod si pari honore deinceps quæ secuta sunt sæcula eam cognitionem prosecuta fuissent, dubium non est quin hodie & plura & certiora aduersus plærosq; morbos remedia habere possemus, quibus per rei herbariæ contemptum atq; neglectū in uniuersum hodie destituimur. Qua in re non exigua in Magistratum, & eruditos homines iure transfertur culpa, qui cum diuinam hanc cognitionem nihili prorsus faciant, licet ea carere interdum non possint, plurimum à maiorum diligentia recesserunt. Ii namq; tanto studio erga plantas affecti sępenumero fuere, ut per somnum quis aliquarum plantarum usus esset admonerentur. Mulierculam enim quandam rosam caninam in somnis uidisse, simulq; cognouisse, radicem lacte caprino decoctam & potam filio suo, qui tum à rabioso cane morsus fuerat profuturam, ueterum monumenta testantur. Sunt autem huiusmodi considerationes rerum naturæ, licet hodie passim contemnantur, non postrema diuinæ erga humanum genus beneuolentiæ indicia, & quæ à ueteribus nequaquam, ut nostro fit tempore neglecta fuere, Galenum namq; nō puduit Palestinam ipsam & Syriam atq; Cyprum petere, quo terram Lemniam, Bitumen uerum, omnisq; generis metalla cognosceret. Pari sane studio strenuissimus miles Dioscorides uel remotissimas terras inuisere uoluit, ut laboribus suis & scriptis posteritati prodesse posset. Quam diligenter uero plantas descripserit, & nomenclaturas earum uarias annotauerit libri eius, qui in omnium manibus sunt, facile declarant.

QVAS

QVASNAM PLANTAS ET EX IIS PETITA REMEDIA, BRVTA ANIMALIA *hominibus ostenderint.* Caput VI.

Qvanti facienda sit res herbaria, uel hinc demonstrari potest, quod non contemnenda remedia ex plantis petita, ab animalibus brutis indicata fuere. Venatores etenim naturæ studiosi obseruatores, animaduerterunt olim Ceruos infixa tela Cretensi Dictamno exigere, qui factũ est, ut deinceps omnis generis sagittas, aculeosq; ea herba mortales refigerent. Memorię quoq; proditum est Ceruos aduersus uenenatos Phalangiorum ictus cancros fluuiatiles Theriacæ loco deuorare, quod idem contra Hyoscyami uirus apros syluestres usurpare Helianus author est. Hic uero admirandam puto Dei Opt. Max. erga omnes creaturas insignem prouidentiam, qua singulis animalibus, non tantum quod ad uictum, sed & quod ad medicinam attineret prospectũ esse uoluit. Vrsos etiam aiunt Hederam amare, & non tantum musco terrestri sanguinem è uulneribus manantem sistunt, uerum etiam cum nimio Mandragoræ esu sibi ipsis periculum creauerint, formicas quibus sibi rursus medeantur, illico quærunt. Quin & Dracones fastidium quod ipsis nonnunquam obrepit Lactuca syluestri purgare consueuerunt, sicut canes gramine. Mustela aduersus glires aut serpentes pugnatura, Rutæ folijs primum omnium se munit armatq;. Feles suas quoq; habent plantas, quibus caliginosis medeantur oculis. Non solum enim Nepetam herbam, uerum etiam Valerianæ radicem & e[illegible]unt, & uniuersum super illas uolutant corpus, quod nõ semel ipse obseru[illegible]ui.

Quid u[illegible]o de auibus dicam, quæ non minus quam quadrupedes, plurimas herbas nobilitauerunt, mortalesq; plurima remedia docuerunt? Ciconia etenim cum non bene habet aquam marinam hauriens, rostro sibijpsi per posteriora tanquam clystere infundit, qua ratione aluum sibi ciere solet. Præterea & ex Origano medicinam sibi quærit. Corui, Graculi, perdices, Columbę, turdiq; quotannis folijs Lauri se purgare consueuerunt. Gallinę, Palumbes & turtures, Parietariam in morbis suis quærunt. Grues, & quæcunq; his congeneres aues uidentur iunco palustri delectantur. Anates syluestres, Anseres, aliæq; quam plurimæ aquaticæ aues Sideritim Crateuæ, cuius j. libro cap. xv. infra meminimus expetunt. Iam & Chelidoniam herbam aduersus oculorum caliginem pollere hirundines indicarunt, ea namq; illi pullorum suorũ oculis medentur. Vide de his Aristotelem. Serpentes fœniculo oculorum hebetudinẽ emendant, & ad Iuniperos plærũq; senectã exuunt. Cochleæ herba Cunila uocata opẽ sibi in morbis adferunt.

Hæc uero quæ huc usq; diximus in eum finem à nobis in medium adferuntur, ut intelligant omnes considerentq; Naturam quæ Dei est ministra omnibus creaturis eam cognitionem indidisse, qua, ea quæ ad sanitatem, tum tuendam, tum recuperandam attinent, naturali quadam inclinatione appetant quærantq;. Quæ tametsi non solum iucunda, uerum etiam necessaria sint cognitu, tamen alijs & uilibus quidem rebus nimirum opum & uoluptatum studio abstracti, insignem hanc Philosophiam & contemnimus & negligimus.

QVID VETERES DE RE HERBARIA SENSERINT, QVANTI ILLAM FECERINT, *& qui de illa scripserint*, *Caput* VII.

Q Vanto uero in pretio apud ueteres Reges, prudentesq; ac doctos homines res herbaria fuerit, monumenta illorum testantur. Euax etenim Arabum Rex tanti plantarum cognitionem fecisse legitur, ut non tantum describi illas, uerum etiam depingi uoluerit, demumq; depictas & descriptas plantas ad Neronem Cæsarem honoris gratia miserit. Quare Romanos deinceps Imperatores rem herbariam, & qui eam tractarent, non solum magno honore affecisse, uerum etiam magnis sumptibus, (ut Galenus refert) ipsas plantas, libros depictos, eosq; qui tam diuinam scientiam profiterentur, conquisiuisse scriptis ueterum proditum est. Hinc nimirum factum est, ut multi doctissimi uiri partim naturæ admiratione, partim præmijs propositis impulsi stirpium historiam diligentissime, obseruatis ac indicatis omnibus circumstantijs descripserint. Inter quos haud postremus est Theophrastus, qui post longam rerum experientiam nouem libris uniuersam herbarum, fruticum arborumq; historiam complexus est. Post hunc idem argumentum, summa cum laude tractauere quamplurimi alij, nimirum Heraclides Tarentinus, Iulius Bassus, Petronius Niger, Crateuas, & Andreas. His adiungendus est Dioscorides rei herbariæ scientissimus, qui licet militiæ deditus esset, tamen herbarum cognitionem adeo non contempsit, ut multis peragratis regionibus, magnisq; exhaustis laboribus, diuinum nobis de re herbaria uolumen reliquerit, pro quo beneficio nisi ingrati plane uideri uelimus immortales illi habendæ sunt gratiæ. Proinde hos tanquam primarios ac principes quosdam alij in hoc studij genere clarissimi uiri subsecuti sunt, Latini, Græci, & Arabes multi, Galenus inquam, Paulus Aegineta & hij quidem Græci, Latinorum enim plures numerare licet & Arabes, ut sunt, Macer, Apuleius, Serapio, Mesue, Auicenna, Rhases, & alij, qui omnes inter

alia quæ literis mandarunt, & herbariæ rei historias scriptis suis inserere uoluerunt, & ad posteritatem transmittere. Quorum labores ut uniuerso studiosorum ordini imo omnibus mortalibus quam utilissimi censendi sunt, ita ab omnibus danda erat opera ut istorum libros repurgatos legere possemus. Sed quæ prauitas humani est ingenij, ut quę ad uoluptatem & luxum pertinent maiori desiderio sectemur, quam quæ uere nobis commodare possent, uix inspicere possumus, nedum in id incumbere ut sumptibus nostris ueterum scripta in lucem castigata proferantur.

CVR VETERES TANTOS LABORES IN COGNOSCENDIS ET DESCRIBENDIS STIRpibus alijsq; Simplicibus impendere uoluerint.

Caput VIII.

CVm omnes plantæ efficacissimis ad sanitatem tum tuendā tum recuperandā facultatibus a Deo opt. max. donatæ sint, ita quidem ut nemo facile uel uilissimæ ac uulgatissimæ herbulæ uires & utilitates enumerare queat: (Quis enim est qui omnem Straminis usum & ad quot illud res adhibeatur, oratione se explicare posse, profiteri audeat, ut interim alias taceam plantas, quæ diligenti cultura & plantantur & conseruantur?) Cum hæc inquam ita se habeant in promptu ratio est, cur ueteres plantariam cognitionem tanti fecerint. Fuerunt etiam illi Simplicibus medicamentis contenti, nec compositis & quæ ex pluribus constarent, frequenter uti uoluerunt, propterea quod cōposita medicamenta fallacia esse deprehenderent, inq; mixtionibus illorū magnā sæpe rerum discordiam oriri uiderent. Id quod inde euenire certum est, quod hij qui eiusmodi composita medicamenta aut pro placito suo, aut aliorum ægris præscribunt, non raro Simplicia ipsa non norunt, multo minus autem plantarū, quæ contrarijs sæpenumero præditæ sunt uiribus, expertas habent facultates. Quamobrē meo quidē iudicio non imprudenter prisci illi homines egisse uideri debent, qui compositionibus suis haud multa miscuerunt Simplicia, & non nisi ea quorum uis illis explorata esset. Inter quas Mithridatis compositio quæ hodie etiamnum in usu est, & nonnullæ Attali Pergameni regis, quemadmodū ipse Galen⁹ refert, primas tenent. Cęterū si omnino cōpositis medicamētis utendū sit non plures q̄ quatuor Simplicia confectionib⁹ suis miscere debebant Medici, q̄d ueteres factitasse uidem⁹. Hinc a quaternario numero olim dicta fuit Theriaca diatessaron & aliæ nonnullæ compositiones. Verumenimuero Simplicibus per se uti consultissimum uidetur, cum illa a Deo, eiusq; ministra Natura tantas facultates

uiresq; acceperint, ut singula in suo genere, sanandi, roborandi, dolores sedandi, refrigerandi, excalfaciendi, purgandi, & si necesse sit adurendi ui polleant, nec opus sit multa simul miscere, quæ ratio hodie & usitata est, & ab omnibus expetitur. Sunt enim ut ante diximus & Auicenna testatur simplicia, ad medendum efficacissima per se, nec aliorū auxilio indigent. Idem quoq; Auicenna & Hierophil⁹ simplicia per se, nullis alijs admixtis in medicina magnum momentum habere tradunt, cum composita medicamenta sine simplicibus consistere nequeant. Quapropter hoc nostro sæculo plurimum hac in re peccare multos uidemus. Reperias enim Medicos plerosq; è scholis primū egressos, & ad Praxin, ut uocant accedentes (nihil hic de eruditis, & qui Methodo uera utuntur dixerim) qui aduersus quemuis morbū medicamentum præscribant decem aut uiginti constans simplicibus, quorum uix dimidiam partem cognitā habeant, sicut neq; morbum ipsum aut causam eius. Interea Medicos tales ægri sequuntur magnoq; suo cum damno præscriptis eorum utuntur. Quod si Medicos istos roges cur hæc uel illa præscribant, nihil aliud respondent, nisi in Auicenna & Valesco, quibus sapientiores & doctiores uideri nolint, se ista legisse. Neq; aliter hij mihi sentire uidentur quam Romani sacerdotes, qui nullas alias preces ad Deum facere, neq; quicquam aliud in S. L. legere solent, quam quod in Breuiarijs suis (ut uocant) contineri uident. Sed eiusmodi Medicorum auxilia, ac tales sacerdotum preces Mundi ingratitudo meretur, & merito illi contingit, quod uulgatum apud Germanos habet prouerbium Ein newer Artzt/eins newen Kirchhoffs bedarff. Hoc est, Nouus Medicus, nouo opus habet Cœmiterio.

RECENSENTVR CAVSAE OB QVAS RES HERBARIA SIMPLICIVMQVE

usus nostro tempore neglectus & obliteratus pene fuerit.

Caput IX.

MVltæ sane causæ sunt, ob quas diuina rei herbariæ cognitio longo tempore contempta & neglecta fuerit. Prima temporis iniuriæ ascribetur, quod omnia mutat, & præsentibus minime parcit, ita ut quæ hoc sæculo uulgatissima sint, eorum apud posteros plane nulla sit memoria. Ac licet temporis longinquitas in abolendis rebus magni sit momenti, tamen rei herbariæ non tam illa, quam magistratuū (pace illorum dixerim) negligentia nocuit. Cum namq; illorum officium sit, nō tantum operam dare, quo ciues & defendantur, & omni rerum necessariarum sufficientia (ut ita dicam) minime destituantur, uerum etiam ut & religio & sapientiæ studium sine quibus nulla Respubl. fœliciter gubernari

unquam

unquam poterit, promoueantur, negari non potest illorum culpa & superstitionem & barbariem in mundum irrepsisse. Debebant illis non tam auaritia ac dilatandi terminos suos cupiditas, & uoluptates cordi fuisse, quam ut recte iuuentus à teneris annis in Scholis linguarum, bonarumq; artium institueretur, quo deinceps in omni functionum genere sapientes & prudentes eruditosq; uiros, Reipub. præficere, & in locum eorum qui indies decedunt substituere potuissent. Quod studium cum illis defuit subsecuta est calamitosa illa ac profunda in omni literarum bonarum genere barbaries. Atque utinam uel hodie hæc altius apud se perpenderent, qui rerum potiuntur. Sed ne longius nostra digrediatur oratio, redeamus ad institutum nostrum. Postquam ergo linguarum præcipuarum, hoc est, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, quæ & religionis & omnis doctrinæ conseruatrices merito censendæ sunt, cognitio negligi, & in locum earum Sophistica deliria passim doceri, et quod ad medicinã attinet ex male uersis Arabum scriptis duntaxat, neglectis Græcis & probatissimis authoribus, præcepta medicinæ peti cœperunt, in tantos errores demersi fuimus, ut neque quid doceremus alios, aut quid ipsi disceremus, nobis constaret. Manifestum namq; est, & negari non potest, sæpe in Arabicis libris nomina plantarum de morbis interpretatos nos fuisse, & contra, quod luce clarius est, & errata medicorum testantur. In hanc ignorationem nostra culpa incidimus. Germani enim sicut & aliæ nationes, nostram medicinam, tam quod ad artem ipsam, quam quod ad materiam eius attinet ex Arabia petebamus. Cum ea enim regio pretiosissima quæq; gignat aromata, quæ nobis admirationi erant, ea, ut hodie etiamnum fieri uidemus, magnis sumptibus ad nos deportari curabamus.

Inter cæteras uero causas propter quas res herbaria longo tempore neglecta iacuit, & hæc quam nunc referemus haud postrema fuerit. Qui enim hactenus in Scholis medicorum studiosis præerant, ĳ nihil nisi scripta Mesuæ & Auicennæ Arabum, quæ in hodiernum usque diem non prorsus intelligimus, prælegebant. Præterea in curandis mortalium morbis istorũ compositionibus tantum utebantur, spretis interea Germanicis & uulgaribus simplicibus, quorum cognitio & usus ex Galeno et Dioscoride petendus erat. Proinde qui doctorum nomen sibi usurpabant, Simplicium cognitionem contemnebant, tanquam se indignam. Ac ubi necessitas aliquando urgeret, ut necesse esset Simplicibus uulgaribus uti, coquis suis seplasiariĳs qui & ipsi parum aut nihil in hac cognitione exploratũ haberent, quidquid id erat officĳ demandabant. Quapropter ad Rizophoros & agyrtas, aut errones illos Ægyptios (sic enim se nominant) aut aniculas negotium hoc deuoluebatur. Et quidquid isti de herbarum nomenclaturis, facultatibusq; decernerent, ratum à doctoribus & seplasiarĳs habebatur. Sed

quantum

quantum ista Medicorum & officinarum ignorantia hominibus ægris nocuerit, nunc non dicam. Certe Mundus hoc pacto decipi uult, & meretur.

PER QVEM ET QVA RATIONE PLANTARIA COGNITIO NOSTRO TEMpore restitui cœperit. Caput X.

QVanquam autem ingratitudo nostra grauissima quæq; merebatur, tamen non uoluit nos diuina benignitas hoc thesauro diutius carere, quin potius effecit ut res herbaria nō multis ante annis paulatim restitueretur, ita ut hodie (Deo sit laus) nemo non sciat simplicia non contemnenda esse, ut ante hac factum est, sed cum gratiarum actione usurpanda, quippe quæ ad omnes ferè morbos curandos (ut olim prodidit Hierophilus) efficacissima sint. Vnde doctissimi ueterum & diligentissimi homines, peculiarem quisq; plantam omnibus modis, ad quosnam illa morbos faceret exploratam, posteritatis memoriæ mandabant. Sic Antonius Musa Betonicam, Apollonius Centaurium, Themison plantaginem, Homerus uero Crocum prędicat. Breuiter nullus ex doctioribus superiorum sęculorum Medicis fuit, qui non herbam aliquam (ut supra diximus) celebrarit, eaq; multos morbos curarit, cum hodie plures reperias qui morbis medendis, non simplicia, sed composita medicamenta maxime ea quæ ex quamplurimis conficiuntur simplicibus, adhibeant, quæ tamen frequentius homines ægros ad orcum mittant, quam sanitati restituant. Sed ad rem accedamus, paucisq; & obiter eos commemoremus per quos pristinæ dignitati res herbaria reddita est. Deus itaq; Opt. Max. his postremis temporibus uiros quosdam bonos & doctissimos in omnibus nationibus excitauit, qui ueterum scripta, nimirum Nicandri, Theophrasti, Dioscoridis, aliorumq; mendis repurgata, latinitati donarunt, ita ut ab omnibus nunc legi possint. Inter quos laudem obtinent. Hermolaus Barbarus, Ioannes Ruellius, Manardus Ferrariensis, Marcellus, Vergilius Florentinus, hij enim Dioscoridem in linguam Latinam transtulerunt, pro quo beneficio gratiæ illis maximæ sunt habendæ. Iam nec Germaniæ nostræ defuit diuina liberalitas, ut quæ in omni bonarum literarum genere, non uulgares uiros habuerit, quos hoc loco commemorare nihil attinet. Sed quod ad rem Herbariam pertinet, non pauci in Germania nostra uiri doctissimi reperti sunt & adhuc nonnulli in uiuis sunt, qui hanc Medicinæ partem scriptis suis illustrarunt. Primus post Hieronymum Braunschweig herbas tractauit Otho Brunfelsius uir pius, iuxtaq; doctissimus. Quid uero de Euricio et Valerio Cordis dicã, uiris nunquam satis laudatis?

Post

Post hos Leonhartus Fuchsius, Ioannes Lonicerus, & Conradus Gesnerus Tigurinus Medicus clarissimus in hanc palæstram magna cum laude descenderunt. Hij enim omnes nullis laboribus parcunt, quo hac in re patriæ & posteritati inseruiant. Quod idem pro uirili hoc in libro (in quo magno labore summaq́ diligentia, quæ & ipse uidi, & expertus sum tradidi, quam fœliciter aliorum esto, sed candidorum iudicium) præstare sum conatus, ac deinceps, uita comite Deoq; fauente conabor sedulo. Quemadmodum uero hij quorum nunc mentionem fecimus in plantis describendis utiles labores susceperunt, ita non pauci alij idem argumentum tractare uolentes, chartas potius inutiliter consumpsere, quam mortalibus scriptis suis profuere. Etenim si horū labores exactius pensites, nihil noui aut eximij in medium hos producere uidemus, quin potius aliorum labores in uolumen quoddam consarcinatos pro suis uenditare. Quos equidem aut laudis aut lucri cupiditatē exagitare credibile est, reputantes apud se dulce ex re qualibet, ut uulgatum habet prouerbium, esse lucrum. Culicum omnino aut Muscarum hij ingenio præditi uidentur. Sicut enim bestiolæ istæ alieno se implent sanguine, ita isti alienis uestiuntur plumis, quibus tanquam suis superbiunt. Vt uero hęc perficiant, calami quem ingeniose moderari norunt, beneficio utuntur, ut uerissime de illis dici queat. Verte stylum & fecisti librum.

QVAS VTILITATES HERBARVM IMAGINES DEPICTAE ADFERANT, ET *quis illas primus depinxerit.* Caput XI.

VVlgo ita sentiunt, & ecclesiastici quidam scriptores asserunt, imagines Laicorum esse libros, quod illis libenter damus, maxime ubi hij, quibus uerbi diuini prædicatio commissa est, ita obmutuerint, ut uel non possint, uel non uelint scripturas sanctas populo interpretari.

At quod ad herbarios depictos attinet, certum est nonnihil illos utilitatis tum adferre, cum uiuas herbas, aut omnino non habemus, aut recentes nancisci non possumus. Quisquis uero hortos proprios & hortulanos habet is multas ac uarias stirpes plantare, quod olim Antonium Castorem Romæ fecisse legimus, earumq; uiuas imagines contemplari poterit, ita ut picturis non sit opus, nisi in ijs plantis quæ maxime peregrinæ sunt, quas nec recentes ubiq; locorum intueri licet, & quę nostro solo assuefieri omnino recusant, Ac meo quidem iudicio uera pictoria ars ob multas causas

nequa-

nequaquam contemnenda uidetur, siquidem ueteres Græci, ut antiquissima monimenta loquuntur, ab ineunte ętate iuuentutē suam non tantū liberalibus studijs imbuebant, uerumetiam pingendi rationem docebant, quo omnes res gestas, aliaq́; memoria digna, nunquam non in conspectu haberent.

Herbas primus Euax rex Arabum pinxisse, ac eiusmodi depictum librū Neroni Cæsari honoris gratia misisse dicitur. Fuerunt etiam alij multi, qui hoc institutum secuti sunt, nimirum Dionysius, Crateuas, Methrodorus, alijq́; clarissimi uiri.

Nostro sæculo Michael Isingrinius Typographus Basiliensis primas tenet inter eos qui depictos herbarios ædidere. Is enim elegantissimos dedit plantarum Icones, & summo artificio ad naturæ imitationem comparatos. Nec sua priuandus est laude Christianus Egenolphus Francfordiensis Typographus, qui & ipse nullis neq; sumptibus, neque laboribus parcit, quo plantariam cognitionem & libris bonis & imaginibus pulchris illustret. Sed quid duo hij uiri præstiterint opera ab ipsis in lucem ædita abunde testantur.

Nostros uero commentarios Iconibus illustrauit adolescentulus quidam Argentinensis Dauid Kandel nomine. Is enim Vuendelini Rihelij nostri sumptibus ad me Hornbachium concessit, ubi herbarum, fruticum, arborumq́; imagines simplicissime, sed & ad imitationem uiuarum stirpium, quas illi proponebam, diligentissime expressit. Qui cum summa industria in hoc opere usus fuerit, pictoriamq́; artem nemine docente adeptus sit, quod multi Argentinenses norunt, eamq́; indies magis magisq́; ita excoluerit ut industriæ suæ ipsum nec pœnitere, nec pudere iure debeat, uolui hoc loco mentionem eius honestam facere.

Quantis uero laboribus, sumptibusq́; opus sit, in depingendis, exculpendis & imprimendis herbarū Iconibus, & honestissimus uir D. Vuendelinus Rihelius Typographus argentinensis, Dominus, amicus meus obseruandus, satis expertus est. Ac quia laboribus & sumptibus suis Reipub. seruire conatus est, laude sua dignus uideri merito debet. Alexander Magnus quondam mirifice celebrabatur, propterea quod magnam pecuniæ summam Aristoteli pręceptori suo misisset, quo is omnis generis animalia conquireret & describeret. Hodie uero (proh dolor) hæc & alia utilia studia exulant, nemoq́; est qui illa uel excolat, uel sumptibus suis adiuare uelit. Quanquam non ita pridem cognoui doctissimum diligentissimumq́; uirum D. Conradum Gesnerum Tigurinum, Dominum ac amicum meum obseruandiss. eum laborem suscepisse, quem ut fœliciter absoluat, faxit Deus opt. max.

DE

DE HERBARVM GERMINATIONE. Caput XII.

QVo pacto uero, quo tempore, quibus in locis tam syluestres quam satiuæ stirpes proueniant, quando etiam colligendę, & quomodo adseruandæ sint, præterea quæ singularum sint facultates, quis usus, satis luculenter in commentarijs nostris docuimus, ita ut in præsentia nihil de his dicendum uideatur, quare relictis illis, causas & argumentum suscepti operis, ordinemque quem in illo sequimur, neque non cur ab vrtica auspicari uoluerimus paucis perstringamus.

QVAE ME CAVSAE PERMOVERINT, VT LINGVA GERMANICA HOS DE STIRPIum historia commentarios conscribere uoluerim. Caput XIII.

CVm profectiones meas & labores stirpium gratia susceptos uir doctissimus Otho Brunfelsius piæ memoriæ, quibusdam referentibus, Argentinæ cognouisset, Hornbachium usque ad me pedes commigrauit, ut coram & hortos & collectanea mea uideret. Quæ sane ita illi placuerunt ut deinceps & ipse & alij literis suis, ut uastum opus in ordinem redigere ac Germaniæ nostræ communicare uellem, cohortari me nunquam destiterunt. Quanquam autem quod petebant facile recusare potuerim, ut qui tenuitatis & ingenij mei exiguitatis conscius mihi essem, tamen excusationis nullus apud illos relictus fuit locus, ita quidem ut post immensos exantlatos labores grauiores demum suscipere, ac partim reprehensionibus quorundā me obijcere, partim uero bonis uiris tam improbe urgētibus obsequi cogerer. Quod si studium laboresque nostri patriæ charissimæ; hoc est, Germaniæ aliquo saltem modo utiles fuerint, nihil sane est quod magis me exhilarare possit.

Præterea herbariorum qui superiori sæculo in usu fuerunt errata, ut susceptum opus semel perficerem, me cōmouerunt. Quæ uero ea sint hoc loco nihil attinet enumerare. Manifestū enim est Herbarios superioris sæculi in nominibus tam herbarum quam morborum, & in in explicatione temperamenti ac facultatum plurimum erroris habuisse, uulgusque imperitum non tantum seduxisse, uerum etiam damno haud uulgari affecisse.

Ad hæc ut de stirpibus hos conscriberem cōmentarios pauperū clamores me stimularunt. Ab his. n. sæpenumero rogatus fui, ut in gratiam pauperum & ad laudē Dei opt. max. donum quod à Deo acceperam, in lucem proferre uellem. Hæ fere sunt causæ quæ me ad hoc opus ita impulerunt, ut ab illo desistere nullus potuerim. Faxit autem Deus ut tam prosint nostri labores, quam prompto animo in Reipub. gratiam à nobis suscepti sunt.

QVID

QVID IN HISCE NOSTRIS COMMENTARIIS CONTINEATVR, ET QVEM IN ILLIS *ordinem seruemus.* *Caput* XIIII.

IN hisce nostris commentarijs Simplicia (ut uocant) & ea quidem tractantur, quę in Germania nostra ad manus meas peruenerũt, ut sunt herbæ, caules, radices, flores, semina, fructus, poma syluestria & satiua, præterea frutices arboresq́ fructiferæ & steriles. Hæc enim omnia diligentissime quomodo, ubi, & quando germinent, una cum appellationibus earum descripsimus. Deinde singulas etiam stirpes in suo generi ita declarare uolui, ut indicare me non piguerit, quo tempore anni commodissime reperiri & transplantari possint, & quo quæq́ solo gaudeant. Neque non adiecimus omnium plantarum fruticum, arborumq́ quantum licuit, nomenclaturas germanicas, cum Germanis potissimum hæc principio scripserimus. Et ob multas etiam causas non omisimus Latinas, Græcas, Arabicas, aliasq́ appellationes. Postremo singularum etiam naturas, qualitates, temperamenta, uiresq́ exposuimus, & quo pacto tam externis quam internis corporis partibus hisce mederi possimus. Quæ omnia tum ex probatissimis rei herbariæ scriptoribus, Theophrasto inquam, Dioscoride, & Galeno, tum uero ex ijs quæ longo usu & obseruatione ipse expertus fueram depromens, fideliter, simpliciter breuiterq́ & ordine descripsi.

Cæterum partiti sumus uniuersum opus in tres libros, quorum prior uulgares omnes tam syluestres quam satiuas & domesticas plantas, hortensesq́ coronarias multas florumq́ genera complurima, odoratas etiam herbas quæ & medicinæ & culinæ inseruiunt, ordine & singulas suo in genere & loco descriptas continet. In secundo libro, Trifoliorũ & Graminum uaria genera, legaria, cerealia eorumq́ uitia, siue ea in agris, pratis, paludibus, uliginosis, aut aquis proueniant: proinde & oleraceas, bulbosas, hederaceas & quæ alijs sese alligant, & humi repunt aut in altum ascendunt herbas, neque non lappaceas, aculeatas & umbellatas quasdam quorum mentio in primo libro non fuerat facta, ac peregrinas quasdam tracto. Tertius idemq́ postremus habet omnes fere frutices, arboresq́, & fructiferas sterilesúe omnes quotquot illarum in Germania nostra uidere mihi contigit. In his uero omnibus describendis eam fere rationem secutus sum, ut eas in tractatione coniungerem plantas quas natura formæ similitudine coniunxisse uidetur, ita tamen, ut singulas suis capitibus ab alijs secernerem. Neq́ uolui literarum ordinem sequi ut ueteres solent herbarij. Habet enim ea ratio multum incommoditatis, si quid iudico. Nam qui eam in scriptis suis tenent, illi magna confusione rerum nunc herbam, statim arborem, mox fruticem ponere necesse habent. Sed quo pacto plantæ

quæ affinitate quadam formæ cõgeneres uidentur recte discernentur, si hoc ordine ut diximus describantur. Equidẽ facile est Alphabeti ordinem sequi. Quæcunq; enim quocunq; tempore occurrunt plantæ suum semper sua in litera locum inueniunt, in quem nullo labore referri possunt, quod compendium in nostris laboribus, quos sane magnos in hoc opere pro Repub. exhausimus, locum non habet.

QVOS LABORES IN HOC OPERE ADORNANDO SVSTINVERIMVS, ET CVR AB VRtica auspicari uoluerimus. Caput XV.

MVlti nostrę ætatis herbarij in scriptis suis palam testantur, quantos sumptus fecerint, quantaq; diligentia & labore herbas suas secundum ordinem alphabeti in altissimis montibus, desertis, syluis & uallibus inquisiuerint. Vbi etiam commemorant sæpe è uarijs regionibus plantas quasdam magnis sumptibus petiuisse. Ad hæc non raro montes uallesq; perlustrasse, ac in sæuissimis quandoque tempestatibus, magno suo cum periculo, plantas quæsiuisse. Quæ omnia ut ab his referuntur facile crediderim. Qui enim tales semel suscepit labores, cum hæc & grauiora etiam perpeti oportet. Ego uero in præsentia pericula mea, immensos labores, famem, sitim, frigus, ęstumq;, terrores, longas & periculosas profectiones, difficillima itinera, per inuia, per montes, ualles, syluas, camposq; iacentes, aliaq; Germaniæ loca, nequaquam commemorabo, quid enim alijs cum his? Delectatio ipsa & uoluptas quam ex rerum naturæ cognitione percipiebam, & studium Reipub. inseruiendi, hæc ut lubens sufferrem effecerunt. Itaque omissis his paucis etiam exponamus, cur ab vrtica librum auspicari uoluerimus. Constat ergo vrticam inter omnes plantas tenerrimam omnisq; impuritatis sordiumq; quibus cæteræ herbæ fere coinquinantur, expertem esse, qui factum est, ut primum illi tribuerim locum. Præterea ut dignitati suæ restitueretur, & contemptus eius uindicaretur, uolui à fronte libri illã collocare. Notum est enim Medicos nostros & Seplasiarios magno vrticam fastu contemnere, ac puderet illos tam uili (ut ipsi sentiunt) herba uti. Quoniam uero vrtica non tãtum in cibo, uerum etiam in medicina magnarum est uirium, quemadmodum in historia illius audiemus, recte mihi uideor fecisse, quod secus quam alij solẽt magno in honore illam habeam. Proinde cum maiores mei vrticę folia in sigillo suo, quo & ego utor, semper ostenderint, placuit uel eam quoque ob causam

vrticam

vrticam (quam tanquam et cibo & medicina utilissimam plantam in culina & officina mea haud postremo loco semper habui) eiusq; historiam primo quoque loco in hisce commentarijs describere. Hæc fere sunt quæ præfationis uice nostris de stirpium historia commentarijs præmittenda duximus. Nunc ad rem ipsam accedamus.

FINIS.

IOANNES SAPIDVS LECTORI STVDIOSO.

Hoc Hieronymus ore Tragus spirabat, ut annos
Natus bis ternos octoq; lustra fuit.
Cui nullus medicus uulsam non porrigat herbam,
Tam dextre herbarum uimq; genusq; tenet,
Et cui tam laute struitur penuaria cella,
Qualem uiderunt sæcula nulla prius.
Det Deus huic sano longæui temporis usum
Vnus qui multos sedulus arte iuuat.


EFFIGIES HIERONYMI TRAGI ANNO ÆTATIS SVÆ 46
D
K

HIERONYMI TRAGI DE STIRPIVM, MAXIME VERO EARVM, QVAE IN GERmania nostra nascuntur, usitatis nomenclaturis, proprijsq; differentijs, necnon temperaturis ac facultatibus, commentariorum Liber primus, Interprete Dauide Kybero Argentinensi.

* *
*

De Vrticæ uarijs generibus. Caput. I.

QVONIAM IGITVR STIRPIVM, PRAESERTIM uero earum quas Germania nostra profert, historiam nobis conscribere propositum est: exordiemur ab urtica, planta uulgatissima, omnibusq; notissima.

Nascuntur urticæ (ut à locis natalibus descriptionem auspicemur) plerunq; iuxta sepes, macerias, inter rudera, alijsq; incultis locis.

Earum nouem genera Germanis sunt cognita, & decimum quoq; non ita pridem ad nos ab exteris nationibus allatum est.

Inter omnes uero tres tantum reperiuntur, quæ tactę pungunt.

Rursus ex his ipsis, duæ quandoq; ad altitudinem trium cubitorum excre 1.
scunt, & radices illarũ similiter magnæ fiunt longitudinis, quę inuicem con 2.
tortæ & implicatæ, humi serpunt, colore croceo præditæ. Aduentante Vere quotannis nouas cymas emittunt, unde nonnunquam una de radice quini uel seni, aliquando plures, interim & pauciores asperrimi, lanuginosi, ac quadrati caules prodeunt, quorum alij asperrimis & spadiceis, alij nigrioribus, & undiq; instar serræ incisis folijs uestiuntur. Porro utraq; uehementer adurit. Semen utriusq; cauli, inter folia, expansis fibris adnascitur, quod ubi tempore Autumni maturuerit, & extritum fuerit, albidum esse, & ad figuram Milij (licet minus illo sit) accedere apparet. Nec uero illas plantare necesse est, quando sua sponte affatim luxurient, neque facile extirpari queant, quo nomine inuisę sunt agricolis, quippe quæ Plinio teste damnum & impedimentum afferant omnibus hortensibus herbis.

Tertia uulgaris, quam Heyter Nessel hoc est, causticam siue ardentiorē 3.
urticam, Germani dicunt, admodum exiguæ quantitatis est, raro enim ad altitudinem trium palmorum assurgit, caulis eius rotundus, radix breuior, folia angustiora, semen uero maius, Vrtica est alsiosa, hyemis impatiens,

Vrticæ uulgares, urentes.
Gemein Brennend Nesseln.





quare singulis annis, ex semine deciduo repullulascit, hortorum omnium singularis pestis.


4. Peregrina autem, eademq; elegantissima, folijs, caule, & semine iam com

memoratæ

Vrtica maior.
Heitter Nessel.



Vrtica Romana.
Römisch Nessel.




memoratæ similis est, nisi quod magis erectum, teretem & concauum caulem habet, qui ad altitudinem duorum cubitorum assurgit, atq; is admodum pungentibus, incisis asperisq; folijs circumdatus est, inter quæ flos ca-

Galiopsis.
Binsaug.



Lamium.
Todt Nesselen.



pillatus seu fibratus, partim rubicundus, partim subluteus uisitur, iuxtaq; illum erumpunt nodi, seu globuli teretes, asperi, & aculeati, quibus semen læue inclusum est, primo gustu dulce, uerum postea pipere calidius. Hoc

urticæ

Heracleа.
Waldt Nessel.



urticæ genus in hortis ex se mine, quod aliquatenus li no conferri possit, plantare oportet.

Reliqua sex genera neq; pungunt, neq; urunt, & ad formam urticę magnę pungentis accedunt, tam quoad caulem, quam etiam herbam. Quorũ tria in caule circumcirca flores ferũt, eosq; alios albos, alios croceos, alios uero purpureos, nigri Marrubij flori- bus nõ absimiles, habentq; plerumq; quatuor triangularis formæ oblonga grana seu semina, uno in folliculo intercursantibus mẽbranis instar crucis distincto. 5. 6. 7.

Tria alia genera prorsus cum superioribus conueniunt, nisi quod grauiter olent. Horum duo inculta terra progignuntur, non secus atq; urentes urticæ, suntq; teneris, rotundis atque minimis folijs ornata. 8. 9. 10.

Ex his urticis, altera circa caulem luteos habet flores, in altera uero purpurei, uerum minores quam in urtica Germanis Binsaug uocata, quadrato cauli adnascuntur. Folia ad cinereum colorem declinant.

Postrema & formosissima urtica ea est, quæ in syluis ac dumetis nascitur, caule & herba uulgari consimilis, grauissimi odoris, attamen grati, 11.

quemadmodum & Melissa, purpureis floribus circa caulem usq; ad summitatem uestita, instar Spicæ uel Ocymi. Semen huius quoq; in folliculis continetur, teres, nigrum, minutius semine Rapi, per omnia Ocymi semen referens.

NOMENCLATVRAE.

Duas priores urticas, quas magnas & urentes uocant, unius generis esse existimamus. Tertiam appellant Heyter Nessel ardentiorem urticam, propter æstuosam eius adustionem.

Quarta, Italica seu Romana, hortensis urtica nominata est, et fieri potest, ut ea sit quam Dioscorides syluestrem dicit. Alias omnium pungentium urticarum nomina hęc sunt ἀκαλύφη, κνίδη, Akalyphe, Cnide, Adice, Selepsio. Serapioni, Humure Vraith, cap. cl. Semen urticæ, Arabes, Bizeri Bangora seu Ragi, appellant.

Diosco. lib. 4. cap. 89.

Diosco. lib. 4. cap. 90.

Plinius lib. 27. cap. 9.

Quædam exemplaria legunt γαλίοψις per ι.

Inter urticas non pungentes tria priora genera Germanis dicuntur Bynsaug / Hanenkopff & Anonium, Dioscoridi γαλίοψις, Galeobdolon, Galephos, Anthepi, Vrtica Labeo.

Reliqua genera Germanis Daub Nessel / Dodten Nessel dicuntur, Latinis, Lamium. Vltimam uero quæ in dumetis & syluis plerunq; gignitur, Herculeam Plinij esse arbitror, non tamen pugnarim magnopere, propter grauissimum quem obtinet odorem, quin firmiter teneo eam esse Galeopsin Dioscoridis. Hebræi urticam חרול Charul Sopho. ij. & מלוח Malluach uocant, Iob. xxx capite.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnes urentes urticæ temperatura sua siccæ sunt, quamobrem resoluunt, discutiũt, & incidunt duros tumores ac pustulas, & si qua alia à Pituita deriuantur, idq; tam in internis q̃ externis corporis partibus efficiunt.

INTRINSECVS.

Vrticæ folia uino decocta & pota, aluum emolliunt, discutiunt flatus, cohibent tormina, maxime ea, quæ non à constipatione alui orta sunt, urinam cient, purgant lumbos, Venerem stimulant.

Vrticę semen in dictis morbis efficacius est, sapa decoctum, aut si admixto melle ex illo Eclegma fiat. Aqua ex urtica distillata, aliquanto mitior & commodior usu, in memoratis ægritudinibus, purgat enim & abstergit omnia uulnera tam interna quam externa, si bibatur, uel si uulnera ex illa abluantur.

Radix

Radix magnæ pungentis urticæ uino & melle decocta, haud uulgare medicamentum est contra frigidas tusses, & Orthopnœas, purgat namq; fistulas spiritales pulmonis, & quæ in thorace sunt educit, pectorisq; uitia emendat, discutit Pleuritidas, & uuæ affectiones curat, aliosq; morbos, qui ex uiscoso humore suboriuntur, mensura iij. uel iiij. ligularum, pota ac gargarissata.

Semen tusum cum melle efficacius est ad purgandum pectus, quam radicis decoctum.

EXTRINSECVS.

Folia urticæ tusa, & cum sale ritu Emplastri imposita, uulneribus & canis rabiosi morsibus medentur, experientia id attestante.

Pari ratione sordidis, putridis gangrænosis ac malignis ulceribus, ut sunt Carcinomata & Herpetæ, folia tusa & emplastri modo imposita auxiliantur. Quin & illa cataplasmata incidunt collectiones omnes & duritias, abscessus, frigidosq; tumores, siue ij sint in articulis, siue in liene, aut secundum aures.

Vrtica urens quam Germani Heitter Nessel uocant, uiribus inferior est, nisi ubi adhuc uirens, externis corporis partibus adhibetur.

Vrticæ inertes omnes eandem cum urentibus uim habent, plus tamen possunt in externis ulceribus, & tumoribus dissipandis, quapropter illis in balneis ad uaporationes & emolliendũ uterum uti conuenit, præsertim syluestri, quæ alias Heraclea dicitur.

Experientia proinde certa de olentibus urticis, quæ in uetustis areis & sepibus proueniunt. Illæ enim si uirentes adhuc contundantur, earumq; succus cum folijs, Cataplasmatis instar, Phagedænæ, quam Germani den wurm uocant, imponantur, breui eam enecabunt.

Succus urticæ naribus admotus, sanguinem prouocat. Æstum & Pustulas ab urtica excitatas restinguit, & sanat oleum Rosarum, idem efficit oleum Oliuæ. +

Ex his quæ iam dicta sunt alia innumera colligi poterunt.

De Marrubio. Cap. II.


MARRVBII QVATVOR GENERA MIHI COGNITA sunt, quæ omnia quadrangulos caules habent. 1.

Marrubium maius nigricantis est coloris, & à magna urtica nihil differt, nisi folijs, quæ incisuris profundioribus, & conspectioribus *Marrubium maius.*

Marrubium maius.
Groß vnd schwartz Andorn.



Marrubium candidum.
Weiß Andorn.



dissecta sunt quam urticæ. Flores caulem uerticillatim ambiunt, per interualla æqualia, non secus ac in urtica, quæ Germanis Bynsaug dicitur. Post florem semen nigrum oblongum & triangulare, idq́ꝫ binum uel ternũ, nec

Marrubium agreste.
Feld Andorn.



Marrubium aquaticum.
Wasser Andorn.



nec Aquilegię semen magnitudine excedens, in aculeato folliculo reperias.
Alterum & uulgare Marrubium albicat, folijsq́; rotundis & squalidis, *Marrubium*
caule quadrangulo, flore candido, in folliculis aculeatis uerticillatim per *uulgare.*

intercapedines æquales, caulem circumiacentibus præditum est. Porro utrunq; grauissimi & amari saporis, & incultis locis, secus macerias, sepes, & inter rudera nascitur.

3. *Marrubium campestre.* Tertium Marrubium genus est Gallitrichi syluestris, de quo in Gallitricho plura. Planta est sæpe unico, eoq; quadrangulari caule prædita, folia eius plane hirsuta & magis albicantia superiori genere, ad folia maioris Balsamitæ accedentia, quod ad magnitudinem attinet: colore uero folia Verbasci (quod Gål wull appellant Germani, quo de infra cap. lxxij.) referentia. Flos in uasculis per omnia reliquis Marrubijs similibus, purpureo tantũ colore differentibus, continetur. Semen minime aculeatum sed teres, ut est semen Brassicæ. Odor huius plantæ gratissimus.

4. *Marrubium palustre.* Quartum Marrubium iuxta fluuios, lacus & fossas gignitur, & quod ad caulem, folliculos, folia ac flores attinet, primo non absimile, cubiti altitudinem haud temere superat, color illi prassinus. Folia prope complicata, instar foliorum Betulæ recens erumpentium. Flores exigui & albi, sicut & in Melissa, caulem circumdant.

NOMENCLATVRAE.

Diosco. lib. 3. cap. 108. Nigro Marrubio Dioscorides hæc assignat nomina βαλλωτή, μέγα ἢ μέλαν πράσιον, Ballote, magnum aut nigrum Marrubium, Notianoscemi, Nosprasson, Nothera, Nosthalis, Nochelis, Nophris, Gnothera, Asphos, Ixionis sanguis, Apnium, Medata, Herba Vlceraria, Canthurinum. *Diosco. lib. 3. cap. 110.* Atqui Marrubium album eidem autor appellatur πράσιον, εὐπατώριον, φυλλόφαρις, Tripedilon, Camelopedion, Labeo, Asterion, Asterope, φιλόφαρις, Atyrbersia, Tauri sanguis, Horu genitura, Marrubium.

Marrubij appellatio Tragorigano quoq; Germanis Dosten tribuitur lib. 3. cap. 30. Diosco. Eupatorij uox apud eundẽ cap. 39. lib. 4. alteri herbæ ascribitur Nicander in Theriacis scribit Marrubium à pastoribus μελίφυλλον uocari, quod quidam propter apes Melittænam interpretantur. Quæ sane uerba ego de urtica Germanis Bynsaug dicta, intelligo, quæ dubio procul uera est Melissa, neq; enim quæ uulgo dicitur, Melissa est.

Apul. cap. 45. Apuleius, Ægyptios Marrubium Asteriopen uocari tradit, quosdam etiam Melittænam: *Serapio cap. 285.* Serapioni album Marrubium, Marua Iantusa dicitur.

Tertium Marrubium, Germani Feld scharlach/ Feld Andorn nominant: Hoc ipsum tam suaue olens Marrubium, Stachyn esse existimo, quæ à Dioscoride lib. iij. cap. cxi. describitur.

Quartum uulgo Marrubium palustre, Sentus, in Auicenna, Germanis Wasser oder weyer Andorn uocatur.

Marrubium quibusdam Hebraice, uel potius Chaldaice תמכא Tamcha dicitur, Vide Munsteri Aruch.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quemadmodum urticæ ita & Marrubij omnia genera calefaciunt, discutiunt ac desiccant. Candidum tamen plurimum apud nos commendatur, non tantum propter iuuamenta, sed & ob odorem gratissimum, quare & internis partibus corporis potius, quam reliqua, adhibetur.

INTRINSECVS.

Folia Marrubij candidi aqua aut uino decocta, cum melle despumato, [illegible] mulsę elixo, dantur suspiriosis, pleuriticis & tussientibus.

Marrubium epatis, lienis & matricis obstructiones tollit, secundas expellit, uterum purgat, & menses euocat, præsertim si cum Iride decoctum fuerit.

Succus Marrubij eadem efficit, mensura trium cochlearium sumptus.

Idem etiam his qui uenenum hauserunt, & contra serpentium morsus apprime conducit, inprimis uero hoc præstat succus Marrubij candidi, quod in altissimis campis prouenit.

Quin & claritatem oculorum adiuuat, lumbricos & aurium uermes enecat.

EXTRINSECVS.

Omnia Marrubij genera siccata com̃ode fomentis & balneis adiunguntur, quibus Phlegmaticæ mulieres albis mensibus, & dorsi, laterum, & crurum doloribus laborantes, utuntur.

Aqua in qua Marrubium decoctum fuerit, omnes malas scabies, & serpigines, pręcipue porrigines, ac papulas sanat. Quamobrẽ capita puerorũ, qui scabie, quæ Germanis Andorn & Megerey dicitur, uexantur, ea ablui debent. Lixiuium proinde in quo Marrubium nigrum decoctum est, manantibus capitis ulceribus, quod uicium pueris frequenter usuuenire solet, si colauentur, perutile est.

Puluis Marrubiorum mariscas persanat.


De Melissa. Cap. III.

MELISSA QVAM GERMANI Mütterkraut APPELLANT, tam incultis quam cultis locis nascitur, cuius radix multis alijs coniunctis, ac cohærentibus radiculis intra terram hinc inde serpit, quemadmo-

Melissa.

Mütter kraut.

1\. *Melissa domestica.*



quemadmodum urtica, pluresq; cubitales cauliculos ex se mittit, quadrangulares, breuiores, ac tenuiores nigro Marrubio. Folia etiam ad formam urticæ, maxime illius quæ Bynsaug Germanis dicitur, aut Balsaminę Germanis Spitzen Balsam/accedunt. Flos in folliculis per interualla æqualiter distantia; alius purpureus, alius subluteus, caulem ornat. Post florem in ijsdē folliculis semen Aquilegiæ simile, longe tamen illo minus, cōtinetur. Planta hæc admirando odore prædita est, primum namq; cimices redolet, quo uero propius naribus admoueris, eo gratiorem odorem spirabit.

2\. *Syluestris Melissa.*

Syluestris Melissa radice & caule iam dictæ consimilis est. Folia autem maiori urticæ, serratiora tamen quemadmodum & Marrubij nigri, cubiti altitudinē nō excedens, syluestris grauissimiq; odoris frutex.

Diosco. lib. 3. cap. 109. De Melittænæ uoce uide cap. 2. supra, nam & Marrubio illa tribuitur.

NOMENCLATVRAE.

Melissam Germani uocant Müter kraut / Hertzkraut / Frawenkraut / Immen blatt / Pfaffenkraut. Dioscoridi μελισσόφυλλον, μελίφυλλον, Melittænum, Melittæna, Erythra, Demele, Meritemenon, Apiastrum, Citrago, & Citraria dicitur. Serapioni.

Bede-

Melissa uulgaris.
Gemein Mütter kraut.



Bederangie, Bedarungi, Turungen, Marmachor. Iacobo Manlio, Ocymum citratum nominatur. Serap. de Tempera. Simp. cap. 23.

Syluestris Melissa à muliercul is nostris, Hertzgespör & Hertzkraut dicitur, estq́ ea herba, quæ Germanis Gäle Bynsaug appellatur, de qua supra, capite 1 mentio facta est, an uero ea Nicandri Melissa sit, aliis discutiendum relinquo.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Melissa seu ut Barbari uocãt Matricaria, omnibus ferme mulieribus notissima herba, calefacit, exiccat, discutit, sanat, & conglutinat, utrinq; enim, hoc est, internis externisq́ corporis partibus adhibitũ magni est usus. P. Ægyneta scribit uires illi easdem esse, quæ & Marrubio.

INTRINSECVS.

Melissa uino albo decocta, et per aliquot dies pota, pectus purgat, Astmaticis prodest, cor confortat, tristitias à Melancolia profectas tollit, morbum comitialem, & omnes prope morbos internos curat, quamobrem Clysteres ex illa recte conficiuntur.

Melissa minutim concisa, perq́ noctem uino albo optimo macerata, ac deinde

deinde in uitro distillata, inprimis commendatur, nam non tantum ad mulierum tormina, & uuluarum strangulatus seu præcipitationes mire conducit, mensura trium uel quatuor coclearium pota, uerumetiam Cardiacæ, & fungorum strangulatibus auxiliatur. Oris exulcerationes si cum illa abluantur, sanat, claritatem oculorum adiuuat.

EXTRINSECVS.

Melissæ herba cum floribus Chamomillæ lineo sacculo imposita, uino aquaué decocta, deinde expressa, ac calida matrici inquietæ, & suo loco motæ, imposita, præcipitationem eius cohibet, inq; locum suum reponit.

Melissa in decessionibus mulierum ad ducendos menses perutilis est, lumborum dolores sedat.

Melissa uiridis cum sale illita, cataplasmatis instar strumas discutit. Aqua Melissæ omni scabiei, ac pustulis medetur, quemadmodum & scorpionum, & aranearum ictibus, ac canis rabiosi morsibus, si cum illa colluantur.

Melissæ aqua uino turbulento infusa, pristinæ illud claritati restituit. Eadem carnibus aspersa, à muscarum & tarmorum iniuria ipsas uindicat.

De Nepeta. Cap. IIII.

NEPETA HAVD ALITER QVAM VRTICA FRVTICAT, nam & caulis & folia formam ac magnitudinem illius æmulantur, nulla alia re ab ea differens, quam quod folia colore subcinereo sunt, tactu mollia, Altheæ eatenus cognata.

1. *Nepeta uulgaris* Planta agresti attamen non insuaui odore prædita est, ad Melissam propius quam ad Balsaminam accedens. Nascitur plerunq; ad macerias, & inter rudera alijsq; incultis locis, felibus admodum grata. Flos caulem ambit quemadmodum in Melissa fit, unde ego adductus Melissæ eam esse speciem existimo, id quod iuuamenta eius quæ Plinius lib. xx. cap. xxiiij. annotauit, confirmare uidentur.

2. *Saluia syluestris.* Quod ad alteram Nepetam attinet, quam Dioscorides lib. iij. cap. xli, Nepetam montanam uocat, dico ego eam esse quæ uulgo ab omnibus Germanica uoce wild Salbey/id est Saluia syluestris dicitur, quam scioli quidam (qui omnem herbariam cognitionem à mulierculis uetulis accepere, quorum reprehensionem ut me effugere non posse satis scio, ita minime curo) Eupatorion uocitant, quod nomen herbę Germanis Odermenig dictę, (de qua infra cap. clxxv.) proprie conuenit. Porro hæc ipsa Nepeta seu Saluia

Nepeta.

Nept/zam Katzenkraut.



Saluia syluestris.

Wald Salbey.




ulla syluestris in syluis passim luxuriat, folijs rotundis serratis, ac aliquantu-
lum acuminatis, urticam fere referens. Caules plures una de radice germi-
nant, ijq; quadrangulares & purpurei, floribus flauis atq; copiosis sese mu-

tuo

Balsamina agrestis.
Wild Katzen kraut.



Nepeta agrestis.
Acker Nept.



tuo excipientibus usque ad finem, ubi folliculo quodam semen teres continetur, ornati.

30 *Balsamina agrestis.* Tertia Nepeta Balsaminæ forma & odore prope similis est, folio Basilici agrestis,

ci agrestis, florem in summitate Stechadi, haud absimilem, partim purpureum, partim uero coloris medij inter candidum ac purpureum, gerit. Proinde hæc Nepeta in agris gramineis & ad fossas paludesq́;, in syluis etiam uliginosis nascitur, odoris suauissimi herba, & quæ in altitudinē magnam excrescat, maxime ea quæ ad fossas gignitur.

Quarta Nepeta planta est grauissimi odoris, circa humida loca prouenientis. 4. Folia habet similia Origano, de quo infra. cap. x. uerum minora, eaq́; *Nepeta agrestis.* incana, gustu impense feruentia, & amara, flores rubei caulem circumdant. Porro duæ quas postremo loco commemorauimus, ad syluestrem Mentham pertinent.

NOMENCLATVRAE.

Nepetam uocant Germani Katzenkraut / Dioscoridi καλαμίνθη dicitur, *Diosco. lib. 3. cap. 38.* Apuleio uero, Minthe agria, id est, Mentha syluestris, Mintheorinos, Diaula, Hæma hammonos, Gonos hammonôs. *Apuleius. cap. 93* Serapioni deniq́; Calamentum, & Pulegium agreste, *Serap. cap. 31.* quæ quidem omnia nomina postremis duabus Nepetis (quarum appellationes apud Dioscoridem hæc sunt σκόρδιον, seu σκόρβιον, *Diosco. lib. 3. cap. 116.* Pleuritis, καλαμίνθη ἀγρία, Chamædrys, Dysosmos, Mithridamos, Sanguis podotis, Apho, & Trixago palustris) tribuenda mihi uidentur. Quod si quis iam dictas Nepetas Balsaminæ syluestri & Menthæ, quam Germani wild Fischmüntz nuncupant, accensere uelit, cum eo non magnopere contenderim. Sed quod nonnulli ultimam Nepetam Pulegio syluestri adiungant, manifestus error est.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Nepetæ plus affinitatis cum Melissa, quam cum Mentha habent, possuntq́; tam internis quam externis corporis partibus salubriter adhiberi.

INTRINSECVS.

Succus Nepetę seu Saluię syluestris (quæ uera est Nepeta montana) cum uino potus, expellit lumbricos, ueneno resistit, sudorem elicit, Iocinoris & lienis meatus adaperit, excalfacit renes frigida intemperie læsos, Matricis dolores sedat, menses ciet. Hæc omnia Nepetæ efficacius præstant uino decoctæ ac potæ, pectus etiam purgat huiusmodi potio, urinam prouocat, rupturas sanat, morbum regium incidit, Fluxū choleræ cohibet, stomachūq́; confortat, Febri tertianæ medetur, si stomacho prius purgato sumatur.

EXTRINSECVS.

Nepeta uino decocta, uel succus eiusdem nigras cicatrices emendat, uermes aurium quos Græci ἀλλὰς uocant, enecat.

Nepeta in desessionibus & fomentis muliebribus, fœtum, menses, & secundinas expellit, matricis dolores mitigat, quod & Mentha efficit.

Suffitu Nepetę serpentes, aliaq́; uenenosa animalia fugantur.

De Menthis. Cap. V.

QVANDOQVIDEM POSTERIORES DVAE NEPETAE ad Menthas fere accedunt, de illis porro agemus, differentias illarum ordine explicaturi. Mentharum itaq; tria sunt genera domestica, rubea scilicet, crispa & acuta.

1. *Mentha.* Quod ad primam attinet eam esse existimo Simsybriũ, quo de Dioscorides lib. ij. cap cxvij. scribit, alteram hortensem, quę alias satiua dicitur, omniumq́; nobilissima habetur, qua de Dioscorides lib. iij. cap. xxxvi. Postremam, deniq; uulgarem Balsaminam esse, siue acutam Mentham, quam Dioscorides lib. iij. cap. xli. describit, ego iudico.

2. *Mentha satiua.*

3. *Balsamina uulgaris.*

His uero tribus Menthis, tria alia, uerum syluestria subsunt genera, uliginosis locis fere prouenientia, agresti ac fortissimo odore prædita.

4. *Syluestris Mentha prima.* Syluestrium Mentharum prima quadamtenus punicat, bicubitalis, rubeis caulibus, folijs uiridibus ac nonnihil puniceis, ijsdemq; rotundis, flore subpurpureo.

5. *Mentastrum.* Altera quæ proprie Mentastrum appellatur, per omnia nobili ac hortensi Menthæ similis, nisi quod illa magis crispa, hirsutior, mollior ac tenerior est, coloris cinerei, gaudet palustribus locis, & passim ad fontium scaturigines nascitur.

6. *Nepeta aquatica* Tertia ad acutam Balsamitam accedit, minor tamen illa, folijs admodũ serratis & ualde odoratis, eadem loca quæ reliqua duo genera, amat, quanquam non ubiq; proueniat. Proinde hæc ipsa Mentha Balsamitæ acutæ species est syluestris, ad quam & alia pertinet, quæ folijs, caule, flore ac odore, iam dicta syluestrior, latior & longior apparet, in irriguis quandoq; campis fruticans.

NOMENCLATVRAE.


1. Priorem domesticam rubeamq́; Mentham, σισύμβριον Dioscoridis esse iudico, quod ille Coronam seu herbam Veneris, Serpyllũ, & Austeralidem cognominat.

Sisimbrium alterum Sion cognominatur, & Serpilli quoque uox alijs plãtis attribuitur Dio. lib. 3. ca. 41.


2. Secunda Mentha, nimirum quæ uulgo domestica & crispa Balsamita dicitur, apud Dioscoridem sequentia sortita est nomina. Mentha, Mentha satiua, ἡδύοσμος, Nepeta, Perxo, Macetho, Perithromontho, Tis, Germanis

Beymenta/

Mentha rubea, seu Sisymbrium.
Rote Müntz.



Mentha satiua, seu crispa.
Krauß Müntz.



Beymenta/Krauserbalsam/& Müntz/Auerrohi, Haama, Serapioni Nahamata uocatur. *Serap.cap.288.*

Tertia Mentha ea est quæ aliàs Balsamita acuta dicitur, de qua proximo 3.

Mentastrum.
Katzen balsam.



Nepeta aquatica.
Spitzer balsam.



capite egimus, quam Dioscorides lib. iij. cap. xxxviij. satis descripsit, cum dicit, Est postremo & quædam agresti Menthæ similis, &c. Arabes & præcipue Serap. cap. cclxxxviij. Menthas satiuas, Nahanahe uocant, Auerroes Haama appellat Mentastrum, Alphocenus. Iam

Iam ut de syluestribus loquamur, primam ex illis quæ rubea est σίον odo 4.
ratum facile dixerim, quod tamen non intelligas uelim de uulgari Sio, cuius *De altero odora*
descriptionem infra cap. lxi. persequemur, Germani Wild basilgen/ hoc est, *to Sio, uide infra*
Basilicon syluestre ob suauissimum quem spirat odorem, uocant. *cap. 155. nostrorũ*

Altera agrestis Mentha, quæ domesticæ & crispæ Balsamitæ, uel Marru- *commentariorũ.*
bio candido, haud multũ absimilis apparet, quamq; Germani Roßmüntz/ 5.
Katzen Balsam/ Bachmüntz uocitamus, ipsissimum est Mentastrum Dio- *ἡδύοσμος ἄγριος*
scoridis, quod aliàs Mentha campestris, & apud Apuleium Glechon Agri- *Diosco. lib. 3.*
on, Osmites, Gonos Apollonos, Osthanes, Hispanis Creobula dicitur. *cap. 37.*

Tertia agrestis Mentha, quæ & inter reliquas acutissima est, ad Nepetam *Apuleius ca. 90.*
pertinet; de qua supra capite quarto diximus. 6.

Postremo hic mihi candidus lector monendus est, de ueterum in descriptione Mentharum iudicio, ĳ namq; sine ullo discrimine, Menthæ, Nepetæ Balsamitæ species ac nomina miscere sunt soliti, nunc Nepetas, nunc Menthas, aliàs Calaminthas illas appellantes, quod fortasse iam memoratas plantas (id quod mihi tamen uerisimile non uidetur) discernere nequaquam possent, uel quod ĳ ipsi frutices easdem pene facultates obtineant. Quare proculdubio Sium Dioscoridis, Menthis annumerandum erit, nam gratissimi est odoris, teste eodem authore. Porro ea quam Germani Klein bachmüntz uocant, sequenti capite explicabitur. Mentham nonnulli Hebræi אמיתא Amisa, & מינתא Mentha appellant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Inter Menthas crispæ inprimis commendantur, eadem nimirum cum Pulegio & Melissa facultate donatę, possuntq; utiliter tam foris adhiberi, quam intro sumi.

INTRINSECVS.

Succus Menthæ admixto aceto sanguinis excreationes, & uomitus reprimit, tineas in uentre enecat.

Omnium Mentharum herba tam uiridis quam siccata supra modum stomacho confert, sicut & aqua Menthæ distillata, non solum enim concoctionem adiuuat, sed & singultus, fastidia, ac nauseas inhibet, cholerasq; (præsertim si ex illa salsamenta parentur) sedat, Venerẽ stimulat, membra omnia confortat, odor deniq; illius cerebrum corroborat, ac memoriam conseruat, augetq;.

EXTRINSECVS.

Herba Balsamitæ, uel aqua eius distillata, aut succus linteolis exceptus,

ac fronti impositus dolorem mitigat, similiter mammis mulierum à lacte infantes depellentium, si tendantur, aut lacte turgeant imposita, lactis coagulationes discutit. Auribus instillata, dolores illarum tollit.

Mentha cum sale contusa, canis rabiosi morsibus illita, citra periculum medetur.

Herba Balsamitæ siccata, & in puluerem redacta, ac fermento temperata, posteaq; instar emplastri illita, ac præcordijs quemadmodum Epithima imposita, eructationes stomachi, & uomitiones cohibet.

Breuiter omnia genera Mentharum magnam uim habent, excalfaciendi & resoluendi, ad fomenta, desessiones ac balnea sudatoria, seu sicca, quæ à Celso Laconica appellantur, utilissima, quare à nonnullis balneis siccis, & clisteribus adijciuntur.

Menthæ folia lacti immersa, coagulari illud, & in caseum coire non permittunt.

De Pulegio. Cap. VI.

Celsus lib. 2. cap. 32. Diosco. lib. 3. cap. 31. Plinius lib. 18. cap. 25. lib. 19. cap. 8.

PVLEGIVM MIRA FACVLTATE POLLET, NAM ET dormientes, & in ouiculis si illud florens degustauerint, balatum excitat. Æstate cum omnes aliæ plantæ nimio æstu torrentur, solum Pulegium in florem erumpit, etiam in aridissimis locis. Et, quod admiratione dignissimum in ipso die brumali Pulegium emortuum in carnarijs quasi reuiuiscens florere Plinius tradidit.


1. Est autem Pulegium frutex hinc inde proserpens, ac intra humum undiq; radicem agens, quemadmodum Serpentaria, ad altitudinem non assurgit, nisi dum floret, atq; tum quidem dodrantalem habet cauliculum, nec altiorem. Flos caulem circumdat usq; in summum, ueluti in Ocimo, plerunq; ex roseo albicans, quamuis in quibusdam illũ rubicantem uidere fit. Neq; aliã plantam reperias, quæ perinde atq; Pulegium ubiq; adhęrescere soleat, nam non tantum in ipsis sertis incrementum accipit, sed etiã ubicunq; terram solũ attigerit, ibi longe lateq; se propagat, totosq; campos breui occupat; uestitq;. Locis uero humidis maxime gaudet. In sylua Brocomagi (qui uicus est prope Argentoratũ decantatissimus) flore purpureo, odore grauissimo, iuxtaq; suauissimo, affatim luxuriat.

2. Pulegium autem syluestre, quod Dictamno Dioscorides annumerat, in herbidis & humectis passim campis inuenitur, satiuo per omnia simile, herba tamen caule, ac flore grandius, & ad formam fere Menthę exiguæ accedens, quo nomine Germanis klein Bachmüntz appellatur.

NOMEN.

Pulegium.

Poley.



NOMENCLATVRAE.


Pulegium latinis, γλήχων, uel βλήχων Grecis et Ansenicanthon & Galeopsis, Germanis Poley dicitur. Quibusdam alijs Apoleium, & Abuolum. Apu-

Diosco. lib. 3. cap. 31.

Galeopsis urticæ inertis nomẽ est, ut 1. cap. docuimus.

Mentha aquatica, exigua.

Klein Bachmüntz.



Apul. cap. 92. Ieius alia quoq; adijcit nomina Poludon scilicet Hemiton, Panthagathon, Dimoron. Serapio cap. ccc. ait Fandenigi esse Origanum, seu Pulegium, insuper & alijs nominibus Pulegium dici Alnam, Alnegea, & Baluam.

Syluestre

Syluestre Pulegium Plinius lib. xx. cap. xiiij. Dictamnum appellat. Serapio loco iam commemorato, uocat Dictamum, & Diphthamum, et Alnegen Araba, & Bari, ac Mescatremephir. Itali dicunt Polezolodu, Pouleot: Hispani, Poleo. Hebræi teste Phrisio qui uefertur, à Iudæo doctissimo appellationes Hebræas herbarum didicit, חבּיאם Habbiam uocant. 2. *Syluestre Pulegium.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pulegium acre & calidum est, quare somnum arcet, extenuat, ac discutit crassos thoracis humores, concoctionem adiuuat, internis & externis corporis partibus utilissimum.

INTRINSECVS.

Pulegium optimo uino albo decoctum, ac uesperi & mane potum, menses, fœtus, & secundinam trahit. Huiusmodi uero decoctio, non nisi in summa necessitate uti oportet, maxime uero tum, cum menses impediti sunt, aut cum albis mensibus laborant mulieres, ita enim affectis remedium est saluberrimum.

Pulegium contrà aceto & melle decoctum, menses, nauseas & uomitiones cohibet.

Pulegium uino, melle, & Aloe decoctum, utilissima est potio ad educendum atram bilem, & quæ circa pulmonem uiscosa sunt Phlegmata, dolores uentris, tormina intestinorum sedat, uterum fouet, aduersus serpentium morsus uenenatos facit, Anginam incidit gargarisatum, ad oris exulcerationes, si cum eo sæpe abluantur, efficax est.

Puleg ij aqua, & succus quoq; claritatem oculorum adiuuat, & prurigines, si eo abluantur, sedat.

EXTRINSECVS.

Pulegium podagris impositum usq; dum rubescat, cutis dolorem sedat, pari ratione usurpatum dolores capitis mitigat.

Defectis animo & Lethargicis Pulegium contusum admixto aceto, naribus obijci, uel in os ingeri debet, & tum sensum ac intellectum illis reducet.


Pulegium una cum ordeacea farina illitũ, inflammationes omnes tollit:

Pulegium aceto & sale contusum, si membra illo perfricentur Spasmo medetur, & contra araneorum ac scorpionum ictus auxiliatur.

Proinde Pulegium herba est pulicaris, nam flos illius recentis incensus, pulices necat odore, quemadmodum Plinius testatur.

De Dictamno. Cap. VII.

Dictamnus Cretensis.
Diptam auß Creta.



VM AGRESTE C Pulegium à Plinio, Dioscoride, & Apuleio genus Dictamni esse cõstituatur, deinceps de Dictamno dicendum mihi censeo. Quapropter ante omnia quidẽ scire oportet, Dictamnum ueram in Germania haudquaquam nasci, quamuis superioribus annis è Creta, & Venetijs ad nos deportata fuerit, quam dominus Georgius Ollinger Norinbergensis, ac D. Coradus Gesnerus Tigurinus ad me miserunt, pro quo beneficio, quas debeo, magnas optimis uiris ago gratias. Ea planta quadantenus Pulegio similis existit, ut testatur Diosc. lib. iij. capi. xxxij. Folia habet crassa, rotunda, & tomentosa, ac utrinq; candida molliq; ac spissa lanugine obducta, eaq; usq; ad summum omnia bina, duro, tereti q; cauli adnascuntur, et è regione se mutuò spectant, non aliter atq; in herba Nũmularia, semine et flore caret, odore suauissimo, gustu aliquantulum subamaro prædita.

Verum enimuero radix illa

Dictamnus uulgaris.
Gemeiner Diptam.



illa, quæ hodie pro Dictamno uenditatur, descriptioni Dictamni, quæ apud Dioscoridem, Apuleium & Serapionem extat, minime quadrat, quare alio reijcienda erit. Nihilominus tamen hæc ipsa Dictamnus, de qua modo sermo nobis incidit, planta est elegantissima, radicem habet digitum crassam, interim & minorem, albam, læuem, cubitalem, quandoque longiorem, aliquando & breuiorem, fracidam, denique lignosam, qualis est Fœniculi. Appropinquante Vere herba spicatim prorumpit, ueluti Asparagus, inde in cauliculum cubitalem fere teretem phœniceum, hirsutum, ac subasperum excrescit, folijs pulcherrimis, ijsque expansis, uti in Fraxino arbore fieri uidemus, breuiter in fruticẽ euadit, prope consimilem Glycyrrhizæ. Folia uero illius plus à se inuicem, sed per æquales intercapedines distant, & latiora sunt, quæ si singula seorsim inspicias folijs mali Cydoniæ comparari possint. In cacumine flores gerit pulchros & magnos, qui partim purpureo, partim candido colore, aut si mauis uermiculato ac roseo, emicant, nec differunt à flore Maluæ agrestis. Odorem spirat gratissimum ac dulcissimum, Cynomamum odorari te diceres. Post florem folliculi seu siliquæ

a. Vulgare Dictamnum.

Tempus.

Forma.

Odor.

quinque.

quinq; aut quadripartita distinctione, intercursantibus, membranis, diuisę, relinquuntur. Singula uero folliculorum illorum receptacula, & nigra semina continent, semini Aristolochiæ maioris similia, nisi quod illud non perinde acutum & magnum est, atq; hæc. Postremo quod ad locum genitalem Dictamni attinet, amat illa altissimos saxosos, & aridissimos montes, quales cōspiciuntur in tractu Rheni prope Creützenach/Shaun/Byrn/ & in sylua quoq; Martiana, quæ Hercynia dicitur, & in hortis plantata prouenit. Solet autem quotannis nouos caules emittere.

Locus.

NOMENCLATVRAE.

δίκταμνος.

Dioscorides iij. libro capite. xxxiij. appellat Dictamnum suam, agreste Pulegium, quod alijs eodem Diosco. teste Belouacos, Artemedeion alijs Herba Cretica, alijs Ephemeron, quibusdam Eldia, nonnullis Belotocos, Dorcidion, Helbunion, Vstilago rustica, et Embactron ac βίκιον dicitur. Apuleius. cap. lxij. Dictamnum, Artemedion, Creticen, Ephimeron, Labrum Veneris, Emenypsen Dipsacon nominat. Serapio ut cap. vi. dictum est Dictamnum ac Pulegium uno & eodem nomine appellat.

Dictamnus agrestis à Plinio lib. xxv. cap. viij. Condris, à Dioscoride lib. iij. cap. xxxiiij. & Apuleio ψευδοδίκταμνον, à Serapione uero cap. ccc. Mescatremesir (si modo ea lectio non sit corrupta) dicitur.

Quid autem ego de Dictamno alba quam supra descripsi sentiam, ultimo primæ huius libri capite cognosces.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quę de Pulegio dicta sunt, de Dictamno quoq; intelligi debent, sed longe uehementius, facit em̄ ad omnia ad quæ Pulegium, sed multo efficacius, tam externis quam internis corporis partibus adhibitum.

INTRINSECVS.

Herba Dictamni ad modum Pulegij sumpta non solum menses, sed & secundas ac fœtus mortuos trahit. Idem efficit suffitus eius.

Succus Dictamni uel per se, uel in uino decoctus, omne uenenum expellit, mirificeq; uulnera ex morsu uenenatorum animalium contracta, sanat, purgatq;.

Quin tanta herbę facultas est, ut olfacta abigat bestias, quę uenenato ictu sæuiant, & ut semel omnia dicam, Dictamnus uera est Theriace.

EXTRIN-

EXTRINSECVS.

Sunt qui dicant Dictamnum ea facultate esse, ut non tantum in corpore humano omnis generis infixas sagittas excutiat, illita, sed & uulneratis telo pecoribus, eius herbæ cibo, tela cuspidesq; omnes ex corpore decidere, cuius rei testis est Vergilius xij. Æneidos.

Dictamnum genetrix Cretæa carpit ab Ida
Puberibus caulem folijs, & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo uolucres hæsere sagittæ.

Quæ quidem ego de tertia Dictamni specie intelligo, qua de Diosc. lib. iij. cap. xxxiij.

Dictamnus contusa ac instar emplastri illita lieni, illud imminuit.

Vulneribus ferro, uel feris uenenosis factis, infusus succus citra incommodum præsentaneo est remedio.

Altera Dictamnus qua hodie nostri utuntur Medici ad Pæoniam pertinet, neq; huius est loci.

De Basilico. Cap. VIII.

TRIA SVNT GENERA OCIMI, QVORVM DVO SATIua sunt, ut quæ in hortis quotannis in Maio seri oporteat, tertium syluestre, Nobillissimum uero atq; pulcherrimum est Ocimum minus, multis ramulis conspicuum arbori surculosæ consimile. Folia Amaraco similia, paulo tamen maiora, odoris suauissimi præstantissimiq;. 1. *Herba regia.*

2. Alterum caule & folijs maius est, cuius folia conferri possint Parietariæ minori, & herbæ testiculatæ, de qua cap. lxij. huius primi libri. Flos caulem circumdat, quemadmodum in urtica Bynsaug dicta, fieri solet, atq; is alius candidus est, alius roseo tingitur colore.


3. Tertium satione opus non habet, nam è radice quæ haud aliter quam Lolij albi (de quo 2 libro, cap. xxxv.) in terra sese diffundit, quotannis fruticat, neq; facile potest extirpari, ubi semel radices egerit. Proinde hoc ipsum folijs & odore cum una ex Menthis, quam primam agrestē appellauimus, & sub Sio, cap. v. supra descripsimus, magnam affinitatem habet, caules namq; habet hirsutos & lanuginosos, quadrangularis formæ, flore purpureo uestitos.

Hoc genus Ocimi circa Autumnum in solo aquoso ac humido plantaui, quo in loco cum in tertium usq; annum perdurasset, in minorem agre-

stem.

Basilica minor.

Klein Basilgen.



stem mentham, quam Germani Fischmüntz appellãt, commutatum est, & non in Serpyllũ, quemadmodum Plinius lib. 19. cap. x. tradit, in quod tamen degenerare posse non dubitarim, si terrę siccæ & uersus solem respicienti mandaretur. Verum cum id hactenus exploratum non habeam, ab ijs quæ Theophrastus lib. 5. de planta. caus. annotauit supersedebo.

NOMENCLATVRAE.

Priores binas germanice Basilgen/latine herbas regias, Basilicas, & Ocima gariophyllata uocamus. Neq; tamen certus sum, an ea herba quam Dioscorides lib. ij. cap. cxxx depingit, Ocimum sit, quem scrupulũ uerba illius apud me mouent, cum dicit, Ocimum plantam esse uulgarem, quod aliter se habere experientia testatur. Magno enim labore, magna cura, plantatio eius opus habet, præsertim cum herba sit alsiosa, neq; hyemis iniuriam sufferre ualeat. Quod si omnino quid sentiam pronunciandum sit, suspicor certe, quam uocamus Basilicam, eam esse Acinum Dioscoridis lib. iij. cap. xlv. Quod uero lib. ij. cap. cxxx. describit Ocimum ego potius pastum pecoris esse dicerem, quanquam super hac re cum nullo con-

Basilica maior.
Groß Basilien.



lo contenderim. De Ocimis cap. xxv. libri nostri secundi, plura.

Ocimum fluuiale Auicenna lib. ij. cap. cv Bedarungi appellat, quæ nomina tertiæ Basilicæ attribuenda existimo, cuius descriptionem in Menthis, sub Sio odorato habes. Phrisius Basilicon Heb. lingua קלקמול kalkamol dici testatur.

VIRES AC TEMPE-
ramentum.

Duæ nobiles et odoratæ Basilicæ hortenses, quarum altera Germanica ac Crispa Bacharis, altera Acinos appellari potest, uitio & iniquitate scriptorum indoctorum penè in contemptū deuenere, idque eo nomine, quod (ut illi affirmabāt) non solū inutiles, sed & utentibus noxiæ sint. Quæ sententia minime recipi debet, quippe quæ erroris plena sit, nam qui ita sentiunt Ocimum Catonis, cum hoc nostro confundunt, atq; ita decipiuntur. Nostra enim Ocima gariofilata siue Basilica, temperaturæ sunt calefacientis, quamobrem facultatem obtinent resoluendi ac discutiendi, uiscosos lentosq; pulmonis et matricis humores, quare utiliter utrinq; adhiberi queunt.

Bacharis Germanica.

De Ocimo & Ocimastro infra, cap. 60. & in secundo li. cap. 25.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Basilici herba siccata non aliter atque Amaracus & Rosmarinus in cibis usurpari potest

Eadem musto imposita quousque deferbuerit, uinum odore & sapore iucudissimo commendat, utque Apianum, seu ut uulgo uocant Muscatelinum referat, efficit.

Basilicon uino decoctum, suspiriosis medetur, pellit inueteratam tussim, humoresque crassos discutit, mane & uesperi potum, urinam ciet, menses prouocat uti Pulegium.

Semen Basilici per noctem aqua rosacea maceratum in succum album seu gummi quoddã resoluitur, quod presentaneo est remedio, inflammationibus, exulcerationibus, & alcolæ oris, necnon labiorum scissuris & uerrucis mammarum, illitum.

Semen Basilici, & aqua distillata sumpta, cor confortant, & aduersus Lipopsychiam faciunt.

EXTRINSECVS.

Basilici herba uiridis fronti alligata, capitis dolores sedat, idem præstat aqua eius distillata.

Basilicon in desessionibus & fomentis muliebribus Pulegij & Menthæ facultates obtinet.

Aqua Basilici non tantum omnibus inflammationibus oculorum, capitisque, igni etiam sacro, qui tumori mammarum & pudendis adesse solet, auxilio est.


Basilicon agreste eiusdem facultatis est, cum Menthis & Balsamitis.

De Amaraco. Cap. IX.

1. *Nobilis & exigua Basilica.*

QVAE SVNT STIRPES QVAS GERMANI Maieron/ET Meyle uocitamus, quarum nobilissima perexigua est, folia proferens tenerrima, oboli latitudinem haudquaquam excedentia, cinerei coloris, ac mollia, minutissimis atque albicantibus flosculis, quos una cum cacuminibus, quibus insident, decerpere solemus, ne interuentioni, cui facillime est obnoxia, detur tota herba. Est enim delicatissima, ac tenerrima planta, frigorisque impatientissima, quare aduentante hyeme, solo euellitur, & figulinis uasis commissa, in cellis uinarijs aduersus iniuriam hyemis defenditur. Quidam tamen semen ex illa, quod bullulis quibusdam continetur,

Maiorana satiua.
Zamer Maieron.



tur, colligunt, unde rursus eam serere possint. Alij sur culos duntaxat decerpunt, humoq; inserunt, ut in Ros marino facere consueuimus. Mediolani in magna copia plantatur hic frutex.

Altera Maiorana, syluestris est, quæ per hyemem illæsa in hortis perdurat. eius folia, caulis cacumina, necnon & flores crassitudine, longitudine et magnitudine superãt priorem, utraque tamen eiusdem fere & odoris & temperamenti.


Puellæ nostræ hos frutices coronamentis & amatoribus suis plantare consueuerunt.

NOMENCLATVRAE.

Dioscorid. lib. iij. cap. xlij σάμψυχον, ἀμάρακον uocat, traditq; alijs Trifolium, Agathides, Cnecion, & Acapnon dici: Pythagoræ, Thrambem, Ægyptijs Sopho, Armenijs Myuron, Magis Ichrei asinum, aut Hecigonon Isidis. Latinis denique Maioranam appellari.

Proinde nisi stultæ temeritatis argui me posse uererer, affirmarem certe, syluestrem Maioranam, quę apud nos nascitur, ad caput xliiij. lib. iij. Diosco. pertinere, ac etiamnum exiguam & nobilem illam Basilicam Baccharim esse Germanicam, de qua

Maiorana syluestris.
Wilder Maieron.



Diosco. cap. xlvi. lib. iij. cuius etiam supra meminimus. Serapio Maioranam Merzenium appellat cap. cclxxxvi. Itali Gentilem, Galli Mariolaine uocant.

VIRES AC TEMperamentum.

Vtraq; Maiorana calidam & siccam temperaturam obtinet, et utrinq; omnibus hominibus applicari potest.

INTRINSECVS.

Herba Maioranæ uino albo decocta, potu utilis est incipientibus hydropicis, hoc modo usurpata dolores torminum sedat, menses & urinas ciet. Succus uel aqua distillata, naribus inditus, cerebrum confortat, sternutamenta mouet, Lethargicos, & Comitiales excitat.

Aqua Maioranæ distillata, linguæ illita, loquelam amissam reducit, recreat cerebrum, & memoriam mirifice adiuuat, singulis uicibus mensura trium uel quatuor coclearii pota. Porro herba ipsa condimentum est optimum omnium ciborum, ideoq; culinis minime abdicanda.

EXTRIN-

EXTRINSECVS.

Maioranę herba cum farina ordeacea contrita, in modum emplastri oculis imposita, inflammationes, tumores & dolores illorum tollit.

In puluerem redacta, & cum modico Gyngiberis naribus indita, sternutamenta proritat, & catharrum incidit.

Emplastrum ex illa factum & impositum, cardiacæ opitulatur, luxata membra in pristinum statum reponit citra dolorem.

Oleum Maioranæ neruos & induratam matricem mollificat, si eo inungantur.

Maiorana in fomentis & pessarijs mulieribus subdita, menses trahit.

Succus Maioranæ sanguini concreto illitus, digerit illum, sugillatis prodest, & tumoribus lienis medetur.

De Origano. Cap. X.

ORIGANVM NOSTRVM QVOD GERMANI Dosten appellamus, gratissimi ac suauissimi odoris planta est, ex una radice plures, eosq́ aliquando bicubitales emittens caliculos, qui antequam in altum se erigant, folijs syluestrem Maioranam, ita imitantibus uestiuntur, ut discerni uix possint duo illa genera. Quod ad florem attinet, tria sunt Origani genera, quorum aliud phœniceum, aliud ex candido rubicantem, postremum uero plane candidum gerit, omnibus uero lanuginosus est caulis, & purpureus. Florent circa festum Ioannis Baptistæ, Autumno ingruente minutissimum semen, Maioranæ simile, in umbellis, quæ in cacumine conspiciuntur, postquam flos aruerit, producit. Montibus, dumetis & senticetis, maxime uero ijs, qui aprici sunt, gaudet Origanum.

1. 2. 3. Tria Origani uulgaris genera.

Est & aliud Origani genus, acutissimis folijs, flore phœniceo, caulem ut in Hyssopo, circumdante præditum, hirsutum ualde, et agreste, quod in quibusdam nemoribus inuenitur.

4. Origani quartum syluestre genus.

Præter iam commemorata Origana, duo alia pulcherrima peregre mihi allata sunt, anno 1549. quorum quidem forma, cum uulgari nostro cōuenit aliquatenus, magis tamen illo tenera ac mollia, caule breuiori, folijs angustioribus & acuminatioribus, odore suauiori, eoq́ Thymum fere exprimente, flore, qui copiosus & coniunctim erumpit, cacuminibus Maioranæ syluestris, consimili. Eorum maius saporem habet, iucundum & acrem, qualis est Gariophyllorum, aliquantulum tamen ad amarulentiam

5. 6. Peregrina duo Origani genera.

Origanum.
Wolgemůt.



Origanum minus.
Klein Wolgemůt.



quandam uergentem. Odor illi gratissimus. Alterum odore, sapore, & Forma tota Thymo conferri possit, tametsi maius, acrius gustu, & suauius odore illo sit, ita ut fere descriptio illi Dioscoridis quadret.

Calamentum montanum.
Wilder kirch Jsop.



CALAMENTI MONtani *historia, per Dauidem Kyberum.*

HVC PERTINET EA quoque herbula, quam officinæ Calamentũ montanum uulgo nominant, cuius historia sic se habet. Planta est dodrantalis, nec temere dodrantem excedens, fruticosa, ut quæ ex una radice, quam habet lignosam, & capillamentis fibratam, ac intra humum serpentem, sæpe senos, interim & pauciores coliculos eosq́; quadrãgulos, lanuginosos & purpureos gignat. Cęterũ hos ipsos coles seni plerunq; per æquales distantias è singulis geniculis instar stellę, rotatim aut radiatim exeuntes flosculi, è cæruleo purpurascentes, instar florũ Hyssopi, quod Kirch Ysop Germanis dicitur, ambiunt. Folia sub singulis flosculorum rotulis ut plurimũ bina, quandoq; plura uisuntur, per ambitũ instar Basilici leuiter serrata, angusta, mucronata, auersaq; parte uenis distincta, herbaceo colore prędita. Quod ad odorem attinet, redolet hæc plantula Hyssopum, cuius nunc fecimus mentionem, sed remissius, quo nomine ruri illa wilder kirch Jsop / hoc est, syluestre Hyssopum uocatur. Alij tamen wilden Poleyen, hoc est sylue-

Calamentum montanum officinarum.

stre Pulegium nuncupant, forte ob florum radiatorum seu stellatorum, habitudinem, qua Pulegio satis respondet. Præter has nullas alias à nostris hominibus appellationes Germanicas extorquere potuimus, fortassis non inepte Berg Müntz nuncupabitur. Gustu acrimoniam quandam præ se ferre uidetur, cum amaritudine leui mixtam, ita ut uel ad Hissopum uel Origanum, quod ad temperamentum attinet, referri posse uideatur. Nascitur in montibus, & locis æditis ac apricis, inprimis uero gaudet agris frumentarijs, qui in alto siti sunt, cuiusmodi sunt ij, qui ad pagi Brüschwickersheim non procul à Prusca, fluuio satis celebri, unde illi nomen, siti, & ad nobilissimam STVRMIORVM Mœcænatum meorum semper obseruandissimis, familiam pertinentis, dextram, ex Argentorato ad montana inferioris Alsatiæ proficiscentibus, primi sese offerunt, altero ab urbe fere lapide. Nam in illis Augusto mense post messem in magna copia Calamentum hoc reperi.

NOMENCLATVRAE.

An uero appellatio Origani herbæ quam Germani Dosten uocant, conueniat, ex doctissimis Galliæ & Germaniæ viris scire cuperem, quandoquidem quatuor Dioscoridis & Plinij descriptiones illi minime tribui possunt, nam Plinius lib. xx. cap. xvij. & Dioscorides lib. iij. capite xxx. folia quatuor Origanorum partim Hyssopo, partim Serpillo conferunt. Qui fit ut non parum suspecta mihi sit quam nos Germani Wolgemůt seu Dosten uocitamus. Tametsi uidetur speciem illam Origani esse, nulla tamen ex his erit quas Dioscorides & Plinius Heracliam, Heracleoticam, Panacem, Onitida & Tragoriganon appellant, aut si omnino una ex his sit, Dioscoridi nostrã Origanum, quod minime crediderim, ignotam fuisse, necesse erit. Quanquam non ignoro Antonij Musæ sententiam, qui putat herbam nostram Dosten, Origanũ esse Heracleoticam. Sed utut hæc sese habeant, nos paucis nomina quæ apud Dioscoridem extant, paucis recensebimus, Nam is ὀρίγανον illam uocat Heracleoticam, Heracliam, Onitim, Panacen, Conilam, Cunilã, Tragoriganum. Arabes, Fandenigi, Eradhiotica, Azaba, appellant. Itali Origan, Hispani Oregano. Plinius Secundus cap. xxxvi. lib. iiij, tres commemorat appellationes, dicitque Græcos Origanum aliud uocare Trigoricanum, aliud Eradium, tertium uero Oniten. Apuleius cap. cxxiij Gallicã Cunilam, & Asclepion nuncupat, cætera subijciens nomina quorum & Dioscorides meminit. Origanum Hebræis קרנית karnith uocatur, teste Aruch Monsteri, tametsi species Hyssopi ibidem quoque tradatur.

Diosco. lib. 3. cap. 29 & 30. Serapio ca. 300.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Origanum et hyssopum eiusdem pene sunt facultatis apud Dioscoridem calidæ

calidæ nimirum utrunq; temperaturæ, Quod ad me attinet, ego sic sentio, Origanum nostrum Dioscoridis esse Hyssopum, & uicissim quod nos Hyssopum dicimus Origanum esse Diosco. Porro utrunq; utiliter foris & intro adhiberi potest.

INTRINSECVS.

Origanum (quod apud Dioscoridem Hyssopum appellatur) cum ficis ruta, melle & uino decoctum & potum, mirifice conducit Peripneumonicis, diuturnę tussi, suspiriosis, & ijs qui capitis destillationibus frigidis grauantur, nam non tantum pituitam detrahit hæc potio, sed & ut ea excreari possit, auxiliatur, tineas uentris enecat, mane & uesperi bibita.

Idem præstat conserua ex Origano facta.

Origanum cum ficis uiridibus & cardamomo, ad subducendam aluũ manditur, quibus etiam Irim, si placet, addere potes.

Cum ficis decoctum anginę gargarissatum, auxilio est.

Cum aceto cocta herba Origani, dentium dolorem in collutione sedat.

EXTRINSECVS.

Origanum cum fico nitroq; contusum, & emplastri instar hydropicis imponitur.

In uino decoctum, inflammationibus imponitur, sed calidum, perinde atq; mulctra, Inflationes auricularum (hoc est, tinnitum aurium, quem Græci πνεῦμα φυσῶδες appellant) uaporis suffitu discutit.

De Serpyllo. Cap. XI.

IN NOSTRIS REGIONIBVS TRIA SERPYLLI GENEra inueniuntur, quorum primum quidem, quod & maius est, non ita late longeq; per terram rependo se propagat, neq; passim obuium est, ut reliqua duo quæ undiq; secus itinera, iuxta sepes, & in petrosis locis luxuriant. Verum consuetus illi locus est in antiquis & incultis agris, frutex est surculosus, Maioranæ satiuæ consimilis, folijs qua terram spectant pallidi uiroris, floribus maioribus, quam Serpyllum habeat uulgare, odore Hyssopum fere referens, unde ego adductus Origanis hanc plantam annumero, eamq; Cumilaginem Plinij esse puto. Atq; hæc de primo Serpylli genere. *1. Prima Serpylli species. Cumilago Plinij lib. 20. cap. 16.*

Alterum iam dicto altitudine, folijs, & caule surculoso simile est, nullo odore (ut mihi quidem uidetur) præditum. Hoc Serpylli genus in muris *2. Secunda Serpylli species.*

Serpyllum.
Quendel.



3. 4. inueni, omni destitutum flore, & parum abest quin illud Dictamno ac-
Tertia & quarta Serpylli species. censerem, neminem tamen una mecum in errorem deducere uelim.

Tertium uulgare est, quamquam & hoc ad minus duorum sit generum,

quorum

quorum alterum rotundis prorsus, alterum aliquantulum acuminatis, et angustioribus folijs circumuoluitur, Hyssopo quod Germani Zwibel Hysop uocant, de quo cap. xiij. infra, haud dissimilibus. Flos utricq; ut in Thymo, alius subpurpureus, alius uero roseus, alius denicq; prorsus candidus, sed & Serpyllum quod hoc postremo flore comat, non ubiuis locorum extat, sicut nec Origanum quod candido flore uestitũ est. Ego quidem candidum, cuius iam statim meminimus, Serpyllũ plantaui, uerũ in tertio anno purpureos produxit flores, ueluti reliqua Serpylli genera.

NOMENCLATVRAE.

Serpyllum Germani appellant Quendel/Künel/Kienlin/Hünerklee/Hünerköl/wilder Poley/hünerserb. Latini Serpillum: Græci ἕρπυλλον, quæ appellationes, ut & Origani, alijs quocq; plantis accommodantur, nam Dioscorides lib. ij. ca. cxvij. Sisymbrium Serpillum uocat, & Plinius Sisymbrio agresti nomen Serpylli tribuit, rursus Dioscorides lib. iij. cap. cxviij. Artemisiam Serpyllum cognominari tradit.

Serpyllum porro alias Cicer erraticũ, Cicer rusticum, πόλιον, Mernopnos, Meronopus Apuleio cap. c. dicitur. Arabes teste Serapione, cap. cclxxxix. Serpyllum satiuum Ardas, Nemen, Ardanema, Zantor, Sisnabar, & agrestre Ragis uocant. Est denicq; & aliud Serpylli nomen, nimirum ζυγὶς, quod tamen magis competit herbæ quam Germani uocamus Dosten/ quare suspicor quod nos Origanum seu Dosten appellamus Serpyllum ζυγὶς apud ueteres fuisse. Galli uocant Serpyllum Serpolet, & Pillolet. Serpyllum ut Phrisius tradit Hebraice למבא Lamba dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Serpyllum calidum est, & si uerum fateri oportet, aliter apud me statuere non possum, quam quod Serpyllum minimum & maxime exiguum genus omninm Origanorum sit, quorum facultates omnes Serpyllum obtinere iudico.

INTRINSECVS.

Herba Serpylli uino decocta, & calida pota, menses mulierum trahit, præterea & lumborum ac uesicæ per urinam uiscosos humores expellit, torminibus ita usurpata auxiliatur. Obstructiones pulmonis, iecoris & lienis tollit.

Serpyllum cum melle & aceto decoctum, ac ut supra dictum est, sumptum, sanguinem excreantibus opitulatur.

Succus eiusdem pondere iiij drachmarum aceto permistus et potus, idē præstat.

Serpyllum in omnibus cibis adhibitum Theriaca est præstantissima aduersus omnia uenena serpentium, aliorumque venenatorum animalium.

Cum uino melle, aniso, glyzyrrhiza decoctum, medetur aridæ lentæque tussi, stomacho conducit, eumque confortat, stranguriæ subuenit.

Non solum autem in medicina sed & culina haud aliter quam Petroselinum, viride serpyllum hodie magni est usus, nam illo et carnes et pisces condiuntur.

EXTRINSECVS.

Odor serpylli cerebrū iuuat, vertiginique prodest, capiti impositum.

Aqua è floribus Serpylli distillata, cū aceto rosacco temperata, ac fronti illita Phreneticis maxime conuenit.

Reliqua, si qua alia desideres cognoscere Serpylli iuuamenta, in Origano Dictamno & Pulegio quibus uiribus plane respondet, annotata reperies.

De Thymo siue Italico Serpyllo.
CAP. XII.

QVONIAM SERPYLLI MENTIONEM FECIMVS, Thymus quoque adiungendus erit, quem nostri Romanum Serpyllum, Welschen Quendel uocāt, nec immerito quidem. Foliorum enim et floris forma nec non odore, vltimum Serpyllum quod diximus refert, nisi quod folia Thymi magis exilia & angustiora, ac nigricantiora sint, odor illi grauior, at suauior Serpyllo. Thymi uero in germania nostra duo quoque sunt genera, hortense scilicet & agreste. Hortensis quidem nō

1 *Hortensis Thymus.* ita longo tempore apud nos moratus est, sed à diligentissimis hortulanis & archymagyris plantatus, & inter cæteras peregrinas herbas condimentorum causa in culinam receptus. Alter autem, nimirum agrestis, domesticū

2 *Agrestis Thymus* per omnia flore folijsque imitatur, ac per terram hinc inde spargitur, non secus atque Serpyllum exiguum, cuius meminimus, quæ res multos decepit, qui herbarum differentias non probe perspectas habent, putantes hoc esse Serpylli genus, atqui ex his quæ diximus falli illos, totoque cœlo aberrare manifestum est. Odor nanque huius Thymi longe est suauior, gratiorque quā sit Serpylli, cum Maioranam penè exprimat. Proinde amat hic frutex arenosa & sicca loca, cuiusmodi sunt nemora in comitatu Bitsch, maxime inter duos illos pagos, Igelshart & Nidernborn, deinde & inter Niderborn ac Mertzweiler in arenosis campis affatim prosilit.

Tempus

Thymus.
Welscher Quendel.



Tempus floris eius est circiter festum Ioannis. Flos illi purpurascens, in quibusdam ex purpura candicans, in alijs plane candidus, quem apes uehementer amant, perpetuoq; circumuolant.

NOMEN.

NOMENCLATVRAE.

Dioſcorides, Theophraſtus, Plinius, Vergilius, & Columella, hoc Serpyllum ſeu Apiaſtrum (ſi quidem ita appellari ab apibus poſſit) uno conſenſu omnes Thymum uocant. Græce θύμος, Dioſcorides tamen Cephaloton cognominari, aliis Epithymida, aliis Thyrſion, Latinis Thymum, Ægyptiis Stephanen, Dacis Moſulam appellari tradit. Arabice, Haſce, Serapio cap. cclxxi.

Dioſco. lib. 3. cap. 39.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Thymus aliàs Romanum Serpyllum, calidæ ac ſiccæ eſt temperaturæ, quemadmodum & uulgare Serpyllum, illo tamen efficacius expellit, & uſu facilior & tutior.

INTRINSECVS.

Thymus uino decoctus eaſdem plane uires obtinet, quas Serpyllo tribuimus, Orthopnoicis & Aſtmaticis auxiliatur, tineas uentris pellit, concretos ſanguinis grumos diſiicit, ueneno reſiſtit, menſes, ſecundinas & fœtus mortuos extrahit.

Ex Thymo denique condimenta ac conſeruæ utiliter parantur.

EXTRINSECVS.

Succus aceto permixtus, ſugillata diſcutit, & ſanguinem concretum, ulcera ſui nominis & uerrucas tollit, ut emplaſtrum impoſitus.

De Satureia, ſeu hortenſi Hyſſopo.

CAP. XIII.

POST SERPYLLVM ATQVE THYMVM SEQVITVR Satureia hortenſis, & iure quidem, quod enim ad formam et temperamentum attinet, conſimiles pene apparent commemoratæ plantę. Eſt autem hæc inter illas ſtatuenda differentia, quod Satureia maior & magis fruticoſa eſt ac ſurculoſa, & quæ inſtar arbuſculæ multis ramulis brachiatę, quotannis increſcit, pari prope ratione qua nobile & exiguum Baſilicon fruticat. Folia habet latiora & longiora Thymo, flos exilis, idemque roſeus & ueluti ex purpura candicans, quemadmodum uidere eſt in uno Serpyl-

Satureia.

Satureia/oder garten Hysop.



Serpyllorum. Semen Chelidonio conferri possit, tametsi illo magis sit incanū colore. Planta est æstiua, neq aliter quam quotannis satum in hortis inter cepas & brassicas prouenit, neq per hyemem durare potest, ueluti Serpyllum Thymus & Hyssopum maius, quæ cum sint lignosæ stirpes, & ad frutices potius referendæ, facile hyemis iniuriam sustinent, & longe facilior illarum est plantatio. Si namq ab huiusmodi lignosis plantis, quales sunt Maiorana, Rosmarinus, Hyssopum, Serpyllum, Thymus, Lauendula, Saluia, Ruta, Abrotonum, & id genus aliæ surculos decerpas & humo infigas, non magna cura, sed & exiguo labore opus habent, quin sponte erumpēt, & fruticabunt. Verum enimuero Satureia non nisi sata prouenit, sicut Basilicon ut diximus. Agrestem Satureiam in Germania non uidi.

NOMENCLATVRAE.

Satureiam appellant Germani Saturey/Zweibel Hysop/garten Hysop. Apud Dioscoridem, & Columellam, Satureia, Cunila, & θύμβρα dicitur. Marcellus Vergilius in Tymbram annotans, ait, Satureiam, alias Origanum agreste, Clinopodion,

Diosco. lib. 3. cap. [illegible]o

Columella lib. 9. cap. 4.

on, Probation, Ageratum, & Cunilam rusticam nuncupari. Serapio capite ccciij. Sahater, Rasis Carohon appellat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Satureia plane easdem cum Thymo & Serpyllo uires obtinet, sed illis odore suauior, ac remissior, gustu autem & natura calidior, utiliterq; utrinq; adhibetur.

INTRINSECVS.

Satureia & Serpyllum condimenta sunt pauperum, nam omnibus edulijs, tam carnium quam piscium concoquuntur, inducunt enim appetentiã ciborum, stomacho conferunt, Venerẽ stimulant. Alia si qua sunt Satureiæ iuuamenta iampridem in historia Serpylli, & Thymi declarata sunt. Vnũ hoc addere libet, consuetudinem nimirum esse pauperibus, in nostra Germania, ut hac herba brassicas, qua uulgo uocant capitatas, condiant, qui fit ut illæ iucudissimum odorẽ, saporem etiam gratissimum inde accipiant.

EXTRINSECVS.

Thymbra seu Satureia eadem quæ Thymus & Serpyllum præstat, quare una pro altera uti commode possumus.

De Hyssopo quod Germani uocant Kloster Hysop. CAP. XIIII.

QVAM NOS GERMANI Kloster Hysop APPELLAMVS, planta est hortensis simul & uulgaris, lignosa, & quæ ex dura radice unum, interim & plures pro ætate caudices emittit, qui plurimos etiam thyrsos, ab imo usq; ad summum folijs herbacei coloris uestitos proferunt, non secus atq; Lauendula & Spica, de quibus infra cap. xviij. nisi quod folia Hyssopi uiriditate & latitudine iam commemoratas herbas excedunt, breuioraq; & teneriora illis sunt. Iulio mense aduentante floribus ex cæruleo purpurascentibus, ijsq; sese mutuo usq; ad fastigium excipientibus, non aliter quam Echion syluestre (cuius historia ca. lxxvij. primi huius libri extat) ornari consueuit. Qui cum deciderint, semen subsequitur minutum, folliculis quibusdam inclusum, ex cuius satione Hyssopum plantari queat, multo tamen celerius, de surculis in Vere decerptis, ac terræ insertis, prouenit, ut supra de Rosmarino, & alijs id genus suffruticibus, disseruimus.

Hyssopus.

Germanis Kloster Hysop.



Agrestem siue Montanam Hyssopum in nostris regionibus in arenosis mõtibus, & calidissimis rupibus reperi, odore plane syluestri preditam, nec tamen uehementi, flore Hyssopo iam dicto, herba uero Origano minuto, seu Pulegio, consimilem. Quod ad Hyssopum & Origanũ attinet, iam ante cap. x. sententiam meam pronunciaui. Proinde uidetur sane mihi, eum à scopo ueritatis nequaquam aberrare, qui dixerit agrestem Hyssopũ, quam descripsimus modo, Dictamni Cretici alterum genus esse, quod flores Origani syluestris gerit. 2. *Montana Hyssopus.*

NOMENCLATVRAE.

Appellatur hic frutex apud Germanos Kloster Hysop/Ysop/Kirch Ysop/ apud Diosco. lib. iij. cap. xxvij. ὕσσωπος, Lauer, Cassiala; & apud Ægyptios Pesalem. In Serapione cap. cclx. Halcusa Cyse. Hebræi אזוב, Esof, Chaldęi אזובא Esofa, & איזובין Osæfion uocant. Quanquam & hæc nomina ad præcedens Hyssopi genus aptius referri possint, Thalmudistę שומשוק Schomshok appellant. Rabi Dauid Kimhi cum uocem אזוב Esof in Dictionario suo explicat, dicit inter cætera, Arabes illum uocare, Zeter, Vernacula uero sua 3. Regum. 4. Leui. 14.

lingua

lingua, hoc est, Hispanica, Origani appellari, herbamq́ eam esse septem specierum. Hæc propterea adduco, ut melius considerentur quæ Author noster supra de Origano in nomenclaturis, & temperamento commemorat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Hyssopus intrinsecus aduersus uenenum usurpatur, foris fomentis adhibetur, quibus tumores deprimi, & dolores sedari consueuerunt.

INTRINSECVS.

Hyssopus (quam nos Origanum supra interpretati sumus) uino decocta & calida bibita, ijs qui cicutam, opium, uel gypsum, & alia id genus uenena hauserunt, auxiliatur.

Cum uino, melle, & Saluia decocta, ijs quibus internæ partes corporis ruptæ, seu contusæ fuerint, bibita opitulatur. Eadem atram flauamq́ bilem expellit.

Reliqua iuuamenta si qua alia desiderabuntur, nō tantum in historia Origani descripta sunt, uerumetiam inter nomenclationes eos scriptores annotauimus, & loca, qui de hac & alijs, quibus uis plantis diligenter commentati sunt, è quibus tanquam uiuis fontibus studiosus lector necessaria cognitu petet: Non solum autem hoc loco sed & ubiq; id fecimus, quod uel semel monuisse sufficiat.

EXTRINSECVS.

Ex herba Hyssopi fomenta, Epithimata, & balnea recte conficiuntur, clysteribus in passione colica utiliter adhibentur.

Aqua in qua Hyssopus decocta fuerit, omnes psoras scabies & mentagras sanat, si ex illa colluantur.

De Gallitrico quod Germani Scharlach uocant. CAP. XV.

1. *Gallitricum satiuum.*

GALLITRICVM EX ODORATIS EST PLANTIS, ET duorum generum, quorum alterum hortense, scilicet & uerum, in hortis satum, ex semine Raphano simili prouenit. Istud quidē in primis bina exigua, ac incana folia, ueluti Basilicon emittit, quibus succedunt alia admodū hirsuta, semperq́; augescentia, & longe magis hirsuta ac crispa, folijs Verbasci maioris consimilia, cinerei coloris. Caulis illi quadrangulus

Gallitricum.
Scharlach.



drangulus, flos in candido subcæsius, ita ut quoad caulem & florem, Saluiam maiorem referat. Rursus catenus ab illa differt Gallitricum, quod herba, caule, flore & folliculis maius existit, radice lignosa, qualis est Hyssopi &

Saluiæ, non durat ultra triennium, odoris est grauissimi siue uiride siue siccum sit.

2\. Agreste Gallitricum iam dicto aliquantum caule semine & colore simile, sed longe illo minus est, quod autem ad folia, flores & calyculos, quibus semen includitur, attinet, plane cum candido conuenit Marrubio, qua de causa non desunt qui illud agreste Marrubium appellitent, locis enim incultis gaudet, in quibus plerunque uno uel ad summum binis cubitalibus caulibus excrescit, sed de hoc genere supra cap. ij diximus.

Agreste Gallitricum. Marrubium agreste.

NOMENCLATVRAE.

Quodnam huic plantæ in Dioscoride proprium sit nomen, haud dum mihi constat. Constantinus, Platearius, & omnes propè neoterici scriptores uocant primum genus, Gallitricum hortulanum, alterum agreste alias dicitur. Vitalis de Furno cap. cccxi ex Gallitrico uinum, ad id quod Apianum seu passum Germanis Müscateller vocamus, accedens, conficere docet. Quidam uocant Scarleam, Galli centrum, Bezomo, Germani zam Scharlach, primum dicunt, alterum uero wild Scharlach/ & quidā feld Andorn. Proferam et ego quid in hac re mihi uideatur, nam si res penitius consideretur, persuadeo mihi Gallitricum hoc nostrum, eam esse herbam quam Dioscorides lib. iiij cap. xxxiij quæ sequuntur nomina habere tradit, nimirum σιδηρῖτις ἡράκλεια, Genitura seu sanguis Titani, Cauda Scorpionis, Sendionor, Vdedonium, Parmicon, Xantophonea, Oculus Bouis, Vertemnum, Solastrum. Quid enim, amabo te, obstare possit quo minus ita Gallitricum uocitem, postquam descriptio illi Dioscoridis optime quadrat. Postremo si qui sint qui hunc fruticem ὅρμινον Dioscoridis esse contendant, cum his non multum pugnabo, quoniam historia & descriptio huic herbæ non male quadrare uideatur.

Obseruanda est differentia inter Gallitricū quod hic describitur, & καλλίτριχον, quod ad Adiantum spectat, uide Dioscoridem lib. 4. cap. 131. & Apuleium cap. 47. Syderitis appellatio & Verbenacæ supinæ attribuitur. Dioscori. lib. 4. cap. 59.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtrunque Gallitricon calidæ & siccæ est temperaturæ, ideoque resoluendi, extenuandi & expellendi uim obtinet.

INTRINSECVS.

Vinum Gallitrico imposito si efferbuerit & decoctum fuerit, apprime stomachi frigiditati conducit, nam phlegmata incidit & consumit. Idē potum frigidis & infœcundis ac albis mensibus laborantibus mulieribus subuenit.

Sunt qui Gallitricon capiti ob odorem quem habet grauissimum, noxium esse dictitent, id quod facile concesserim, sed ita demum, cum quis intē-

perantius

perantius hoc uini genere usus fuerit; Sed per deos sulphurata illa uina longe magis nocent, quam omnia alia ex quibuscunque herbis confecta id licet experientia testetur, nemo tamen non uinis sulphuris detestando suffitu infectis utitur, neque quisquam, quae est humani iudicij prauitas, his delicijs carere uult. Sed de his alio loco plura.

Gallitricum in puluerem redactum, & naribus inditum, sternutamenta prouocat, catharrum tollit & cerebrum purgat.

Reliqua huius plantae iuuamenta eadem pene sunt quae & Dictamni.

EXTRINSECVS.

Gallitricum in aqua decoctum, in dessessionibus mulierũ utile, ad trahendos menses, secundinas, & alia id genus, non aliter atque Dictamnum.

De Saluia. Cap. XVI.


INTER OMNES FRVTICES, VIX ALIVS, QVICVNque tandem sit, cum Saluia comparari potest, non enim tantum medico, coquo, promo condoque uini, inseruit, uerum etiam tum pauperibus quam diuitibus commode usurpatur. Quin & condimenti uice ijs esse potest Saluia, quibus per uitae rationem Francofortum siue Venetias adire non contingit, quare recte illi sibi consulere mihi uidentur, qui in hortis suis aroma istud germanicum plantant, quo nimirum non solum cibos, sed & uina utiliter condire possint.

Porro Saluia duorum est generum, hortensis siue domestica, & syluestris, rursus quod ad primam attinet, ea quoque alia est maior, alia uero minor. Maior quae à Germanis groß Salbey/uel breit Salbey (id est lata seu maior Saluia) dicitur, caulem propemodum, folia, flores & semen Gallitrici habet, á quo tamen ita differt, ut contractior & magis exigua, necnon uiridior illo sit, quae res in causa fuit, ut olim antequam Gallitrici nomen in Dioscoride mihi cognitum foret, ipsum Saluiae genus, & maximũ quidem esse iudicauerim. 1. *Saluia latifolia.*

Minor autem Saluia folijs uestitur magis exiguis & acuminatis, angustioribusque, caetera Latifoliae per omnia similis. Proinde haec ipsa folia magnitudine uiscum, aut Malo granatum aequant, binisque in extremitate qua à petiolo dependent auriculis ornantur pleraque. Herba ubi consenuerit, subalbida cinereaque hirsuta, rugosa, & exoletae atritaeque laneae uestis modo scabra conspicitur. Proinde utraque iucundo optimoque odore praedita est, plantatur uero quemadmodum & Hyssopus atque Maiorana, & semine & surculo decerpto, ac in humum immisso. 2. *Saluia angustifolia.*

Saluia latifolia.
Breit Salbey.

Saluia angustifolia.
Spitz Salbey.





3. Restant uero binæ aliæ syluestres Saluiæ, quæ Germanis wild Salbey
Saluia syluestris uocitantur, quarum altera eademq́ue uera syluestris Saluia, secus itinera, in
uera. agrorum limitibus & collibus iuxta cultos agros sitis prouenit. Ea quod
ad radi-

Saluia syluestris.
Wild Salbey.



ad radicem, caulem, florẽ, & semen attinet, cùm domestico Callitrico conuenit, colore, quem habet quasi nigricantem, ab eodem dissidens, sicut & scabritie, nam non est perinde lanuginosa, uti Callitricon. Florem ex purpureo cœruleũ gerit, uti Consolida regalis. Hanc ipsam Saluiam quidam agreste Callitricon & Ambrosiam uocant.

4. *Saluia syluestris adulterina.*

Altera, quam nostri doctores, ex traditione nimirum uetularum quarundã mulierum, agrestem Saluiam appellant, genus est Nepetæ, cui nomen est Calaminthæ montanæ, sed de his supra cap. iiij.

NOMENCLATVRAE.

Germani maiorem Saluiam groß Salbey / breit Salbey / exiguam autem klein Salbey / oredt Salbey (id est auriculatã) spitz (id est acutã) Salbey / Edel (id est nobilem) Salbey. Latini Saluiam, Tussilaginem appellant. Dioscorides lib. iij. cap. xxxv. unum tantum Saluiæ genus commemorat, quod uocat ἐλελίσφακον, Elaphoboscon, Phacon, Ciosmite, Phagnon, Becion, quibus appellationibus Apuleius Cission addit. Theophrastus duo Saluiæ ponit genera, quorum secundum, σφάκον ab illo dicitur. Mesue Saluiam Brui appellat.

Tussilaginis appellatio ad ungulam caballinam proprie pertinet

Apul. cap. 101.
Theophrastus de histo. planta. lib. 6. cap. 2.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

In medicina inprimis comendatur acuta, seu auriculata Saluia (quare, & iure quidē, omnibus alijs herbis, in cibis condiendis apud Germanos pręfer tur) deinceps secundum locum reliquæ obtinent, omnes quidem ex calefacentium & desiccantium ordine.

INTRINSECVS.

Multi in ea sunt sententia, ut credant se, postquam ieiuni, tria acutæ Saluiæ cum sale folia, mane deuorauerint, toto illo die, à ueneno, iniuriaq́ꝫ acris corrupti tutos fore.

Vinum ex Saluia confectum, siue herba ipsa in uino decocta, atqꝫ pota, uniuerso corpori prodest, uenenum namqꝫ expellit, tussim emollit, pleurisi medetur, iecur & matricem excalfacit, urinam cit & menses.

Decoctio Saluiæ in Dysenteria intestinis purgandis multum conducit.

Saluia siccata inqꝫ puluerem redacta, ac cibis adhibita, condimenti uice, maxime illos commendat, & utiles reddit, pauperibus utilior, omnibus peregrinis & exteris aromatibus.

EXTRINSECVS.

Saluia in aqua decocta, si illa caput abluatur, nigros capillos efficit, porrigines tollit, ulcera & morsus uenenatos sanat, si inde colluantur.

Hoc modo usurpata scabiei medetur, tumoresq́ꝫ genitalium deprimit.

Saluia in desessionibus stranguriæ auxiliatur, urinam prouocat, dolores in dysenteria alijsq́ꝫ morbis compescit.


Saluia agrestis eiusdem est cum Gallitrico, & Nepeta agresti facultatis, mitior tamen & commodior utraq́ꝫ.

De Rosmarino. Cap. XVII.

ROSMARINVS NON TANTVM CORONARIA EST planta, cuius rei gratia à puellis nostris plantari consueuit, sed & in coquina, ac cella uinaria, necnon officinis seplasiarijs magni usus, frutex admodum iucundi odoris, & thus propemodum referentis, qua de causa λιβανωτὶς dicitur. Eius duo sunt genera in Germania, sed ita cōsimilia, ut uix discerni possint, quanquam alter ex his Rosmarinus, ligno, caule, folijs, & flore aliquanto copiosior sit, & maior atqꝫ efficacior, surculosq́ꝫ

Libanotis.

Roſmarinus.
Roſmarein.



culoſqꝫ craſſiores, & folia latiora altero obtinet. Rurſus uterqꝫ longa, anguſta, & denſa, inferne candida, ſuperne uero uiridia folia habet. Bis in anno, Vere ſcilicet et Autumno florem candidum, tactuqꝫ reſinaceum gerit, quem ſemen ſequitur minutum, quod ſeminari poſſet, uerũ enimuero multo fœlicius Vere ex ſurculis decerptis plãtatur Roſmarinus.

NOMENCLATVRAE.

Roſmarinus à Dioſcoride lib. iij. cap. lxxix. et lxxx. λιβανωτὶς dicitur, inqꝫ tria ab illo genera diſtribuitur, ſed unum tantũ, coronarium ſcilicet, Germanis cognitũ eſt, atqꝫ hoc ipſum ante paucos annos ex Narbonenſi Gallia, quam uocant prouinciam, & Germanice Langendocken, ubi tanta Roſmarini eſt copia, ut eius incolę ſicut aliꝭ lignis, Roſmarino focum foueant, ad nos allatum eſt. Sunt qui uelint Roſmarino Zeæ appellationẽ attribuere, quæ tamen ad genus frumenti quod Germani Spelꝫ uocant, pertinet, uide Dioſc. li. ij, ca. lxxx Aliꝭ Dendrolibanum & Campſonemam. Itali Coronam montanam uocant. Autor luminis maioris ſuper conſ. Dianthon appellat. In Serapione cap. cccxvij. hæc quoqꝫ habet nomi-

na Xaieralmerien, Arbor Marię, Apinalphach, Cachola. Auicenna secund. cap. lxx. uocat Rosmarinum Buchormarien, cui reclamat Serapio capite ccxlix. aitq; Ciclamen esse Buchormarien. Orpheus Libanotida Solis Thymiama, cui hanc herbam subesse tradunt, uocat. Quid porro de Rosmarino Dioscoridis sentiam, in Stœchade aperiam.

Agripp. de occul. phi. lib. 2. cap. 23.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Herba hæc calidi est temperamenti, discutit enim & extenuat, subtiliatq; ut uulgo loquuntur omnis generis crassos humores utrinq; usurpata.

INTRINSECVS.

Rosmarinus tanquam germanicum Aroma in culina usurpatur, nam illo condiuntur, non solum cibi sed & potus, unde optimum saporem acquirunt, & multis ægritudinibus medentur.

Vinum etenim ex Rosmarino confectum, mane, uesperiq; calidum potatum, si postea tribus uel quatuor horis ieiunaueris, alba mulierum profluuia ab abscessu aliquo profecta, erosionesq; muliebriũ locorũ persanat: pari ratione morbo regio medetur, suspiriosis prodest, fistulas pulmonis spiritales adaperit, excreabilia efficit uicia thoracis, concoctionẽ adiuuat, ueneno resistit, sedat dolorem torminum, sanguinem purgat, emendatq;, sudorem deniq;, si postquam potaueris in lectum te componas, contectusq; & tranquillus intra illum te contineas, elicit. Eadem efficit herba Rosmarini cum floribus in uino decocta.

Conserua ex flosculis Rosmarini confecta, & usurpata, quemadmodum zuccarum Rosarum, cor confortat mirifice in lypopsychia. Aqua Rosmarini distillata, præter id, quod pota, loquelam amissam reparat, omnes fere facultates supra commemoratas, obtinet.

EXTRINSECVS.

Rosmarinus potu uel illitu, Syncopim tollit, tremori & uertigini resistit, faciem clarificat si eo lauetur, pelliculas oculos obducentes discutit,

Aqua Rosmarini, siue decoctio eiusdem cum Dictamno mundificat, & persanat putrescentia uulnera, qualia sunt carcinomata, herpetæ & fistulę.

Fomenta ex Rosmarino parata, eadem possunt quæ & Menthæ satiuæ, Dictamnum & Pulegium.

De

De Lauendula & Spica. Cap. XVIII.

Lauendula.
Lafander.




QVANQVAM DVO isti frutices quod ad formam pertinet radicis, ligni, foliorum, caulium florum & seminum, consimiles uideantur, tamen quoad partes iam dictas Spica Lauendulam longe superat. Præterea non esse unius generis has ipsas stirpes, neminem latere arbitror, cui utriusque odor quem Spica grauiorem Lauendula habet, perspectus fuerit. Hoc tamen fatendum est, caulem utriq; esse quadrangularem, ac aliquãtulum concauum, folia plane cineracea, latiora & longiora Rosmarino, florem uero copiosum, & ex purpureo cæruleum in cacumine caulium è spicatis folliculis Tritici instar, copiosum prodeuntem. Semen denique ex incano atrum Psyllio consimile, ex quo utraq; repullulascere queat, multo tamen dexterius ex surculis decerptis, ac humo in Vere uel Autumno infixis plantatur. Cæterum ut paucissimis rem totam expediamus, hoc pacto inter se differunt Spica & Lauendula, nimirum

Caßia. Nardus.

Spica.

Spica Nardi.



quod hęc folijs, flore, spica, caule, odore, angustior, breuior, humilior, rarior, mitior, suauior, ideoque usu proculdubio præstantior illa reperiatur.

NOMENCLATVRAE.

Sed bone Deus quonã referemus nobilissimas germanicarum plantarũ stirpes, posteaquam apud multos ita constitutum est, Dioscoridem & Theophrastum eas neutiquam descripsisse, quod cum uerum est, nonne consultius fuerat Cicutam potius, quam insignes hos frutices, prætermisse? Ne tamen nomine prorsus destituantur, audebo aliquid breuibus, saluo tamẽ doctiorum iudicio, uocaboque Lauendulam, Casiã Germanicam, nihil interea Casiæ lingneæ & Casiæ fistulæ, ut uulgo uocant, detrahens, Spicam uero, Nardum itidem germanicam, sin aliter statuendum sit, cõijciam vtranque in caput Dioscoris lxxix lib. iij dicãque eã esse quæ prima λιβανωτίς à Dioscoride uocatur, sed de his infra in Stœchade plura. Germani Lauendulam, Lauendel, Spicam uero Spicanard appellant.

Casia germanica
Nardus germanica.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Spica & Lauendula calidi sunt Temperamenti, Spica tamen plus caliditatis habet, Porro utraq; calefaciendi, discutiendi & educendi uim obtinet, quæ omnia Diosco. lib. 1 Nardis & Casijs attribuit.

INTRINSECVS.

Flores Lauendulæ uino decocti, urinam cient. Pari modo calidi poti, ita ut postea aliquandiu ieiunes, per triduum, uel quadriduum usurpati, secundinas & menses trahunt, Cardiacæ medentur, flatus discutiunt, morbo regio uti & Rosmarinus auxiliantur.

Flores Lauendulę cum Cinnamomo, Caryophyllis, Macei, Cardamomo, Cubebis, & folijs Rosarum uino decocti ad omnia superiora commemorata efficaciores sunt, ita ut etiam Apoplexiæ opitulentur, loquelam amissam reducant, dolorem dentium sedent, exulcerationem oris persanent, & mundificent.

Eadem præstat aqua Lauendulæ. Flores Spicæ ijsdem morbis adhiberi, ac pari ratione usurpari possent, propter caliditatem ac acrimoniam, quam habent, quamuis mihi quidem nihil certi ea in re constet, Nolim enim temere quicquam affirmare, cuius uel nulla extet experientia, aut euidens ratio.

EXTRINSECVS.

Lauendulæ simul & Spicæ aqua dolorem capitis, & uertiginem, à frigida intemperie ortum, uertici uel fronti illita, tollit, id quod Spica maiori efficacia facit.

Ad paralitica membra, & quæ frigiditate læsa fuerint, conducit aqua distillata, & herba Spicæ frictu ac fotu, ita enim membra non tantum calefiunt, & pristino uigori restituuntur, uerumetiam tremor illorum aufertur.

Breuiter, omnibus modis flores & herbæ iam dictæ, paralyticis membris, & imbecillitati capitis aptissimæ commodissimæq; sunt.

De Valeriana. Cap. XIX.

QVONIAM NARDORVM MEMINIMVS, OPERAE pretium fuerit, reliquam illorū historiā attexere, quamobrem à Spica ad Valerianā deuenio, cuius quatuor extāt gerera, maius

scilicet

Valeriana uera, ſeu Nardus agreſtis.

Græce Φοῦ.

Baldrian.



ſcilicet, uulgare, exiguum, & minimum, quæ ordine ſingula deſcribemus. Maximam ac ueram Valerianam noſtri in hortis plantare ſolent. Eius

radix

Valeriana uulgaris.
Gemein Baldrian.



radix digitum crassa, uillosa, in nigri Veratri (de quo cap. cxxxv. huius primi libri) modum, capillamentis inuicem contextis, candidior, formam Bistortæ (qua de infra cap. cv. primi libri) æmulans, odoratissima. Folijs uestitur herbaceæ uiriditatis, latioribus altera Valeriana, dissectis instar filicis. Caulis illi teres, concauus, læuis & geniculatus. Florem gerit in summitate caulis elegantissimum, instar Ebuli. Semen ubi maturuerit, in auras auolat, non aliter atq; Lactucæ & Endiuiæ. 1 *Nardus agrestis.*

Altera, uulgaris nimirũ Valeriana, folio, caule, & flore, non multo minor est hac, nisi quod folia habet nigricantiora, multisq; ac frequentibus incisuris diuisa, haud aliter quam Anserina. Radix huius multo minor existit, ac infernæ quasi præmorsa, aut succisa apparet, uillosa, ac capillamentis fibrata, quotannis se inuertens, nouasq; è lateribus radiculas, sicut & Lolium (cuius infra secundo libro historiam habes) procreans, quę postea in nouos colliculos exeunt. Et quemadmodum fragaria in superficie, per terram serpendo iuuenescit, ita hęc radix intra terram, hinc inde radicando quotannis renouatur. Nascitur in humectis agris, pratis, & fossis, atq; hoc est uulgare illud Phu. 2 *Serpyllum maius* Katzen wurtzel.

Tertium.

Valeriana exigua.
Klein Baldrian.



Tertium iam commemorato radice caule folijs et flore magis exiguum est. Hoc in montibus inter arbusta quædam, nec non in syluis cæduis, quas rustici alternis annis frumentis cõserere solent, uulgo Rôt & Reuttenen Germanica lingua uocant, prouenit, folio cineraceo cuiusmodi et Anserina habet, flore ex candido purpurascente, odore tam floris quã radicis gratissimo.

Omniũ autem minutissima Valeriana, pene eadem quoad formam, cum reliquis esse apparet, nisi quod illis radice, & caule, & flore multo minor existit. Caulis namque eius uix culmum crassus est, ad altitudinem duorum palmorũ circiter assurgens, folio acuto, uelu ti Cressio hortensis, quando is floret. Nascitur in pratis lacunosis, in primis uero humecta & candida terra gaudet. Odor illi cum Phu secundo communis. Aprili mense in pratis floret.

NOMENCLATVRAE.

Primum maius ac nobilissimum Phu, haudquaquam uulgare est, siquidem in hortis seri & plantari necesse habet. Mulierculæ hodie herbariæ, maxime uero Argentoratenses hortulanæ pro calamo aromatico uenditare solent, non alio sane iu-

dicio

dicio, quam si Basilicon loco urticæ exhibeas. Alteram uero Valerianam Germani appellant, Katzen wurtzel / Augen wurtzel / Wendwurtzel / Dënmarck / ea nimirum uera est Serpentaria herba, aut Serpyllum. Sunt enim qui eo quod hinc inde serpat, seq; conuertat, ut diximus, Serpyllum maius uocitent. In Dioscoride lib. j cap. x. dicitur φοῦ ἢ ἄγρια νάρδος, Phu & Nardus agrestis. Hieronymus Braunschweig Marinellam, Genicularem, Herbam Benedictam, & Valerianā nuncupat. Autor luminis maioris supra Vng. Alaba. Amantillam & Potentillam cognominat. In Serap. ca. lxij. & Rasi, cap. xliiij. Sistra, & Spica syluestris dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnium Phu herbæ & radices calefaciendi, & aperiendi uim obtinent, in primis uero maioris, deinde minoris montanæ, postremum gradum tenet uulgaris, quæ ad ripas fluuiorum, & in humectis pratis prouenit.

INTRINSECVS.

Valerianæ radix in puluerem redacta, ac in uino pota, urinam ciet, lateris & dorsi dolores mitigat, menses elicit. Eadem præstat uino decocta.

Tempore pestis pota & odorata contra aëris intemperiem utilis est.

Eodem modo usurpata ad stranguriam seu stillicidium urinæ prodesse à multis affirmatur.

Quidam Valerianæ radicem cum fœniculo, aniso, & dulci radice discoquunt, contra tussim & difficilem anhelitum.

EXTRINSECVS.

Herba & radix Valerianæ uiridis contusá & imposita, dolores capitis, & impetus ac compunctiones eius sedat, tollitq;, & ad Erysipelata efficacissimum remenium præbet.

Vinum in quo flores aut radices Valerianæ decoxeris, oculorum claritatem adiuuat, instillatum, uulnera & ulcera, ut sunt mariscæ, & id genus alia, sanat.

Breuiter Valeriana oculis amicissima est radix, & uisus imbecillitati in primis opitulatur, id quod uel feles nos satis docere possunt, quos admodum hac planta delectari, uisus proculdubio instaurandi gratia, multorum experientia comprobatum est.

De

De Asaro. Cap. XX.

Haselwurtz.



A SARVM CVM EX NVMERO PLANTARVM SERpentium sit(nam magis supra terram, quam intra humum hinc inde ser-

inde serpendo se propagat) non inepte facturum me arbitratus sum, si post Valerianam, quæ & ipsa ex Serpentarijs herbis una est, illud collocarem, maxime cum Nardus sit odoratissima.

Est autem Asari radix odoris gratissimi, transuersim hinc inde sparsa, ac inter sese contexta, multisq; capillamentis fibrata, ueluti Polypodium. Folia uiolæ, quam Germani Mertzen violen uocant, uel Limonio fere similia apparent, sed multo formosiora & densiora, Hederam exprimentia, superne nigricantis uiriditatis, inferne uero pallidioris ac subalbidę, plurimisq; uenis ac neruis prædita. Inter radices & folia flores purpurei in uasculis exiguis, uti in Hioscyamo, in quibus semen continetur angulosum, acinos uuarum, uel Crocum Saracenicum ęmulans, sed multo magis exiguū, prorumpunt.

Vmbrosis locis, & humo limosa gaudet Asarum, quare plerunq; subter corylos, & nonnunquam in humidis syluis, maxime uero ea quam Germani den Beewaldt uocant, prouenit.

Quod in montibus nascitur Asarum, odore optimum, & magis exiguū est eo, quod in uallibus reperitur. Huic Nardo odoratissimæ maxime insidiantur opiliones.

NOMENCLATVRAE.

Asarum Dioscoridi. lib. j. ca. ix. ἄσαρον, νάρδος ἀγρία, Nardus rustica, uel agrestis, Sanguis Martis, Thesa, Cercera, Succinum, Perpensa, aut ut Hermolaus Barbarus legendum existimat, Perpresa & Bacchar dicitur. Æmylius Macer Asarum latine Vulgaginem dici scribit. Asari historiam fusius persequuntur, Plin. lib. xij. cap. xiij. & vi, & Serap. cap. ccxliiij.

Baccharis appellatio Asaro minime conuenit, sed alteri cuidam ac peculiari herbæ, uide supra nonū caput, ubi sententiam nostram de Bacchare deprehendes.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Asarum, quod nunq; non fragrantissimum spirat odorē, Nardo Indicę minime cedit, temperamenti est calidi & sicci: eius usus in medicina, tam ad interiores quam exteriores corporis partes est frequentissimus.

INTRINSECVS.

Ex Asari radice in puluerem redacta, Zaccaro, Cinnamomo, alijsq; aromatibus admixtis tragema confectum, ac Drachmæ pondere sumptum, nauseam & uomitiones prouocat, Choleram & Phlegma, per inferiora & superiora expellit.

Radix cum uino & melle decocta & bibita, discutit uiscosos pulmonis humores, astmaticis & tussientibus auxiliatur, id quod instituto opilionum

animaduertere licet, qui hanc radicem in puluerem tusam, saleque permixtã, affectis ouiculis lingendam exhibent. Alij quoque Veterinarij eodem modo armẽtis, & maioribus pecoribus purgandis, iam dictũ remedium adferũt.

Eodem modo cocta & pota radix Asari hydropicis mirifice conducit, obstructiones namque iecoris, pulmonis, & lienis, adaperit Asarum, uesicã, renes, & uterum purgat, menses prouocat, & si immodice usurpetur secundinas ac fœtum, tam in hominibus quam pecoribus expellit.

EXTRINSECVS.

Lixiuio, in quo Asari radix decocta fuerit, cerebrum & memoria iuuatur, calor sedatur, si ex illo caput abluatur.

Aqua Asari distillata easdem obtinet uires, in primis uero caligini oculorum instillata, modica Tutia eaque præparata admixta conducit.

De Garyophyllata. Cap. XXI.

CVM HACTENVS NARDORVM MENTIONEM FEcerimus, proferam & ego meam Nardum, eam scilicet quam uocant Benedictam. Hanc quia odoris gratissimi est, ipsis etiam Nardis adnumerandam censeo. Radix illius, siue sicca, siue uirens, eundem cum Garyophyllis obtinet odorem. Folium habet incisuris dissectum, hirsutum, nigricantis uiroris, quadamtenus Agrimoniam æmulans. Caulem gignit rotundum, horridum & lanuginosum, flore comantem luteo, formam ocelli referente, quo succusso caput extuberat circinatis acinulis cumulate stipatum, purpureo colore, ad magnitudinem & formam Auellanæ accedens, atque hoc est semen illius. Radix quasi succisa quoque & quasi præmorsa, intus uero subrussa apparet, ea quotannis nouum, iuxta ueterem qui hyemearuit, caulem protrudit, & quo plures illa annos habuerit, eo odoratior euadit, quamobrem merito quidem in censu odoriferarum stirpium habetur.

NOMENCLATVRAE.

Quonam hæc herba referenda sit, aut quod illi apud Dioscoridem nomen sit, plerique certant, alijs hanc ei tribuentibus apellationem λαγώπυς, Pes leporis, Germanice Hasenfüß/ alijs uero Agrimoniæ nomine, cum qua satis conuenit historia, illam uocantibus. Ego uero, hoc tempore litem istam nullus dirimam, interea Nardum agrestem, Garyophyllatam, & Benedictã appellaturus, uel etiam ut multis placet, Sanamundam, Germanice Benedictenwurtzel.

VIRES.

Garyophyllata.

Benedicten wurtzel.



VIRES AC TEMperamentum.

Quod si hęc radix Nardus agrestis sit, uti putant, certe uim calefaciendi, discutiendi et confortandi, internas ac externas corporis partes obtinet, quemadmodũ Nardorum fert natura.

INTRINSECVS.

Vsus huius radicis uulgaris is est, ut Vere in uinũ imponatur, quod optimo ac iucundissimo tum odore & sapore commendat. Hoc uino cor exhilarari, & obstructiones iecoris aperiri, necnon frigiditate & crassis humoribus affectũ stomachum iuuari multi testantur.

Radix Benedictæ uino decocta, ac calida pota, dolorem uentriculi & intestinorum à frigiditate, aut flatibus ortum sedat.

EXTRINSECVS.

Vinum in quo radix Benedictæ decocta fuerit, purgat & mundat omnia uulnera, cuiusmodi sunt Fistulæ, & carcinomata, Idem fœdas maculas exterit, si illo facies aliquandiu singulis diebus abluatur, maxime uero in primis diebus puerperij. Aliæ Empyriæ de hac herba quotidie inueniri possunt.

De Ruta. Cap. XXII.

Ruta domestica.
Zam Rauten.



Plin.sec.lib.4. cap.3.

RVTA, OMNIBVS pene hortis ubiq; locorum familiaris cernitur, non quod culinæ inseruire, aut iucundo, quem non habet, odore, homines afficere possit, sed quod omni pene ueneno resistat. Est enim Ruta peculiaris Theriaca pauperũ, id quod nõ tantũ Mithridatis regis Pontici exemplũ docet, sed & ipsa quotidiana experientia cõprobat.

Ruta in duo genera dirimitur, ita ut alia hortensis, alia montana seu syluestris dicatur. Rursus hortensis in duas species secatur, sed adeo inuicem consimiles, ut nemo facile illas discernere queat, nisi singulari diligẽtia illas perspiciat.

1. Ruta minor & præstantior.

Ruta ergo omnium nobilissima tenerior, nigricantior, ac longe exilior uulgari existit. Eius folia ex multis aliis rotundis, lenticulamq; imitantibus foliolis constant. Hæc raro florem profert, ferroq; incisa facile inarescit.

2. Ruta uulgaris.

Vulgaris autem Ruta iam descripta, per omnia maior, foliis uestita latioribus, frequentibus, cæsii coloris

Ruta syluestris.
Wild Rautten.



loris. Vtraq; florem gerit luteũ, forma stellatum, qui deinceps in siliquas capitulatas quadripartitas, interim etiam quinq; partitas fructum rubrum arboris Iugalis (qua de infra lib. iij cap. xvij agemus) æmulantes abeunt. Porro in his quos diximus angulosis calicibus semen includitur nigrum, quo seri ruta possit. Seritur & surculo, & multo quidem fœlicius, non secus atq; Saluia, Spica, & id genus aliæ plantæ. Radix Rutæ lignosa, sicut & caulis, sub cortice uero sublutei coloris, ueluti Buxus, Locis apricis quibusuis nullo negotio affatim nascitur, quare fico adiuncta minime opus habet.

In Germania nostra moris est Rutam Saluiæ adiungere, cuius hãc afferunt rationem, Buffones amare loca Saluia consita, qui ut abigantur Saluiam Ruta muniri oportere.

Syluestris Ruta in Germania non sæpe uisa, plerisq; nũc innotescere cœpit. Eius semen primus ad me misit doctissimus uir Doctor Conradus Gesnerus, Tygurinus, quod ubi seruissem, plantulæ mihi exiguæ natæ sunt, qui tertio primum anno floruerunt, Quod ad formam pertinet, ad uulgarem pene accedit hæc, folijs tamen, & nodosis floribus, ac semine multo illa exilior, tene *2. Ruta syluestris.*

rior, mollior, & magis incana. Caule præterea prædita frequentiore & altiore, deinde & odore grauiore, ita quidem, ut etiam capitis dolores proritet. Saporem obtinet ingratum, & ad amaritudinem quandam uergentē. Augusto mense floret, Autumno uero maturescit.

NOMENCLATVRAE.

Rutam satiuam quæ Germanis Rauten & Wein Rauten dicitur, Dioscorides lib. iij cap. xlvij πήγανον Rhyten, Epnubum, Harmalam, Besasam, et Churmam nominat, quamuis posteriora tria nomina ad syluestrem Rutam pertinere uideantur. Apuleius cap lxxxix vtrancp Rutam, Eriphion nūcupat. Serapioni cap. ccxc Sadeb. Quidam semen Rutæ Bizeri Salgagel dicunt. Phrisius Hebreæa lingua Rutam שׁבב Schafef uocat. Chaldæi & Thalmudistæ מיחול Mechul & פיגם pigam uocant.

Mirum sane uideri potest, quo pacto Rutæ appellatio ad Tussilaginem peruenerit. Vide Dioscoridem lib. 3. cap. 117.

Syluestris Ruta πήγανον ἄγριον Græco sermone dicitur, non tamen ea est quam Dioscorides ab initio capitis xxxxviij lib. iij Androsæmon, Hypericon, Chamæpytin, Hederalem, Corion, Centonalem & Churma semmaced appellat. Fieri autem potest, ut ea sit quam dicunt Harmalā & Besasam & quam Galenus Moly uocitat.

De Ruta Muraria infra capite clxxxij dicemus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Ruta ferculis abdicata est, quod odorem & saporem obtineat feruentem. Ex calefacientium & desiccantium est ordine & ad omnia uenena & reprimenda & expellenda apprime conducit. Vtilissima quocp aluo sistendæ. Quin tantarum est uirium, ut eas neminem satis describere posse arbitrer.

INTRINSECVS.

Aduersus omnia uenena Ruta maxime commendatur, quamobrem solemus Germani folia Rutæ, Iuniperorum grana siue baccas, iuglandem nucem, & ficos, æquali pondere simul contundere, ac deinde infuso rosaceo uel alio quocuncp uini aceto, percolare illum succum, eocp pro antidoto contra venenum uti. Est hæc peculiaris & pretiosa Theriaca aduersus uenenum haustum, & infectum peste grassante aërem, si quotidie mane mensura unius coclearis ieiuno stomacho usurpetur.

Folia rutæ una cum semine in uino decocta & calida pota, veneni uires inefficaces reddunt. Pari ratione sumpta ad pectoris & laterum dolores faciunt, nec non pulmonis inflammationem, tussim, difficultatem spirandi, coxendicum denicp articulorūcp cruciatus, & horrores febrium circuitu repetentes.

Ruta cum

Ruta cum Anethi semine in uino decocta, & pota, torminibus prodest, modo alui astrictio illi non sit coniuncta. Idem efficit aqua Rutæ distillata. Qua de causa herba Rutæ, oleumq́ ex ea confectum clysteribus, quibus aduersus tormina & colicam passionem utimur, adijci debent.

Porro & urinam ciet Ruta, uerum si continuo ea utaris, genituram extinguit. Quare eam Cœnobitæ & Monachi (qui castitatem ac cœlibatum temeraria præsumptione, præter uerbum ac mandatum Domini uouere solent) in cibo ac potu suo perpetuò usurpare debebant.

Ruta aqua pluuiali cocta & pota, fluxum uentris, quem Diarrhœam uocant, cohibet. Herba cum oleo decocta, & sumpta, uentris tineas excutit.

Folia Rutæ uiridia commanducata, cepæ allijq́ acrimoniam domant.

Ruta syluestris plane nullius est usus in cibo, sed in medicina efficacior satiua.

EXTRINSECVS.

Quanquam Ruta uiridis, si nudam carnem illa confricaueris, pruriginē ac rubicundas pustulas excitet, earum tamen est uirium, ut non solum omnē pene tam internum quam externum dolorem mitigare possit, sed & quasuis malas pustulas, uerrucas, scabies, & impetigines persanet, tumoresq́ detumescere faciat. Testatur etiam Dioscorides Rutam cum ficis in uino ad dimidias partes decoqui, eamq́ aquæ intercutem auxiliari potu & illitu.

Folia Rutæ uiridia, cum purissima farina ordeacea contusa, ac emplastri modo imposita, graues oculorū dolores leniunt, eorumq́ caliginem discutiunt, & uisus aciem excitant.

Capitis doloribus cum rosaceo aceto illita auxiliantur.

Ruta cum Laureis folijs contusa, emplastri modo imposita, inflationes, & tumores locorum muliebrium, & uirilium discutit, mitigatq́ dolorem.

Succus auribus inditus, ad illorum dolores mirifice facit.


Succus cum alumine, nitro & melle permixtus, lichenibus, eruptionibus papularum, necnon ulceribus capitis manantibus efficaciter illinitur.

Plura alia, ex his quæ diximus, colligi possunt.


De Hyperico. Cap. XXIII.

MVLTI IN EA SVNT SENTENTIA, VT STATVANT Hypericum Germanis Harthaw dictum, Rutam esse syluestrē, asserentes eam dæmones fugare, non aliter atq; ueneno satiua re-

Herba perforata.
S. Johans kraut.



Hypericon exiguum.
Klein Harthaw.




sistat. Hac superstitione uetulæ nostræ mulierculæ fascinatæ, uersiculos subscriptos patria lingua recitare consueuerunt.

Dost/Harthaw/vnd weisse heidt/
Thůt dem Teüffel vil leidt. Hoc est, Ori-


Hypericon uulgare.

Gemein Harthaw.




Hyperici duo genera, in dumetis nascentia:

Zwei Harthaw in den hecken.



Origanum, Hypericum, & Erica, multum Demonibus aduersantur. Ex quibus sane uersiculis satis apparet, quid maiores nostri, cum adhuc genti-

Hypericum pulchrum.
Das schön Hypericon.



les essent, de his plantis sen serint, & ad quos illas usus adhibuerint.

Sed relictis superstitionibus ad Hypericum redeamus. Eius mihi quidem ad minus tria uel quatuor genera cognita sunt. Exiguum scilicet, uulgare quod in campis passim progignitur, & magnum quod in dumetis ac apricis locis nascitur; quæ sane uniuersa genera per omnia consimilia apparent.

1. Hypericum exiguum.

Hypericum exiguum quod haudquaquam passim obuium cernitur, frutex est breuissimus, uix ad dimidij palmi altitudinem excrescens, exiguo, tenuiq; cauliculo, eoq; rubescente flore luteo, folio minori & angustiori Ruta satiua præditum.

2. Vulgare Hypericon.

At uulgare Hypericum huic per omnia fere respondet, nisi quod magnitudine, longitudine, ac crassitie caulium, foliorum (quę singula uelut acuminatim puncta, quasiq; pertusa, seu perforata uidentur, si soli obiecta ea perspicias) exiguum genus superat, exceditq;. Flos illi in fastigio luteus, Siliquas gerit subhirsutas, in longitudinem rotundans, hordei magnitudine, & semen in ijs nigrum, Plantagine rubea minus. Odor his binis fruticibus, floribusq; & seminibus ipsorum, resinaceus est.

Tertium

Tertium deinde Hypericum, in syluis, dumetis, apricis collibus, & umbrosis locis nascitur, caule plerunque unico, quadrangulo rubescente, quamuis non raro tres uel quatuor habere conspiciatur. Folia ipsius rotundæ sunt figuræ, oboli latitudine, instar Nummulariæ herbæ, pertusa quoque. Breuiter hæc tria Hyperici genera, à se mutuo fere nihil differunt, nisi magnitudine. Et quod admiratione dignum est, hæ ipsæ herbæ omnes tritæ manus cruentant, id quod in nulla alia fieri uidemus, nisi ijs, quibus natura rubicundum colorem tribuit, cuiusmodi sunt, Sanguisorba, Nigra Beta, Blitum nigrum &c. qua de causa iure Hypericum Androsæmos dicitur.

3. Tertia Hyperici species.

Miraculum naturæ.

Quartum Hypericum rarissimus, sed formosissimus est frutex, caule terete, tenuissimoque, cubitali, nonnunquam & altiori, flore fuluo, ac magis exiguo quam reliquorum. Folia ipsius non per omnia respondent superioribus, quæ depinximus Hypericis, sed potius Tithymalo maiori, sed magis exigua. Surculos multos, quamplurimis foliolis Rutæ similibus uestitos profert hæc plantula, quam ego certe existimo uerum Androsæmon Dioscoridis esse, trita namque resinosum odorem proprie exprimit.

4. Hypericum elegantißimum.

NOMENCLATVRAE.

Syluestris Rutæ nomina, quæ apud Dioscoridem extant, præcedenti recensuimus capite. Hyperico proprium caput dicauit Dioscorides, quod uocat Androsæmon, Corion, & Chamæpithyn. Huic ab authore aliud subiungitur, in quo describitur herba ἄσκυρον, ἀσκυροειδὲς, & Androsæmon appellata. Rursus aliud subijcitur caput, quod peculiariter Androsæmo dicat Dioscorides, quod & διονυσιάδα, & ἄσκυρον appellari tradit, atque hoc ipsum caput ego de ea herba intelligo, quam Germani groß Harthaw appellant. Præterea antequam de Hyperico ageret Dioscorides, meminit herbæ Onobrychis, cui Hyperici, & Chamæpityos appellationes similiter ascribit. Ex his citatis locis apparet quatuor frutices à Diosc. Androsæmi uoce nũcupari, quinque item plantas in commentarijs illius extare, nomine Hyperici insignitas, nimirum Rutam syluestrem, Onobrychin, Hypericum, Ascyron, denique & Coryn, qua de Dioscorides lib. iij. cap. clxv. Vnde liquido constare puto has ipsas plantas, ad unum genus referendas esse, sicut & P. Ægyneta monet, quanquam ueteres de unaquaque seorsim egerunt.

Ὑπερικόν. Diosco. lib. 3. cap. 162. ἀνδρόσαιμον, Χαμαιπίτυν. Corion, Coriandrum proprie est, de quo suo loco. Diosco. lib. 3. cap. 163.

Germani has plantas uocant S. Johans kraut / Harthaw / Waldthoff / unser frawen Betstro. Latini Fugam dæmonum, & Perforatam. Serap. ca. cclvij. Reofricon. Auicen. lib. ij. cap. ccclxv. Hypericum appellat Alharib, Vuam dæmonis. Auerrhoes de simpl. syluestrē Rutam, Halsedep, & Hypericum, Heufericon, Nelifricon, Mellisigon, & Cordialem nominat. Hebræi teste Phrisio אלחיב Alarif.

VIRES.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pulchrum Hypericum.

Omnia genera sylueſtris Rutæ, quæ Germani uocamus S. Johans/vnd Harthaw freütter/ eaſdem fere facultates obtinent, quas & Ruta ſatiua, nã ex ordine calefacentium & deſiccantium exiſtunt, uerum utrinq; corpori magis accommodata, ſi & odorem & ſaporem ſpectes. Porro id Hypericum quod fúluo caule & flore, ac folijs Rutæ præditum eſt, primum habet locũ, ſecundum uero, quod in campis & incultis agris naſcitur. Proinde omnia huius plantæ genera trita, cruentum reddunt ſuccum, quamobrem unum & idem pene habent temperamentum.

INTRINSECVS.

Quidam aquam Hyperici diſtillatam contra Apoplexiam & morbum comitialem bibendam exhibent,

Hypericum uim habet peculiarem educendi uenenum, urinam, & menſes, uino decoctum & potum.

Eodem modo ſumptum Febri tertianæ, & quartanæ medetur, Iſchiadicis contra dolorem coxendicum utiliter datur, excreationes ſanguinis finit, uulneribus & eroſionibus internis auxiliatur.

Semen Hyperici (maxime illius quod in ſylnis prouenit) contuſum, & ſingulis uicibus menſura ĳ dragmarum potum; choleram per aluum ducit.

EXTRINSECVS.

Herba omnium Hypericorum cum ſemine illita ambuſtis efficaciter medetur.

Multi præterea homines Hypericum ſecum portant, aduerſus præſtigias dæmonum & tempeſtates. Et, ſi naturam ipſam cõſideres, forte non abs re iſta de Hyperico prædicantur.

Aliæ ſi quæ Rutæ ſunt ſylueſtris, ſeu Hyperici uires, ſuperiori capite commemoratæ ſunt.


De Chamæcypariſſo. Cap. XXIIII.

VT CHAMAECYPARISSI MENTIONEM DEINCEPS faciam, nõ ſolum Ruta ſylueſtris me admonet, ſed & hoc ipſum, quod frutex iſte quem modo tractamus, Chamæpitys ſit, reſinoſum fundens odorem, ſed longe uehementiorem Androſæmo, quo nomine uera Chamæcypariſſus cenſeri debet.

Eſt autem

Chamæcyparissus.

Cypressen.



Est autem χαμαικυπάρισσος lignosum genus fruticis, nõ secus atq; Maiorana, Lauendula, Hyssopũ, ac Thymus, quod quacunq; terrã contigerit, facillime radicatur, instar Saluiæ & Serpylli. Folia habet cineracea, in cana, exilia, prælonga, ac rotunda, folijs Semperuiui minoris (uti Dioscorides testatur) similia, at multo tenuiora, hirsutaq;, perq; omnia Ericam primum in campis erumpentem, æmulantia. Iunio mense flore comat, auri instar fulgente. Cæterum singuli flosculi singulis pediculis, ueluti caseoli quidam (nam illorum rudimentum satis repræsentant) suffulciuntur. Herba est coronaria, quam nostrates puellæ aduentante hyeme, ne illius iniuria pereat, in figulinis uasis plãtare, ac in cellis uinarijs conseruare solent. *Diosco. lib. 3. cap. 166.* *Tempus.*

NOMENCLATVRAE.

Chamæcyparissus (quæ à Germanis Cypressen dicitur) nobilis est χαμαίπιτυς, quanquam illius plura alia extent genera, nimirum Hypericon, Androsæmon, & ea, de quibus paulo post dicetur. Dioscorides ultimo iij. lib. capite hunc fruticem Chamæpityn, Cupressinam, Bryoniam syluestrem, Pitysorysin, Orizelon, Olocyron, Ioniam, Sideritin, Dochelam, Sanguinem Palladis, Aiugam, *χαμαίπιτυς. Pro Cupreßina, alia exemplaria Cypripum legunt.*

gam, seu Abigam appellat. Apuleius cap. xxv. Orozelon, Holocyrton, Bryon agrion, Hæma Athenas, Abigam, Rapam, Cypressum nigram, Spiculam, Mammalem, Nemenepa. Serap. de Chamæpity cap. clxxix. scribit. Non desunt autem qui Chamæpityn suam Moschatam esse contendant. Ego uero hunc nostrum fruticem Chamæcyparissum esse iudico, necnon Chamæpityn, id quod odor ipsius satis arguit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Chamæcyparissus, & Hypericum easdem obtinent facultates, sicut & eodem fere odore, & sapore commendantur, quare alterum uices alterius in medicina obire potest.

INTRINSECVS.

Folia septem diebus in uino pota, regio morbo, urinę difficultati medentur, obstructiones iocinoris tollunt, renum uesicæ & coxendicum uitijs prosunt. Chamæcyparissus ueneno aduersatur, non secus atq; Hypericon & Ruta.

EXTRINSECVS.

Quæ de Hyperico & Ruta, hæc eadem fere de Chamæcyparisso dici possunt, sed ut ea repetamus minime consultum uidetur. Transeamus ergo ad Chamæcyparissum agrestem.

De Chamæcyparisso agresti. Cap. XXV.

CVM NVLLA FERE SIT OFFICINA, QVAE NON PROpriam aliquam Chamæpityn ostentet, uerisimile uidetur, illas uix unam aut ullam habere Chamæpityn, maxime earum quas uel Dioscorides, uel Plinius descripsere. Quam enim Seplasiarij hodie Chamæpityn uulgo affirmant in Germania, ea sane herbula est agrestis, omnium tum sapore cum odore prorsus destituta. Quod si omnino Chamæpityos sit genus, certe syluestre admodum est, quanquam ut hoc ipsum credam adduci non possum. Ego certe toto ferme quadriennio hinc inde uagor, omnesq; non modo seplasiarios, uerum etiam circulatores, & qui herbas apud nos circumferunt, diligentissime percontatus, nihil certi inuenio, tandemq; uulgarem, de qua iam diximus plantam, quæ in agris passim nascitur, pro Chamæpyti ab illis accipere cogor. Posteaquam uero uniuersa de Chamæpyti ueterum scripta exacte pensitassem, certo certius Chamæcyparissum

1. Prima Chamæpytis.

nostram

Chamæcyparissus agrestis.
Feld Cypressen.



nostram priorem Dioscoridis Chamæpityn esse deprehendi. Alteram uero eam, quam modo præ manibus habemus. Vt uero ita sentirem, experientia me docuit, nam pro Chamæpyti illā efficaciter ægris nonnullis exhibui. Hęc in quibusdam frumentarijs agris, præsertim ijs qui zea uel auena cō siti fuerant, Iunio mense quærenda erit, est enim rarissima, quare in posterum illam in hortis plantare constitui, id quod alij quoq; meum exemplum imitati, facere debebunt. Porro elegantissima est herba, simul & iucundissima, quoad formam & odorem. Ea in arbusculam quasi, neq; tamen Satureiam magnitudine superans excrescit, nigricantibus folijs, ijsq; tenuibus ac incisis instar crucis, ad similitudinem Absinthij accedentibus, multo autem illis minoribus atq; elegantioribus uestita. Quadrato cauli multi adnascuntur surculi, quos ex folliculis purpurei flores prorepentes, ambiunt, ueluti in Hyssopo, quod uocant Germani Floster Hysop. Semen illi teres, coloris incani, sed ad nigredinem uergentis, nec maius semine Rapæ. Radix in rectum expansa, paucis capillamentis fibrata, nec distans a radicis Satureiæ forma. Frutex est alsiosus, qui quotannis ex semine proprio repullulascit.

2. *Altera Dioscoridis Chamæpitys.*

Locus & Tempus.

Forma.

Gustus.

Chamæpitys tertia.
Feld Cypressen das dritt.

Odor.



scit. Saporem habet amarũ, odore uero iucundo, Terebinthinam, aut Camomillam pene æmulante prędita.

3. Tertia Chamæpitys.

Tertia Chamæpitys exigua quoq; et exilis est herbula, quam Seplasiarij Iuam appellant, asserentes eã ad proprium genus referendum, quod nos facile damus. Folia enim ipsius acuta & cineracea, quadamtenus Pini folijs conferri possint, quare non immerito Chamæpitys uocatur.

NOMENCLATVRAE.

Quæ nomina Chamępitys habeat, supra indicauimus. Quia uero iam descripti fruticis nomen germani cum nondum cognoscere potui, libuit mihi Feld Cypressen uocare, tantisper dũ commodius inueniam nomen. Proinde postquam exactius huius herbæ historiam inquiro, Saxones audio in ea esse opinione, ut existiment eam esse tertiam Sideritis speciem, quæ Crateuæ ascribitur à Dioscoride, quorum sententia mihi non improbatur.

σιδηρῖτις Crateuæ Dioscο. lib. 4. cap. 33.

Altera quam Seplasiarij Iuam Moschatam dicunt, aiunt Ibigam, & Ibicam aliquando uocatam fuisse.

Tertiæ Chamæpityos appellationes superiori capite enumeratæ sunt.

VIRES.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtraq; Chamæpitys temperaturæ est calidæ & siccæ, tam internis quam externis corporis partibus accommodatissima, ideoq; non aliter atq; Ruta syluestris, & Chamæcyparissus usurpari poterit, quarum uires cum supra recensuerimus, hoc loco eas repetere superuacaneum esse putamus.

De Cardamo. Cap. XXVI.

NASTVRTII TRIA GENERA GERMANIS COGNITA sunt, Hortense scilicet seu satiuum, aquaticum, & pratense.

Nasturtium hortense planta est uulgo notissima, & quæ semi ne sata ocius citius prorumpat, colore uiridis, folio incisuris multis, & Petroselino longe minutioribus dissecto. Coliculis assurgit cubitalibus, ac rotundis, flosculis candidis, semine luteo exiguis in siliquis contento, cui maior inest acrimonia quam herbæ. *1. Nasturtium hortense.*

Alterum quod aquaticum uocant, hyeme acetarijs adijcitur. Hoc in fontibus calidioribus aquæ supernatat, maioribus folijs hortensi Nasturtio, magisq; laciniatis, uiridibus. Pro radice habet tenuissimas candidasq; & capillatas fibras, filum sericum imitantes. Maio mense ingruente flosculos admodum exiguos & candidos profert, semine minutissimo, & quod Seriphium Germanicum haud temere excedat, fuluoq; prægnat. *2. Nasturtium aquaticum. Tempus.*

Tertium Nasturtium quod agreste seu pratense uocatur, syluestre Nasturtij est genus, in quod aquaticum non raro degenerat. Nam ubi forte fortuna inundationibus Nasturtij aquatici herba pratis inuecta, semenué uento disiectum fuerit, herbula isthæc progigni consueuit flore uel prorsus albicante, uel ex candido leuiter purpurascente emicans. Cæterum, & caulis & folia necnon sapor illius hortensi Cressioni respondent, nisi quod folia huius & angustiora, & breuiora existunt. Floret Aprili mense unico caule. *3. Nasturtium pratense. Forma. Tempus.*

Præter iam commemorata Nasturtij genera, duo alia extant, quorum alterum passim in campis nascitur, uasculis seu seminum receptaculis loculi, aut peltæ formam imitantibus, in quibus semen admodum exiguum, luteumq; continetur, conspicuum. Alterum in uetustis areis, ruderibus, & secus itinera prouenit, palmi altitudinem haudquaquam attingens, multis incisuris dissectum, semine perexiguo, luteo, acerrimi saporis, sicut & cætera Nasturtij genera. *4. 5. Sinapi rusticum.*

NOMENCLATVRAE.

Hortense Nasturtium Dioscoridi κάρδαμον, κυνοκάρδαμον, Iberis, Cardaminaca & Semeth dicitur. Apuleio Cardamina. Serapioni Norph, Archep, Machita. Auerrhoi Alcharf.

Naſturtium hortenſe.
Garten Creß.



Naſturtium aquaticum.
Brunn Creß.



Aquaticum quidam ἀγριοκάρδαμον, hoc eſt, agreſte Naſturtium appellant, quamuis ad pratenſe referenda uideatur hęc appellatio. Iacob. Man. Naſturtium agreſte, Sataragi, Senation, & Lepidion, unius & eiuſdem plantæ nomenclaturas

Nasturtium pratense.
Gauch blům.



Thlaspidij genus.
Besem kraut.



menclaturas esse censet. Non desunt (inter quos & Simon Ianuen. est) qui Nasturtium hoc Tapsiam Indam, Scessabram, Ozimum Carmenum, Hoalmaram nuncupatum uelint. Lombardi (teste Mancio) Crisonum nomi-

Serap. cap. 73. Scexabra.

nant. Mesue Scessabram Ozimum maius esse, Serapioni Ozimum Carmenum dicitur. Sunt qui Nasturtium aquaticum, Nasturtiariam, Cardaminem, Sisymbrium, Sium & Lauer appellent.

Quid uero de his posterioribus nominibus sentiamus, suo loco dicetur. Eorum autem sententiæ omnino subscribo, qui Sisymbrium alterum, aquaticum Nasturtium, aut certe eam plantam esse affirmant, quæ infra cap lxi describetur, quam Crateuas σίον, & Plinius Thymbræum appellauit, qui fit ut Sion, cuius nunc meminimus & alterum Sisymbrium Plinij, unam et eandem plantam esse existimemus.

Diosco. lib. 2. cap. 116. Plinius lib. 20 cap. 22.

Tertium Nasturtium, Germani (nam primum Gartenkressen, alterum Brunnkressen ea in lingua dicitur) Gauchblůmen nominant quod & Agriocardamum, & agreste Nasturtium commode appellari posset, nec absurdi quid, mea quidem opinione is commiserit, qui illam sub caput cxlvi lib. ij Dioscoridis retulerit.

Duo postrema quæ attigimus Nasturtij genera, Germani klein Seckelkraut uel Teschelkraut, & quod in his maximum est, Besemkraut uocitant. Porro utrunque sub Thlaspidio comprehenditur.

Diosco. lib. 2. cap. 145.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Nasturtium omne calidæ est temperaturæ, Germani Nasturtio adhuc tenero & incocto, sed oleo ac aceto perfuso uescuntur, fastidia discutiendi, et appetentiam ciborum inducendi gratia, Æstate quidem hortense, at in hyeme aquaticum commendatur, potestque utrunque in Medicina utiliter usurpari.

INTRINSECVS.

Vniuersa genera Nasturtij intro sumpta, vrinam cient, aluum turbant, renes & vesicam purgant, obstructiones Lienis & Iocinoris aperiunt, interna vulnera mundificant, & persanant, ex oleo vsurpata uenenum expellunt.

Nasturtium cum uino & melle decoctum, mane, & uesperi potum lentos & crassos humores discutit, ad tussim & suspiria conducit.

At cum lacte caprino decoctum & potum uitia pectoris persanat. Succus eius in ore detentus humores prauos ex dentibus affectis extrahit.

EXTRINSECVS.

Nasturtij succus uel herba ipsa illitu uel impositu scabiei & carbunculis medetur, maculasque fœdas emendat. Eodem modo usurpatum dolorem lumborum & coxendicum sedat, tumores disijcit, tela infixa & aculeos extrahit, porrigenes impositum, ulcera & furfures capitis sanat, si caput coabluatur.

abluatur. Vlceribus quę depascunt purgandis succus Nasturtij remedio est.

Ad paralysim linguæ semen tusum, ac in ore retentum, summopere facit. Idem naribus inditum sternutamenta prouocat, Lethargicos excitat.

Semen cum aceto decoctum, & impositū, strumas & parotidas discutit.

Semen ad omnia efficacius, calidius & ualentius herba, quare intra corpus minime sumendum erit, nisi genituram frigiditate nimia tentatam excalfacere, ac ad pristinum uigorem reuocare uelis.

De Thlaspidio, & Alliaria.
CAP. XXVII.

ELEGANTISSIMA PLANTA APRILI MENSE PROuenit, locis incultis, uidelicet muris, collibus, sepibus & cauernis, quæ sunt lacertarum, aliorumq́ uermium habitationes. 1 *Alliaria Thlaspidium cornutum.*

Ea in initijs Maij mensis, flosculos fert candidos, qui in siliquas oblongas abeunt, Sinapi aut Chelidoniæ haud absimiles, atro semine refertas. Folijs uestitur primo exortu uiolæ Martiæ similimis, at latioribus, herbacei coloris. Caulem producit tenuem, rotundum, ac prælongum, in cuius summitate flosculi omnes congestim positi extuberant. Radix illi breuiuscula, recta, tenuis & lignosa, instar Centaureæ minoris. Herba manibus friata, porri sectiui cum Nasturtio contusi odorem repręsentat, quare quod ad odorem attinet, Nasturtium, uel Porrum sectiuum, aut etiam Cæpa censeri possit, unde mulierculæ nostræ Leuchel patria uoce illam uocitare solent.

At uulgare Thlaspidium in noualibus, & agris Rapis consitis, alijsq́ humectis hortis prouenit, prælongis angustis, & pinguiusculis folijs, unico caule, qui in fastigio exiguo flosculo & candido comat, qui ubi deciderit, in rotundas, latas, ac ueluti conquassatas crumenulas exit, non secus atque Atriplex, in quibus singulis ubi maturuerint, plerunq́ xij nigra, & acris saporis semina reperiuntur, forma & gustu non multum à Nasturtio distantia. 2. *Vulgare Tlaspidium.*

Præter hæc quæ iam diximus genera, aliud quoque huius plantæ extat, magis exiguum, sed & surculosius, arbusculam referens, quod & ipsum agris Rapitijs gaudet, sapore amaro ueluti Centaurea præditum. 3. *Aliud Thlaspidij genus.*

NOMENCLATVRAE.

Primum genus, quod ego hactenus pro Thlaspidio secundo Crateuæ habeo, quodq́ latino uocabulo Cornutam dicere possemus, Germani Leuchel / & Saßkraut appellant.

Diofcor. lib. 2. cap.164. Capparim quoq; Thlaſpi nominat. Eſt & pes gallinaceus alterius cuiuſdam plantæ nomen, ut ſuo dicetur loco. Serapio ca.349.

Allearia.
Leichel.



Alterum uero quod ſemen habet latum uerũ eſt Thlaſpi quod Dioſc. lib. ij. cap. cxlv. Θλάσπι, Θλασπίδιον, σίνηπι ἄγριον, Sinapi Perſicum, Myiten, Daſmophon, Myopteron, Bytron, Suitempſum, Scandulacium, Capſellam, Pedem gallinaceum vocat. Porro mea ſententia Thlaſpi & Alliaria, Naſturtium Tectorum Serapionis fuerit, quod ille Græce Talaphion uocari tradit, ſed iudicent doctiores, nihil enim affirmamus.

Dioſc. ſane lib. ij capite cxlv ipſe teſtatur Crateuã hanc herbam Thlaſpi uocaſſe, à quibuſdam uero Sinape Perſicum appellatã. Ea nimirum eſt quam ego Alliariam Germanis Leiichel / Saßkraut appellatã eſſe exiſtimo, quæ & Thlaſpi cornutum Crateuæ dici poterat, uti ſupra attigimus. Autor Pandectarum Ranam marinam, Alliariam, & pedem Aſininum uocat.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Alliaria & ea quam Sinapi Perſicum dici, docuimus, ad Naſturtiorum naturam accedunt, calidæq; ſunt temperaturæ, Semina uero eorum feruentioris, quare rectius externis corporis partibus quã internis adhibebuntur.

INTRIN

Thlaspi.



INTRINSECVS.

Alliaria commode torti uis succis, quæ Embammata seu intinctus uocant, adiungitur, debet autem aceto, sale, & gingibere condiri. Eiusmodi certe Embammata (ut obiter hoc dicam) quæ hoc pacto ut diximus, ex Alliaria conficiuntur, nõ sunt nimium feruentia, & meo quidem iudicio gratiora, ac etiam utiliora ijs quæ ex Sinapi fiunt. In medicina eædem facultates Alliariæ tribuuntur, quæ & Nasturtio & Sinapi, multo tamen illis mitior, & usu commodior existit.

Vtraque uero planta, maxime ea, quam Germani groß Seckel kraut dicunt, clysteribus recte adiungitur, aduersus coxendicum affectionem, quæ à Græcis ἰσχιὰς appellatur.

EXTRINSECVS.

Semen earum cum aceto emplastri modo, mulieribus strangulatu uteri laborantibus impositum, & uuluæ admotum prodest, ac easdem excitat.

Succus utriusque uel semen in puluerem redactum, naribus inditum, sternutamenta prouocat, & eos qui morbo comitiali, & Lethargico concidetunt, excitat. Reliqua harũ plantarũ iuuamenta in Nasturtio perstrinximus.

De Lepidio, siue Piperiti. CAP. XXVIII.

Lepidium.
Pfeffer kraut.



LEPIDII APPELlatio, uarijs modis quondã explicata fuit: quidam enim Sinapis, alij Nasturtij genus esse crediderunt. Sed utcunq; hæc quidem se habeant, sane Lepidium non abhorret à descriptione Seitaragi, quod & Hausab à Serapione cap. ccclxij. dicitur. Quid uero ego de Lepidio sentiam, paucis aperiam. Dico itaque Lepidium esse fruticem, quem Germani Pfefferkraut/ hoc est, Piperitim, appellant, qui caule bicubitali, tereti, & concauo, folio autem maiori, & latiori, pinguiori, uiridiori, ac molliori Persica malo, seu (ut Plinius lib. xix. cap. viij. testatur) folijs laurinis, sed mollibus, quod quidem sententiã meam confirmare uidetur, flore deniq; lacteo, ac exiguo, instar Raphani syluestris assurgit, gustu acri & æstuoso, qui'q; linguam magnopere uellicet. Proinde facile fruticat, ac ubi semel plantata fuerit, uix unquam eradicari se patitur, non secus atq; Raphanus syluestris, cui fere per omnia similis est, nã

quemadmo-

quemadmodum ex illo, ita & ex hoc optima conficiuntur Salgama.

NOMENCLATVRAE.

Lepidium Germani Pfefferkraut/& Senffkraut/hoc est, Piperitin(ut Latini loquuntur) nam ad Sinapi referri posse neminem latere puto, cui saltem utraque sit planta cognita, & qui saporem utriusque examinarit. In Dioscoride hæc illi ego ascribo nomina, λεπίδιον, γιγγίδιον. Reliqua eius nomina supra in Nasturtio aquatico annotata sunt. Quod ad Gingidij uocem attinet, eam ad Lepidium quoque referendam censerem, nisi Dioscorides, Plinius, Paulus Ægyneta & Galenus, aliam quandam plantam hoc nomine uocare uoluissent. Quamuis fieri potest, ut Gingidium quod in Syria prouenit, quod ego, nisi me ut dixi uirorum doctissimorum autoritas moueret, idem esse cum Lepidio censebam, acrius sit nostra Piperitide. Nolo autem de ignotis quicquam disputare. Gingidio uero Diosco. lib. ij. cap. cxxvi. alias quoque appellationes adijcit, uidelicet Dorysatrũ, Adoriũ, Tiricta, Insacutũ. Paulus Ægyn. addit Biriada. In Serapione uidi Lepidium Seitaragi Indũ, & Hausab appellari cap. ccclxij. nolim tamen super hac re cũ quoquam contendere. Plinius lib. xix. cap. xij. Piperitim, Siliquastrum uocat, sed cum aliud sit genus, de illo infra dicetur. Cordus Lepidium, Piperinam, & Zinziberinam appellat. *Diosco. lib. 2. cap. 165.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Lepidion ex calefacentium est ordine, uim habet acrem, & exulceratricẽ, cuti enim illita, ruborem & pustulas excitat. Herba est culinaria, & salgamis idonea, hoc pacto namque intro sumitur, foris uero emplastri modo imponitur.

INTRINSECVS.

Lepidion apud nos tortiuis succis, siue Embamatis adhibetur. Solet autem admixto sale & aceto carnibus assatis adiungi, sapore acrius & feruentius Alliaria.

EXTRINSECVS.

Lepidij herba cum Elenio tusa, ac emplastri instar imposita, coxendicis affectibus prodest, ita ut post quartam partem horę pustulis quibusdam excitatis, dolorem soluat. Similiter & lienosis eodem modo usurpata, remedium affert.

De Persicaria, uel Hydropipere. CAP XXIX.

Persicaria fœmina.
Flöchkraut weible.



1. Primum Persicariæ genus.

QVAM MODO TRActamus plantam iure quis Piperitin uocare posset, siquidem ob insignem suã acrimoniam plus uellicat linguam, quam uel Piper, uel Aron. Proinde quotannis ex suo semine progignitur hic frutex, non alier atque urtica, Germanis Heitter Nessel dicta, soletq; ad duorum palmorũ altitudinẽ excrescere, quan quam nõ raro humilius inueniatur, prout natalem humum occuparit humectam, pinguemq;, aut aridam & macram. Folia frondibus salicis, uel Persicæ mali similia gerit, quorum nonnulla rubenti aspersa sunt macula, non aliter ac si guttula sanguinis decidisset super ea, id quod in aliis quoq; herbis animaduerti poterit, nimirũ in quodam urticæ inertis genere, Aro, Satyrio, & Ranunculo. Caulem habet nodosum, ac instar frugum cerealium geniculatũ. Flore comat congestim, in racemum acutum, uel spicam quasi exiliente, in quibus

Persicaria altera.

Das ander Flöchkraut.



quibusdam ex roseo rubicante, in aliis colore Bersilici prædito, in nonnullis cãdido. Tres uero in quas iam distinximus Persicariam, species omnes semen pulchrum, fuscum & latũ, quodq; linguam manducatum erodat, ferunt, locisq; humidis, lacustribus, palustribus, aliisq; id genus gaudent. Expellendis muscis, uix quicquam efficacius reperias, nam quæcunque in pecoribus uulnera uel ulcera succo Persicariæ oblita fuerint, ea ab iniuria muscarum tuta manẽt, etiam feruentissima æstate. — *Tres Persicariæ prioris species.*

Aliud deinde Persicariæ inuenitur genus, quod à priore caule, foliis & macula, necnon natalibus locis nihil plane dissidet. Vnus est sapor, qui differentiam inter prædictas plantas constituit, qui huic postremo non adeo acris est, ut linguam mordicet, sed subacidus, qualis est Acetosæ. Radix eius per terrã serpendo se propagat, unde agris frumentariis, & hortis magnum damnum afferre solet hæc herba. — *2 Alterum Persicariæ genus.*

NOMENCLATVRAE.

Germani nostri patria lingua has plantas, Rassel/ & Flöchkraut (idest pulicares

licares herbas) quod pulices abigant, uocarunt, possent & Muckenkraut (id est, muscarum herbæ, ob causam quam supra attigimus, necnon wasser pfeffer/hoc est, piper aquaticum appellari. Dioscorides quidem (ut mihi uidetur) illas lib. ij. cap. cl. descripsit, ὑδροπέπερι, hoc est, Aquaticum piper eas nuncupans. Necque uelim intelligi de his, quæ Ruel. lib. ij. cap. xcij. annotauit, quo loco herbam Menthę folijs præditam depingit, quod idem in Dioscoride legas. Cæterum non desunt apud Germanos qui hanc plantam Pfawenkraut/uel Pfawen spiegel (id est Pauonum speculum) à maculis, quibus est notata nominent. Latini quidam Persicariam, ob foliorum quam cum Persica arbore habent, similitudinem, & herbam sanctæ Mariæ uocant. Iacobus Manlius Saguinem Christi, Auicenna lib. ij. cap. 748. Zinziber caninum dixit. Sunt autem hæc propria illius nomina, Persicaria, Molybdena, Maculata, & Plumbago, quod maculis respersa sit, ut diximus.

Alterum Persicariæ genus, quod in hortis & agris fructiferis nascitur, uolunt quidam esse Crateogonon, & Theligonon, uide Ruel. libro iij. cap. lxiiij. is ab Hypocrate Polycriton, & à uulgo Gallorum Curaginem dici attestatur. Ego ad Hydropiper illud referrem.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Tres eæ plantæ quas proximis capitibus descripsimus, deinde Persicaria, & qui statim insequuntur Ranunculi, hę omnes inquam, gustu acriores, ac feruentiores tum inueniuntur, maxime cum uirides extiterint, quare potius foris imponi, quam intro sumi debent.


EXTRINSECVS.

Persicaria linguam manducata, uehementius uellicat ac incendit, quam uel ullum Piper faciat. Quamobrē ea trita, uel succo expressa, utiliter uulneribus putridis hominū pecorumque auxilium adfertur, præsertim si ex succo abluantur, & mundificentur. Mulierculæ rei familiaris administrandæ peritæ, hac ipsa herba, tarmos, aliosque uermes à carnibus abigere solent. Quin & succo eius omnia uulnera purgantur, ac ab iniuria tam muscarum, quam aliorum uermium uendicantur, certissima id approbante experientia.

Si mane rorulentam hanc herbam per conclauia & cubicula dispergas, proculdubio pulices abiges, sed oportet sine mora scopis conclauia expurgare.

De Apio aquatico, & Ranunculo exiguo. CAP. XXX.

Apium aquaticum.
Wasser Epff.



QVONIAM HACTEnus de plantis singulari acrimonia insignibus, oratio nobis instituta fuit, uidebatur operæpretium nos facturos, si et Apij aquatici, & Ranunculorum, porro mentionem faceremus.

Apium itaq; aquaticum, ut ab illo ordiamur, in palustribus, humidis & arenosis locis, plerunq; uero ijs, in quibus ranę degere solēt, nonnunquā & in humectis campis, præsertim ubi annus paulo humidior fuerit, nascitur. Frutex est admodū tenellus, uix palmi altitudinem excedens, caule unico, folio uiridi, molli, & haud multo aliter quam Coriannon fisso, flosculis subluteis Ranūculo minoribus. Herba gustu acri & feruente prędita. Semen lappaceū multisq; cuspidibus, Erinacei instar horridum gerit. Apium aquaticū

Iā ut & ad Ranūculos ueniamus, principio notandū est, plura eorū extare genera, quę ordine in hoc, & sequenti, capitibus describentur.

Primus itaq; exiguus, idemque sceleratissimus Ranunculus, sæpenumero mihi 22 Ranunculus exiguus.

Ranunculus luteus.

Geel Hanenfůß.



mihi risum lachrymis mi/xtum, siue ut prouerbium habet Sardonium excitauit, tantas nimirum uires in exulcerando, urendo, & con/trahendo neruos, obtinet. Est autem frutex admodũ paruus, per terram proie/ctus, folio quinquepartita incisura dissecto, nigricãte, leuiterq; hirsuto, parte sui auersa ranam uiridem refe/rente. Caulem profert rotũdum, flore luteo emicantẽ, radicem uero teretem, fabæ magnitudine, multis capil/lamentis fibratam. Quotannis (quod admiratione dignum est) solet hæc herba ueterem radicem in terram profundius detrudere, su/pra quam noua gignitur. Proinde tam herba quam radix, linguam non aliter atque Euforbium uellicat.

3. Altera Ranunculi species.

Alter deinde Rãunculus folia quoq; dissecta, sed ma/iora, quæ unguem auiculæ forma sua exprimant, ha/bet. Radix illi oblonga, fi/bris capillata, quemadmo/dum Plantaginis. Tenuem exse, longum, & concauum emittit caulem, aureo & ua/sa ænea tonstrinarum imi/tante flosculo, collucescen/tem. Efficit autem cultura ut hoc genus Ranunculi, quod in limitibus sim/plici compage florum oriebatur, structili quodam densoq; foliorum stipa/tu (unde a Germanis non inepte Gefülter hanenfůß, quasi dicas multiplex

Ranuncu-

Ranunculus candidus.

Weiß Aprillen blůmen.



Ranunculus, uocetur) pas/
sim in hortis appareat, fa/
ctumq; est ut à puellis ob
insignem floris multipli/
cis gratiã, in coronariarũ
herbarum numerum asci/
ta fuerit. Quidam uero hu
ius generis frutices macu/
lis, nõ secus atq; Persicaria
quam Plumbaginem uo/
uocant, notati reperiuntur
uehementer acres, & qui
pustulas ignis modo exci/
tant.

Tertium deniq; Ranun 4.
culum in siluis nascitur, in *Tertia Ranunculi species.*
cisis etiam ac fissis folijs, Sa
niculæ pene similibus, ni/
gricantibusq;. In initijs A/
prilis mensis, unicum è me
dio folij fundit florem è cã
dido purpurascentem, qui
color flori arboris Mali fa
miliaris esse cernitur.

Radix transuersim intra
humum culmi crassitudi/
ne fibris inuicem cõtextis
serpit. Huius generis qui/ *Duo syluestris Ranunculi genera.*
dam Ranunculi luteos ge/
runt flores, Vis illis cum
superioribus exulceratrix.

NOMENCLATVRAE.

Dioscorides libro ij. ca
pite c. Ranunculum, βατρά *Hermol. coroll. lib. 2. cap. 410.*
χιον & σέλινον ἄγριον, hoc est Apium syluestre uocat. Hermolaus Barbarus se/
quentia Ranunculo nomina assignauit. Apiastrum, Strumen, Polyanthe/
mos. Horatius Sardeam herbam, Apuleius cap. viij Gelotophyen, Mileõ,

Coriannon, Corion, Stactycen, Causticen, Clonon, Rhuselinon, Catastacticen, Hephæstion, Lycopnon, Selinon agrion, Selinon hydation, Synechon, Carcadana, Nemecon, Apium rusticum, Apium risus, Herbam sceleratam, Apiastellum, Dentariam, & Auricomum uocat. Serap. cap. cccxiij. scribit Senation esse Apiũ aquæ, aliasq́; uocari Koreathalmi, & Hameanella, quamuis Senationis uox, Nasturtio quoque tribuatur, ut supra meminimus.

De alio Apij aquatici genere, uide infra cap. 155. lib. primi nostrorũ comment.

Primum Ranunculum, Germani, wasser Epff/ Latini Apium aquaticũ, uel palustre, uocant, sed de hoc, proprijsq́; ipsius appellationibus infra, cap. xl. plura. Exiguum Ranunculum uocamus Germanice kleinen Hanenfüß/ propter florem quem Ranunculo similem fert, ut sequenti dicetur cap. Sequentem similiter uocamus Hanen füß/propter florem & folia, posteriorē autem, qui candido aut luteo flore in syluis prosilit, Aprillen blümen (hoc est Aprilis florem, tum em̃ fere florere, conspicitur) uocamus: alij wald hennle, D. Otho Brunfelsius piæ memoriæ exiguum Ranunculum, Flammulam, & Batrachium nuncupauit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Batrachium Exiguum, omniaq́; quæ sub illo comprehenduntur genera, necnon singulæ eius partes adurunt, & exulcerant efficacissime, non secus atq; ea quæ Corrosiua uocant. Quare non nisi externis corporis partibus adhiberi debet.

EXTRINSECVS.

Omnia Batrachij genera recentia, trita, cutiq́; imposita, pustulas excitant, quare erodendis & exulcerandis duris tumoribus, mirifice conducunt. Verrucas formicantes & pensiles, & id genus uitia citra incisionem seu adustionem, succus illitu tollit.

De reliquis Ranunculi speciebus, deq́; eo, qui Coronopus uocatur. CAP. XXXI.

1. *Ranunculus pratensis.*

PRATENSIS MAIORQVE RANVNCVLVS PASSIM prouenit, herba exiguo Batrachio, quod præcedente capite primum descripsimus, quadantenus consimile, sed longe maius, hinc inde per terram repens. Radix illius, quæ multis fibris capillata uisitur, frequentes subinde & nouos frutices procreat, quemadmodum & Fragaria.

Ranunculus dulcis seu pratensis.
Süßer hanenfuß.



ria. Caulis & flores huius prædicto Ranunculo adeo forma respondent, ut uix discerni possint. Hinc sane error illorum manasse ui/detur, qui eam herbam Ranunculi superioris genus esse contendunt, sed differentia utriusque uel à cæco deprehendi posset. Nam quã nunc præ manibus habemus plantam, dulcis est, neque linguam uellicat, quã obrem mulierculæ nostræ Aprili mense illam tenerã adhuc una cum aliis oleribus, decoquere consueuerunt. Huic si accedat cultura sicque trãsplantetur multiplices quoque flores ædet, quemadmodum proximo capite descriptus.

Est & alia huius generis herba, quæ Martio mense in syluis ac senticetis nasci/tur, foliis primo exortu instar pene Violæ Martiæ rotundis, nullis enim fissuris dissecta, conspiciuntur, quæ uero proxima sequuntur findũtur ueluti Pes gallinæ, illa quo altiorem in caule locum occupant, eo propius ad similitudinem pedis coruini aut gallinacei accedunt. Caule, radice, flore & semine, per omnia luteum & multiplicem Ranunculum æmulatur. Planta hæc est gustu dulcis & innoxia. Maio mense sicut plæræque aliæ euanescit. 2. *Ranunculus syluestris.*

Ranunculus syluestris.
Mertzen Hanen füß.



3. Coronopus.


A' Ranunculo ad Coronopum uenio, quamuis ea herba non usq; adeo nota sit, non enim ubiq; nascitur, ut quæ in hortis Germaniæ nõ ita pridem Acetariorum gratia plantari cœperit. Semine prægnat perexiguo, Maioranæ nõ dissimili. Coronopus statim à satione e terra erũpit, foliolis instar graminis tenuissimis, & acutissimis. Quę uero prima subsequũtur folia, ea oblonga, angusta, in multas partes laciniata, atq; adeo auiculæ pedē, aut ut mihi uidetur, lacertam referentia, quæ & humi ita sparsa procumbunt, ut stellæ effigiem non inepte repræsentent. Ad hanc formam alludentes quidam Græci Coronopum dubio procul, ἄστριον uocitarunt. Iuxta folia nudi quidam & niuei coliculi in spicas, ueluti Plantago lanceolata (quam & flore imitatur) exeuntes, assurgunt. Ex semine quod perexiguum habet plãtari Coronopus solet. Radix illi recta, tenuis & breuis est.

4. Coronopus syluestris.

Syluestrem proinde, & congenerem huic herbam, satiuo Coronopo multo minorem, inter fruges enascentem reperi.

NOMEN.

Coronopus.
Rappen füß.



NOMENCLATVRAE.

Quem Germani Rappen füß, hoc est, pedem coruinum uocamus, is Dioscoridi lib. ij. cap. cxix. κορόνοπος, ἢ ἄγριον, Ammonos, Atirsite, Caciatrix, Stilago, & Sanguinaria dicitur. Plinius, libro xxi. cap. xvi. Coronopum, inter aculeatas refert, quo nomine, nihil absurdi eum committere iudico, qui Coronopum herbam aculeatam, seu stellariam nominaret. Apul. capi. xliiij. Ranunculum Galli crus uocat, quod ego de illo potissimum intelligo, qui Martio mense in syluis reperitur.

Sanguinariæ uox, acerrimo quem depinximus Ranunculo, potius competit.

Apud Treuiros, Moguntinos, & Metenses, primum dulce Ranunculi genus, quod & coctum estur olerum modo: patria uoce, Schmaltz blůmen/ Wetzel/ hanenfüß/ & wisenblůmen appellat uulgus. Democritus hanc ipsam plantam Batrachium & Chrysanthemon (id est, florē aureum, Germanis Goldblůmen) nuncupat, aitq; facile aquam inueniri posse ijs locis, ubi illud proueniat, & recte quidem, nam locis humidis in primis gaudet. Quod autem uerum Chrysanthemon sit infra in Buphthalmo indicabitur, uide Ruel, lib, iij. cap. centesimo secundo.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Ranunculi maioris species omnes minime acres sunt, quare citra periculum & noxam utrinque corpori adhiberi possunt.

At Coronopus una cum radice ex desiccantium est ordine, astringenti ui præditus, ideoque in cibo cæliacis utilissimus. Herba alias acetarijs adijcitur.

INTRINSECVS.

Sic etiam Mediomatrices mulierculæ uerno tempore dum adhuc tenellæ sunt plantæ, Ranunculi maioris herbam colligunt, ac inter cætera olera decoquunt.

EXTRINSECVS.

Folia Ranunculi maioris tumores quacunque in corporis parte ortos discutiunt, ac resoluunt imposita. Alias Ranunculorum facultates quotidianus usus docebit.

De Sinapi & Eruca. Cap. XXXII.

PLVRIMAE SANE EXTANT PLANTAE, QVAE PASsim apud authores Sinapis nomen sibi uendicarunt, Sinapi scilicet uulgare, Alliaria, quam ego Thlaspidion nominaui, germanis Leuchel oder Saaßkraut dicta, Capparis, Lepidium (quod Germani Senffkraut appellant) & Eruca. In germania tamen usus ita obtinuit

1. 2. Sinapi satiuum duplex.

ut Sinapis hortensis & ueri duo genera uulgo numerent, quorum alterum pullo seu fusco, alterum uero albicante prægnat semine. Porro utroque in nõ nullis locis totos agros & hortos conserunt, ex eo namque usitatissima ciborum condimenta, quæ tam carnibus quam piscibus adiunguntur confici solent. Pythagoras quoque, nec non discipuli eius, Sinapi admodum commẽdarunt, semperque usurparunt, ob insignem, qua in sublime fertur uim, quã artẽ nostrates rustici imitati sunt, nullis. n. plane farciminibus sine cendimẽto sinapis uescuntur, fortasse propterea, ut purgato cerebro sapientiores euadant. Sed finitionem absoluamus.

Forma.


Vtraque Sinapis hirsutis, lanuginosis, nigricantibusque, ac dissectis folijs Raphanoque similibus uestitur. Caulem habet prælongum, & surculosum, floribus ex pallido luteis usque in fastigium emicantem, quo decusso siliquæ subsequuntur digitum longæ, semine referto, ita ut flore & semine Rapas imitetur.

Duo alia Sinapis agrestis genera in agris auenæ ac Raporũ reperiuntur, quorum alterum candidos, alterum luteos fert flores, uiolis non dissimiles.

3. 4. Sinapi agreste duplex.

Herba caule, & siliquis Sinapi satiuum referunt, nisi quod non in tantã magnitudinẽ & altitudinẽ excrescunt. Nec desunt, qui putent sementẽ rapitiã

Sinapi luteum, satiuum.
Gäler Senff.



Herba S. Barbaræ.
Senffkraut/oder S. Barbel kraut.



maxime ubi inueterata fuerit, siccis & arenosis agris seminatam in agreste Sinapi conuerti, ita ut uel hinc appareat hanc plantam, natura sua partim cum Sinapi, partim uero cum Rapis communicare. Eadem ratione Brassicę

ἐρύσιμον.

Verbena fœmina.

Eisen kraut das weiblin.



Eruca, siue Rucula marina maior.


Groß Raucken.



semen non raro in deterrimum quoddam genus Raporum transire consueuit, quod non solum Plinius lib. xix decimoq. capite testatur, sed & ego sæpe experientia deprehendi.

Præter

Eruca, siue Rucula marina minor.
Klein Raucken.



Præter iam commemo- 5. 6.
rata Sinapis genera, alia
duo in littoribus, & ad fos-
sas proueniunt, quorum al
terum luteis, alterum candi
dis comat floribus. Hæc
quod ad herbam, caulem,
florem, siliquas, semen, &
saporem attinet, à satiuo Si
napi minime dissidet. Nec
tamen adeo acris, sed gu-
stus subamari, coloris ue-
ro herbacei, molliora reli-
quis. Folliculos denique ge-
runt exiguos, in quibus
minutissimum semen Na-
sturtio aquatico simile, con
tinetur.

Septimum Sinapi ple- 7. *Verbena*
runque incultis locis nasci- *fœmina.*
tur, secus sepes scilicet, &
in areis, cuius herba caulis
& flores angustiores sunt
albo Sinapi. Siliquæ etiam
breuiores, & magis exi-
guæ: semen uero luteum,
et ualde minutum Seriphio
Germanico, cuius historiã
infra cap. cxi. huius primi li
bri habes, simile, sapore a-
cri & austero, siue aspero,
Sinapi repræsentans gu-
statum.

Rucula aũt marina inter 8.
Sinapis genera, nobilissi- *Rucula marina*
ma est, præsertim antequam *maior.*
in florem exeat, tunc enim cũ Lactuca, seu Portulaca in acetarijs estur, pro-
culdubio ea de causa, cuius meminit Martialis his uerbis,

Et uenerem reuocans Eruca morantem.

Breuiter hæc herba, sicut & semen eius, cibis accommodatissima est, agresti Sinapi per omnia consimilis, cuius pallentes uiolæ, ea qua terram spectant parte, purpureas sed admodum nigricantes uenas obtinent. Semen profert luteum, sed minus ipso Sinapi.

9. *Rucula marina, minor.* Est & aliud Ruculæ genus, sed magis exiguum, & tenerius prædicto.

De reliquis herbis, quas Sinapis quoque nomine dignamur, ut sunt Thlaspidia bina, quæ tam Sinapi quam Nasturtium gustu referunt, supra disseruimus cap. xxvij.

NOMENCLATVRAE.

Satiuum Sinapi apud Dioscoridem lib. ij. cap. cxliij. σίνηπι, & νᾶπυ, Latinis Sinape, Germanis Garten senff uocatur. Sinapis appellatio à Dioscoride tam Cappari, quam Thlaspidio attribuitur, nã utramque plantam Sinapi persicum appellat. Serap. cap. ccclxiij. Sinapi Cardel appellat. Nam & Hebrei sic illud nominant, sed paulo aliis uocalibus, dicunt enim חרדל Chardal, quemadmodum in canticorum cap. vij. Rabi Salomo testatur.

Diosco. lib. 2. cap. 129. Serap. cap. 214. Sinapi candidum, quibusdam Eruca est, Dioscoridi εὔζωμον, Ethrericem, & Asuritc. Serapioni uero Iergir dicta.

Atqui ut ingenue dicam quod sentio, ego Erucæ nomen ubicunque offendo, de Rucula, Germanis Raucken / & non de albo Sinapi intelligo, neque quid in hac re Seplasiarij & Doctores ipsorum pronuncient, magnopere sollicitus sum.

Agreste Sinapi, Germani Senffkraut nominant, pabulis armentorum præcipue natum, Serapio Abhacaz dixit. Duo uero Sinapis genera, quę ad aquas nascuntur, Germani Wasser Senff appellant, quæ sane syluestria genera Nasturtij aquatici, simulque Sinapis recte statuuntur. Vltimum denique genus, quod propter sepes prouenit, quidam Germani Eisenkraut dz weiblin uocitant, hoc est, Verbenam fœminam, referuntque ad Verbenam, cum qua non aliter conuenit, quam Vrtica cum Rosmarino. Hic mihi ne succenseant quoscunque rogatos uelim: scio enim non defuturos, qui non solum ęgre hoc ferent, sed & præcipiti iudicio miserum condemnabunt, quod Verbenam fœmellam in censum Sinapis retulerim. Verum enimuero ut ita sentirem ratio me coegit, cum, scilicet uiderem hanc herbam substantia sua & sapore cum Sinapi conuenire. Quo uero à Sinapis tractatione tandem nos expediamus, appellabo in præsentia hanc plantam ἐρύσιμον, siue Irionem. Huius Dioscorides libro xij. cap. cxlvij. & Serapio, cap. cccxlvij. meminerunt. Hic uero perpendant, qui oculis saltem & communi sensu non destituuntur, annon descriptio Irionis, aptius quam Verbenacæ supinæ, ad fœmellam nostram Verbenã accedat. Semen Sinapis à quibusdam Bizeri Cardel dicitur.

Verbena fœmina.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtriusq; Sinapis satiui semen calidam obtinet temperaturam, ideoq; discutiendi extrahendiq; facultate utrinq; adhibita pollet.

INTRINSECVS.

Sinapis semina ob insignem suam acrimoniam in culinas accersita sunt. Vbi enim locorum tam apud diuites quam pauperes, cum omnibus fere ferculis non apponitur Sinapi? Id quod dubio procul ab omnibus ideo obseruatur, quod Sinapi in primis ualetudinem bonam promoueat & conseruet, nam & cerebrum purgat, & stomachum excalfacit, & concoctionem adiuuat, præterea uenerem quoq; stimulat, & febrium horroribus resistit ui no potum.

Sinapi album, uesco siue pullo mitius est, & si in cibo sumatur, genitale semen auget, & in uenerem stimulos addit, urinam cit. Quin utilissimum est ijs hoc semen in cibo deuoratum, qui continuis torminibus uentris laborant.

In uino decoctum, his qui scorpionis, aliorumue uenenatorum animalium ictus senserunt, potum cõducit, non enim uenenum dominari permittit.

Sinapis uero syluestris, quod ad aquas nascitur, semen efficacius, præsertim ad ciendam urinam.

Semen Sinapis illius, quod quidam Verbenam fœmellam uocant, uino & melle temperatum, remedium est Astmaticis, nam tussim mitigat, fluxiones thoracis continuas in pulmonem à capite descẽdentes inhibet, Arthriticis conducit, morbum regium dissipat, discutitq;. E uino potum ueneno hausto, quominus noceat, resistit. Sed cur remedij tam excellentis usus respuatur, nihil aliud in causa esse existimo, quam quod nullo ære cõparetur, & passim erumpat, profuturũ quidem, ubi pluris ueniret. Dioscorides libro ij. ca. cxxix. de Erucę semine ita scribit. Semine ad condimẽta utuntur, quod, uti in longum tempus asseruetur, adiecto lacte aut aceto, digerunt in pastillos.

EXTRINSECVS.

Emplastrum ex semine Sinapis & aceto confectum, ac impositum, pustulas rubras excitat. Ferę impetigines eo cum aceto, quemadmodum meminimus, perunguntur.

Farina Sinapis cum melle & aqua decocta, contra præduros tonsillarũ tumores, ac ueterem callosamq; arteriæ scabritiem conuenienter gargarisatur.

Emplastrum ex eadem farina factum,& tumenti lieni impositum,tumorem illius discutit,& Ischiadicis medetur.

Eadem ex melle illita, alopecijs medetur,faciem purgat,sugillata rapit.

Aliç Sinapis uires(si quæ desiderari possent)in Nasturtio descriptę sunt.

Radix Erucæ in uino cocta & imposita,ossa contusa & contrita extrahit.

Succus Sinapis oculis inditus,claritatem illorum adiuuat.

Semen Verbenæ fœmellæ cum melle & aqua tusum,emplastri ritu parotidibus utiliter imponitur,sicut & duritijs mammarum, & testium inflammationibus,clysteribus quibus dolores sedamus, recte adijcitur.

Reliqua Sinapis genera easdem cum hortensibus uires habent. Nec tamen magni usus sunt,nisi quod pecoribus in pabulis dantur.

Proinde quicquid de Sinapi diximus,de Rucula utraq; intelligi debent.


De Chelidonia. Cap. XXXIII.

DE CHELIDONIO DEINCEPS NOBIS AGENDVM erit, cuius duo reperiuntur genera,maius scilicet,& minus.

1. *Chelidonion maius.* Et primum quidē folio tenero, amplo,& dissecto, Aquilegię non multum dissimili uestitur, colore herbaceo: altera uero parte ex cæsio uiridi. Cęterū si seorsim decerpta foliola spectes,quercus frondem forma repræsentabunt. Caules profert teretes,hirsutos,albicantes,multis ramulis instar arbusculæ brachiatos,flore luteo uiolæ luteæ simillimo secundū singula folia prodeunte conspicuos. Flos in oblongas siliquas, ceu corniculati papaueris,quibus semen pallidum recluditur, tandem abit. Folia, caules & flores Chelidoniæ cum inciduntur croceū stillant lac, ac in primis uero radix, quæ & ipsa aureo est plane prædita colore,multisq; fibrata capillamentis si lædatur,succum similiter croceum, lentum,gustu uero amarum, grauissimiq; odoris sudat. Nascitur passim in parietinis, muris & uetustis ædificijs, inter cætera herbarum uitia.

2. *Alterum Chelidonij genus.* Altera Chelidonia,quemadmodum & prior inter rudera,in tectis,rupibus,opacis,ac incultis locis prouenit,apparetq; maiori Chelidonio, caule, radice,folijs,flore,& siliquis,per omnia pene consimilis,nisi quod illo omni modo magis exigua est. Radix illi fusca,breuis, multis capillata fibris. Caulis uero rubius, lanuginosus, geniculatus, & nodosus, surculosusq;, cuius folia inferiora, nempe ea quæ humi procumbunt, nec ex cole procedunt,similiter rubent,quin & flores eius purpurascunt,instar uiolarum. Siliquas in superiore parte parum acuminatas, alteri ex Geranijs pene similes gerit. Planta grauissimi est odoris,& qui Melissam adhuc uirentem exprimat.

Chelidonion maius.
Schölwurtz.



primat, Porro utraque Chelidonia, floret eo tempore anni, quo hirundines nidulantur.

NOMENCLATVRAE.

Chelidonium maius, Germani uocant Schölwurtz/nonnulli alij Goldwurtz/cui Dioscorides libro ij.cap.clxxij.sequentia ascribit nomina, χελιδόνιον παιόνια, Glaucia, Othonion, Cratæa, Aubium, Pandios radix, Philomedion, Othonna, Mohoth. Crustana, Fabium, Hirundinaria. Serapioni Chelidomonthoma, Kauroch, & Curcuma, cap. ccxcvi. dicitur. Leonhartus Fuchsius errore xxvi Memite, Arabum, Chelidonium, Memithe uero Glaucium esse contendit. Rursus Plinius lib.xx. cap. xix. Papauer Ceratites, Glaucion cognominari tradit, atque hinc uidemus concertationum huiusmodi nullum esse finem, etiam inter doctissimos quosque. Chelidoniũ minus, quod Latini Gratiam dei. Germanici Klein Schölkraut / Gots gnad/ Scharten kraut/nuncupant, quidam non sine magno errore Geranijs accensent. Ego quoque aliquando foliorum similitudine, quam cum Petroselino habet, adductus, Apij genus esse credidi, sed cum singula diligentius inspexissem.


χελιδόνιον τὸ μέγα

Pæoniæ uox ad aliam quandam herbam proprie pertinet, sicut suo dicetur loco. Sic Othonna & Glaucium peculiares sunt plantæ, apud Dioscoridem mihi uero incognitæ.

χελιδόνιον τὸ μικρόν.

Gratia dei, uel Geranion, ut quibusdam uidetur, nonnullis Sideritis iij. Diosco. Ropertiana alias.

Gotts gnad.



ſpexiſſem, deprehendi minus recte me tum ſentire. Quidam Ropertianã, herbam Roperti, nonnulli etiam Rubeam, & Acum muſcatam uocant. Nec deſunt qui illam pro tertia Sideritide, Dioſcoridis lib. iiij. cap. xxxiij. habeant, quod mihi maxime placet, ſed illorum opinionem plane improbo, qui pedẽ columbinum uocatam hanc plantam uelint. Sed utut ſe hæc habeant, certum eſt illam Chelidonij ſpeciem minorem eſſe. Hebræi ut placet Phriſio, Chelidoniã מרך Merech appellant. Atque hæc hactenus.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Succus amarus herbæ & radicis Chelidonij maioris, calidæ eſt temperaturæ, iecorisq́ obſtructiones introſumptus adaperit, foris uero impoſitus putrida uulnera purgat, oculorũq́ caliginem diſcutit. Herba uero uulgo Gratia dei nuncupata, quam ego ob formæ ſimilitudinem, & tempus quo floret, Chelidonium minus uocaui, frigidi eſt temperamenti, & reſoluendi, ac extenuante facultate prędita.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Chelidonij maioris radix, cum Aniso in uino albo decocta, ac pota, obstructos epatis meatus adaperit, morboq́ue regio medetur. Idem efficit & aqua eius distillata, per aliquot dies pota. Radix Chelidonij maioris, quantum eius manus hominis capere possit, purgata, in sextario (quem Germani ein halb maß exponunt; hoc est, dimidium cantharum) rosacei aceti decocta, ita ut deinceps percoletur, decoctoq́ue adijciatur Theriacæ uncia cum dimidia, cyathiq́ue uulgaris mensura exhibita à peste correptos (attestante id certa experientia) liberabit, si postquam biberunt, in lectum sese composuerint, & sudauerint.

Alterum Chelidonium raro intro sumitur, propter nimiam quam obtinet frigiditatem.

EXTRINSECVS.

Succus Chelidonij Maio mense collectus, inq́ue uase æneo cum melle decoctus, oculis claritatem instillatus adfert, remedio efficacissimo.

Idem pręstat aqua distillata, oculis indita, quorum maculas etiam rubras emendat, sicut & faciei, si inde colluantur. Eodem modo anthraces pestilentes sanat, serosi humoris ad articulos uulneratos decurrentis, fluxum sistit (quem Germani das glidwasser nominant) Succus eiusdem fistulas persanat, & carcinomata, & Phagedænas, dentium etiam dolores sedat, cũ aceto in ore retentus.

Herba Chelidonij cum radice tusa, ac umbilico imposita, torminibus opitulatur. In puluerem redacta, uulnera purgat, sanatq́ue inspersum.

Alterum Chelidonium, quod uocant Gratiam dei, nobilissima est herba, efficacissime namq́ue Erisypelatis imponitur tusa. Succus illius, sicut & aqua distillata, quibusuis exulcerationibus oris, mammillarũ, & pudendorum, tam muliebrium quam uirilium medetur, si affectæ partes hac aqua, uel succo colluantur, aut si linteola in his madefacta imponantur.

Succus Chelidonij minoris, mariscas mundificat, sanatq́ue, tumores deprimit, duritias mammillarum, aliorumq́ue membrorum, si forte conquassata fuerint, discutit. Sacris ignibus hæc herba tusa, & uiridis imposita, ualenter auxiliatur.


De Fumaria. Cap. XXXIIII.

PLINIVS LIB. XXV. CAP. XIII. DVAS FVMARIAE species describit, alteramq́ue ex his in parietinis prouenire, &

pedes

Fumaria.

Erdrauch.



pedes gallinaceos uocari ait. Verum enimuero cum ea mihi non satis cognita sit, nolo de illa quicquam dicere. Germanis itaq; unica duntaxat Fumaria cognita est, ea nempe quæ est herbula fruticosa, præterea Melanthij similis, quod ad dissecta attinet folia, quæ tamen habet candidiora, cineracei coloris, teneriora deniq; & molliora. Hæc purpureum gerit florem,

frequen-

frequentem, ac racematim compactum, instar florum Ligustri (quo de infra lib. iij. cap. xxvi) Semen illi rotundum prorsus, quemadmodũ & Coriano. Radix uero unica, breuis & recta. Gustus herbæ amarus, ueluti Abrotoni, qui oculorum claritatem adiuuat, sed & delachrymationem deducit, unde Fumaria à quibusdam dicta esse affirmatur. Proinde succisa lachrymas emittit, quemadmodum uites Martio mense putatæ.

In hortis, segetibus hordeaceis, inter linum, cæpas & Brassicas, primum Maio mense, deinceps autem in Autumno, in rapitijs agris prouenit.

NOMENCLATVRAE.

Germani hanc plantam sequentibus nominibus insigniunt, Erdrauch/ Daubenkropff/ Katzenkörffel. Dioscorides, Capnon, alijs Corydalion, aut Corion, hoc est, Coriandrum, fortasse foliorum similitudine) alijs syluestre Corydalion, alijs Capnon in hordeis, alijs Capniten, alijs Marmariten, alijs Capnogorgion, alijs Ghelidonion micron, alijs Peristerion, alijs Cantharidi, alijs Chalcocri, Romanis Apium seu Fumariam, Ægyptijs Cnyx, alijs Tussin appellari illam tradit. Latini uulgo Fumum terræ nuncupant, ea procul dubio de causa, quod sponte sua ex pingui illa & humida agrorum exhalatione nasci uideatur, tametsi non raro & ex semine deciduo propagetur. Frisius in Synonimis suis Fumũ terrę, Hebręis נחאלחמן Nahialhimen uocari testatur, mihi sane ignoto Etymo. Serapioni cap. lxxi. Scehiterius dicitur.

Diosco. lib. 4. cap. 105. καπνὸς, καπνίον καπνίτης. Sunt qui Fumariam ad Apium referre uelint, sed errant illi, sunt enim diuersi omnino generis Apium & Fumaria.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Fumaria herbula tenerrima quidem, sed nobilissima, temperamento calido & sicco prædita est, discutiendi, extenuandi, subtiliandi, & penetrandi facultatem obtinens.

INTRINSECVS.

Fumaria scabiei & morbo Neapolitano, quem Gallicum uulgo uocāt, sanando accommodatissima est, quicunq; enim huiusmodi morbos curare instituunt, ij aliquot diebus antequam ad curationem accedant, ęgrotis Fumariæ aquam distillatam Theriaca admixta, bibendam propinant, & a potione sudare iubent, quo remedio sanguinem corrigi & mundari credunt. Eodem modo usurpata aqua Fumariæ contra pestem præseruatio est optima, necnon aduersus uenenosos & immodicos sudores prophylacticũ est haud pœnitendum. Multi antequam balnea sudatoria intrent, prædictam aquam pari ratione usurpant non infœlici successu. Succus Fumariæ & radix *

dix Esulæ in puluerem redacta & præparata, æquis portionibus, hoc est, pondere drachmæ ex calida aqua hydropicis, & quibus uomitiones ciere uolumus, utiliter exhibetur.

Aqua Fumariæ Aphthis & oris exulcerationibus medetur, collutu. Decoctio Fumariæ adhibito Fœniculo, obstructiones epatis aperit, perq; urinam Icterum ducit. Seplasiarij Syrupum ex ea conficere solent, qui medeatur scabiei, & malis pustulis.

EXTRINSECVS.

Succus uel aqua distillata Fumariæ, oculis inditus, caliginem illorum, scabiem & rubedinem discutit, emendatq;. Idem cum Gummi illitus pilos palpebrarum euulsos renasci facit. Succus Fumariæ cum succo Lapathi acuti, admixto modico aceti, & mellis temperatus, ita ut unguentum fiat, omnis generis scabiem persanat, illitu.

De Chelidonio minori. Cap. XXXV.


SED AGE HIRVNDINARIAM MINOREM HERbam Martio mense prosilientem nunc consideremus, cui Chelidonij minoris nomen imposuit Dioscorides. Ea planta sub finem Februarij erumpit, ad humectos colles, in uineis, & pratis quibusdam herbaceo, uiridiq; colore conspicua. Vestitur autem foliolis minoribus, rotundioribus, tenerioribus, & mollioribus Hedera, per terram sparsis, quotennis noua radice, folijs & flore sicut Satyriones & Aron reuiuiscit. Quod ad radices attinet, sunt illæ torosæ, ac instar grani hordeacei oblongæ, plerumq; ternæ aut quaternæ aceruatim multis capillamentis, quibus humi hærent, fibratæ. Cauliculum acquirit exiguum, breuem & prætenuem, flore luteo, pulcherrimo, & qui stellulam plane referat emicantẽ, qualẽ Ranunculus fere habet. Maio mense marcescens, euanescit, folia floresq; amittens, radiculis interim usq; ad principia Februarij, anni sequentis humi latitantibus.

NOMENCLATVRAE.

Germanis hæc herbula, Feigblatern Eppich/ Feigwartzen kraut/ Meienkraut/ Schorbocks kraut/ Biberhödlin/ Rammenhödlin/ Pfaffen hödlin/ quas appellationes partim à Ficis & mariscis quibus medetur, partim uero à tempore quo floret, partim deniq; à testiculatis radiculis sortita est.

Chelidonion minus.

Feigblatern Eppich.



est. Dioscoridi uero libro ij. cap. clxxiij. χελιδόνιον τὸ μικρὸν, & à quibusdam πυρὸν ἄγριον, dicitur, hoc est Chelidonium minus, & Triticum agreste, ex qua appellatione animaduerti potest, non semper illi Chelidonij nomen fuisse,

nam neq; Chelidonij genus esse potest. Quod si omnino Chelidonium uocari debeat, malim eam Germanice, Schwalben kraut. i. Hirundinariam appellare. Nec desunt qui illam exiguum quoddam Scrophulariæ genus esse statuant. Serapio hanc plantam sub uoce Meniten cap. ccxcvi describit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Chelidonium minus naturam habet calidam cum acrimonia coniunctam, quare linguam, uti Ranunculus, uellicat, soletq; potius externis corporis partibus adhiberi, quam intro sumi.

EXTRINSECVS.

Herba Chelidonij minoris una cum radice in uino decocta, melle admixto, caput purgat, & glutinosos ac lentos humores trahit gargarissata. Idē efficit succus radicis cum melle tritus, & naribus inditus.

Proinde herba ipsa, radice, succoq;, puluere, & aqua distillata, in exterendis ficibus mariscisue, magna utilitate & experientia medici nostræ ætatis utuntur, nam impositu, collutu, & inspersu, mirifice ficos & mariscas sanat; herba, aqua distillata, & puluis. Alia huius plantæ iuuamenta & uires ex commemoratis animaduerti possunt.

De Coriandro. Cap. XXXVI.

Coriandrum.


CIMEX, INSECTI GENVS, QVOD GRAECIS κόρις DIcitur, non tam graue olet quam uiridis Coriandri herba, qui fit ut ob odorem teste Dioscoride Coriandrum latere non possit, ut eam uel cæcus cognoscere queat. In hortis & agris prouenit, folio primum Petroselini aut Chærefolij, deinde uero quo magis in altum excreuerit, eo subinde minori, & tenerioribus incisuris dissecto, caule aliquando binos cubitos superante, ramoso, umbellis ac floribus Petroselino simili. Porro flores quibus emicat candidi sunt, grauiterq; olēt, semē gerit plane rotundū et concauum, odoris gratissimi, quo loco naturæ occulta miracula uidere & admirari est, quæ ex foetore turpissimo, odorem fragrantissimū producit. Hoc semen Seplasiariorum Manna est.

NOMENCLATVRAE.

Germani Coriander & Coliander uocant. Aniculæ agri Metensis, & Teruirensis

Coriandrum.

Coriander.



uirensis, hoc semen ânis/ hoc est, Anisum appellant, ea haud dubie de causa, quod Anisum uerum ipsis incognitum sit. Dioscorides lib. iij. cap. lxiiij. κόριον, (quę appellatio Hyperico & Rutæ syluestri quoque tribuitur, ut supra meminimus) &, κορίαννον, Apuleius cap. ciij. Ochion, Serapio uero cap. xxxiiij. Kusbor, Auerrhoes, Cusbera appellant. Laurentius Phrisius ligua sua Hebraica, & Arabica, גד Gad, Dyabora, Cumbora, & Curbur.

DAVIDIS KYBERI *ad Lectorem admonitio.*

DE APPELLATIOne Hebræa Coriandri, humanissime lector, paucis testimonia Hebręorum proferam, qui in xi. cap. Numerorum, ubi dicitur, Porro Man erat sicut semen Coriandri, & aspectus eius sicut aspectus Bedolach &c. ita scribunt, Man erat rotundum sicut Gida, id est, semen Koliandri, Bedolach autem nomen est lapidis preciosi, qui dicitur Cristall/ hæc, Rabi Salomo, ex cuius interpretatione obiter id quoque notandum est, quod Man cum dicitur, Exodi xvi. & ipsum Man sicut Coriandrum, album, cum Coriandro non quoad colorem conferri, sed quoad figuram & rotunditatem.

Rabi uero Dauid Kimhi in Dictionario suo in radice גד, non solũ hanc Coriandri adfert appellationem, sed & Arabicas supra comemoratas, cuius uerba hæc sunt,

והוא כוסברתא בלשון רבותינו ובן בערבי נקרא אלכסבור ונקרא
בלעז קוליינדרי

Hoc est,

Gad, est ea herba, quæ à Rabinis nostris Cosberta, & ab Arabibus, Elcosbur, & in lingua uernacula (id est, Hispanica, fuit enim Kimhi Hispanus) Kolijandri dicitur. Hæc ille.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Herba Coriandri graueolens & uenenosa, refrigerantem & desiccantem habet uim, maxime recens, ideoq; intro non sumitur. At semen eius maturum calidum obtinet temperamentum, & utrinq; usurpari potest.

INTRINSECVS.

Ex Fuchsio. Non transeundum silentio est coriandri copiosum et continuum usum esse fugiendum. Ideo[que] errare videntur recentiores medici [illegible] ut iam frequenter potissimum ad caput [illegible] [illegible] manifestum [illegible] A quo sane [illegible] revocare eos debebat, quod idem Dioscorides Coriandrum inter venena [illegible].

Semen Coriandri per noctem uino uel aceto maceratum, rursusq; desiccatum, stomacho inprimis confert, uenenatas enim eius exhalationes, ne caput tentent, reprimit, Quare ex Coriandro, pro stomacho præstantissimus puluis confici potest, qui tamen pro uoluntate cuiusq; comunicetur, & uel Saccaro condietur, uel non condietur.

Admonendi mihi sunt hoc loco Seplasiarij, ne semen Coriandri cuiquã, nisi prius eo quo diximus modo præparatum (ut isti loquuntur) fuerit, uel cum Saccharo uendant, nisi uenenum loco remedij exhibere uelint.

Coriandri semen cum passo potum, menses ciet, & tineas interaneorum expellit.

EXTRINSECVS.

Coriandri herba, cum fabæ & uiciæ farina, & oleo rosaceo tusa, & emplastri ritu imposita, inflammationes & tumores, tum omnium locorum, tum uero genitalium discutit.

Coriandrum cum Lactuca, albo oui, oleoq; rosaceo, conquassatum, & impositum, ignibus sacris, erysipelatis, alijsq; id genus calidis affectionibus medetur.

Coriandri semine, subtrito cum aceto, caro salsa, non solum à tarmis, sed & fœtore uindicatur, & longo tempore odorata conseruatur.

Coriandrum per se, & uiride sumptum, mentem uehementer commouet, furorem quendam, quali corripiuntur ebrij, inducens. Quisquis igitur per imprudentiam forte Coriandrum non præparatum sumpserit, is statim muriam potet, cui adiungere poterit putamina ouorum contrita, quod cum fecerit, proculdubio liberabitur.

De

De Nigella. Cap. XXXVII.
Schwartz Coriander.



MELANTHION IN
duo dirimitur genera, quo 1
rum alterum syluestre, alte Nigella horten-
rum uero hortense cẽsetur. sis.
Satiuum quidem cubiti al/
titudinem in hortis assequi
tur, folijs laciniatim disse/
ctis uti Fumus terræ, sed ui
ridioribus uestitur, floribus
in fastigijs emicat rotundis
rotæq; non absimilibus, ex
candido cæruleis, qui ubi
deciderint, in capitula quæ
dam intercursantibus tenuis
mẽbrãis intus distincta, fol
liculis lini capitum similia a.
beũt. cęterũ his receptaculis
semen pullum, & Cæpaceo
consimile, exordine collo/
catum includitur. Proinde
ipsa herba, radix, sicut &
caulis & flos, omni odore
carent, solumq; semen ma/ Miraculum natu
turum admodum odora/ ræ.
tum deprehenditur, quo lo
co rursus naturæ miracula
contemplari & admirari
debẽt rei herbariæ studiosi.

Syluestris Nigella spon- 2.
te sua inter fruges cereales
prosilit, folijs satiuo Melan Sylucstris Nigel
thio plane dissimilibus. la.
Sunt enim illa admodum
acuta, & plurimum disse/
cta, anethum potius quam
Nigellam alteram referentia, cineracea. Hæc unicum caulem palmi altitudi

nem non temere excedentem profert, florem uero satiuæ Nigellæ nonnihil respondentem, sed ad cæsium colorem plus accedentem. Capitula uero quę in summitate, quaternis uel quinis corniculis discriminata sunt, Aquilegiā imitantur, ita tamen ut singulæ calycis cellulæ, semina sua, à reliquis plane segregata contineant. Hoc semen odorem spirat gratissimum, & à messe plerunque maturescit.

3. Nigella Damascena.

Tertia, eademque elegantissima Nigellæ species, quæ Damascena cognominatur, substantia sua maior, odore remissior, forma præstantior prædicta, ex semine nigro, quod & ipsum dolore destituitur, in hortis plantari cōsueuit. Eam plantam D. Georgius Ollinger ex Norimberga ad me misit.

NOMENCLATVRAE.

Melanthion satiuum, Salusandriam uocitare solent. Dioscorides lib. iij. cap. lxxxiiij. Μελάνθιον, μήκωνα ἄγριον ἢ μέλανα, id est, Nigellam, Papapauer agreste, uel nigrum appellat. Germani schwartzen Coriander/ hoc est, nigrum Coriandrum nuncupant. Serapio cap. cccxviij. Xanium uocat. Auerrhoi Scaunix dicitur. Quidam semen eius Gith uocant. Tertia Nigella ex Damasco aduenisse fertur, unde Damascena cognominatur. Quandoque mihi persuadebam Nigellam Papauer esse cornutum, sed rem aliter sese habere tandem cognoui. Sed de Corniculato Papauere paulo post.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtrunque Melanthion ex calefacientium est ordine, discutiendi & expellendi, si moderate intro sumatur, & foris imponatur, uim obtinens.

INTRINSECVS.

Ista quoque semina recentia, seu uiridia assumi intra corpus non debent, sed ubi plane maturuerint ac arida euaserint, possunt panibus compinsi, sicut semen (ut uulgo uocant) Carui.

Nigellæ semen cum uino aliquot diebus potum, urinam & menses trahit, tineasque uentris pellit, nutricibus lactis copiam affert, spirandi difficultatem leuat, pulmonum pectorisque uicia purgat, & tormina sedat. Quod si uero largius, uel uiride hoc semen usurpaueris, nocumentum tibi ipsi afferes.

EXTRINSECVS.

Vtraque iam dicta semina, externis corporis partibus adhibita, Coriandri

dri facultatem obtinent, nam tumores, duritiesq́ ueteres imposita, tollunt. serpiginem sanant, & inflammationes discutiunt.

Semen cum Rosaceo aceto tritum & fronti impositum, Phrenesi succurrit.

Obseruandum Nigellæ syluestris semen (quod in corniculis contineri diximus) efficacius esse altero.

Suffitu Nigellæ serpentes, aliiq́ uenenati pelluntur uermes.

De Argemone, quam Germani Klapperrosen appellant. CAP. XXXVIII.

A RGEMONE IN OMNIBVS PROPE SEGETIBVS, à Maio mense usq; ad Autumnum reperitur. Eius duo extant genera, maius scilicet & minus.

Vulgaris itaq;, ut quæ passim in aruis obuia est Argemone, nihil aliud est, quam syluestre papaueris genus. Nam flauum succum, incisa emittit, foliisq́ uulgari Papaueri similimis, at minoribus, angustioribus, magis dissectis instar Cichorii, ita quidem, ut superiora, quæ capitulis uiciniora fuerint, eo exiliora & serratiora appareant, serramq́ exiguam, pulchre referant. Caules sicut & surculos adnascentiasq; lanuginosas profert, quemadmodum uulgaris auricula muris, Pilosella uocata. Capitula ex quibus flos prodit, binis cuticulis uiridi colore præditis, iisq́ lanuginosis, contegitur, quod in satiuo quoque Papauere deprehenditur. Vbi uero flos ipse exitum molitur, diuisa illa tegumenta protinus decidunt, atq; tum puniceus, quatuor diuisus foliolis prosilit flos, quem ego nonnunquam multiplici stipatu foliorum contextum uidi. Porro folia illius quamprimum defluunt, dein exiguum Papaueris capitulum, in ambitu nigris capillamentis, sed protinus deciduis circumdatum se profert. Demum uero ubi calyculi, quos diximus maturitatem suam assecuti fuerint, membranulis multis intercursantibus, ac peculiares, & ab aliis seiunctas cellulas facientibus, distincti hiant, semine Papaueri simillimo, sed magis fusco, ac longe minori prægnantes. Radix quandoq; digitum crassa, nunc lutea, nunc uero alba euadit, eaq́; dū adhuc tenera, est uulnerata croceum lac, amarum gustu fundit.

1. *Vulgaris Argemone.*

Gefült Klaperrosen/ *hoc est, Argemone multiplex.*


Argemone autem exigua iam descriptæ consimilis est, & ad Papauera pertinet, sed caule, radice, herba, flore, & capitulo per omnia exilior, foliolis admodum laciniatis. Flos illius exiguus, quaternis quoq; foliolis constat. Capitulum habet longius quam prior. Principio Maii semper floret, nec facile ubiuis locorum inuenitur, Gaudet segetibus triticeis, siligineis & hordeaceis.

2. *Argemone exigua.*

36.

Argemone.

Klapperrosen.



Est & alia quædam, & tertia Argemone, folio fœniculi, fuluo flore, aculeato capitulo conspicua, cuius nomenclationem & descriptionẽ cap. xl adferemus.

NOMENCLATVRAE.

Maior Argemone, Germanis Groß Klapperrosen & Kornrosen & à mulierculis agri Spirensis, & Vuormatiensis Grindtmagen Dioscoridi uero libro ij cap. clxviij ἀργεμώνη dicitur. At minorem Argemonem quam ego uerno tantum tempore inter segetes deprehendi, existimo eam esse, quæ à Diosco. lib. iiij cap. lxij μήκων ῥοιὰς & erraticum Papauer nominatur. Quæ appellatio priori Argemonæ tribui quoque posset, proptérea quod Dioscorides Papauer erraticum vere in hordeaceis segetibus, capitulo longiori quam habeat Argemone (nã sic ego lego Diosco. locum, & nõ Anemone) nasci testetur.

Hæc sane descriptio nõ maiori Argemonæ quæ per totam æstatem reperitur, sed minori potius competit. Tertiæ Argemonæ nomenclaturas capite xl recensebimus.

VIRES.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtraq; Argemone refrigeratoriam habet uim, doloresq; sedandi, somnumq; inducendi facultate prædita. Proin tam semen quam aqua distillata earum, utrinq; commode (modo temperate id fiat) adhiberi possunt.

INTRINSECVS.

Quina uel sena Argemones capita in uino ultra dimidias decocta, & pota, mediocriter somnum conciliant. Linteola in ea decoctione madefacta, capitiq; circumligata, somnum efficacius inducunt.

Semen Argemones contusum, & cum melle commanducatum aluum leniter emollit.

Aqua eius distillata, contra omnes internos calores facit, potestq; in febribus calidissimis citra periculum bibi. Nam eiusmodi aquæ distillatæ refrigerant iecur, inflammationes colli restinguunt, & ardores faucium tollunt, potæ & gargarissatæ.

EXTRINSECVS.

Argemones aqua sacro igni medetur, Erysipelatis prodest, stupa cannabina iecori imposita, sanguinem è naribus fluentem sistit.

Aqua non solum ardores faucium, sed & aphthas, aliasq; oris & pudendorum exulcerationes sanat, si cum illa lauentur. Similiter & pudendorum tumores detumescere facit.

Temporibus illita, seu fronti alligata, phreneticis somnum adfert, illorumq; furores sedat. Calidos oculorum dolores linteo, uel stupa cannabina imposita mitigat.

Succus floris cum sulphure & nitro permixtus, contra scabiem facit, omnesq; maculas extergit.

Sed quid multis, nemo satis hanc plantam laudibus extollere poterit.

De reliquis Papaueris generibus. CAP. XXXIX.

DE SYLVESTRI PAPAVERE DICTVM SATIS PVTO, quare ad descriptionem papaueris satiui accedamus. Postquam uero illius genera diligētius inuestigare statuissem, singula dum florerent, appensis schedulis signaui, posteaq; ubi maturuissent, rursus contemplatus sum, scaposq; ut lacteum succum gustarem, incidi: quæ res ne-

Papauer.
Magsamen.




quaquam sanguinis effusionem, uti Tarquinius ille decussione Papaueris significabat, denotabit, quin potius ad cognitionem plantarum exactam faciet. Papaueris itaq; quinq; genera, herba quidem, caule, radice & succo, admodum similia, at flore ac semine satis differentia deprehendi, quæ omnia ordine percensebimus, si prius de comuni omnium forma mentionem fecerimus quã paucissimis, ab ipsis folijs, quibus uestiuntur initium facientes. Ea omnibus Papaueribus lanuginosa, subhirsuta sunt, incisa ac laciniata, lata, lactucacea, cineraceiq; coloris.

Caulis uero digitũ crassus, teres, similiterq; lanuginosus. Radix, recta, unica, & candida. Flos omnium magnus, elegans, Argemoneq; similis. Capita quę in summitate scaporum protuberant, antequam ad maturitatem perueniant, integris amygdalis cõsimilia apparent. Folia prius decidunt, quam semen maturuerit, id quod in alijs stirpibus minime contingit.

1. Vulgare Papauer. Sed his expeditis genera Papaueris flore et semine, ut diximus distincta, enumeremus. Primum ergo, quod & uulgatissimum est, florem gerit in superiori parte candidum, inferne uero qua calyculo iungitur, purpureis maculis

Papauer syluestre, corniculatum.

Wilder gehörnter Magsomen.



culis notatum. Semen huius maturum, quasi exitum meditans, caput quo cõtinetur, rumpit, & hiare cogit, protinusq; sua sponte in terram rursus sese conijcit, colore incanum, sicut semen Hyoscyami.

Alterum

2. Alterū flore emicat candido plane, capite oblongiori, semine itidē candido.
Album papauer Tertium similiter candidum florem ac inferne rubris maculis infectum,
3. semen uero flauum profert.
Luteū papauer. Quartum flore prorsus rubeo comat, semine prægnans fusco.
4. Quintum flore roseo punctis purpureis inferne maculato, semine autem
Rubeū papauer. nigro præditum est.
5. Præter hæc quæ iam commemorauimus Papauera, duo alia extant, alte
Nigrū papauer. rum candidis floribus, semine albo, alterum uero rubeis, ĳsq; per ambitum
6. superne incisis & dissectis, semine fusco.
Papauer candidum alterum. Proinde omnium horum Papauerum capita, quæ seminum sunt recepta cula, clausa manent, excepto eo, quod uulgare nominauimus, cuius alabastra
7 superne, qua serrato & quasi stellato operculo clauduntur, per se undiq;
Papauer rubeū alterum. rursus adaperiuntur, sicut & Argemones capitula.
8. Restat & aliud Papaueris genus, quod in magna copia in agro Vangionum ad oppidulum Zellen, quod appellant auff der Pfrimmen/ uidere mi
Papauer corniculatum. hi contigit. Hoc circa festum Ioannis inter segetes caule hirsuto, floreq; aureo conspiciendum se præbet. Porro quoddā huius generis flore destitutū, quoddam siliquis aliquantum inflexis, instar fœni græci, sed longioribus præditum animaduerti. Semen illius magnam cum uulgari Papauere affinitatem habet. Folia gerit cineracei coloris, hirsuta, ac profundis incisuris dissecta, siue potius laciniata, ut Carduum Benedictum seu Eupatorium prope æmulentur. Cum hæc omnia delineamenta pressius inspicerem, cogitabam apud me hunc fruticem Dioscoridis esse Papauer cornutum, atq; ita rem se habere cognoui, ubi primum Dioscoridis descriptionem uiuæ imagini contuli. Nec me mea decepit opinio, nam non multo post tempore, per literas præstantissimi uiri D. Georgĳ Oellingeri ciuis Norimbergensis mihi significabatur, istud Papaueris genus in Anglia prouenire, corniculis cubitalis longitudinis, aliudq; rubeos aliud uero roseos flores gignere.

NOMENCLATVRAE.

Germani omnia Papaueris genera patrĳs uocibus Mägle/Mön/Magsamen, & quidam etiam Olsamen appellant. Dioscoridi lib. iiĳ. cap. lxiĳ μήκων ἥμερος κηπευτὴ, hoc est, Papauer satiuum, hortense dicitur. Alĳs quoq; nominibus appellari Papauer idem autor testatur, ait namq; οἱ δὲ χαμαισύκην, οἱ δὲ μήκωνα ῥοιάς, οἱ δὲ ὀξύτονον hoc est aliqui ficum terrestrem, alĳ Papauer Rhœada, alĳ Oxitonon, appellant. Ex his uidere est, quod ueteres omne fere Papauer ῥοιάς appellarint, & Oxitonon. Quod uero ad appellationem Chamæsyces attinet, tribuitur illa alĳs quoq; herbis, uidelicet Astragalo, & spumeo Papaueri, ut iam tres terrestres ficus habeamus.

Alia si qua sunt nomina Papaueris, ea ad Cornutum pertinent, quod a Dioscoride lib. iiij. cap. lxiiij. μήκων κερατῖτις, uel ἀγρία, hoc est, Papauer Corniculare, uel agreste, Fabulum marinum, Sisimaca. Alijs Memitha dicitur. Serapio cap. ccclxiiij. Alnucharam appellat. Apuleius cap. liij. plura recenset nomina, quæ nihil attinet in medium adferre.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnium Papauerum uis refrigeratrix est. Inprimis uero candidum cõmendatur, post hoc, rubrum, ultimum locum uulgare occupat. Porro omnia dolores sedant, somnum accersunt utrinq; adhibita. Corniculatum autem naturam calidam & siccam obtinet.

INTRINSECVS.

Papauer candidum pani compinsi potest, sicut & Cuminum pratense, iucundo enim sapore cibos commendat quosuis, & citra periculum usurpari potest.

Prodest & ijs qui uertigine laborant, experientia hoc testante, quietem inducit, somnumq; conciliat, tam iuuenibus quam senibus, quocunq; modo assumere libeat. Quin & infantibus, quando inquieti, & insomnijs laborauerint, in lacte, uel pulte concoctum exhiberi potest hoc semen.

Opium quod ex Papauere conficitur, ad eadem efficacius est, sed quantũ ego quidem intelligo, si intro sumatur, nocentius.

Papaueris nigri semen, per se uel cum uino sumptum, in tussi leuamentũ præbet, arteriæ fluxiones, cæliacorum, & fœminarum profluuia cohibet, sistitq;. Idem de succo huius Papaueris intelligi uolumus. Breuiter, Narcoticum est hoc Papauer haud uulgare, & quod utrinq; commode usurpari possit.

Dioscorides corniculari Papaueri tantas inesse uires tradit, ut radix in aqua ad dimidias decocta, coxendicum & iocinoris affectus potu sanet, prositq; his qui crassas, asperas, aut arenosas, & cum difficultate urinas reddũt. Semen etiam in aqua mulsa, uel melle potum, aluum leuiter purgare, idem Diosco. author est.

EXTRINSECVS.

Omne Papaueris genus, tam syluestre quam satiuum, & non solum herba eius, expressusq; succus, sed & aqua distillata, Phreneticis, & his qui insomnijs laborant, utilissima sunt, emplastri modo fronti, uel temporibus imposita.

Si glan-

Si Errhinon (quod Barbari Nasale uocant) in succo herbæ Papaueris intinctum naribus indas, somnum quamprimum induces, eodem muliebribus locis subiecto, profluuia illarum cohibebis, dolore mitigato, ac somno accersito.

Aqua in qua capita Papauerum decocta fuerint, easdem facultates obtinet, sacris etiam ignibus imposita, opitulatur. Aurium dolori cum oleo amygdalino utiliter instillatur. Aqua ex herba floribus & capitibus Papauerum distillata, ad eadem omnia efficax est.

Succum Papaueris, quod Pharmacopolę Opium appellant, quidam hoc pacto conficiunt, capita ipsa & folia uiridia tundunt, & prælo exprimunt, succumq́ expressum soli exponunt, quoad densetur.

Alij lacteum tantum succum ex incisis scapis demanantem, excipiunt, itidem donec densetur soli exponentes.

Folia Papaueris corniculati, cum oleo tusa, argema & nubeculas iumentorum impositu abstergunt, oculorumq́ claritatem adiuuant, sed moderate his utendum est, ne nimium ualenter abstergant, & ipsam quoque carnem eliquent, uti monet Galenus.

De Rosa Mariana, Pseudo melanthio, Ocimoide, & alijs quibusdam. CAP. XL.

1. 2. *Mariana rosa satiua duplex.*

ROSAE MARIANAE SATIVAE DVO SVNT GENERA, quorum alterum rubeos, alterum uero candidos fert flores. Folia utriusque crassa, mollia, tomentosa, ut Verbascum, sed teneriora, lata, & in formā linguæ acuminata, cineracei coloris. Caulem geniculatū, habēt & lanuginosum, tales sunt & ramuli, seu surculi adnati. Floribus decidētibus capitula Papaueri similia protuberant, superne in acumen instar glandis quernæ & exiguę desinentia, in quibus semen cinerei coloris, Hyoscyami adeo simile, ut discerni uix possint, continetur.

3. 4. Lydweich/ *quibusdam* Been *album et rubrū.*


In dumetis, & ad sepes nonnullas reperiuntur duo genera florum, Rosæ Marianæ haud multum dissimilia, sed caule ac folijs magis exigua & angustiora, colore uero uiridiora. Flos alteri candidus, alteri rubeus, ut colore Bersilicum quod uocant imitetur. Quo decusso caliculi eiusdem cum præcedentibus formæ, in quibus semen incanum includitur, subsequuntur.

5. Daubē kropff

His consimile quoddam genus in syluis, aruis quibusdam & parietinis, multis geniculis distinctum, ueluti superiora duo genera, inuenitur, cuius folia teneriora sunt, magis acuminata, uiridis coloris, tactuq́ molliora, ac pinguiora. Flores hic frutex gerit candidos, ex inflatis quibusdam quasi

Rosa Mariana.

Märgen Rößlin.




Githago, seu Lolium, ut multis uidetur, Germanis

Groß Raden.



facculis prorepentes, quibus decidentibus, uascula rotunda, magnitudine Pisum singula æquantia, semine incano prægnantia, in his ipsis quos diximus

Anemone agrestis.
Feld Röſslin.



mus loculis deliteſcere, conſpiciuntur. Radix huius, et ſuperiorum omnium candida, & utplurimum digitum minimum craſſa, recta, paucisq; capillamentis fibrata.

6. groß Raden. Githago.

Sextum Marianæ roſæ genus, inter ſegetes enaſcitur, uoceq; Germanica groß Raden dicitur. Hoc folijs ueſtitur acutiſſimis, inſtar Porri, at breuioribus, lanuginoſis, ut eo nomine Piloſellam luteam imitetur, colore cinereo, & quaſi nigricante præditis. Florem profert purpureum, cui decuſſo, capitulum nigro ſemine refertum, ſuccedit. Antequam uero flos exeat, ſolet hic calyculus quinis fere, uel quaternis ſuperne cuſpidibus herbaceis, & prominentibus conſpici. Scapum plerunq; unicum, geniculatum, agnatis ſurculis quibuſdam, ex geniculis prodeuntibus, habet.

7. Anemone. ἀγρία.

Porro inter triticeas & Speltaceas ſegetes, herbula quædam pereleg ans, ad palmi altitudinem aſſurgens, folijs Nigellæ, ſeu Geranio exiguo conſimilibus ueſtita, prouenit. Ea ſub initia Iunij menſis, floſculos quatuor foliolis diſtinctos, minij colore tinctos, aliquando candidos, per omnia Argemonem minutam, exprimentes, gerit. Poſtquam autem defloruerit, capitula aculeata, ſeu Echini quidam in ſummitate protuberant, hocq; ſemen eius eſt, nam ſingula ſemina inſtar Bliti, aculeis horrent, cumq; numeroſa aculeorum cõgerie ſtipentur, Echinos quos diximus efficiunt.

8. Anemone.

Poſtremam huius generis plantam, in horto quodam forte fortuna repertam uidi, anno ſupra ſeſqui milleſimum, trigeſimo nono, cuius deſcriptionem paucis accipe. Hæc ex radice recta, leui, & digitum minimum craſſa, caulem habebat teretem, & inſtar Been albi

(utuulgo

Anemone hortensis.

Anemone rößlin.



(ut uulgo uocant) geniculatum, folijs herbacei coloris, ijsq; plurimum dissectis, instar Chamomillæ uulgaris, seu Cotulæ, ad fastigium usq;, quod flore rutilo, & quasi aureo, forma Argemonem plane referente, comabat, uestitum.

Polygonaton.
Lydweich.



Atque hęc hactenus, nunc & nomenclationes horum fruticum subijciamus.

NOMENCLATVRAE.

Priores duas uocant Germani Merien rößlin/ hoc est, Rosas Marianas. Conradus Gesnerus in ea omnino est sententia, ut putet, ad Iouis florem Plinij referendas. Quibusdam alijs λυχνῖτις, & θρυαλλὶς dicitur, sed quam recte, ipsi uiderint. De Diosantho siue Iouis flore, uide Ruellium, lib. ij. cap. cxxxv.

Duas uero syluestres plantas, Germani Lydweich/ eo quod illa Chirurgi nostræ ætatis, ad articulos ac neruos, utantur, nominant, alijs præsertim incolis Sebusij oppidi, uulgo Weissenburg uocant, Widerstoß appellatæ. Quidam persuadere mihi conabantur, hos frutices ea esse Behen, quæ Auicenna lib. ij. cap. lxxxvi. & Serapio cap. ccxiij descripsere. Nec desunt qui ad Ocimoidem, (quam appellationem ego herbæ infra cap. lx. descriptæ tribui) illas referant.

Πολυγόνατον. Ego quidem has plantas ad Polygonaton, de quo Dioscorides lib. iiij.
Πολεμώνιον. cap. vi. referrem, nisi alij rursus Polemoniam, quæ & Philæteria, & ob insi-
Χιλιοδύναμις. gnes quibus pollet uires, χιλιοδύναμις dicitur, appellandas censerent. Quorum

rum ſententia forte admitti poſſet, ſi Rutæ folia hæ herbæ haberent. Officinæ hodie hanc Been album, illam Been rubrum uulgo uocant.

Quintam Germani ſimiliter Lydweich appellant, ſuntqꝫ qui dicant ueram eſſe articularem, ſeu ut loquuntur Germani Glydweich/alijs Dauben kropff/propter inflata & concaua ſeminis receptacula, Confluentiæ uero oppido, in Rheni tractu ſito, Splyſpettel nominatur.

Sextam Germani Korn roß / Groß raden appellant, multis μελάνθιον, Nigella ψευδομελάνθιον, & Githago dicitur, ſed perperam. Nigella enim odoratū fert ſemen, uti ſuo loco diximus. Neque etiam Lolium eſſe poteſt, ut multi arbitrantur.

Argemone uero minima, quam Echinata proferre capitula docuimus, quas habeat appellationes, haud dum à quoquam reſcire potui. Quare dum commodius nomen repertum fuerit, interea Anemonem agreſtem, quæ Plinio Aculeata uocatur, nominabo, Germanice klein Klapper rößlin/ Feld oder acker Anemone. Huc pertinet Apium aquaticum, ſupra inter Ranunculos deſcriptum.

Vltimam denique ego Anemones genus eſſe exiſtimo, quod à Dioſcoride. lib. ij. cap. clxvij. his nominibus deſcribitur, ἀνεμώνη, agria aut nigra, Anemone Phœnica, Enemion, Meconion, Tragoceros, Terræ parinæ aut Barbyla, Oſthanes Berilion, Orinois Ceranion, Atractylis, Cnicus agria, Chuffit, Orcitunica, quæ appellationes partim ad alias pertinent plantas.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quantum dulcedinis ac iucundi ſaporis omnia papauera obtinent, tantum uiciſſim ſemini Roſarum Marianarum, tum omnium, cum earum maxime, quæ in hortis plantantur, ingratæ ineſt acrimoniæ, ſimul & amaritudinis. Quare externis corporis partibus, quam internis adhiberi ea conſultius, ac utilius fuerit.

INTRINSECVS.

Semen uino decoctum, amiſſum nutricibus lac, potu recuperat, augetqꝫ. Quod efficacius quidem præſtabit, ſi fœniculum addas.

EXTRINSECVS.

Succus ex radicibus expreſſus, calidiſſimus & acerrimus eſt, qui ſi naribus excipiatur, ſternutamenta elicit, cerebrumqꝫ efficaciter purgat.

Idem ſi in uellere, uel peſſario ſubijciatur locis muliebribus, menſes ſuppreſſos euocat.

Semen omnium Marianarum rosarum contusum, necnon succus earundem, inflammationes doloresq́ oculorum sedat, si linteolo imponantur. Succus suppurantibus oculis illitus, purgat illos, ac propediem persanat. Idem omnis generis scabiei, præsertim uero serpenti, quam Græci Lepram uocant, medetur illitu, uel si ex illo loca affecta colluantur. Proxima autem quæ nunc commemorauimus remedia, ex ultima Anemone confici debent, necq; enim ab alijs Marianis petenda erunt, quod monere placuit.

Reliquæ herbæ his congeneres, quas Germani Glydweich / & Raden appellant, una cum seminibus Chirurgicę inseruiunt, nam ex his fomenta & balnea sudatoria, quibus induratos neruos & articulos emollire consueuimus, utiliter parantur. Quidam his hordeaceos uel triticeos furfures adiungunt, eosq́ cum herbis prædictis, oleo, & aceto, uel uappa decoctos, calidos, affectis membris imponunt.

Innumera alia horum fruticum iuuamenta, ex his quæ annotauimus, colligi possunt.

De Hyoscyamo. *Cap.* *XLI.*

1. *Hyoscyamus secundus Galeni.*

IN GERMANIA NOSTRA VNVS TANTVM HYOscyamus notus est, is nimirum, qui mediocriter flauum habet semen, & secundum à Galeno censetur Hyoscyami genus. Est autem hic ipse Hyoscyamus frutex, radice candida, recta, digitumq́ crassa, ex qua caulis crassus prosilit, folijs uestitus primo exortu latis, pinguibus, mollibus, lanuginosis, concisis, instar frondis quernæ, nigricantibus, seu cineraceis. Hæc quo altiorem in caulibus locum occupant, eo angustiora euadunt, quinis septenisué lacinijs dissecta, ut manu explicatæ simillima appareant. Pro flore, campanulas quasdam pallidas, atcq; luridas, primum ex uasculis rotundis exilientes gerit. Quæ quidem decusso flore in muricatos calyculos operculo quodam, instar pileoli contectos, intus uero semine Papaueri non absimili, sed magis pullo, refertos, secundum caulem ac ramos, continua serie prodeuntes, desinunt.

2. *Hyoscyamus albus.*

Candidus uero Hyoscyamus qui & satiuus dicitur, uulgari consimilis est, nisi quod superiora folia magis exigua, semenq́ candidius habet.

NOMENCLATVRAE.

Diosco. lib. 4. cap. 67. *ὑοσκύαμος,* *Apollinaris.*

Germanis hæc planta Bülsen kraut / Sawbonen / Schlaff kraut / Doll kraut appellatur. Dioscorides Hyoscyamum, alios Pythonion, aliquos Dyoscyamon uocare, alios Adamanta, alios Adamenon, alios Hypnoticon, alios

Hyoſcyamus.


Bülſenkraut.



con, alios Emmanes, alios Atomon, nonnullos Dithiambrion, magos Pythagoram & Oſthanen, Xeleo, Zoroaſtrem, Typhonion, magos Raponticam, Romanos Inananoentariam aut Appollinarẽ, Ægyptios Saphtho,

Candidus Hyoſcyamus.

Weiß Bülſen.



Hetruſcos Fabulum, Gallos Bilinuntiam, Dacos Diellam, nuncupare teſtatur. Apuleio cap. iiij. Augmon, Alterculum, Symphoniaca, Calicularis, Dentaria, Ginga, Remenia, Fabulonia, Ligea & Inſana. Serap. cap. cccxxx. Bengi.

Bengi. Auerrhoi, Elsoc, dicitur. Plinius lib, xxv. cap. iiij. Arabes Hyoscyamum, Altercum, & Altercangenon uocare scribit. Matheus Syluaticus plura alia Hyoscyamo nomina tribuit, uidelicet Dens Caballinus, Equinus, Roß zan/Cassilago. Papienses medicos Hyoscyamum, Herbam Pinulam, aliosq́ Canicularem, & Caniculatam appellare, testis est Iacobus Manlius. Semen Hyoscyami Bizeri Bengi appellant Arabes.

Atomi appellatio, Veratro albo etiam attribuitur. Diosco. lib. 4. cap. 145. Rhaponticæ nomen ad eam plantam pertinet, quæ lib. 3. cap 2. à Dioscoride describitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Hyoscyami herba, flores & semina, necnon & radices frigidam obtinẽt naturam, maxime uero primum genus, ubi namq; immodice his utare, noxam tibi afferes. Nam & brutis animantibus nocere comanducatam hanc herbam, solisq́ passeribus ac coturnicibus prodesse in cibo, Vitalis de furno cap. xxvij. docet. Quare consultius fuerit raro intra corpus eam sumere, nisi periculo nos obijcere uelimus. Quam uero noxia sit planta, uel hinc intelligere possumus, quod à piscibus deuorata, neci eos tradat. Eam artẽ circulatores sycophantæ quidam probe didicerunt, ut enim facilius pisces miseros decipiant, solent illis Hyoscyamum, & coculas elephantis (ut uulgo seplasiæ uocant) præbere, quibus degustatis è uestigio in tantum stuporem conijciuntur, ut exiliendo tandem concidant, ac supini manibus nullo negotio comprehendi possint. Quin & gallinæ suffitu Hyoscyami percepto, amentia afficiuntur, ut etiam de sedibus suis protinus decidant.

His fraudibus utuntur nebulones illi perditissimi, qui se Ægyptios appellantes, uagabundi per regiones errant, sentina nimirum flagitiosissimorum hominum, qui ultra Sauromatas & glatialem Oceanum ablegandi dudum fuerant, si nostris rebus recte consultum unquam uoluissemus.

INTRINSECVS.

Dioscorides Hyoscyami semen cum uino sumptum, contra tussim & acres destillationes capitis apprime conferre testatur, idem præstat & Papauer candidum.

EXTRINSECVS.

Herba Hyoscyami, necnon flores eius & semen, somno conciliando, dolori sedando prosunt, sed si immodice quis illis utatur, alienationem mentis pariunt.

Linteola madefacta succo herbæ expresso, calidis ac manantibus oculis imposita, inflammationem, fluxionem, ac dolorem illorum tollent.

Succus herbæ, uel oleum seminis, auribus inditum, dolorem & punctio-

nes illarum crebras aufert. Folia recentia locis tumidis imposita, remedium (ut uocant) repercussiuum præstant, dolorem etenim sedant, tumoresq; quosuis deprimunt.

Folia Hyoscyami cum polenta contusa, dolores omne genus mitigant, Podagris subueniunt. Ad eadem facit & oleũ Hyoscyami. Si ex Hyoscyamo lauacrum pedum, uel uaporationes conficies, somnum accerses. Idem efficit oleum eius cum aceto fronti uel temporibus illitum. Confert hoc idẽ remediũ testium inflationibus, & mammis à partu turgentibus, impositũ.

Aqua ex herba Hyoscyami distillata, supra dictas facultates obtinet.

Breuiter folia Hyoscyami recentia, semen & aqua eius distillata, debent tantum foris usurpari, doloribus leuandis, & somno conciliando.

Radix aceto decocta, si cum illa dentes affecti colluantur, utilis est.

Postremo si quis uel herbam, uel semen Hyoscyami hausisse se suspicetur, is quamprimum caprinum lac, uel aquam mulsam, potet, uel pineos nucleos, aut cucumerum semina cum passo sumat. Sin uero hæc desiderentur, urticæ uel Nasturtij uel Sinapis semen, aut Raphanos, cæpas, aut allium è uino bibat, quod cum fecerit, insania, ac stupore, quem Hyoscyamus generat, liberabitur.

De Aquilegia, & Rhapontica. Cap. XLII.

1. *Aquilegia.*

AQVILEGIA PLERVNQVE IN HORTIS APVD NOS nascitur. Inuenitur tamen & in altissimis syluis, & collibus saxosis, necnon in petris & muris. Planta certe elegantissima. Folia eius prima Chelidonio maiori consimilia apparent, suntq; illa circumquaque incisa, ac dissecta, humi strata. Iunio mense in caulem rotundum ac leuem, cubito altiorem exilit. Is in fastigio florem gerit perpulchrum, duplici foliorum ordine stipatum, in quadam sua parte in corniculum inflexum desinit, non aliter quam Consolida regalis, & quę Germanis Eisen hütlin/ de qua infra, cap. lxxxij. Flos præterea alijs candidus, alijs purpureus, uulgaris uero cæruleus est, campanulæ non dissimilis. Eo decidente capitula, quaternis uel quinis acuminibus coniunctis, haud secus atq; Melanthij, oblongo, atroq; ut eo nomine pulices referat, semine referta subnascuntur. Radix illi candida, prælonga, nonnunquam digitum crassa, fibris capillata. Gustu tam radix quam herba, flores & semen, ad dulcedinem quandam uergunt.

NOMENCLATVRAE.

Ego in ea sum sententia, ut Aquilegiam nostram Centaureum Germanicum esse censeam, non tamen illud quod Diosco. lib. iij. cap. vi. describit, quodq;

Aquilegia.
Aglei blůmen.



quodq; aliis Narcen, aliis Limnesion, Maronem, nō nullis Plectroniam, aliis Chironiam, aliis Limnesim, magis Herculis sanguinem, Romanis Phieri, & Vneferam, & fel terræ nuncupari tradit. Quanq; & Gentiana, radix Centauri, Aloe Gallica, Narce, chironion, Aloitis, Cicendia, & Ciminalis, ab eodem libro iij. cap. iij. nominetur. Est autem ἡ νάρκη apud eundem Dioscoridem lib. ij. cap. xv Torpedo piscium. Neq; hoc prætereundum, uerum ἄιμα ἡρακλέους, Crocū esse quemadmodum libro i. cap. xxv testatur Dioscorides. Apuleius cap. xxxiiij Centaureum maius sequentibus insignit appellationibus, Pelethronia, Limnites Limnestis, Apogorisapo, Polytidios, Hemerotos, Antiamas, & Fel terræ, q̃d nomen ad Centaureum minus proprie pertinet. Idem Author Enulam quoq; Panacen, Centaurion uocat cap. xcv. Serapioni capite ccciiij. Centaureum maius kanturion, kibir dicitur. Autor libelli de Centaurea, maiorem Centauream solidam dici affirmat. Porro quæ Germanis Ackelei & Aglei (quanq; ego Centaureum Germanicum esse puto,) ea neotericis Aquilegia, Alkaleia Vsi, & Osir appellatur. Quidam eam Aegilopa Dioscoridis lib. iiij cap. cxxxiiij.

esse autumant, sed decipiuntur illi, totoque coelo aberrant.

Quod ad Rhaponticam radicem attinet, non desunt inter doctos, qui Centaurium maius esse asseuerent (vide Antonium Musam) quod si ita est, nobis quoque Germanis in altissimis Heluetiæ alpibus, maxime uero in montanis Sedunorum, nobilissima illa ac decantatissima radix prouenit. Eius historiam Antonius Musa diligentissime descripsit. Quod si uero quis quærat, cur Aquilegiam nostram Centaurium appellem, eum uicissim ego interrogabo, quare Dioscorides Hyoscyamum, Rhaponticum, & Gentianã Centaurium uocauerit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Aquilegia tametsi nobilissima sit plãta, tamen apud doctissimos usu fere abdicata est, sed iniuria, nam temperamentum habet mediocriter calidum, ideoque ad multa utilissima est planta.

Sed Rhapontica radix ex calefacientium & astringentium est ordine.

INTRINSECVS.

Rhapontica radix, quæ hodie Centauria maior censetur, uino decocta, & pota ruptis, conuulsis, & ex alto delapsis medetur. Suspiriosis & hydropicis eodem modo sumpta prodest, affectibus pulmonis succurrit, nec non pleuriticis. Sanguinem excreantibus auxiliatur, omniaque interna uulnera persanat. Quod si his morbis, febris coniuncta sit, in aqua cui zaccarum adiectũ fuerit, radix decoqui debet.

Radix desiccata, inque puluerem redacta, & drachmæ pondere è uino bibita, tormina sedat, tam uiris quam mulieribus.

At Aquilegiæ semen tusum, ac pondere drachmæ cum Croco nummi pondere è uino bibitum, præstantissimũ est medicamentum aduersus morbum Regium, experientia certa id attestante, si postquã sumpseris, in lectum te composueris, probe contectum, ac sudorem elicueris. Eodem modo usurpatum meatus iocinoris obstructos, unde multæ ægritudines oriuntur, aperit.

Aqua florum Aquilegiæ distillata, pota, eadem efficit, præstatque leuamẽtum aduersus Syncopen, Abscessus proinde internos discutit, uenenum quoduis expellit ac tormina mitigat.

EXTRINSECVS.

Succus Rhaponticæ radicis sicut et herbæ miram habet uulnera glutinandi uim, si cum illo colluantur, atque is etiam dein imponatur. Quod uerum esse inde facile probari potest, quia cum carne decocta, uniuersa eius frusta in unum coire facit.

Pessari/

Pessarium hoc succo madefactum, locisq́ muliebribus subditum, menses & emortuos fœtus euocat.

Succus & aqua distillata, dolores capitis punctorios illitu finiunt. Idem succus aceto permistus capitiq́, salsa aqua prius abluto, illitus, furfures tollit.

Caligini oculorum succus idem opitulatur. Auribus quoque affectis instillatus remedio est, uermesq́ & pulices ibi latentes enecat. Naribus inditus, fistulis medetur, alijsq́ malignis ulceribus, necnon oris exulcerationibus si ex illo colluantur. Liuentia, lichenasq́ tollit, inflammationesq́ omnes ueteres dissipat succus, illitu. Idem de radice uino albo ultra dimidias decocta, si linteolis in ea decoctione madefactis imponatur, tibi pollicere.

Plura Centauriæ maioris iuuamenta si cognoscere cupis, uide libellum de ea conscriptum.

De Centauria minore. Cap. XLIII.

CENTAVRIAE MAIORIS EXPLICATA HISTORIA, de minore deinceps agendum uidetur. Est uero Centaurium minus herba caule recto, palmum excedente, flore in summo ramulorum ex puniceo in purpuram uergente, quo decusso siliquæ exiguæ, nec auenæ grani magnitudinem superantes, farina loco seminis (nam an ea sit semen eius, ex quo nasci possit Centaurium, mihi quidem minime constat, tametsi non semel illud terræ mandarim, sed frustra, qui fit, ut ex singulari quadam humiditate, cœlestiq́ inclinatione, Centaurium è terra prosilire iudicem) refertæ, subnascuntur. Folia habet primum humi sparsa, ut stellulam quandam exprimat figura, ipsamq́ uulgarem Pilosellam, aut Anagallida prorsus imitentur, insuper & ciner acea. Sub initia Iunij, in coliculum dodrantalem assurgit. Radicem habet exiguam, unicam, tenuem, perbreuem, rectam, lignosam, ac in medicina inefficacem, prorsusq́ inutilem. De loco natali contrauertitur, ueteres namq́ rei herbariæ scriptores illam secus fontes, & propter lacus nasci, & rigua amare loca, ideoq́ Limnesion uocatam tradunt. Rursus manifestum est hodie in Germania illam rarissime in humectis locis, quin frequentissime, ac ubertim in graminosis agris ac aridis nonnunquam herbaq́ destitutis campis prouenire.

NOMENCLATVRAE.

Quæ Germanis Dausent gulden, ea Latinis Centauria. Plinio lib. xxv. cap. vi. Fel terræ, Exacon dicitur, Dioscorides lib. iij. cap. vij. κενταύριον μικρὸν, λιμνήσιον.

Centaurium minus.

Tausent gulden.



Serap. cap. 103.

Λυκόνιον, Helleboriten, Amaranton, Herculis sanguinem, Febrifugiam, Aurã, Multiradicem & Tulbelam nominat. Quod autẽ Dioscorides Centauream minorem, multiradicem appellet, mirari satis non possum, cum ex unica tantum radicula singuli Centaurij fruticuli exiliant, quare ea appellatio uel in caput cxlvi. lib. iiij. aut certe in caput cviij. eiusdem libri apud Dioscoridem cõijcienda erit. Rursus neq; Amaranti nomen huic herbæ quadrat, cum enim à diutina duratione tractum sit, tribuendum potius Heliochryso, & Chrysocomæ, quæ non ita cito tabescunt. Vide Dioscoridẽ lib. iiij. cap. liij. lv. Febrifugæ deniq; uox matricariæ, Germanis Metter/à nonnullis ascribitur, cum et Dioscorides lib. iiij. ca. cxxvij eam Conyzæ quoque attribuat. Apul. cap. xxxv. Centaureum à Dacis Stirsozila uocari ait. Serapioni, Kauturion Sege Segir. Qui de Centaurea libellũ conscripsit, Limuscum quoque uocari affirmat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Magni ac frequentis usus est, Centauriũ quantumuis amarum, nec iniuria

ria quidem, cum discutiendi, educendiq́ crassas pituitosas, & cholericas humiditates, facultatem obtinet, temperamento suo calidum & siccum existens, utrinq; corpori humano utilissimum.

INTRINSECVS.

Manipulus herbæ Centaurij una cum floribus, dimidia mensura uini albi, uel aquæ ad dimidias decoctus ac potus, bilem, crassosq́ humores per aluum exigit.

Qua de causa utilissima est hæc decoctio, ijs, qui morbo regio, continuisq; febribus laborant.

Eadem potio uesperi ac mane per aliquot dies sumpta, iecoris, lienisq́ obstructiones soluit, omnia corporis uitia expellit, tineas uentris enecat, menses, fœtusq́ mortuos euocat. Eodem modo usurpata tormina, cholicam passionem, aliasq́ uentris affectiones persanat, maxime eas cum quibus nulla est coniuncta alui astrictio.

Aquæ ex herba & floribus facilior usus, sed non perinde efficax, quare delicatorum ac puerorum esto remedium, qui lūbricis infestantur, quos si commode pellere uelint, singulis uicibus mensura trium uel quatuor cochlearium haurient illam.

Quidam herbam in puluerem redactam è uino ad omnia ea quæ diximus bibunt, nonnulli pillulas conficiunt ex ea, quæ quidem Ischiadicis, neruorum uitijs, & podagris adhiberi possunt. Quin & clysteribus haud inutiliter adijcitur.

EXTRINSECVS.

Succus herbæ expressus cum melle, oculis caligantibus in collyrijs illinitur efficaciter. Idem in pesso mulieribus subditus, menses, & secundinas trahit, inueterata purgat ulcera, si cum illo abluantur, & cicatrice obducit, idq; non cunctanter.


Recens Centaurij herba tusa, ac cataplasmatis modo imposita, uulnera glutinat, citoq́; persanat.

Veteres Centaurij succum expressum soli, donec crassesceret, exposuerunt, eoq́; ad affectiones quas enumerauimus postea usi sunt. Alij tamen succum eum hoc modo conficiunt, legitur, cum semine prægnans est, & diebus quinq; aqua macerata decoquitur, ultra dimidias, mox ubi refrixit linteolo exprimitur, herbaq́; detracta rursus coquitur usque dum mellis crassitudinem consequatur. Pari ratione de omnibus herbis & floribus, succus excipi, confici, & conseruari, teste Dioscoride poterit.

De

De Caltha Vergilij, Germanis Dotter blůmen dicta. CAP XLIIII.

I. Calthæ primum genus.



EX PLANTIS quæ in capitulis semen cõclusum habent, illa quoq; est, quæ uerno tempore in humectis pratis, & ad fontes prouenit, Germanis Dotterblům dicta. Folijs ea uestitur herbaceis, rotundis, & forma ab Asaro nõ abludentibus, per terram sparsis, leuiter serratis. In caulem dodrantalem, teretem excrescit, ramulis brachiatũ, culmi magnitudine præditum, qui in fastigijs rotunda gerunt capitula, magnitudine Pisum æquantia, ex quibus cum rumpuntur, flosculi luteoli, instar Ranunculi, at paulo maiores & elegantiores prodeunt. His decidentibus alia capitula, caules & surculi proferunt, sed oblonga, ternis uel quaternis discriminata diuisionibus ueluti Aquilegia, semine flauo, milioq; magis exiguo prægnantia. Radix illi multis alijs adnatis radiculis contorta & implicata, digitum crassa, crebrisq; fibris capillata, instar Hellebori albi. Sapor herbę, florum radicisq; idem est qui & olerum, unde existimo, posse illam oleribus culinarijs in cibo adiungi.

Alte-

Alterum genus caule & flore præcedenti simillimum est, sed magis exiguum, nec perinde luteum ac illud. Folia gerit leuiter dissecta, in modum Ranunculi. Herba gustu quandam præ se fert acrimoniam. Pratis similiter gaudet humectis. *Calthæ alterum genus.*

NOMENCLATVRAE.

Hunc florē sæpenumero Dotterblůmen & Gäl wisen blůmen ac Goltblůmen/propter colorem nimirum quo nitet, & Moßblůmen ac Matten blůmen, quod frequenter in humidis pratis inueniatur, appellari audiui. Latinum quodnam habeat nomen ignorare me fateor, tametsi cum flos sit vulgaris, Caltham uocari posse puto cuius in Alexi his uerbis meminit Vergilius. *Mollia luteola pingit uaccinia caltha.* Sed quid de uera sentiam Caltha suo loco dicetur. *Caltha Vergilij.*

Alterum genus non male Chrysanthemo Democriti respondet, sed & de uero Chrysanthemo postea. *Chrysanthemon Democriti.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pueri maxime his floribus gaudent. Neq; hodie in Medicina ullum usum habent.

De Bellio maiore Barbari.
CAP. XLV.

DVO ISTIVS PLANTAE GENERA IN AGRIS Nostris uisuntur, quorum alterum luteis plane floribus, formamq; oculi magni, referentibus emicat, alterum uero flores luteos instar capitis, foliolis candidis illos cingentibus, non secus atq; cilijs oculi ambiuntur, gerit. Vtraq; tenuem habet caulem, folijs teneris ac mollibus, sed in priore pinguioribus, ac aliquantulū serratis, Senetionisq; herbæ quadā tenus similibus. Radix illis multis capillamentis fibrata, qualis & Tanaceto est. Sub finem Maij, & Iunio mense in graminosis agris proueniūt, quanquam ab eo tempore inde usq; ad initia Nouembris, non raro reperiuntur, maxime uero ea, cuius flores albis foliolis circundatos esse docuimus, quæ & aridioribus pratis plurimum gaudet. *Bellis maior Barbari.*

Lutea autem duntaxat in aruis inter auenæ & tritici segetes, peculiare earundem uicium, enascitur. Vnde satis demonstrari potest, hanc ipsam plantam non esse (ut multi putarunt) congenerem illi, quam præcedente statim capite depinximus.

NOMEN-

Bellis maior Barbari.

Kalbs aug.



NOMENCLATVRAE.

Germani Gänß blům, Moguntinenses Sanct Johans blům, hoc est, florem S. Ioannis uocant, quia circa festum Ioannis Baptistæ erumpat, Metensibus, Treuirensibus ac Spirensibus, Kalbs aug/hoc est uitulinus oculus dicitur, idque haud iniuria, cum buphthalmus sit, sed non is, de quo Dioscorides libro iij. capite cxlviij, & nos infra capite xlviij. Cum uero non satis mihi constet, quonam præsens planta collocanda sit, libet interea dum commodius nomen emergat, cum doctissimo uiro Hermolao Barbaro, Bellium maiorem illam appellare.

PROinde cum de Temperamento ac uiribus eius nihil certi habeam, eam prouinciam alteri demandabo. Volui tamen eam Calthæ de qua adhuc sub iudice lis est, ob hanc ipsam causam subijcere.

De Calen-

De Calendula, Germanis Ringel blůmen. CAP. XLVI.



CALENDVLAM NOXIAM ESSE PLANTAM PLERI- que putauerunt, quamobrem nos quoque breuiter illam pestrin-

gemus. Est itaq; Calendula, herba fruticosa, caule binos palmos seu cubitos, interdum alto, radice candida & recta, quemadmodum Leucoion, cuius folia etiam imitatur, nisi quod illa in Calendula aliquantum longiora, latiora, & magis herbacea sunt. Frutex unicaulis est, sed surculosus, instar arbusculæ ramosæ, in cuius fastigijs globuli quidam protuberāt, qui folliculos lini uirides referunt, è quibus croceus erumpit flos, odoris grauis, at non ingrati. Quo decidente capitulum, Monachi caput exprimens, relinquitur, atq; id est semen eius, quod si discerpseris singula semina inflexa præsegminibus ungium, uel unguiculis auicularum similia apparent. Porro semen intus candidum, & dulce est. Maio mense floret, quo in statu usq; in rigidam hyemem perdurat, quamobrem non inepte Calendula uocari potest.

NOMENCLATVRAE.

Germani non solum ob floris, sed & seminis in circulum acti figuram, Calendulam, Ringel blůmen appellant. Recentiores rei herbariæ scriptores Calendulam, Caltham, & Calthulam, nonnulli etiam caput monachi, ea de causa, quam in descriptione herbę attigimus, uocant. Hermolaus Barbarus uir doctissimus scribit se quondam uidisse in Dioscoride peruetusto depictum Leontopodium, eamq; picturam cum Calendula cōuenire, unde eā Leontopodiū esse affirmat. Manardus aliquandiu alterius fuit sententię, putauit enim illam esse Lysimachium Dios. Iacobus Manlius herbam blancam uocat. Matheus Syluaticus, uir alioqui optimus, putauit eam esse herbam Paralysin, uel Primulam ueris, asserens illi nomen esse Charamos. Alij Heliotropion, Sponsam solis, Solsequium, seu Verrucariam appellāt, atq; hi quidem maiori in errore uersantur. Hactenus aliorum de nominibus Calendulæ sententias recitauimus, superest ut & nostram proferamus, quæ si à ueritate & ipsa aberrauerit, uenia tamen dignam esse arbitror, posteaquam uel doctissimi quiq; sæpenumero in re tam obscura & dubia hæsitauerunt. Calendulam igitur à Dioscoride. lib. iiij. cap. cxxix descriptam, & Catanances alterum genus esse existimo. Sed nomenclaturas eo loco propositas pro more recensebo, κατανάγκη, Damnamete, Dionysias (quæ uox Androsæmo quoq; lib. iij. ca. clxiiij. à Dioscoride tribuitur) θύμιον (quo nomine & Thymus appellatur, uide Dioscoridem lib iij. cap. xxxix) Demos, Cemos, Crotion, Archaras, Archopus, Herba filicula (qua appellatione & Polipodion, lib. iiij. cap. cxxx. insignitur) Datisca, & Caropithla.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Calendula calidam siccamq; habet naturam, qui fit ut in medicina raro usurpetur.

usurpetur. Sin uero ea uti contingat, hoc in externis potius corporis partibus fit. Ad amorum uenelicia, & superstitiones his floribus utuntur nonnullæ mulierculæ.

EXTRINSECUS.

Aqua ex floribus Calendulæ distillata, præsentaneum adeoq; expertum remedium præstat oculorum rubori & inflammationi instillata, mane uesperiq;, uel si linteola in illa madefacta oculis imponantur.

Flores in puluerem redacti, inq; uellere dentibus inditi, dolorem illorũ sedant.

Flos perinde, atq; ipsa herba, secundas educit mirifice, si aridus suffitibus admotus fuerit.

De Chamomillis. Cap. XLVII.

CHAMOMILLAE CANDIDAE ORBICULIS AUREIS, siue ocellis in medio præditæ, quatuor in Germania nascuntur genera, quorum duo odorata, unum fœtidum, aliud postremo omnis odoris expers est. 1. *Parthenium nobile.*

Nobilissima ex his, siue recens, siue arida fuerit, iucundissimum spirat odorem, non secus atq; malum probe maturum & odoratissimum. Forma sua ante florem Millefolium exprimit, cum uero floret, Cotulæ quam Germani Krotten dyll dicunt similima existit, per terram sparsa procumbit, ac facilime ubicunq; humum attigerit, radicatur, haud aliter quam Serpyllũ, quare è surculis decerptis sine negotio plantari potest. Radices habet candidas & capillatas. Hæc Iunio mense appetente in coliculos assurgit, haud temere palmum excedentes, tenues, in quorum fastigijs flores stellati, partim candidi, partim lutei, uulgari Chamomillę quam maxime similes emicant, nam intus aurei sunt, forinsecus uero orbiculato ambitu candidi. Gustu admodum amara est hæc Chamomilla, haud aliter quam Absinthium, seu Matricaria, frigoris & hyemis quantumuis duræ contemptrix. In muris, sepibusq;, & alijs quibusdam locis prouenit. Cæterum cœpit illa iampridem Bipontij, Hornbachij, & Sebusij passim plantari. Mihi uero primum omnium à quodam bono uiro, qui illam ex agro Metensi, ubi in hortis, ob iucundum odorem, seri consueuit, secum adportauerat, communicata fuit. 2

Altera Chamomilla, quæ grauiter olet, meo quidẽ iudicio, iã dictæ syluestre est genus. Sunt namq; forma pene cõsimiles, nisi q̃d Cotula (ut uulgo uocant) fœtida, admodum male olet, alteraq; procerior & grandior eua- *Cotula fœtida.*

Chamomilla uulgaris.
Camillen.



dit. Nascitur hæc plerunque inter fruges.

3. Chamomilla uulgaris. Tertia, eademque uulgaris Chamomilla, alsiosa est planta, nam quotannis ex semine deciduo, quod Tanaceto simile est, repullulascit. Bis in anno floret, Vere scilicet inter segetes, et Autumno in agris rapitijs. Folia huius teneriora, & magis laciniata, & ad uiriditatem nigricantem uergentia.

4. Chamomilla fatua. Quarta iã dictæ adeo cõsimilis est, ut solo odore animaduerso, discerni possint. Hæc enim, posterior plane inodora existit. Ad sepes plerunque, & in quibusdam agris nascitur. Proinde pereunte huius (quod de proxima similiter intelligi uolumus) flore, & caulis, una cum radice emoritur, demumque ex semine reuiuiscit. His itaque explicatis ad nomẽclaturas accedemus, ubi prius naturæ miraculũ quod in binis his posterioribus Chamomillæ generibus contingit, & à Plinio animaduersum, ac literis mandatũ est; lib. uidelicet xxi, cap. xvij. annotauerimus. *Miraculum naturæ.* Mira & Anthemidis (inquit) natura, quod à summo florere incipit, cum cæteræ omnes, quæ particulatim florent, ab ima parte sui incipiant. Hæc ille. Sola itaque Anthemis, & Pyrethrum apertas habẽt internas floris partes, quibus foliola deinceps

adnascuntur

Parthenium, nobilis Chamomilla.

Die Edel Chamill.



adnascuntur, cum ceteræ rosę, flores, & lilia antequã floreant, uasculis inclusa cõtineantur. Atq; hæc hactenus.

NOMENCLATVRAE.

Prior Chamomilla, uerum ac nobile est παρθένιον, à Dioscoride lib. iij. cap. cxlvi. descriptum. Odore etenim mali esse Partheniõ à Celso Perdicium, & muralium, ab alijs uero, Leucanthen, & Tamnachum appellatum Plinius testatur lib. xxi. cap. xxxi. Nostram sententiam Galenus etiam confirmare uidetur, cum lib. vi. de simp. medi. Facul. Parthenij appellationem ad Helxinem refert, quam & Sideritim & Heracliam alijs nuncupari tradit. Atqui Heracliæ appellatio pluribus alijs plantis attribuitur in Dioscoride, quem uide lib. iij. cap. viij. xxvi. xxix. l. & lib. iiij. capitibus. xxxiij. clxvi. xxxvij. iiij. lxv. Quæ omnia eo mihi commemorata sunt, ut intelligatur non minus Parthenij nomenclaturam multis herbis, ut supra cap. xxviij attigimus, & infra l. dicetur, ascribi, quam ipsius Heracliæ. Parthenion Dioscoride teste, alij Amaracon, alij Anthemida, alij Leucanthemon, alij Chamæmelon, alij Chrysocatin, alij Melabathron, nonnulli Campe-

Parthenion Germanis edel **Chomill.**

Perdicij & muralij appellationes ad parietariam propriè spectant.

Helxines uox ad parietariam uerius pertinet.

Diosco. lib. 2. cap. 176.

Amaraci appellatio propriè ad Maioranam pertinet.

ſtrem florem, Romani ſolis ſeculum, aliqui Millefolium, Hetruſci cautam, Aphri thamath. Quodq́ ad has appellationes attinet, tribuuntur & ipſæ alijs ſtirpibus, ut ueriſſime dicas, multa nomina multorum errorum ſæpenumero eſſe cauſas: Nam Anthemis nomen duabus alijs communicatū eſt, uide Dioſcoridem lib. iij. cap. cxliiij. & cap. cxlv. ut idem de Millefolio, alijsq́ nominibus, quæ nihil attinet hic ad longum repetere ſentias.

Altera Chamomilla quæ grauiter olet, latine Cotula, Cauta uel Chamomilla fœtida, Cynobotane, Cynanthemis, Germanis Krotten dyll / hunds dyll / uocatur, fieriq́ poteſt, ut iſta Chamomilla ſeu Cotula Thalictrum ſit Dioſco. lib. iiij. cap. xciij. Neque enim eſt Parthenium, ut multi putàrunt.

θάλικτρον.

Tertia uulgaris, ſeu agreſtis Chamomilla Dioſcoridi lib. iij. cap. cxlv. ἀνθεμὶς, Theophraſto uero Anthemon appellatur. Atq; hanc ego, uerum Leucanthemon, ſeu Melanthemon, Plinij lib. xxij. cap. xxi. eſſe exiſtimo. Eſtq́ hæc altera odorata Chamomilla quam Dioſcorides loco citato ἠράνθεμον, Callian, Chryſocomen et χρυσάνθεμον, appellat.

Anthemis, Germanice Chamillen.

Quarta Chamomilla, quia odore prorſus deſtituta à reliquis quaſi degenerat, Chamomilla fatua, inſipida, non odorata, Cotula non fœtida, uocari poteſt. Hæc poſtrema Chamomilla mihi plane ea uidetur eſſe, quam Dioſcorides lib. iiij. cap. lvi. χρυσάνθεμον, uocat, cuius plura alia nomina eodē loco uide, ſimul & Ruellium lib iij. cap. cij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Hortenſis uera & ſatiua Chamomilla, ea nempe quæ odoratiſſima eſt, et Parthenion uocatur, cæteris longe præſtat. Secundum locum uulgaris Chamomilla occupat. Hæ binæ Chamomillæ calidam & ſiccam habent temperaturam, diſcutiendi, extenuandi, doloresq́ ſedandi facultate præditæ.

INTRINSECVS.

Chamomillæ odoratæ, flores cum herba decocti in uino & poti, iocinoris & lienis obſtructiones ſoluunt, bilem ſuffuſam purgant, menſtrua pellunt, aduerſus ilei tormenta auxiliantur, renum, ueſicæ uitia ſanant, & matricis internos dolores leniunt. Eodem modo ſumpti, pulmonis apoſtemata ſanant, ſuſpirioſis proſunt, renum calculum propellunt, alui fluxum, quē Lienteriam uocant, Chamomillæ cohibent, ſtomachum frigidum excalefaciunt, multosq́ internos dolores auferunt.

Eadem omnia efficit aqua Chamomillæ florum diſtillata. Puerperis uero primo loco poſita in primis utilis eſt, nam per eam efficaciter purgantur.

Qui.

Qui morbo comitiali continuo uexantur, ijs flores Chamomillæ aceto & melle decocti, propinari in potu debent, quo si usi fuerint, statim consurgunt, morboq́ per aliquot tempus liberantur.

EXTRINSECVS

Non est usitatior in medicina ulla planta apud omnes homines, quam Chamomilla, nam uulgus eam ad quosuis morbos adhibere solet.

Flores Chamomillæ aqua decocti, cum oleo Chamomelino clysteribus utiliter adiunguntur, Nam quosuis dolores sedant, renum, matricis, iliorũ, & uesicæ. Quare ex his aduersus uteri affectiones, fomenta, desessiones, & sacculi recte conficiuntur, Breuiter utilissimi sunt hi flores, emolliendi, et menses impeditos euocandi uim magnam habent.

Chamomillæ odor, aqua eiusdem stillatitia, necnon lixiuium in quo illa decocta fuerit, debilitati capitis & cerebri conferunt.

Decoctio Chamomillæ, inueteratis malignis ulceribus lauandis utilissima est.

Oleum ex Chamomillæ floribus confectum, ad multa facit, induratos enim tumores & collectiones emollit, ac detumescere facit, doloresq́ mitigat. In summa nemo omnes Chamomillæ uires facile explicuerit.

Chamomilla foetida.

Cotulæ autem fœtidæ decoctio, non aliter quam Castoreum, contra præfocationem uteri, insessu, fomentationibus ac odoratu, saluberrima est.

Cotula fœtida tusa & emplastri instar uulneribus imposita, illa conglutinat, ac persanat.

De Buphthalmo, qui Germanis Streichblůmen dicitur. CAP. XLVIII.

HANC STIRPEM IN AGRO VORMACIENSI, PROPE oppidum Algei / in altis ac petrosis agris, qui per aliquot annos inculti iacent, primum reperi. Solent autem mulierculæ illam, cum in flore optimo fuerit, Iunio mense colligere, siccare, & ad usus quotidianos recondere. Estq́ hæc planta tota sua substantia uulgari Chamomillæ consimilis, nisi quod radices, caules, folia, & flores habet crassiores, proceriores, latiores. Folia ad cineraceum colorem uergunt, Tanaceti similia, sed minutioribus incisuris dissecta. Florẽ gerit in ambitu, per-

Buphthalmus, Germanis Streich blůmen.



pulchris foliolis ornatum, ueluti Buphthalmus, cuius supra meminimus, eosq; intus & foris aurei coloris, non aliter atque Cydonia mala. Folia & flores huius plantæ iucundo commendantur odore, & Artemisiam rubram dum floret, uel Achilleam æmulantur.

Est & aliud herbæ genus, quo linimenta lectorũ tingere solent mulieres, sed de illo suo in loco.

NOMENCLATVRAE.

His floribus utuntur mulierculæ ad linimenta sua, quibus lectos illiniunt, qua ratione croco parcunt. Ea etiam de causa solent hanc plantam patria uoce Stein blůmen / Streich / oder Sterckblůmen appellare, necq; ego aliud potui extorquere nomen: nostræ enim officinæ, cum ne rem ipsam quidem cognitam habeãt, quo pacto appellationem eius nos docerent? Quam uero in Dioscoride nomenclaturam habeat, facile intelliget, qui flores, caulẽ, folia & radicem huius pressius considerauerit, cumq; Buphthalmo Dioscoridis cõtulerit. Est itaq; hæc planta, non Eranthemon Hippocratis, ut multi putant, sed potius Buphthalmos Dioscoridis uerus, quem ille Balsamenam, Hæmorrhan, Mercurij genituram, Apthitis semen, aut Mnesitheum, Cappacoraniam, & Narat, necnon

Βούφθαλμον. Diosco. lib. 3. cap. 147.

Cachlan

Cachlam cognominari tradit. Serapio Bichar uocat, capite. clviij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Buphthalmus calidum fere & siccum obtinet temperamentum. Vires il lius partim sub Chamomilla odorata descriptæ sunt, partim nunc explicabuntur.

INTRINSECVS.

Flores Buphthalmi, uino decocti, interaneorum animalia pellunt, dolores uentris mitigant, potu. Reliqua sub Chamomilla uulgari, require iuuamenta. Dioscorides & Serapio aiunt flores hoc uino decoctos, à balneo statim per aliquot tempus potos, suffusis felle coloris bonitatem reddere. Proinde hæc potio uomitum prouocat.

Sed antequam ad alia transeamus, placet experimentum de hoc frutice adferre in medium, si forte Buphthalmus iste sicut & Parthenium meũ hoc pacto innotesceret. Vsus sum itaq; hac herba in uino decocta aduersus inueteratam fellis suffusionem, potu illam decoctionem calidam, hoc morbo laborantibus tanquam concoquens & discutiens remedium exhibui, certoq; deprehendi eam extenuandi, discutiendiq;, & educendi citra dolorem, & periculum, ui præditam.

EXTRINSECVS.

Habent hi flores omnes facultates odoratæ Chamomillæ, possuntq; loco florum Absinthij usurpari. Eosdẽ cum cerato tritos, tumores, duritiasq; discutere, autor est Dioscorides.

De Flore tinctorio, Germanice Schartenkraut appellato. CAP. XLIX.

QVAM MODO PRAE MANIBVS HABEMVS PLANtam, ea in tractu Rheni, in quibusdam pratis, Iuniperorumq; nonnullis colliculis, ac montibus prouenit. Iulio & Augusto mensibus legitur, posteaque uenundatur. Caulem habet purpureum, tenuem, folia instar falcis plurimum dissecta, è calycibus squarosis instar florum Cyani, sed maiorem prodeuntem. Sunt autem istius plantæ, si penitius rem consideremus, quatuor genera, quæ ordine recensebimus.

Primum itaq; & nobilissimum caulem habet purpureũ, ex radice recta, modiceq; fibrata, cubitalem, herbaq; lanuginosa, partim incana, partim nigricante, primum Cichoreo minori non absimili, uestitũ, binis, ternis, aut quaternis flosculis (quorũ orbiculi foliolis purpureis cinguntur,) ijsq; radiatis, & maturi mali odore præditis, rutilantem.

K v

Tinctorius flos.
Scharten kraut.



Alterum iam commemorato haud absimile, sed per omnia magis extenuatum, (ut ita dicam) & nigricantius, flore uero lanuginoso, qui si præmaturus fuerit, decidit sua sponte, ac instar florum Hieraciorum in auras euanescit.

Tertium primo per omnia respondet, nisi quod florem profert prorsus luteũ. Nascitur in petrosis collibus, & locis montanis.

Quarta huius generis planta, alio referri potest, nam odore Absinthium fere æmulatur, folijs cineraceis, dissectis atq; incisis, non secus atq; Artemisia, seu Absinthium. Florem fert radiatum, totumq́; similiter luteum. Nascitur in altis ac incultis locis, caule cubitali. Quod uero istam stirpem prædictis annumeraui, in causa fuit quod nõ solum flore esset stellato, sed & quia forma, ac odore cũ illa conueniret. Neq; etiam quisquam erat, qui nomen illius me edoceret. Sed iudici herbariæ rei hoc quicquid est committo, si enim soli mihi iudicium permitteretur, (id quod fieri nec potest, nec debet,) hanc stirpem Absinthio accenserem. Non desunt autem qui eam ad Solidaginem Sarracenicam referant, quemadmodum dicetur.

NOMEN-

NOMENCLATVRAE.

Tinctores Spirenses, nec nō & uulgus patria uoce fruticem istū Schar ten kraut appellant. Sunt autem qui eam Heidnisch wundtkraut, hoc est Solidaginem Sarracenicam, nominatam uelint. Ego primum illius genus tertiam Chamomillæ, cuius nomina supra annotauimus, speciem esse iudico. Postremo loco descripta herba ad Absinthium seu Artemisiam ut diximus referri potest.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Tria huius herbæ genera eosdē effectus cum Chamomillis, quas supra descripsimus, obtinent. Et de priori quidem ac purpurea Chamomilla ita scriptum reliquit Dioscorides lib. iij. cap. cxlv. Ex omnibus his generibus ad calculos efficacissima est, quæ florē fert purpureū, cuius amplitudo maiuscula est. Hanc proprie heranthemon uocant. Hæc ille.

Quæ uerba de primo huius nostræ plantæ genere intelligi debent, quod plerunq; in asperis montibus inter Iuniperos, & dumeta reperitur. Altera uero quæ in pratis nascitur, à Germanis Scharten dicta, quæq; tinctoribus tantum usui est, quo nomine apud autores rei herbariæ appelletur, mihi hodie nondum constat. Quare his relictis ad alia transeamus. Nam quæ proximis tribus capitibus disputata nobis sunt, ea ad Chamomillas pertinent, de quibus satis superq; dictum existimo. Nunc ad Matricariam nos conuertemus, quæ & ipsa haud postremum inter radiatos flores locum obtinet.

De Matricaria. Cap. L.

AD MVROS, ET SECVS SEPES MATRICARIA NAscitur, uideturq; mihi genus esse Tanaceti potius quam Chamomillæ uel Artemisiæ, ut multi putarunt, species. Vt uero ita sentirem, affinitas formæ & odoris, quæ Tanaceto cum Matricaria intercedit, me permouit. 1. *Matricaria hortensis.*

Antequam in caulem & florem erumpat, folia habet dissecta sicut Coriandrum recens enatum, uiroris diluti. De una radice quæ fibris capillata multis adnatis radiculis implicata & contorta existit, sæpenumero quaterni uel quini exiliunt caules, iiq; cubitales, in quorum fastigijs flores frequentes intus melini, per ambitum albi, radiati, instar Bellij illius cuius capite xlv supra meminimus, sed maiores, emicant. Odor illi grauis & ingratus, sapor uero amarus, qualis Absinthio est. Ex semine suo quod Tanaceti simi-

le est,

Matricaria.

Metterkraut.



se est, quotannis repullulascit, hiemis contemptrix, licet uel sex annos nata sit, id quod Chamomillæ nō possunt. Eæ enim ubi defloruerint, protinus pereunt, singulisq; annis ex semine deciduo renascuntur, haud aliter quàm Cyanus.

2. Matricaria sylvestris.

Est & Matricariæ syluestre quoddam genus, quod in syluis cæduis, quorum ligna ex ordine composita incenduntur, ut ignis calore terra sationi frugum idonea reddatur, Germani Brandtrödern uocant, flore intus & foris melino, qui postquā defloruerit in pappos instar Senetionis euanescit, folio dissecto, cinerei coloris, ut Artemisiæ similis appareat, prouenit.

NOMENCLATVRAE

Non satis mihi constat, quo nomine uulgaris hæc planta appellanda sit. Parthenij enim appellationem, quæ à doctissimis quibusq; illi tribuitur, iam ante Chamomillæ nostræ hortensi impertiti sumus. Sed utcunque hæc se habeant, cum aliis uocabo illam παρθένιον Matricariam, Germanice Metter/Mütterkraut vnd Meidblůmen. Nec tamen prætereundum est, Galenum lib. vi simplicium Helxinæ alteri, Apuleium uero cap. lxxxij & lxxxiij Mercuriali ac Parietariæ, Parthenij nomen ascribere.

ascribere. Necq; etiam multum refert siue Parthenium, siue Artemisiam, illam uocaueris. At enim eos, qui Linozostim & Parietariam, Parthenium appellant, rogatos uelim, ne eam nomenclationem, odoratæ meæ Chamomillæ, quæ per æstum & frigus incolumis perdurat, detrahant. Porro autem Matricaria Iacobo Manlio, Febrifuga, Auicennæ lib. ij. cap. 723. Vchuen. Serapioni ca. ccxliij. Achuen, Laurentio Phrysio in Synonimis, Amarella, & Hebraice מולושה Molusa, Amaration, et Lāpuesia dicitur. Cordus existimat Matricariam, Amaracum Galeni esse. Sit itaq; Matricaria Parthenium, uel Cauta nomine, tamen forma & temperamento, non Artemisiam tenuifoliam, (ut quidam sentiunt,) sed Tanaceti genus esse deprehendet, qui singula in utraq; stirpe penitius considerauerit. Et ut uno uerbo dicam, Parthenium Dioscoridis & Plinij, ac præsentem Matricariā, unam & eandem esse plantam sentio.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Matricaria calidæ, siccæq; naturæ est, potestq; in medicina, non aliter q̃ Centauria, uel Absinthium & Tanacetum usurpari.

INTRINSECVS.

Parthenium aluum soluit, bilem & lentam pituitam per illam detrahit, uentris tineas expellit intro sumptum, id quod & de herba, & de succo expresso intelligendum erit. Quare à prudentibus matronis comendari solet Matricaria: frigidioribus enim febricitantibus, & immundis mulieribus purgandis stillatitiam aquam, succum aut herbam in puluerem redactam exhibent.

Pecoribus etiam Matricariam desiccatam cum sale uesperi, aduersus inflationes, & difficultatem spirandi, utiliter præbent mulierculæ ueterinariæ.

EXTRINSECVS.

Valet decoctum ad insidendum in duritia uuluarum, & inflammationibus.

Herba Matricariæ recens tusa, sacro igni & collectionibus, & uentris doloribus efficaciter illinitur. Reliqua, si qua sunt huius herbæ iuuamenta in Centauria, & Absinthio annotata reperies.

De

De Tanaceto. Cap. LI.

Tanacetum.
Reinfarn.



1.
Tanacetum uulgare, luteum.

ETSI TANACEtum quod ad folia attinet, Filicem referat, tamen quia non solum partim ad Matricariam, partim uero ad Absinthium, seu Artemisiam pertinere uidetur, sed etiam radice, caule, folijs & odore, non usq; adeo Matricariæ dissimile apparet, nisi quod illa grandior euadit, iucundioreq; odore arridet, propter has inquam causas, uolui post Matricariam illius historiam persequi.

Tanacetum è radice longe lateq; serpente, caule puniceo & multiplici, eoq; interdum bicubitali, ac in summo multis ramulis brachiato, prosilit. Flores in fastigijs frequentes erumpũt, comantibus auri fulgore, nudis, foliolisq; carẽtibus bullis, qui quidem nodosus flos nihil aliud est quam ipsum herbę semen, id cum maturuerit, quod Iulio mẽse fieri consueuit, nigrescit, seminiq; Chamomillæ nõ absimile, sed maius tamen & odore grauius, cõspicendum se prębet. Marginibus ac littoribus aquarũ nonnunquam

Tanacetum album, seu acutum.
Weisser oder spitzer Reinfarn.



nunquam in hortis ad se-pes, & muros quosdam, maxime autem incultis gra minosisq; locis nascitur.

2. *Tanacetum album.* Aliud porro extat Tanacetum, quod in pratis & ripis fluuiorum reperitur. Illud æque excelso, atq; alterum, caule, & qui Cichoreum fere æmuletur, sed non perinde fruticoso, exurgit. Folijs uestitur acutis, angustis, per ambitum serratis, angustifoliæ Salicis similibus, nec tamen adeo latis, quin potius exiguas in alis auicularum pinnas exprimentibus. Flos illi itidem copiosus, candidus, radiatus, Millefolio per omnia consimilis, cuius internæ partes, quæ forma quidem Matricariam, odore uero Tanacetum referunt, ex pallido albicant. Ex his intelligi facile potest, folijs maxime, bina hęc Tanaceti genera discernenda, radice enim, & odore fere nihil differunt, quanquam id quod pinnata gerit folia, non tam grauiter olet, necq; tam amaro gustu pręditum est, quam alterum.

NOMENCLATVRAE.

Si temeritatem nostram (eius enim criminis nos à quibusdam insimulari

lari non ignoramus) ueniam consequi posse considerem, non certe dubitarem una cum Matricaria Tanacetum (quod Germani Reinfarn/& wurmkraut, quod semen eius lumbricos pellat, appellant) sub Anthyllidis descriptionem referre, quoad doctissimus aliquis ueram Anthyllida demonstret. Quanquam non ita pridē audiui Anthyllida quibusdam Chamępityn censeri. Quare quóscunq; commonefactos uelim, ne nostra scripta ita legere uelint, quasi nunquam ab illis discessuri, ubi ueritas & ratio ipsa hoc postulare uideatur, neque enim in hoc à nobis ęduntur. Nostram sententiam in medium afferimus, quæ si rationibus firmis & ueritate confirmetur, recipiatur, sin aliter, sequatur quisq; quod libuerit, aut quod ueritati magis consonum uideatur. Cæterum Anthyllida, alij teste Dioscoride Anthyllon, alij Anthemida, alij Eranthemin, alij Leucanthemon, alij Soratin, alij Campestrem florem, Romani Solastrum, nuncupant. Quidam uolunt Tanacetum Ambrosiam esse, quibus reclamat Marcellus Vergilius, asserens nostro tempore Ambrosiam non reperiri. Iacobus Manlius Tanacetum Danetam cognominari ait. Nec desunt qui Artemisiam, quæ Monoclonos dicitur, Tanacetum esse statuant.

1. ἀνθυλλίς Diosco. lib. 3. cap. 144.

Anthyllon herbam Plinius lib. 21. cap. 29. Anticellion quoq; uocat. Solastri uox Sideriti quoq; attribuitur, uide Dioscoridem lib 4. cap. 33.

2.

Alterum Tanaceti genus quod albo emicat flore, instar coronæ, quo nomine & quo loco à me habeatur, infra in Millefolij descriptione aperiam. Errant aũt qui hanc stirpem ad Pyrethrum referũt. Posset uero illi descriptio Ptarmicæ apud Dioscoridem lib. ij. cap. cli. non inepte accommodari, tametsi alij eam lib. iiij. cap. xlviij. tractatam à Dioscoride existiment.

πτάρμικ ἄλλ. πταρμική.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Matricaria & Tanacetum eiusdem sunt temperamenti, nimirum calidi & sicci, eundem etiam fere in medicina usum habent.

INTRINSECVS.

Semine cum melle & uino poto, uentris lumbricos pelli, eiusq; dolores sedari, sudorē deniq; elici, uulgo etiam dictitante manifestius est, quam ut indicari debeat.

Alia Tanaceti iuuamenta in capite superiori, & xlvij. require.

Alterum Tanacetum ad caput clx, libri primi nostrorum commentariorum pertinet.

De

De Primula Veris. Cap. LII.

Maß lieben/ oder Zeitlosen.



AD RADIATOS, seu stellatos flores redeo, inter quos haud postremum locum occupat, quæ uulgo primula Veris appellatur. Nascitur ea in humidis pratis, & humectis hortis, inueniturq; per totum fere annum, maxime autem Vere appetente. Radicem habet candidam, multis tenuissimis radiculis & capillamẽtis fibratam, qualis in Plantagine apparet, folia herbacei coloris, mollia. Hæc, antecq; floreat Primula Veris, humi stellæ modo radiata procumbunt, Pilosellæ luteæ folijs paulo latiora: Cum florere incipit, primũ omnium capitula uiridia quæ seminum lini receptacula referunt, tenuibus, rotũdis coliculis, ijsq; dodrãtalibus suffulti in altũ mittit, qui ubi aperti fatiscere cœperint, discum hoc est mediam sui partẽ, quę se instar oculi habet, eamq; luteam, non secus atq; Chamomilla, exiguis albis, uel ex candido rubris foliolis in orbem cinctam ostentat, atque hic est eius flos, ex cuius media parte, quam luteam esse tradidimus, quę & seminis uice huic stirpi est, cum pręmatura deciderit, sponte sua plantatur, ueluti uulgaris Chamomilla.

Quid autem cultus Mangonium in Primula Veris efficere possit, commemorare operæprecium duxi. Siquidem hodie uersicolores, & multiplici barbularum contextu stipatos, uti & in Ranunculo factum uidemus, puellę inter coronarios, hos quoq; flores plantare solent.

Quidam etenim ex ijs rubri, & multiplices, alij, simplices, quidam candore emaculato, ac rursus uel simplici, ita tamen ut medium luteo colore emicet, uel multiplici barbularum stipatu conspicui. Postremo nonnulli ex albo & rubeo mixti, alij intus rubri in ambitu albi, itidemq; uel simplices, uel multiplices spectantur.

Est & hoc in his floribus admiratione dignum, quod ubi in ualde humido loco diutius hæserint, nec alio transferantur, in uiridem plane colorem degenerant.

Miraculum naturæ. Quin & candidi flosculi, ij nimirum qui multiplices cultura euadunt, nisi citius carpantur, ex se alios generant, ita ut sæpe ex uno capitulo, seu (ut ita loquar) cerebro primi floris, quatuor aut quinq; alij erumpant, qua in re naturæ fœlicitas & mira uis nobis commendatur.

NOMENCLATVRAE.

Quo nomine appellata sit ueteribus hæc planta, mihi sane non constat, nec enim diuinando, nisi oraculo Delphico adiutus, assequi me posse confido. Sed interea utamur uulgatis appellationibus, quibus Plinio & Ruellio, Bellius & Bellis, alijs uero Primula ueris, Solidago, & authori Pandectarum, Arthritica, (proculdubio propterea quod experientia docuerit, illam ad articulorum calidos affectus facere) Germanis Maßlieben/ Mediomatricibus autem Zeit lößlin/ & Spirensibus Masoüsselen dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Flores, herba & radix Primulæ utiliter utrinq; usurpantur.

INTRINSECVS.

Aqua Primulæ distillata, iecur refrigerat, calores internos restinguit, reprimit choleram, pustulas linguæ ab ardore faucium profectas, orisq; exulcerationes sanat potu.

Herba ipsa adhuc tenera cum sale oleo & aceto commanducata aluum astrictam laxat.

EXTRINSECVS.

Folia recentia, quibusuis calidioribus uulneribus imposita prosunt.

Herba Primulę tusa, tumoribusq; genitalium imposita, calorem repellit, leniterq; dolorem sedat.

Quidam & herba & floribus Primulæ, quibus Ebulum & Eupatorion

adiungunt,

adiungunt, ad balnea sudatoria utuntur, atq; ea membrorum resolutioni, Græci Paralysim uocant, mirifice conducere asserunt.

De Alismate, Germanis Frawen kraut. CAP. LIII.



MIRARI SATIS nequeo, qui factum fuerit, quod rei herbariæ antiqui scriptores huiusce stirpis nullam mentionē fecerint, præsertim cum non tantū passim in cœmiterijs, ac hortis à mulierculis plāta- ta proueniat affatim, sed e- tiam siue recens siue sicca, odoratissima sit, simulq; iucundissimum condimen- tum, quo mense Maio præ- cipue, placentas Germani condimus, quas ex ouis & herbis constantes, & in sar- tagine cum butyro frixas, patria uoce Pfannküchen/ oder eier küchen appella- mus. Quod itaque ad hi- storiam eius attinet, paucis expediemus. Hæc primo vere cum supra humum se extollit, folijs Plantagi- nis lanceolatæ, per ambi- tum instar Betonicæ crena- tis apparet. Radix illius multis capillamentis, & ad natisq; radiculis fibrata, cō- torta & implicata, nō secus atq; Veratrum nigrum, q̄d Germanis Christwurtzel di citur, per terram sparsa se- se propagat, odore graui,

gustu ad amaritudinem quendam, uergente prædita, è qua Maio mense appropinquante quaterni, aut quini prosiliunt caules bicubitales, ab imo usq; ad summum frequentibus & angustis folijs uestiti. Cæterum circa inferiores caulium partes numerosa, satisq; lata, & quæ Solidaginem (ut uocant) Sarracenicam, imitentur, folia, proueniunt. In fastigijs caulium flores seu capitula potius quædam nuda, floribus Tanaceti per omnia similia protuberant. Proinde, herba ipsa, caulis & flos huius plantæ odore suo Balsaminam quandam aut Mentham referunt, gustu uero Absinthium quodam modo æmulantur.

Alterum quoddam illius genus fertur in syluis nasci, quod Plinius xxv libro cap. x. describit, mihi uero hauddum cognitum.

NOMENCLATVRAE.

ἄλισμα Frawen kraut. Dioscor. lib. 3. cap. 160 Alceæ uox ad eam propriæ plantam pertinet, quam Diosco. li. 3. cap. 155 describit. Damosonij uox Halimo quoq; attribuitur, uide Dioscoridem li. 1. cap. 105.

Quid in huius plantæ nomenclatura mihi uideatur, pronunciare non dubitabo, tametsi in reprehensionem quorundam incidere sententiam meam non ambigã. Habemus itaq; præ manibus uerũ Dioscoridis Alisma, q̃d ille quosdam Damasonion, alios Alceam, nonnullos Acyron, alios Lyron appellare tradit. Phrisio lingua Arabica Cazimbrium nominatur. Quod uero nonnulli Alismatis nomen ad Plantaginem aquaticam pertinere contendunt, nullam aliam rationem demonstrare possunt, quam quod Alisma ad loca aquosa prouenire dicatur. Nec desunt qui Fistulam pastoris, alij Bifolium (quod aquaticæ plantagini quadantenus simile sit) Alismatis uoce appellandum censeant. Sed de his, maxime de Bifolio suo dicetur loco.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Non sine causa certe, à puellis odoratissima ista planta in hortis seritur, siquidem odore iucunda, uiribus admiranda, temperamento uero calida & sicca, ueneno resistens intro sumpta, foris autem imposita collectiones quasuis discutit.

INTRINSECVS.

Herba dum adhuc tenera extiterit, epulis adhibetur, non secus atq; Saluia nobilis, propter odoris nimirum & saporis quo commendatur præstantiam.

Eadem uino decocta & pota, his conuenit qui Opium aliaue uenenata hauserunt, aut Leporem marinum deuorarunt, aut à rubetis ranis demorsi sunt. Inprimis uero radix in puluerem redacta, adiecto semine Pastinacę syluestris, inq; uino pondere æquali, hoc est ij. Drachmarum pota, non solum

uenenum

uenenum pellit, sed & alui profluuia cohibet, uentrisq; tormina tam in mulieribus quam in uiris sedat, & ut paucis omnia comprehendam, uiribus Parthenio minime cedit.

EXTRINSECVS.

Herba hæc de sessibus & balneis sudatorijs adhibita, menses cit, doloresq; ex eorum retentione ortos plane tollit.

Eadem tusa, ac emplastri modo imposita, duritias, tumores, aliasq; id genus affectiones, quocunq; loco ortæ fuerint, discutit.

De Conyza, Germanis Dürrwurtz/ & Psyllio. CAP. LIIII.

MVLTI EX NOSTRIS SCRIPTORIBVS INGENTIA uolumina de Balsamo, ligno Paradisi, Amomo, Nardis, alijsq; peregrinis, ac exteris radicibus herbisq;, quas uix unquam siccatas in officinis uidere, conscripserunt. Sed qui nobilissimarum Stirpium quæ in Germania nostra fœliciter proueniunt, quæq; ita passim obuię sunt, ut pedibus illas conculcemus, illarum inquam historiam qui describendam susciperet, nemo est, scilicet officio suo probe sefunctos existimant magni Doctores, si in Scholis & scriptis suis, quo nomine quæq; herba apud hunc & illum authorem, ex ueteribus, qui & ipsi nonnunquam dormitarunt, appellata sit, inuestigarunt. Hinc uero quam peregrinarum rerum, quarum nec notitiam, nec copiam habemus, omnes studiosi simus, liquido apparet. Qui fit ut præstatissimas Dei opt. max. creaturas, quæ affatim apud nos, ex singulari Dei beneuolentia, luxuriant, tanquam superfluas & inutiles contemnamus. Id quod cum in alijs stirpibus, tum uero hac in Conyza maxime usu uenit. Tametsi non prorsus ea incognita sit, prętertim uero aniculis, quæ non raro cognitione simplicium doctissimos quosq; (ut sibi quidem uidentur) Magistros superant. Solent enim illam die Assumptionis Marię, ut uulgo uocant, colligere, suisq; sagminibus, & quas uocant Verbenis adiungere, ac cõsecrare, aduersus Diaboli prętigias, tẽpestatumq; iniurias, sibi persuadentes ijs locis tonitrua, grandinesq; minime nocere posse, in quibus Conyza seruetur. Sed relictis his superstitionibus, ad historiã Conyzę transeamus. Ea in duo diuellitur genera, quæ ambo in locis humectis ac graminosis, cuiusmodi sunt margines fluuiorum, paludibus sole exiccatis, humidioribus pratis, & ad nonnullas sæpes nascuntur; *Conizæ duo genera.*

Conyza.
Dürrwurtz.



Conyza maior.

Quod in his maximum est nonnunquam in caulem sesquicubitalem assurgit, crispis lanuginosis & angustis folijs, Salici aut Mentastro quod Germani Katzenbalsam uocant, non multum dissimilibus, ab imis usque ad summas eius partes uestitum. In fastigijs caulium flores radiati, lutei aut raui coloris, emicant, qui ubi præmaturi fuerint, & ad interitum iam inclinauerint, in pappos euanescunt non aliter quam Senecionis aut Scariolæ, Atque hoc illius semen est, vagum & instabile quod nullo loco cõstans manet.

Conyza minor.

Minor uero Conyza frutex est surculosus, instar arbusculæ ramosque haud temere dodrantalem proceritatem excedens, radice recta, breui, nec multis fibris capillata, folijs nigricãtibus, hirsutis, modice serratis sicut Senecio. Flores gerit similiter rotundos sed non radiatos, pullo ferè colore preditos, forma à Tanaceti flore non multum dissidentes. Qui cum maturuere semen spargunt, sicut & Tanacetum. Porro utraque Conyza eundem fere cum Mentha aquatica habet odorem, sed grauiorem & uirosum ac syluestrem. Flos utriusque Augusto mense reperitur, qui & inter illas discrimen statuit, ita ut primam, marem, secundam autem (qua de

Theo-

Psyllium.
Flöhkraut.



Theophrastus libro vi. de plant.histo.) fœmellam esse existimem.

3. Conyza media.

Sed & medium quoddã Conyzæ genus extat, q̃d substantia sua alteram excedit magnitudine, rursus primo magis exiguum est, cæterum folijs & floribus utriq; consimilis, nisi quod teterrimi est odoris, maximeq; fastidiendi.

4. Ψύλλιον. Pulicaria.

Quod ad Pulicariam attinet, qua hodie utuntur officinæ, paucis quædam in medium adferemus. Plantatur illa hodie in hortis apud nos Germanos, ac ubi primum Maio mense è terra erumpit, binis aut ternis acutis graminibus cõspiciendam se prębet, non aliter atq; Coronopus, at folijs maioribus, hirsutioribus, magisq; ad canum colorẽ uergentibus, quę indies maiori in copia è radice terete rectaq; enascuntur. Sub mensem autem Iuniũ caules tenues, multis geniculis distincti, perq; ambitũ plurimis acutis, ac asperis ueluti graminibus uestiti, exiliunt, ijsq; in uertice capitula rotũda ac incana gerũt, quę Iulio et Augusto mẽsibus, ueluti minor Lanceolata Plantago florere incipiunt. Aduentante Autumno semine maturo prægnat, forma pulices referente. Herba eius recens, ad modum amara & acris est, id quod paulo postquam gustaueris, deprehendes.

NOMENCLATVRAE.

Quis uero in turba Herbariorum, quo nomine hæ plantæ, quas uulgus in agro Spirensi, uernacula lingua Dürrwurtz/ oder Donderwurtz appellat, in Dioscoride nominatæ sint, indicabit? Sed ne nomine prorsus careant, afferam ego in medium, quid mihi uideatur. Quisquis itaq; has ipsas plantas cognitas habuerit, is conferat eas descriptioni Conyzæ, quæ apud Dioscoridem. lib. iij. cap. cxxvij. extat, quod cum fecerit, luce clarius (nisi inuidia iudicium, uisumq; impedierit) uidebit, commemoratos frutices cum illa pulcherrime per omnia conuenire, nisi quod de uiribus illarum nihil dum nobis constat. Sint itaque Conyzæ nec ne, mihi tamen Conyzæ erunt tantisper dum commodius nomen aliquis demonstret. Ad quid uero adhiberi possint progressu temporis addiscemus. Conyza, quæ mea est Pulicaria (Germanice Flöhkraut) quam Plinius lib. xix. cap. viij. iniuria Cunilam uocat, nam quo illa pertineat appellatio supra capite. xiij. docuimus, Dioscoride teste, quibusdam Cinozematitis, alijs Danais, alijs Tanachion, aliquibus Phycos, alijs Ischys, alijs Dinosmos, magis Brephoctonos, quibusdam Anubias, nonnullis Hedemias, Ægyptijs Ceti, Romanis Intybũ, aut militaris, aut Deliarium, aut Febrifuga, alijs Phragmosa, alijs Mustæros, alijs Pissa nuncupatur. Atq; hæc sunt nomina maioris Conyzæ nam minor Diosco. πάνυ, καὶ λιβανωτὶς dicitur. Atqui Libanotidis uox Rosmarino quoque tribuitur, uide Dioscoridem lib. iij. cap. lxxix. & lxxx.

Κόνυζα. Intybi uox Endiuiæ Cichoreæq; ascribitur. Diosco. lib. 2. cap. 121. Febrifugæ etiam appellatio ad Matricariam & Centaurium uulgare pertinet.

Postrema deniq; Germanis seminis ratione, Flöhkraut/ & Psylienkraut, Latinis Pulicaria, Herba pulicaris, Græcis ψύλλιον, appellatur. Psyllium Dioscoride teste, aliqui Cataphysin, alij Cynocephalion, alij Chrystalion, alij Cynonyam, alij Psyllerin, alij Sicelioticon, Siculi Conidim, Romani herbam pulicarem, aut Silbacium. Aphri Vargungum nominant. Serapio cap. ccxx. Bazarachatona, Auerrhoes uero cap. xlij. Bescarcoton uocauit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Conyzæ omnes calidã siccamq; temperiem obtinent. Psyllion maxime aũt semen medium quiddam inter humiditatem & siccitatem obtinet, ad refrigeratoriam tamen facultatem uergens. Herba testante id Mesue, cui ego assentior amarissima, calida, uenenosa, ac nocentissima deprehenditur, quare abiecta illa semine tantum uti solemus.

INTRINSECVS.

Conyzæ binæ priores cum floribus uino decoctæ, ac calidæ potæ, men-

sca

ses suppressos, fœtus mortuos & secundinas efficaciter trahunt. Videant interea, qui hoc medicamine uti instituunt, ne quid aliud Christiano & pio homine indignum hac herba efficere conentur.

Eodem modo usurpatæ efficaces sunt ad stillicidium urinæ & Stranguriam, morbum regium ualenter discutiunt, quare iecori eiusq́; obstructionibus utilissimæ censendæ sunt.

Conyzæ aceto decoctæ, ac sumptæ, excitãt eos qui morbo comitiali conciderunt.

Psyllij semen tusum, ac aliquandiu aqua maceratum, tumq́; bibitum, erosiones internorum uiscerum sanat, dysenterias, aliaq́; id genus alui profluuia à medicamentis immodice calefacientibus, quale est Scammoniũ, (solent enim sæpenumero immites & inepti medici huiusmodi negotium ægris facescere) profecta cohibet.

EXTRINSECVS.

Suffitu, substratuq́; Conyza serpẽtes fugat, culices abigit, et pulices necat.

Stulta anicularum superstitio credit eo suffitu præstigias diaboli, lemuresq́; expelli, neq; fulmine feriri eam domum in qua Conyzæ seruentur.

Herba recens tusa, & cataplasmatis instar imposita uenenum serpentium plagis extrahit, aliaq́; uulnera morsu uel ferro inflicta persanat. Pari ratione fronti adalligata Conyza, maxime minima, Phreniticis medetur.

Psyllij autem semen tusum, inq; aqua rosacea per noctem maceratum, in glutinosum uiscum abit, qui illitu linguæ exulcerationes, & inflammationes tollit ualenter.

Prodest id remedium & ijs qui capitis doloribus calidis tentantur, si lineis panniculis fronti eorum alligetur.

Psyllij semen tusum, rosaceaq́; aqua, aceto uel uino uulgari temperatũ ac emplastri modo impositum, parotidas discutit, luxata item membra, eo modo usurpata in integrum restituit. Enterocelis infantium, & umbilico prominenti ex aceto illitum medetur, ita tamen ut postea ligamentis affectæ partes coherceantur. Breuiter Psyllij semen præstantissimum est remedium aduersus calores immodicos, ignes sacros, & maligna uulnera, si emplastri modo ut diximus illis imponatur.

De Elenio. Cap. LV.

PLVRIMOS SANE RADIATOS FLORES E STIRPIbus, natura miraculis plena progignit, quorum nonnullos hactenus explicauimus, reliquorum deinceps historiã prosecuturi. Sed dum, quam ex ijs plantis nunc in manus sumerẽ, circumspicio, comode

Elenion.

Alant wurtzel.



sese Enula campana (ut uulgo uocant) offert, inter stellatas herbas, non solum magnitudine, sed & elegantia facile princeps. Atq; hanc eam esse radicem quidam putarunt, quam Mercurium Vlyssi aduersus ueneficia Circes, demon-

demonstrasse, Homerus testatur. Atqui ex uerbis Homeri, quę subijciemus, & ex descriptione Elenij, ueritas ipsa facile elucebit. Sic igitur scribit Homerus decimo Odysseæ libro,

> Ως ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον ἀργειφόντης
> Ἐκ γαίης ἐρύσας καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν
> Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε γάλακτι δ' εἴκελον ἄνθος
> Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοὶ χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
> Ἀνδράσι γε θνητοῖσι. θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Hoc est,

> *Sic dicens dedit herbam Mercurius*
> *Ex terra euellens, & mihi genus ipsius ostendit.*
> *Radix quidem nigra erat, lacti uero similis flos.*
> *Moly quidem ipsam uocant* Dei, *difficile autem effodere*
> *Viris mortalibus : Dij autem omnia possunt.*

Hactenus Homerus. Nunc & descriptionem proponemus, initium à radice (nam omnis Enulę facultas, meo quidem iudicio, in radice posita est, quando herba, caulis, flores & semen, odore plane destituta sint) facientes. Ea siquidem cum fuerit tres aut quatuor annos nata, nouas propagines emittit ex se, & adminus singulis annis, singulos gemmantes oculos protrudit, qui si excisi alio transferantur in altum excrescunt, instar Raphani maioris, qui & ipse eadem ratione plantari consueuit. Colore pullo, aut eodem omnino, quo humus illius natalis, pręditа est foris, intus uero perpetuo candida. Obseruatum est mures hyeme esitando radicem hanc excauare, uel famis coercendæ, aut medicinæ inde petendæ gratia, qui si cor radicis læserint, caulem quidem proferet, sed nullo flore comantem, atq; hæc est causa quare Enula raro flore suo ornata appareat. Proinde in fine Aprilis mensis ex gemmantibus quos diximus radicis oculis folia acuta cinerei coloris prorumpunt, quæ si auctiora euaserint, magnitudine & forma, Verbascum maius imitantur: Quod si radix primaria à muribus & uermibus non fuerit excauata ut diximus, Maio mense in caulem & teretem, & bene altum assurgit (nam quandoq; tres cubitos altitudine æquat) adnatis circumquaq; per interuallum folijs, latioribus quidem & longis ijs quæ prope terram nascuntur, magis uero exiguis angustioribus, & acutioribus, his qui superiores caulis partes occupant. Porro ita adhęrent cauli folia, ut per illa quodammodo quasi per foramina protrahi uideatur, eoq; nomine aquam retinere possit illa capacitas, ueluti & Carduus fullonum. In cacumine caulium flores magni radiati, aureo colore fulgentes emicant, magnitudine florem, quem uocant S. Iohannis, uel Buphthalmum, de quibus supra xlv. & xlviij. capitibus, superantem. Vbi autem defloruerit Elenium in uertice *Tempus.* *Forma.*

caulium

caulium capitula quædam capillata, seminis (quod Cardui fullonum simile est) receptacula, usque ad Autumnum permanent, vnde Elenium plantari potest ex isto semine, nō minus quam ex oculis à radice decisis, utranque enim rationem successum habere experientia ipse didici. Postremo quod ad locū natalem Elenij attinet, nascitur illud fere quouis solo, maxime autem illo, quod limi plurimum habet, cuiusmodi multi sunt horti limosi. Prouenit itaque sponte sua incultis collibus, pratis, senticetis in Alsatia, ad montem ut uocant Pharetratum, alias Concordiæ, apud Mediomatrices in pratis aridis, & hortis pomiferis.

NOMENCLATVRAE.

ἑλένιον. Apul. cap. 95. Serapio cap: 328. Centaurij uox cui stirpi proprie competat supra cap. 42 docuimus.

Quam uulgus Enulam Campanam hodie uocat, ego aliquando Panacis & Chironij nominibus appellandam suspicabar, quam suspitionem Apuleius cap. xcvi, quo loco Ennulam ita nominat, mihi pariebat. Verum enimuero si radicem Inulæ, formam eius, odorem saporisque acrimoniam, colorem denique & uires descriptioni Elenij quæ apud Dioscoridem lib. i. capite xxvij extat, diligenter & cum iudicio conferas, certissimo deprehendes illam uerum esse Elenium, quod ille aliquos Symphyton, alios Persicam, alios Medicam, alios Orestium, alios Nectarion, alios Clegniam, alios Idæam baton, uel Phlomum Idæam, Latinos terminalium, aut Enulam Campanā Ægyptios Lenen nuncupare tradit. Apuleius Panacen Chironion, Panacen Centaurion, & Inulam Campanam uocat. Serapio Iasim, & Zinziber de Sem. Auerrhoes Alsaran. Laurentius Phrisius præter alia nomina, Hebraicum addit אלנא Elna, quod mihi literis inuersis rectius אנלא Enula scribi posse uidetur. Quam autem nihil certi habeant nomenclaturæ non solū Apulei, qui tres plantas Enulæ siue Inulæ nomine appellauit, ut testātur illius v. lix. xcvi. capita: uerum etiam Dioscoridis, inde existimare licet, quod illæ subinde alijs herbis ab eodem authore attribuantur. De Verbasco namque quod Phlomos alias dicitur, lib. iiij. cap. xcix proprium caput scribit. Tres item stirpes nomine Persicæ ipsemet uocat, uide lib. i. capi. xxvij cxlvi. cl. Quatuor etiam Symphyta in illo authore reperias, uidelicet, libro i. cap. xxvij. lib. iij. cap. v. lib. iiij. cap. x. & xi. Quid quod tres ille Medicas herbas descripsit, quarum una hoc loco, reliquæ duæ, lib. ij. cap. cxxxvi & lib. iiij. cap. xx inueniuntur? Idem iudicium est de Idæa, quæ apud eundē tribus quoque locis extat, uidelicet lib. i. cap. xxvij. lib. iiij. cap. xxxxij & cap. xxxvi. Sed relictis his ad explicationem uirium & Temperamenti properemus, si unum hoc monuerimus, non solum hoc loco Dioscoridem Helenion Nectaream (quæ uox à Nectare deriuatur) radicem appellare, sed & uinum ex illo confectum Nectarites ab eo dici lib. v. cap. xxxx. De uino uero Nectarite qui plura cognoscere desiderat, legat quæ Plinius lib. xiiij cap. xvi. annotauit.

Vires

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Radix huius plantæ duntaxat hodie in usu est, folia & reliquæ partes raro usurpantur. Est autem illa calidæ & humidæ temperaturæ, quemadmodum ex Galeno Serapio demonstrat, potestq; utrisq; corporis partibus adhiberi.

INTRINSECVS.

Radix Elenij Astmaticis, orthopnoicis, & tussientibus prodest, necnon his qui frigiditate stomachi laborant.

Vinum quod in Autumno impositis Elenij radicibus deferbuerit potum continuo, suspiriosis conducit apprime, necnon sanguinem excreantibus, facit & aduersus tussim, pleuriticumq; morbum. Calculum, uenenum, & menses trahit. Easdem facultates obtinet aqua ex ijs radicibus distillata, quæ & peculiariter stomacho male concoquenti confert.

Radix Elenij cum recens adhuc est, Saccharo condiri potest, quemadmodum Gingiber, & calamus aromaticus.

Sicq; illa desiccata, & in puluerem redacta, Saccharo uel melle misceatur, ut ita fiat Eclegma, quod uulgo Lohoch (uoce nimirum ab Hebræis, quibus לחך Lachach lingere est, deducta) uocant, benedictam præstat medicinam aduersus suspiria, & lentam tussim. Hoc namq; Eclegmate crassi & uiscosi thoracis humores inciduntur, & excreabiles fiunt. Eodem remedio internæ exulcerationes & abscessus pulmonis, matricis, aliorumq; uiscerū, (sic usurpato) persanantur.

EXTRINSECVS.

Cataplasma ex Elenij uiridi radice confectum & impositum, serpentium canumq; morsibus uenenatis medetur. Quin tumores & inflammationes locorum muliebrium & genitalium detumescere facit.

Folia Elenij ex uino decocta, utiliter membris dolentibus, præcipue uero Ischiadicis illinuntur, uel imponuntur.

De Gentiana. Cap. LVI.

NON EST HODIE IN GERMANIA NOSTRA NOTIOR uel usitatior radix, ipsa Gentiana, siquidem non tantum Chirurgi, in strictis cauisq; uulneribus dilatādis, illa uti consueuerunt,

uerum

Gentiana.

Entian.



uerum etiam nullam commodiorem Theriacam, & Stomachi medicinam, nouit uulgus, quam Gentianam. Quicquid enim interiorum & stomachi affectionum senserint, statim ad Gentianã, Gingiber et Calamum odratũ tanquã sacrã anchoram confugientes, remediũ sibi ipsis afferũt, soletq́ sæpenumero hæc, licet rudis & uulgaris medicina illis efficacius opitulari, quam si uel omnia pharmaca officinarum, & omnes etiam pilulas Arabicas deuorassent. Atqui amabo te, quid obstare posset, quo minus præsens auxilium Gentiana, & id genus simplicia præstarent: postquã Deus Opt. Max. benignissimus, & almus creator, cui que terræ, non solum quæ ad uictum, sed & quæ ad ualetudinem tuendam pertinent, liberalissime donauerit? Necq́ autem tantum in Germania tam animantibus brutis, quam hominibus etiam, quorũ nonnulli eam, adiunctis lauri baccis & alijs quibusdam radicibus, melle conditam, pro Theriaca uendunt, utiliter usurpatur, ideocq́ merito commendatur, sed etiam apud alias nationes, & à ueteribus cognita, ac magno loco habita fuit semper. Nam & Serapio testatur, se nihil præstantius aduersus rabidi canis uenenosos morsus, expertum esse.

esse, Gentiana. Cum itaque tantarum sit uirium, & à ueteribus mirifice commendata (quibus & hoc accedit, quod uiliori precio, quam Rhabarbarum, quæ & ipsa nobilissima est radix, cõparari possit) merito à nobis amari debet, præsertim cogitantibus, eam nos è clementissima patris nostri cœlestis manu accepisse.

1. *Gentianæ prima species.*

Sed ut ad descriptionem Gentianæ tandem ueniamus, nascitur illa in altissimis montium iugis, præsertim uero Herciniæ syluæ, necnon in umbrosis interdum uallibus, inter Filices. Radicem in terram rectà defigit, prælongam, teretem, foris pullam, intus uero luteam, gustu amaram, non aliter atque Centaurium minus. Folia eius quæ primo exortu iuxta radicem erumpunt, humique strata iacent, ad formam foliorum Plantaginis latæ, seu iuglandis accedunt. Caulem habet teretem & concauum, folijs exiguis, & parum serratis uestitum, qui uiri proceritatem quandoque æquat. Sub Iulium mensem luteum Gentianæ florem arescere uidi, quod in Linaria quoque contingit, deinceps uero excusso flore, semen exiguum, tenue & latũ, uiolæ luteæ semini haud absimile, quod in caliculis seu uasculis quibusdam claudebatur, reperi.

2. *Gentianæ secunda species.*

In alpibus uero Heluetiorum altissimis duo alia proueniunt Gentianæ genera, quæ ambo iam commemorata multo magis exigua sunt. Alterum ex his Gentianam quam descripsimus uulgarem, per omnia refert, excepto flore, qui subcæruleus illi est, & gustu quem amariorem habet, quo nomine in medicina efficacior proculdubio fuerit.

3. *Gentianæ species tertia.*

Alterum longã, & admodum amaram radicem profert, ex qua tenues, teretesque coliculi exiliunt, ab imo usque ad summum uiridibus, læuibus, acutis & angustis, ijsque binis semper, & è regione se mutuo aspicientibus, folijs uestiti, in quorum uertice campanulæ quædam oblongæ cæruleæ, aliquanto minores, ijs, quas Herbam uenti (de qua infra cap. cxxxvij) gerere uidemus, proinde tota hæc planta amara est gustu. Atque has binas Gentianas D. Conradus Gesnerus è Tiguro ad me transmisit.

4.

Postrema huius generis planta, quæ Germanice Bitter wurtzel appellatur, gustu amara est, herba & flore Cruciatę, Germanis Modelgeer/ (de qua infra cap. lxxxiiij.) per omnia fere simili. At folia illius humi sparsa iacent, inter quæ, è radice statim flos cæruleus, digitum longus emergit, intus diuersicolor, ueluti Iris cœlestis. Nascitur autem hæc Gentiana in altissimis solum alpibus, quales in Diocœsi Curiensi sunt, nam in eo tractu prope Cœnobium Germanis Pfeffers appellatum, quo loco Thermę sunt decantatissimæ, primum mihi sese obtulit.

NOMENCLATVRAE.

Gentianam à rege Illiriæ Gentio, inuentore ipsius primo, nomen suum

traxisse,

Plin. lib. 25. cap. 7. Diosco. lib. 3. cap. 3. γεντιανή. De Centaurij, Chironij, et Narcæ appellationibus, suo loco diximus.

traxisse, & Plinius & Dioscorides testati sunt. Alias & Basilica dicitur, ut scripsit Serapio cap. ccliij. Gentianam Dioscorides quosdam & Centauriam radicem, alios Aloen Gallicam, alios Narcen, alios Chironion, Dardanos aloitin, Romanos genus aut Cicendiam, alios Ciminalem uocare tradit. Germanis Gentian/Entian dicitur, & quibusdã Bitterwurtz/ quamuis ea sit alia quædam planta, radice tenui exigua & capillata apprime faciens ad febres putridas ex Stomacho ortum habentes, ea in alpibus Heluetiæ reperitur, præsertim ijs in quibus Cœnobium Einsydlen uocatum, situm est. Atq; hæc una cum secundo (quod aiunt ueram esse Gentianam minorem) & tertio quod posuimus generibus, ab incolis loci illius Entian dicuntur. Vulgaris Gentiana eisdem Verlacham uocatur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Gentiana Germanorum Theriaca est, calidæ, siccæq; temperaturæ, utilis non tantum hominibus, sed & iumentis, intro sumpta, & foris adhibita.

INTRINSECVS.

Gentianæ desiccata radix contusa, ac in puluerem redacta, sæpiusq; cribrata, una drachma, admixta myrrha & cancri fluuiatilis in cineres redacti æquis portionibus, hoc est, duabus drachmis, uino pota per quatuor ex ordine continuos dies, ijs efficaciter medetur, qui morsu rabidi canis læsi fuerint. Præter iam indicatam medelam, danda est opera ut uulnera aperta maneant, erunt & lauanda aceto, uel aqua salsa, ac uenenum etiam cucurbitulis impositis extrahendum. Nonnulli eiusmodi uulnera ferro candenti adurunt.

Radix Gentianæ in puluerem redacta, duabus drachmis, cum Pipere & folijs Rutæ desiccatæ, contra morsus serpentium, aliorumq; uenenatorum animalium præseruat & auxiliatur.

Hepaticis & Stomachicis, qui cibum sumptum retinere non ualent, Gentianæ radicis puluis è uino potanda exhiberi debet, quod qui fecerit, auxilium præsens sentiet.

Extracti succi radicis Gentianæ recentis drachma, laterum doloribus, rupturis internis prodest, sanguinem concretum dissoluit, in ijs qui ex alto deturbati fuerint.

Pessarium, ut uocant, è radice Gentianę sicca factum, & subditum, Secundinam trahit, mortuos partus eijcit.

EXTRINSECVS.

Succus radicis Gentianæ uulnera sanat, & ulceribus cuniculatim depascentibus

ſcentibus medetur illitu, & ſi cum eo mundificentur. Linteolis impoſitus, oculorum inflammationes tollit.

Idem & illitu uitiligines & uitia cutis emendat, emaculatq́.

Succi extrahendi ratio apud Dioſcoridem extat, cuius uerba ſubſcribemus. Contuſa radix (inquit) quinq; diebus in aqua maceratur, poſtea in eadem tantiſper decoquitur, dum extent radices: & ubi refrixit aqua, linteo excolatur, mox diſcoquitur, dum mellis craſſamentum contrahat, picatoq; uaſe repoſitus ſeruatur.

De Ariſtolochia longa. Cap. LVII.

QVAM NVNC TRACTAMVS PLANTAM, GERMAnis Oſterlucey, nomenclatura proculdubio ab Ariſtolochiæ uoce tracta, dicitur. Atq; hæc ea eſt quæ Dioſcoridi lib. iij. cap. iiij. Maſcula & Dactylitis appellatur. Quanquam autem uerborum Dioſcoridis conſequentia ad fœmellam potius quam ad maſculam ſpectare uideatur, tamen lectio ſeriesq́; uerborum genuina, & deprauata, & immutata hoc loco mihi omnino uidetur. Quare quod ad me quidem attinet, ſic ego meum in poſterum legam Dioſcoridem.

Ariſtolochiæ genera ſunt duo, longum & rotundum, quod fœminam uocant. Longa quæ & maſcula & dactylitis dicitur, folia Hederæ habet, cum acrimonia odorata, tenera & modice rotunda, pluribus ab una radice erumpentibus germinibus. Viticulæ illi longæ ſunt, flores in candido pallidi, pileolis ſimiles, in quibus quod rubet graui odore ſentitur. Alterum uero Ariſtolochiæ genus, quod à figura mali Melocarpon, alijs Teuxinon, fœmina eſt: hanc Romani herbam Ariſtolochiam uocant. Maſcula longiora habet folia, quam rotunda, ramulosq́; tenues, dodrantali longitudine, flores fert candidos grauiter odoratos, Pyro non diſsimiles. Rotundæ Ariſtolochiæ radix, in globum Rapi rotundatur. Longæ uero craſsitudine digitali eſt, longitudine dodrantali, & aliquando maior. Buxeus utriq; intus color eſt, guſtu amaræ ſunt, & uiroſo odore. Et reliqua. Ex uerſione Marcelli Vergilij hæc deſumpta ſunt.

Aristolochia longa.
Osterlucey.



Quod si hoc pacto, ut ostendimus, Dioscoridē legamus, controuersia quæ hoc loco suboritur, componi poterit. Quod enim de longa Aristolochia apud illum dicitur, non de uulgari nostra, sed de ea quæ Osterlucey Germanis uocitatur, necesse est ut intelligamus. Illa enim intus luteum habet colorem, grauiter odorata, digitum crassa, dodrantali longitudine. De una item radice multa exurgunt germina. Folia habet tenuia modice rotunda, uti Hederæ, flore ex candido pallente, & oblongo, instar pileoli acuti, aut Pyri, qui in baccas demum rotundas abit. Et ut paucis absoluam, tota illa planta grauissime odorata est, q̄d idē de nostra Osterluceyen/ seu Aristolochia longa, quam uere dicatur, neminem dubitare existimo, qui illam uel semel uiderit. De rotunda Aristolochia, secundo libro cap. lxxvij. disseremus.

NOMENCLATVRAE

Aristolochiæ lōgę (nam de rotunda tam uera quam uulgari suo dicetur loco) nomenclaturę supra fere explicatæ sunt, quare nō est opus ut hoc loco prolixiores simus: perstringemus igitur breuibus uulgatas eius appellationes. Dicitur illa Græcis

ἀριστολοχία μακρὰ ἄῤῥην, & δακτυλῖτις, Latinis Aristolochia longa, mascula & Dactylitis, Germanis Osterluczey/ Biberwurtz/ & Kynsdkraut. Sed de postrema hac Germanica uoce capite xciij. secundi libri agemus fusius.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Aristolochia longa ex ordine calefacientium & exiccantium est. Mulieribus inprimis confert, ad erosiones & suppurationes uuluarum, deinde et ad maligna putrida, ac fluentia ulcera utilissima.

INTRINSECVS.

Aristolochia longa cum Pipere & Myrrha uino cocta & pota, à partu purgat mulieres, omniáq; onera matricis expellit. Quare operæprecium censeo, ut omnes puerperæ radice eius utantur in potu, quominus de purgatione dubitare queant.

Radix per se uino decocta & pota, conuulsis, ruptis, pulmonum, lateris, iocinoris & matricis uitijs medetur, & quasuis à pituita & cholera ortas humiditates prauas expellit.

EXTRINSECVS.

Aristolochia longa in pesso subdita, menses ciet.

Vinum in quo illa decocta fuerit, mundificat ulcera putrida & sordida, præsertim genitalium, si ex illa decoctione colluantur, quod ut fœlicius exequantur, radicem in puluerem redactam inspergere oportet.

Idem uinum admixto modico mellis, calidum auribus inditum, parotidas earum sanat, doloremq; mitigat.

Radix Aristolochiæ longæ in puluerem tenuissimum redacta, adiecta radice Iridis, æquali pondere, melle temperata, ac instar emplastri imposita, carnem generat, uel ut alias dicitur, Sarcoticum est, ita tamen ut uulnera prius purgentur & colluantur decoctione herbæ ipsius.

Eadem recens tusa, & imposita, aculeos, spicula, surculos, aliaq; id genus extrahit, uulneráq; ad suppurationem & sanationem perducit.

Breuiter Aristolochia longa & rotunda quibusuis fluentibus & sordidis ulceribus hominnm & iumentorum apprime conducit, quo nomine hodie frequenter ab equarijs medicis in medendis equorum uitijs usurpatur.

De Hirundinaria. Cap. LVIII.

Schwalbenwurtz.



HIRVNDINARIA caule & folio Aristolochiam longam per omnia refert, radice tantum odorata. Nascitur in altis, arenosisq́ꝫ montibus & syluis, in nonnullis etiam rupibus, inprimis uero incultis ac desertis locis, Hercynia scilicet sylua, ad Mosellam, et in Vuasgoia. Radicem habet multis capillamentis fibratam, frequentibus radiculis adnatis contortam & implicatam, instar Hellebori nigri, adeoq́ꝫ interdū ponderosam, ut decem libras æquet, cuiusmodi à me iam olim in sylua, quā Germani den Ydar uocāt, prope arcem Birckenfeldt reperta est. Radix hæc raro in hyeme moritur, mulieribus ad mensium prouocationem magna efficacia in desessionibus semper usurpata. Ex illa frequentes etiam palmites cubitales, non secus atq́ꝫ in Aristolochia longa, exiliunt, folijs teneris, solidis, & modice & in longum rotundis, quemadmodum Hedera, quæ arboribus adhęrescit, sed magis acuminatis uestita. In quorum cacuminibus Iunio mense exigui

flosculi

flosculi ex candido pallescentes emicant, quibus decidentibus succedunt acutæ & oblongæ siliquæ ciconiæ rostrum imitantes, intus candida lana, & lato semine Gentianæ simili refertæ, quæ si ad maturitatem suam peruenerint, & apertæ hiauerint, lanuginosum, & quasi pinnatum semen protinus in auras euanescit.

NOMENCLATVRAE.

Hirundinaria Latinis, Schwalbenwurtz Germanis, haud dubie inde nomen suum sortita est, quod acutæ & apertæ eius siliquæ, cum candida lanugine uolanti hirundini ferme similes sunt. Inde ergo Hirundinaria radix dicta uidetur, quamuis ea ipsa appellatio ad Chelidonium minus (quo de cap. xxxv. supra egimus) potius sit referenda. Quo nomine ueteribus sit appellata nondum satis constat, ego tamen, si omnino sit pronuncianda sententia, non inepte nos facturos existimo, si Asclepiada eam nominemus, quam Plinius lib. xxv. cap. v. & Dioscorides lib. iij. cap. xcvij. hisce nominibus descripsere ἀσκληπιὰς, κισσίον, id est, Hederula, κισσόφυλλον, id est, Hederæ folium, propter foliorum, quam cum Hedera habent, similitudinem. Quanquam postremæ duæ uoces ad Hederam proprie spectent, uide Dioscoridē lib. ij. ca. clxxi. Asclepias Theophrasto Pelecinus dicitur, quod nomen alijs quoque plantis attribuitur à Dioscoride lib. iij. cap. cxxxvij. & lib. iiij. capite clvi. Quod si itaque Hirundinaria Asclepias sit (sicut minime dubito) eximium illa certe inuentorem habuit, Æsculapium nimirum, eum, qui apud ueteres propter medicinam à se in artem redactam, in numero deorum habitus fuit, quemadmodum Cornelius Celsus in prologo, & Plinius libro xxvi. cap. iij. testantur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Easdem plane facultates Hirundinaria obtinet, quas Aristolochia longa. Radix illius utilissima est, euocandis mensibus mulierum. Potest uero intro sumi, & foris quoque tuto adhiberi.

INTRINSECVS.

Radices Asclepiadis in uino decoctæ, & potæ, subueniunt torminibus. Arcet & hæc potio uenenum, ne cor petat, in ijs præcipue qui rabiosi canis, aliorumuè uenenatorum animalium morsu infestati fuerint.

Hæc radix pondere semilibræ, per noctem in uino macerata, & deinde usque ad tertias decocta, mane ieiuno stomacho calida pota, sudore interim prouocato, mirifice expellit aquam intercutem, adeo ut illa per pedum plan

tas erumpat. Estq; hoc singulare experimentum.

EXTRINSECVS.

Radix Asclepiadis in desessionibus mulieribus utilis est, matricis enim dolores iuuat, & menses euocat.

Herba cum floribus tusa, mammis tumentibus cataplasmatis instar imposita, tumorem deprimit. Puluis ex herbâ & radice, sordidis ac putridis ulceribus medetur, non secus atq; Aristolochia: potestq; hæc illius loco usurpari, & uicissim illa uices huius obire, si alterutra desit.

De Salicaria. Cap. LIX.

SALICARIAE DVO EXTANT GENERA. PRIMVM quidem flore luteo, seu aureo, sed prorsus inodorato, in fastigio caulis emicante, folijs Hirundinariæ, ijsq; per interualla binis, sese mutuo respicientibus, & geniculatim è caule prodeuntibus. Flore decusso acini teretes Coriandro non absimiles, post Iulium mensem gignuntur, gustu subamari, asperi, linguamq; uellicantes, non aliter quam Pruna syluestria, quæ Germani Schlehen uocant.

Altera uero Salicaria purpureas fert uiolas, folijs uestita angustioribus, acutioribus, nigricantibus, ad formam Salicis accedentibus. In longis siliquis, sicut & uulgaris purpurea Viola semen condit. Porro utraq; in caulem teretem duum cubitorum, ad fluuiorum margines, locis palustribus & humidis, quandoq; muris nascitur.

NOMENCLATVRAE.

Salicaria Latinis, Weyderich Germanis, Λυσιμάχιον, à rege Lysimacho inuentore eius, Lysimachia, & λύτρον Dioscoridi lib. iiij. cap. iij. dicitur. Leonicenus in erroribus Plinij scribit Corneolam illam uocari, aitq; eam in agro Ferrariensi ad fluuium Padum à Tinctoribus uiridi colore inficiendarum uestium gratia legi. An uero illius Lysimachia cum nostra eadem sit, mihi non constat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Sanguinis eruptiones cohibendi uim habet Salicaria, tam foris imposita, quam intro sumpta. Quod si illa (ut à multis proditum est) feritatem bestiarum,

Lysimachia.

Weyderich.



bestiarum, & efferorum hominum, edomare, suffitu'q; serpentes & muscas pellere posset, digna plane foret, ut in usum reuocaretur.

INTRINSECVS.

Folia uino decocta, & pota, sanguinis excreationes, & dysenterias sistunt.

EXTRINSECVS.

Herba tusa, locis muliebribus imposita foris, uel in pesso, qui ex succo eius conficiatur subdita, abundantiam mensium supprimit.

Naribus indita sanguinis profluuium, & uulnerũ cruorem cohibet.

Suffitu Salicariæ desiccatæ, uenenata animalia & serpentes fugantur. Neq; etiam muscæ in ullo conclaui incolumes manere possunt, in quo suffitum, insensæ huius herbæ senserint.

Alia si qua sunt iuuamẽta ex supra recitatis colligi poterunt.

De Ocimastro, Germanis Braunwurtz.
CAP. LX.



OCIMASTRVM IN duo distribuitur genera, foliis, caule & odore consimilia, quanquam minus folia habet plane purpurea, grauioreq́ est odore. Cõtra uero maius caule & foliis uiridioribus præditum est, ad proceritatem sæpe uiri assurgens. Nascitur autem istud in fossis, lacubus, & humectis pratis. At alterũ quod & uulgarius est, humidis, siccisq́ perinde gaudet locis, ad sepes & antiquos muros proueniens, sicut & Salices, quæ omni fere terra enascuntur. Theophrasto lib. j. id attestante. Radix utriusq; candida, nodosa, testiculata instar Satyrij. Caules qui in utroq; terni aut quaterni ex una prosiliunt radice, in minori purpurei, in maiori uero plane uirides, & angulosi apparent. Folia utriusq; Basilicę similia, per ambitum modice serrata, ueluti falx uel urtica. Flores in uertice caulium, concaua testudinum domicilia imitantes, colore purpureo emicant, qui tandem in rotunda & acuminata capitula, seminis copiosi receptacula Hyoscyami uulgaris similia.

similia abeunt. Porro tam hoc quam illud odorem habet grauem & iniucundum, gustum admodum amarum. Radices uere appropinquante nouos caules emittunt, floret autem utrumq; Ocimastrum Iunio & Iulio mẽsibus.

NOMENCLATVRAE.

Hieroymus Braunschuueig, hanc plantam mediam Scrophulariam, Satyrion maiorem, Filipendulam autem minorem Scrophulariam esse putauit. Atqui si propter radicem torosam hæc planta Scrophularia censeri debet, nonne eadem ratione Saxifragia candida, (de qua infra cap. clxxx) nec non Chelidonion minus, Scrophulariæ dici merebuntur.

Afferam & ego in medium meam sententiam, saluo tamen aliorum iudicio, neminem enim, ut idem mecum sentiat cogi uelim. Existimo itaq; quæ Germanis **Braunwurtz** dicitur, eam apud Dioscoridem lib. iiij capite xxix ὠκιμοειδὴς, & Ocimastrum (quæ nomina quidam Basilicæ agresti attribuunt) appellari.

Maius autem huius plantæ genus, quod quadrangulis caulibus in fossis aquosis progignitur, ad caput xxx prædicti libri Dioscoridis referrem, ubi stirps eo loco descripta, ἔρινος, ὠκιμοειδὴς, ὑδρηρὸν, Ocimum aquaticum, Herba aquatica, nominatur, nisi unum me impediret, nimirum quod Dioscorides Erinon minora folia Ocimo habere testatur, quamuis suspicer pro μικρότερα legendum esse μακρότερα. Quod si hæc lectio probaretur pulchre cum planta huius generis maiore, Germanis **Groß Braun wurtz** appellata, descriptio conueniret. Sic; binæ hæ stirpes, sint Ocima, certe prius Basilica syluestris & male odorata fuerit, posterius uero Basilica palustris, & fortasse Alcibium ultimum Nicandri.

Quædam exemplaria ὠκυμοειδὴς per υ scribunt.

Libet paulisper hoc loco digredi, Ocimorumq; discrimina fusius explicare, licet illorum mentionem supra quoq; fecerimus. Siquidem quinq; plantæ Ocimi nomine apud autores passim ueniunt. Ocimum ergo quod odoratissimum est, & Garyophyllatum cognominatur, Basilica est satiua seu nobilis, & à nobis capiti xxxxv lib. iij Dioscoridis ascribitur, quicquid dicat doctissimus Marcellus Vergilius, qui Epimetron, quo de Theophrastus libro viij cap. viij & Acinum unam & eandem plantam esse iudcat. Alterum Ocimum non Garyophyllatum quibusdam Solanum dicitur. Tertium, Ocimum citratum, Melissæ genus est, Iacobo Manlio. Quartum Ocimũ carmenum, quibusdam Nasturtium aquaticum. Quintum quod Ocimũ domesticum uocitatur (quod & à Serapione cap. clxxv his nominibus describitur Hamehim, Amachim, Selichi, Ocimum nabati) fieri potest ut sit Ocimum Catonis, estq; illud alterum Ocimum de quo nunc egimus, neq; obstat quicquam, quod illud alij Solanum interpretentur. Sed de Solano

ἄκινος, ἐπίμετρον.

illio loco dicetur. Atq; hæc de Ocimis dicta sufficiant, si prius paucis comprehensa in ordinem redigantur.

Ocimum	Garyophyllatum,	est	Basilicæ species.
	Non Garyophyllatum,		Solani genus ut quibusdã uidetur.
	Citratum		Melissa, Iacobo Manlio.
	Carmenum,		Nasturtium aquaticum.
	Domesticum,		Ocimum Catonis, ut uidetur nobis.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtrunq; Ocimastrum hodie exterioribus corporis partibus frequentius adhibetur, quam internis.

INTRINSECVS.

Semen uulgaris Ocimastri è uino potum, uim habet, qua uiperarum & cæterorum serpentium morsibus medeatur.

Semen drachmæ pondere tusum & usurpatum lumbricos uentris pellit.

Idem cum Pipere & Myrrha in uino potũ, Ischiadicis apprime cõducit.

EXTRINSECVS.

Ex Ocimastro præstantissimum unguentum conficitur, ad omnis generis scabies utilissimum, quo ipse scabies lepræ simillimas sanari uidi. Cum uero charitas Christiana id requirat, ut proximis nostris in quacunq; re ad simus, uolui compositionem eius subijcere, quæ sic se habet. Maio mense sumatur herba cum radice, sordibus diligenter expurgata, & lota, eaq; contundatur post succum inde expressum in angusto uitro probe obturato per annum conseruetur. Cumq; unguentum parare uolueris, tum expressi succi ceræ, & olei æquis portionibus tantum accipe, quantum unguenti parandum erit, quod ubi feceris coniunctim illa super carbones decoquantur, & eo usq; temperentur, donec unguentum fiat, quo ut diximus scabiei mederis.

Aqua ex Ocimastro distillata, faciei ruborem collutu exterit, etiam in ijs qui ob deformitatem elephantici fere esse uidentur.

Eadem

Eadem, necnon & puluis Ocimastri mariscas sanant, experientia id attestante.

Semen Ocimastri maioris, quod ad ripas fluuiorum prouenit, tusum, melle mixtum, ac emplastri modo impositum fronti, fluxiones oculorum cohibet. Succus herbæ cum sulphure & nitro temperatus, auribusq; inditus, dolorem illarum finit.

Veterinariæ mulierculæ alligantes eo Ocimastrũ pecoribus vermes, quibus illa nonnunquam scatent, depellunt. Quantum autem superstitionis hac & aliis plantis exerceant, nihil hic attinet dicere, nunc ad Sion non odoratum nos conferemus.

De Sio non odorato. Cap. LXI.

SION GRAECIS, GERMANIS Bachbungen IN DVO genera distribuitur, quorum prius atq; idem uulgarius fruticosa est planta, caule rotundo, qui ubicunq; terram attigerit, facilime radicatur, multisq; capillamentis fibratur, haud aliter quam Pulegium, foliis crassis nigricantibus ferè, pinguibus ac succulentis, ut eatenus Fabæ folia imitentur, unde nonnulli eam Germanice Bach bonen, hoc est aquaticam fabam nominarunt. Flores fert non in uertice caulis, sed in surculorũ utrinq; adnatorum fastigiis, eosq; cæruleos, ut per omnia florum quibus Chamædrys uulgo Gamandræa dicta emicat, situm æmulētur. Gustu subamara est, ueluti Cressio fontanus, quare acetariis à nonnullis adhibetur. Fontibus gaudet calidis, iisq; fossis quæ per hyemem à gelu tutæ esse consueuerunt.

1. Sii non odorati primum genus.

Alterum uero quod & magis exiguum est, similiter ad magnas aquas, necnon fontes, inprimis autem eos qui ex rubra & arenosa terra scaturiginem suam ducunt, nascitur. Foliis uestitur minutis Pulegio similibus, caule quadrangulo, quibus omnibus Anagallidi adeo respondet, ut ab illa uix discerni possit, nisi quod plurimis undiq; candidis, & capillatis radiculis, ueluti Pulegium, quod in Anagallide non fit, humo nititur. Per hyemem totã incolumi uiriditate in calidis fontibus uiget, omni fere odore & sapore destitutum, quo nomine reliquis oleribus, quibus in cibo utimur, annumerandum uidetur.

2. Anagallis aquatica.

NOMENCLATVRAE.

Vtrumq; Sion Germanis Wasser bungen / Bach bungen / &, Pungen, Dioscoridi libro ii cap. cxvi σίον. ἀναγαλλὶς ἔνυδρος, hoc est, Anagallis aquatica Germanice Wasser Gaucheil / (quod nomen ego ad secundum, à nobis descripti

Sion non odoratum.

Bachpungen.



scripti Sij genus, propriè pertinere existimo) appellatur. Nec desunt qui Sion, Iuncum aromaticum, seu odoratum, uocent, quod mihi sane mirum uidetur, præsertim cum Sion neq; odoratū, neq; Iunci genus existat. Quare hoc ipsum nomen ad caput iiij. lib.j. Dioscoridis conijciendum censeo. Præterea uoluerunt nonnulli Sion, Daren & Lauer dici, tametsi a' Sio Lauer separauerit Plinius, cui & ego astipulor. Lauer etenim Apij aquatici genus est, quo de suo dicetur loco. Porro uulgare et maius Sion, Germanis groß Bachbungen / quod primo descripsimus loco, mea quidem sententia, Sion non odoratum, quisquis appellauerit, eum a' ueritate haud multum aberrare, existimarem.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Quanquam utrunq; Sion humidæ temperaturæ sit, tamen non minus atque Nasturtium aquaticum calefacientem quoq; obtinet facultatem, quare utiliter in cibo & medicina usurpari potest.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Sion tenerum adhuc acetarijs adiungi commode potest, sicut Nasturtiũ aquaticum, id quod de utroq; intelligi uolumus. Nam in cibo commanducatæ hæ stirpes calculos uesicæ rumpunt, urinas cient, fœtus mortuos extrahunt, neq; non menses.

EXTRINSECVS.

Sion cum aceto & butyro tostum, ac calidum impositum, & subinde renouatum, tumoribus quibusuis, & sacris ignibus prodest.

Apud Veterinarios Sion in magno est usu, eo namq; in discutiendis tumoribus, & sananda equorum scabie, alijsq; id genus affectibus curandis utuntur. Ac certe ad multa conferunt Sij hæc bina genera.

De Mercuriali. Cap. LXII.

MERCVRIALIS DVO EXTANT GENERA, DOMEsticum scilicet, quod in uinetis maxime nascitur, & syluestre, quæ & ipsa in alias distribuuntur species. Vulgaris itaq; seu domestica Mercurialis, ut ab ea initium faciamus, in vinetis & campis quibusdam ita luxuriat, ut ubi semel radices egerit, non facile deinceps eradicari possit. Atq; ea partim in densos frutices, surculosos, ramososq;, instar Parietariæ, flore candido quandam racemulorũ imaginem præbente, qui nonnunquam nullo post se relicto semine euanescit, quemadmodum fœmella Canabis (de qua cap. cxv. libri primi infra dicetur) partim uero in stirpem euadit semine Sinapi quod ad magnitudinẽ attinet cõsimili, cæruleo, rotundo, geminorum testiculorum modo connexo, & quod impetu quodam et repente ruptis folliculis exiliat, prægnantem. Planta est alsiosa, iniurijs pruinæ facile obnoxia, ita ut per hyemem minime durare possit, nam & pruinis facile aduritur, & quotannis ex semine repullulascere necesse habet. Proinde radice unica, recta, & parum capillata, qualem uulgaris Basilica habet, utraq; huius generis planta nititur.

1. Mercurialis uulgaris.


2. Mercurialis testiculata.

Quæ uero in syluis prouenit, palmi altitudinem raro excedit, cauliculo ternis aut quaternis folijs, Basilicę, uel Parietariæ haud dissimilibus, uestito. Loco fructus, quem Maio mense maturat, bina producit granula, coniunctim in folliculis, qui se testiculorum instar habẽt, contenta, quę cum præmatura fuerint, rumpuntur, atque tum rotundum & cæruleum exilit semen, quod cum Raphani semine, quoad magnitudinem, conferi possit. A Maio

3. Mercurialis syluestris.

Mercurialis.

Bengelkraut.



4. *Mercurialis syluestris altera.*

Maio postea mense tota illa stirps marcescere incipit, nihilq; de illa relinquitur, præter solam radicem, quæ hinc inde serpendo se propagat, uti & Lolium cādidum, quod & Ægilops dicitur (quo de infra in cōmentarijs nostris lib. ij. capite xxxv) & anno sequente in Aprili mense nouos ex se mittit coliculos. Hoc genus Mercurialis in quibusdam altissimis & saxosis montibus ac syluis, herba flore & folijs, uulgari consimilis nascitur.

Est & alia quædam syluestris Mercurialis, quę in humectis & umbrosis syluis, tenebrosisq; uallibus nascitur, caule geniculato, & nodoso, tereti, tenero, mollique; ita ut quod ad caulē attinet, hæc iam dictæ non dissimilis appareat. Flores gerit luteos, ac recuruos, quales profert Consolida regalis aut ea quā Germani Eisenhütlin uocāt, post quos exiguę teretes, & oblongę siliquæ sequuntur, quæ antequā maturitatem suam assequātur, protinus rumpuntur, qui fit ut semen eius, quod præcedenti generis semini non absimile est, sed oblongius, excidat, quod cum accidit, folliculi contracta quodammodo crepando dissiliunt, non aliter quam uermiculi in caseis nati, coniunctis utrisq; sui extremitatibus, à loco se mouere solent, ut qui

ista non

Mercurialis syluestris.
Wald Bengel kraut



ista non uiderit, nec expertus sit, facile terreri possit. Neq; etiam ista Mercurialis hyemis patiens est, sicut nec ea quæ à nobis secundo loco descripta est.

NOMENCLATVRAE.

Mercurialis, ut inquit Plinius lib.xxv.cap.v. Mercurij inuentum est, qua ratione postea Hermupoan, & Hermubotane, seu ut Manlius ait, Hermiporona, Paternius, Mercorela, & Linosostria uocata fuit. Omnes Mercurialis species, Germanis Bengel kreüter/ quibusdam uero utpote Vormaciensibus Wintergrün/ quæ uero semen in folliculis, testiculorum formam referentibus continent, merito ab Apuleio cap.lxxxij, masculæ & testiculatæ appellantur. Sed ut & uulgaris nomina proferamus, dicitur illa apud Dioscoridem. lib. iiij. cap. clxxxiij λινόζωστις (quod & Apio seu Raphano agresti tribuitur. cap. clxx. eiusdem libri,) παρθένιον, (de quo supra cum de Chamomilla et Matricaria ageremus, dictum est:) χρυσῖτις, (sed et illa appellatio alteri plantę tribuenda est, nimirum Aizoo maiori, & Chrysocomæ, seu Satyrioni, uide Dioscoridem lib. iiij. capite lxxxv. & liij.) Herba Mercurialis, ἄργυρος, ἀργυρίδιον, ἑρμοῦ βοτάνιον, Aphlopho.

Asumes.

Asumes. Apuleio. cap. lxxxij. Linozostis Arren, Clibadion, Arguminos, Hermu Basilion. Auerrhoi Alibleb, Oribasio denique, Lineum costeum, (pro quo Linozostis legendum censeo) nuncupatur. Obscura hæc licet sint & incognita nomina, tamen nullas nobis tenebras offundere debent in hac notissima stirpe. Vtut enim appelletur Mercurialis, tamen non tantum nobis, sed & ueteribus cognita fuit. De Catone etenim proditum est memoriæ, quod is familiam suam rusticam Mercuriali deijcere aluum docuerit.

Porro autem prior ex ijs quas syluestres diximus Mercuriales, quæq; in saxosis nascitur syluis, apud Dioscoridem lib. iiij cap. clxxxiiij. κυνια, κυνοκράμβη (quo nomine & Apocynon. lib. iiij. cap. lxxix. dicitur) λινόζωστις ἀγρία ἄῤῥην, Canina, Canina Brassica Mascula, seu syluestris Mercurialis, Aphris Harmas, alijs Asumeslabon, Germanice Hundskraut / Hundskôl / Wild bengelkraut nominatur.

Postrema quæ in umbrosis uallibus nascitur, à quibusdam Germanica uoce Springkraut dicitur, sed de nominibus & genere eius, cum ad Esulas peruenerimus, plura. Phrisius in Synonimis suis Hebræa uoce Mercurialem תלפי Thalpi Etymo mihi sane ignoto, nominat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtraq; hortensis Mercurialis, aquam & bilem educendi uim obtinet, atq; hic fuit earum apud ueteres usus.

INTRINSECVS.

Mercurialis domestica prior, necnon & syluestris prior, aqua decoctæ, calidæq; potæ uentrē purgant, bilē et aquosa trahunt. Quod si iucundiorē usu hanc potionem efficere uelis, decoques cum illa Saccharum, quantum libuerit. Debent uero istiusmodi plantæ clysteribus adhiberi, suntq; eæ perinde utiles, suo modo, atq; folia Senæ. Posterior syluestris, uomitiones magis prouocat, ideoq; ad Esulas referenda erit.

EXTRINSECVS.

Mercurialis omnia genera discutiendis inflammationibus, collectionibus, & tumoribus, abscessibusq; imposita, uel per se, uel cocta cum pinguedine quapiam prosunt. Dioscorides de Mercuriali uulgari, quæ in duo secernitur genera, quorum alterum Mercurialis mascula, altera fœmina appellatur, mirum quid scribit, cuius uerba hæc sunt. Cōstat ut mares gignantur, hunc facere: ut fœminæ, illam, si à purgatione bibantur, & trita folia genitalibus admoueantur.

De

De Parietaria. Cap. LXIII.

S. Peters kraut.



PARIETARIAE duo quoq; genera inueniuntur, maius nimirum & minus, raro tamen simul eodem in loco.

Exiguum coliculis mollibus subpurpureis, folijs Ocimi, herbacei coloris, asperis, ita ut uestibus facile adhæreſcant, flore, quo Iulio mense comat, admodũ exiguo, inter folia, ueluti Atriplex ad muros nascitur. Semen profert minutius Portulacæ semine, nigricans. Luxuriat uero hoc Parietariæ genus (quod nõ raro hyemis frigora saluũ ac incolume sustinet) in tractu Rheni inter Bingiũ & Confluentiam oppida. 1. *Parietaria exigua.*

At maior Parietaria, iã descriptæ in omnibus similis, nisi quod illa procerior est, latior, crassior & tenerior. Gaudet umbrosis locis, affatimq; in Alsatia, Argentinæ maxime nota, prouenit. 2. *Parietaria uulgaris.*

Tertia deniq;, quæ à Lipsensibus medicis uera Parietaria existimatur, alterius est generis & loci. 3. *Parietaria Lipsensium.*

NOMENCLATVRAE.

Parietaria, Germanis S. Peters kraut/Tag vñ nacht/Oribasio, Elxine, ἰξίνη

Celsus lib. 2. cap. 32. & Vitrago. Cornelio Celso, Perdicium, Muralis herba, Parthenion, Aliis autem Paritaria Victorialis, Vitriolaris, Perdicaria, Muralium, Herba uenti maior, Herba uitri, Vrceolaris, & Veraghium, appellatur.

παρθένιον. Quod ad Parthenii appellationem pertinet, duo uidentur hoc loco annotanda, nimirum Etimologia eius, & contentio authorum super hac uoce, cui occasionem id dedit, quod illa multis aliis plantis attributa fuit. Leonicenus siquidem, Collinurius & Rudolphus Agricola, omnes uiri doctissimi, dubitarunt an Parietaria Parthenii nomine uocanda sit, necne. Sed mehercule quicquid isti quærant, & disputent, certum tamen est apud Galenū lib. vi. nec non Æginetam lib. vii. Parietariam Parthenion dici. Neq; illis locis Matricaria per Parthenion intelligi debet, ut à multis obiicitur, sed potius Parietaria, quæ cum plurimis aliis herbis, nimirum cum Maiorana, Matricaria, Artemisia, Chamomilla nobili (cui propriissime assignatur, ut supra cap. xxxxvii docuimus, quæq; à Serapione Matricaria nominatur, quo loco nonnulli Matricariam intelligendam contendunt, sed perperam) & Mercuriali appellationem Parthenii communem habet, ut septem Parthenia numerare liceat. Sed nec immerito Parthenion dicitur Parietaria, nam ut Perdicium à perdicibus, quæ eam esitare solent, ita Parthenion à Minerua uirgine nomen obtinet, quemadmodum Ruellius lib. iii. cap. xciiii testatur, cuius hac de re uerba subiiciemus. Parthenion (inquit) dicta, quoniam à Minerua somno contra præcipitia lapsusq; monstrata est. Pericli Atheniensium principi, cum in arce templum ædificaret: vernula charus supra altitudinem fastigii repsisset, unde cecidisset, hac herba dicitur sanatus. Quare Parthenion uocari cæpta est, assignaturq; ei deæ. Hæc ille.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Parietaria mediocris est temperamenti, neq; nimium calida, neq; abunde frigida, vnde Oribasio docente, inter ea quæ mediocriter refrigerant, collocanda erit.

INTRINSECVS.

Parietaria in uino seu aqua cum melle uel Saccharo decocta, ad inueteratam aridamq; tussim pota facit. Idem aqua eius distillata efficit, quare ueteres Parietariam in puluerem redactam aduersus tussim & Astma exhibuerunt, uti de Absyrto quodam Græco prodiderunt historiæ, qui ad tussim iumentorum ea herba usus dicitur.

Parietaria decocta iocinoris, lienis, & renum obstructiones tollit, internos meatus, & matricis præcipue uitia expurgat.

Eadem omnia præstat aqua Parietariæ distillata.

Pota

Pota etiam hæc decoctio, tormina matricis sedat, urinam expellit, nec nõ menses & alia id genus.

Herba adiecto melle, tonsillis inflammationem sentientibus utiliter & gargarissatur, & oblinitur.

EXTRINSECVS.

Succus è Parietariæ herba expressus, auribusq́ inditus, punctorios illarum dolores aufert. Idem succus necnon & aqua Parietariæ distillata, sacris ignibus, abscessibus calidis, tumoribus, alijsq́ inflammationibus, & adustis medentur, linteolis in illis madefactis, ac impositis.

Succus cum Cerussa temperatus, mirifice ad prædictos morbos facit, quin & ulceribus quæ serpunt, papulis, serpigini, & depascentibus malis medetur. Qua de causa infantes scabie serpente, unde macrescere solent, (quæ Germanis die Megerey dicitur) laborantes, hac herba lauari debent.

Parietariæ herba cum Nasturtio aquatico, & uino in sartagine tosta, ac calida imposita uesicæ, urinam ualenter ciet. Ventri imposita, pari ratione tormina sedat, modo illis nulla sit coniuncta alui astrictio.

Parietaria cum farina fabacea, malua & furfure triticeo, oleo & uino tosta, & emplastri ritu imposita, lacertos, neruos, & Musculos contusos restituit.

De Elatine, Germanis Kletten kraut.
CAP. LXIIII.

IN VORMATIENSI AGRO PROPE OPPIDVM Altzey, in agris frumẽtarijs, frutex ramosus & surculosus plane nascitur, Senetioni non dissimilis, folio non prorsus rotundo, at minori folijs Elxines exiguæ, cuius statim meminimus, aspero, ita ut uestibus facile adhęreat, lanuginoso, cineracei coloris, instar Lithospermi, quod uulgo Milium solis nominant. Flosculos gerit cæruleos, qui tandẽ in echinos lappaceos uestibus adhærescentes abeunt, quod & semen eius est, Coriandrum magnitudine æquantes.

Sub Autumnum plerunq́ hæc stirps in ijs aruis reperitur, quæ rapis consita sunt, radice recta, qualem habet Basilica, & Mercurialis.

NOMENCLATVRAE.

Quam modo descripsimus plantam, alteram esse Helxinem Galeni, & *Galen. lib. 6. Simp.*

Elatine.

Aegin. lib. 7.

Kletten kraut.



Æginetæ, quam Cisampelum cognominant, eamq; quæ à Dioscoride lib. iiij. cap. xxxviij. ἐλατίνη dicitur, neminem ambigere puto, qui delineationes eius cum descriptionibus Galeni & Dioscoridis cõtulerit. Posset & Aparine uocari, cum ut diximus semen & folia illius uestibus adhærescant. Vnde incolæ agri Vormatiensis prope Dalsheimiũ illam patria uoce Kletten-kraut / quasi Lappaceam herbam, nominant.

VIRES AC TEMperamentum.

Elatine refrigerandi, exiccandi & sanandi uim obtinet, eoq; nomine tenerrimis membris utrinq; utiliter adhibetur.

INTRINSECVS.

Elatines herba in uino rubro decocta, ac pota, intestinorũ erosionibus, à dysenteria profectis medetur, dysenteriam sistit, doloreq; mitigat per aliquot dies cõtinuos pota.

Herba uino decocta, & gargarissata exulcerationes oris & colli persanat.

D. S.

Quin & stulta superstitione nonnulli persuasi, quorum supra mentionẽ fecimus, ab oris ulceribus, quæ Græcis Aphtæ appellantur, eos liberari credunt.

dunt, qui hanc herbam saltem secum gestauerint, testanturq; id experientia comprobatum.

EXTRINSECVS.

Elatine uiridis adhuc, tusa, ac fronti imposita, oculorum inflammationibus & fluxionibus auxiliatur.

Alia iuuamenta quotidie inueniri, & ex ijs quæ annotauimus colligi poterunt. Quare relictis his ad Betonicam transeamus.

De Betonica. Cap. LXV.

BETONICAE DVO GERMANIS SVNT GENERA, PVRpureum scilicet, & candidum. Radix utriusq; capillamentis fibrata, uti & Plantaginis. Folia prima earum humi sparsa iacent, nigricantia, aspera & lata, per ambitum ut querna, serrata, sed altero latere minoribus crenis, uenis plurimis distincta, iucundi odoris. Iunio mense exeunt in caulem asperum, quadrangulum, cubitalem, uel eo ampliorem, qui interdum binis sese mutuo spectantibus per interualla, maxime autem prope florem, folijs uestitur. Mense Iulio plerunq; florem absolutum omnibus numeris proferunt, hæc quidem purpureum, qualem purpureum trifolium gerit, aut Stœchas, illa uero candidum. Mirum autem uidetur, quod cum diligentissime Betonicæ historiam persecutus sit Dioscorides lib. iiij. cap. j. non tamen florum colorem indicarit, fortasse ideo quod in flore Betonicam non uiderit, uel potius quod illam ex uerbis quibus Betonicæ semen ueluti Satureiæ spicatum inesse tradit, animaduerti facile posse arbitratus est. Sed utut hæc quidem se habeant, satis erit, si eas, quas iam descripsimus, ueras Betonicas esse nullatenus dubitemus, quicquid interim Ægineta lib. vij. de sua Betonica folijs Pulegij uestita, dicat: credibile est enim & ipsum non omnia uidisse de quibus scripsit. Et ut reliqua in descriptione Betonicæ persequamur, habet utraq; semen oblongum, angulosum in spicis quibusdam Marrubij instar occultatum.

1. *Purpurea Betonica.*

Iam ut de candida Betonica speciatim aliquid dicamus, illa singulari Dei benignitate è sylua quadam Mediomatricum ad me allata est. Neque enim passim obuia est, nec ut arbitror multis in Germania uisa, tametsi postquam à me plantata fuit, plurimis quoq; dũ albo flore emicaret, Iulio mense, demonstrata fuit. Ego uero istiusmodi beneficium Dei magnifacio, antequam enim hanc Betonicam uidere mihi contingeret, doctissimi quiq; uiri, è nuda descriptione persuadere mihi conabantur, eam quæ sequenti à

2. *Betonica candida.*

Betonica.

Betonien kraut.



Betonicæ quædam binæ campestres.

nobis tractabitur capite, Betonicam esse candidam. Atqui Deo sit laus ueram iam inuenimus Betonicam candidam, quæ ab altera uulgari solo florum colore differt, cætera eidem similis per omnia. Proinde utraqꝫ inter densa & tenebrosa arbusta, in uallibus opacis, ac pratis, alijsqꝫ graminosis locis enascitur.

Antequam ad nomenclaturas Betonicæ pergamus, de alijs quibusdam Betonicæ speciebus, quas fere præterieramus, admonēdus erit optimus Lector. Nam inter Argentinam & Spiram urbes Germaniæ celeberrimas, secus itinera, & in collibus nonnullis binæ reperiuntur plantæ, Betonicæ per omnia similes, nisi quod folia & caules breuiores habent. Flos huic purpureus, illi candidus. Coliculi ab imo usque ad summum minutioribus, serratis & asperis circumdati sunt folijs. Odor utriqꝫ gratus, gustus subamarus.

NOMENCLATVRAE.

Betonica Dioscoridi, Galeno, & Æginetæ ψυχότροφον, quod frigidis locis & uallibus gaudeat, & κέστρον, Antonio Musę, Britannica, Prionites, Pyrines, Adianthos, Thyariza, Seropodion, Pandiona, Hierabotane, Serrata, & Rusmarina, dicitur.

Britannica

Britannica quidem & Adianthos nomina ſunt peculiarium quarundam ſtirpium, de quibus ſuo dicetur loco. Lonchitidi etiam Dioſcorides lib. iij. cap. clij. Ceſtri appellationem tribuit, & Plinius Trixaginem quocꝫ ſuam, *ὅρμινον ἄγριον.* Serratam uocat. Serapioni denicꝫ cap. cccxij. Raſtata, Auerrhoi, Alchiſon, *Orminum campeſtre.* Beragnes, Manlio, Lingua Bubali, & lingua equi appellatur. Germani Braun Bathonien kraut/ & Weiß Bathonien kraut uocant. Duæ poſtremæ Betonicæ non male ad caput cxxxvi. lib. iij. referri poſſe exiſtimo, ita ut Ormina campeſtria dicantur. Quod ſi cui hæc mea ſententia diſpliceat, is meliorem adferat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Ex ordine calefacientium ſunt Betonicæ uniuerſæ, ad omnes prope morbos utiles.

INTRINSECVS.

Quiſquis continua eructatione, & imbecillitate ſtomachi laborauerit, et quorum uentriculus cibos retinere nequit, quicuncꝫ denicꝫ acida ructant, eocꝫ uitio frequenter moleſtantur, ŋ perpetuo Betonica uti debent, ac uel herbam cum floribus in uino decoctam bibere, aut aquam diſtillatam, uel cum Saccaro flores conditos, inſtar conſeruæ uti uocant, uſurpare.

Quod ſi huiuſmodi conſeruis, aut aqua diſtillata deſtituaris, arida Betonicæ folia in puluerē redigere, ijsqꝫ uel per ſe uel melle admixto uti poteris.

Mulieres uuluæ malo opportunæ, ad laxandos uteri ſtrangulatus, remedium ex Betonica præcipue petant.

Breuiter Betonicæ flores, folia & radices, decocta, ac pota, aut quoquo modo, illa in ecligmatis, conſeruis, ſerapijs, potionibus & pulueribus, ſumantur, utilia ſunt internis ſtomachi affectionibus, iecoris lienis, renum & ueſicæ. Matricem obſtructione liberant, omneſqꝫ noxias humiditates educunt. Quamobrem puluis Betonicæ pondere drachmæ unius in uino propinari debet his, qui uenenum hauſiſſe ſe ſuſpicantur, quod cum fiet, uenenū per urinam & aluum expelletur.

Icterici quocꝫ Betonicam frequenter uſurpare debent, quocuncꝫ tandem modo ex his quos ſupra recenſuimus.

Furioſis & comitiali morbo laborantibus Betonica in aqua decocta potui dari debet, necnon & Iſchiadicis, & Paralyticis.

Phtiſicis, pulmoniſqꝫ uitijs laborantibus, ſuſpirioſis, ac tuſſientibus, & ad Hydropiſin pronis, quiqꝫ continuis & putridis à ſtomacho ortis febribus infeſtantur, Betonicæ flores & folia, in aqua mulſa decoquantur, & bibantur calida, per aliquot tempus, mane & ueſperi, quod cum fecerint, præſens auxilium ſentient.

EXTRINSECVS.

Linteola linea in aqua Betonicæ distillata madefacta, ac capiti imposita, dolorem mitigant. Oculis quoque instillata, eadem efficit Betonicæ aqua.

Folia Betonicæ recentia, uel tusa, uel decocta, capitisque uulneribus illita, non solum sanandi, sed & celerius conglutinandi uim habent, ossiumque fragmenta extrahendi.

Aures per infundibulum decocto Betonicæ utiliter fouentur.

Betonicę folia in uino & aceto æquis portionibus ultra tertias decocta, gargarissatu dentium putrescentium doloribus medentur.

Betonicæ folia cum uino nigro tusa aut decocta, uulneribus cataplasmatis instar imposita, uel si cũ illa decoctione uulnera colluantur, uenenatos serpentum, aliorumque eius generis animaliũ, & rabiosi canis morsus persanãt.

Plura qui de Betonica scire cupiat, is scripta ueterum de illa perlegat. Nos præcipuas eius uires paucissimis comprehensas enumerauimus.

De Herba paralysi. Cap. LXVI.

HERBA PARALYSIS QVOD AD FOLIA SVBALBIda, seu incana & rugata petinet, quibus hyeme etiam in pratis humi sparsa iacet, non aliter quam Plantago, haud multum Betonicæ dissimilis est, unde adducti quidam Betonicam candidam illam appellatam uoluere. At si diligentius non solum formam, sed & saporem ac odorem herbæ istius, quis examinauerit, is certo deprehendet nihil illam cum Betonica, præter folia commune habere. Quanquam si exactius res pensitetur, folia illa ipsa magis cum Lapatho acuto, quam Betonica conueniunt. Nulli ergo dubium esse debet, quin nõ tantum plurimum à Betonica dissideat, sed & peculiare per se stirpis genus sit hæc herba. Dirimitur autem illa in duas species, quarum altera uulgaris, altera syluestris censetur.

1. *Herba paralysis uulgaris.* Prima quæ & passim in pratis conspicua est, folijs uestitur minime crenatis per ambitum, nullo odore præditis, sapore subdulci. Flores interdum duodeni, pediculo seu stylo unico, tereti, dodrantali, læui insident, lutei, & ad formã Cymbali rotundi, uel clauis, ex sacculo quasi concauo singuli prorepentes. Quibus ubi deciderint Papauerũ similia capitula, nigro semine referta, succedunt. Radix illi Plantagini consimilis. Sub Aprilem mensem folia candicantia eriguntur in altum, & cum illis quoque flores exurgunt, dulces, odore mellis præditi, quare illos nonnulli legere solent, Zaccharoque condire Gaudet uero aridis pratis, & quibusdam graminosis hortis.

2 *Herba paralysis syluestris.* Altera huius generis planta, quæ in syluis prouenit, latiora habet folia, coloris ex luteo pallentis, & quodammodo albicantis. Floret citius altera, flore omni fere odore destituto.

NOMEN.

Herba paralysis.
Schlüsselblůmen.



NOMENCLATVRAE.

Germanis utracp Himelschlüssel/oder S. Peters schlüssel/ & ad Ni-
crum quibusdam Weiß Bathonien/(hoc est, Beronica candida) propter fo-

liorum similitudinem, Officinis Herba paralysis appellatur. D. Otho Brunfelsius uir doctissimus in ea fuit sententia, ut existimarit hanc stirpem, Margaritam esse Hermolai Barbari, & eã quæ Plinio Bellis, seu Bellius dicitur. Quod uero in Dioscoride & Plinio nomen habeat, nondum mihi constat, nisi forte Britannica sit Plinij lib. xxv. cap. iij. descripta. Nam in antiquis Dioscoridis exemplaribus nulla fit Britannicæ mentio, quodcꝫ hodie in Dioscoride legitur, fieri potest ut illa adulterina sit, & supposititi a lectio, quod cum alibi tum uero hic Diosc. contigisse mecum testabitur Marcellus Vergilius doctissimus uir. Quanquam Apuleius de Britannica quadam scribat, quæ Græcis Damasonios, alijs Beta plantaginis, alijs Bibo dicatur. An uero nostra herba Paralysis Britannica sit Plinij, aut Bertanich Auicennæ, doctioribus discutiendum relinquo, ab illis enim erudiri de ueritate cupio. Apud Phrisium, Primula ueris (de qua appellatione suo loco egimus) Chelidis, Taxifilon, Opipera, Chelidiũ, & Germanica uoce, fasten blůmen (hoc est quadragesimalis flos) nominatur.

βρεταννικὴ Diosco. lib. 4. cap. 2.

Apuleius. cap. 29 Auicenna lib. 2. cap. 106.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Folia herbæ paralysis calidæ, & aliquantum resiccantis sunt temperatura. Flores decerpti internis corporis partibus accommodatiores.

INTRINSECVS.

Flores herbæ Paralysis Saccharo conditi, nec non & aqua distillata, uiribus exhaustis, longacꝫ ægritudine confectis, nec non apoplecticis, & his qui crebras patiuntur syncopes prosunt, aiuntcꝫ id experientia constare.

Eadem ratione & internis affectionibus utiliter adhiberi potest herba Paralysis, est enim singulari cor confortandi facultate prædita.

EXTRINSECVS.

Flosculi & folia herbę Paralysis maxime salutares sunt, tumores enim ex morsu uenenatorum animalium sub ortos detumescere faciunt, alijscꝫ medentur uulneribus, si distillata aqua colluantur, aut si folia illis imponantur.


Herbæ Paralysis aqua distillata doloribus capitis à calida intemperie profectis medetur singulari experimento.

Mulierculæ formæ studentes, è floribus, prius uino aspersis aquam sibi distillant, qua faciem illinunt, sperantes hoc pacto genas suas à rugis maculiscꝫ, & alijs id genus uitijs uindicare se posse.

De

De Chamædry. Cap. LXVII.

Chamædrys.
Gamander.




CHAMAEDRYS VEra proculdubio non multis officinis in Germania nota est, nec uisa etiam, quare usum illius ut ignorent necesse est, nec mirum certe si plerique mortales à medicamentis, quæ isti conficiunt, abhorreant. Ne uero in errore posthac uersentur ij, qui simplicium exactam cognitionem percipere desiderant, paucis uniuersam Chamædryos descriptionem ob oculos ponemus. Chamædrys in tria diuiditur genera, estque alia nobilis, reliquæ duæ uulgares, nam in omnibus fere hortis graminosis reperiuntur.

Chamædrys uera, cuius ueteres mentionem fecere in montibus subter Iuniperos in musco, & lapidosis collibus, & terra præcipue limosa prouenit, dodrantali altitudine, radice per terram hincinde serpẽte, eaque candida, ex qua sub mensem Maium multi tenues surculi, exiguis foliolis, binis per interualla, sese mutuo respicientibus, effigie & diuisura quercus, (ita quidem — 1. *Chamædrys nobilis.*

Chamædrys uera.

Das recht Gamanderlin.



ῥήγματα τρώματα.

quidem ut ouum ouo uix adeo simile sit, quam sunt folia quercus, et huius Chamædryos) uestiti exeunt, Iunio mense purpurascentes flosculi Betonicæ flores referentes, unde non inepte Betonica exigua appellari potest, prodeunt, odoratissimi, nam et herba iucundo commendatur odore, gustu subamara.

Cæterũ cum apud Theophrastum libro .x. cap. x. de plantarũ historia, et uires et forma huius Chamædryos descripta sint, annotabimus illa in gratiam studiosorum rei herbariæ.

Τῆς δὲ χαμαίδρυος, τὰ μὲν φύλλα πρὸς τὰ ῥήγματα καὶ πρὸς τραύματα ἐν ἐλαίῳ τριβόμενα. πρός τε τὰ νεμόμενα ἕλκη. τὸν δὲ καρπὸν καθαίρειν χολήν. ἀγαθὸν δὲ καὶ ὀφθαλμοῖς, πρὸς δὲ τὰ ἀργέματα, προσάγειν τὸ φύλλον, τρίψαντα ἐν ἐλαίῳ. ἔχει δὲ τὰ φύλλα, οἷάπερ δρυός. τὸ δὲ ἀνάστημα τὸ ὅλως, ὅσον σπιθαμιαῖον. εὔοσμον δὲ καὶ ἡδύ. Hoc est,

Trissaginis folia ad ruptiones, & uulnera in oleo trita, necnon ad depascẽtia ulcera. Fructus bilẽ purgat, oculis prodest, folium ad albugines seu Argemata, in oleo tritum cõducit. Habet autem (Chamædrys) folia quercus, & statura uix palmum excedit, & odorata atq; suauis est.

Hęc ille. Nunc ad uulgares Chamędryos species explicãdas accedamus. Reliquę duæ uulgo Gamandræ appellatæ, forma inuicem consimiles, maxima

maxima tamen, quæ in asperis & saxosis montibus reperitur, elegantior est. Atque ea radicem habet lignosam & tenuem, fibrisque capillatam, è qua teretes coliculi dodrantales, spicatis floribus, non aliter quam Betonicæ, cæruleo colore, tinctis sub initia Maij mensis comantes, consurgunt. Folia eius instar serræ diuisuris incisa sunt, cætera Balsaminæ acutæ haud multum dissimilia. Mirum est autem quod flores huius stirpis non è uertice, pro more aliarum, sed è lateribus caulis prodire cõsueuerunt, ita ut primarius caulis præmorsus uideatur. 2. *Chamædrys altera.*

Tertia Chamædrys, quæ & uulgatissima est, ac officinis usitata, passim aduentante Maio inuenitur in hortis graminosis, cæruleis flosculis Anagallidi similibus, at paulo minoribus, rarioribusque. Differentia uero qua proprijssime duæ postremæ Trissagines discernuntur, in situ foliorum, & floribus est posita. Nam prioris folia humi procũbunt, nihilque præter florẽ spicatum in altum attollitur. At posterior eademque (ut diximus) uulgatissima, instar arbusculæ plane erigitur, nec per terram ut altera sparsa iacet. 3. *Chamædrys uulgaris.*

Deinde in maiori illa Gamandræa, quæ spicatos flores profert, raro plures quam binæ emicant uiolæ, ijs decedentibus, binæ aliæ ex ordine succedunt, donec spica ad summum usque defloruerit.

NOMENCLATVRAE.

Prima Chamædrys purpureis prædita floribus iure Betonica parua (Germanis Klein Bathonien oder Bathengel) dicetur, causas supra recensuimus. Estque illa uera Trissago, Chamædrys, Quercula minor, uel Humilis quercus, de qua Dioscorides lib. iij. cap. ciij. agit, Teucrion quoque illam uocari & Linodryn asserens. Potest & χαμαίδρυς (quamuis alia exemplaria χαμαίδρυψ legant) M. Vergilio testante, uocari. Plinio ob incisuras quas obtinet, Serrata, Manlio Calamandrina, Apuleio, Drys & Drysites. Barbaris & Arabibus (utentibus Genitiuo pro nominatiuo) Camedreos, Camedryos, Damederios, Laurentio Phrysio, Kamel & Trizaoga appellatur. Nec uero tacendum opinor tres apud Dioscoridem extare Trixagines, uidelicet lib. iij. cap. cxvi. cij. & ciij. 1. *Χαμαίδρυς. Τεύκριον. Plinius lib. 24. cap. 15. Theophrastus de planta. histo. lib. 10. cap. 10. Apul. cap. 24. Serap. cap. 180.*

Reliquas duas Gamandræas in gratiam seplasiariorum Trixagines & Querculas cum alijs appellabo, tametsi illi postremam duntaxat habeant in usu, quæ Germanis Blomenderlin/Gamander/Vergiß mein nit/ & apud Mediomatrices mulierculas, Helfft/Frawenbiß/ (id est Morsum fœminæ, eo quod in medio corde suo spoliatum uidetur, unde ut docuimus flores in lateribus coliculorum, non in capite progignit) uocatur. Quod si & hæc Teucrion appelletur, certe ad lienis uitia adhibenda foret, usuque obseruandum si illis salutaris esset, nec ne, uti & Teucer fecit. Sed de Teucrio uero paulo post. Vnum hoc annotandum uidetur, nimirum quod Plinius 2. 3.

lib.

lib.xxv.cap.v.& Hemonion Teucrij appellatione insigniat, quam recte autem, ipse uiderit, tametsi enim uiribus nihil inter se differant eæ plantæ, tamen quo omnis semel in re herbaria tolleretur obscuritas, consultius mihi uideretur, si quæq; stirps proprijs suis nominibus uocaretur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Chamædryos species omnes à nobis descriptæ, ex ordine sunt calefacientium & exiccantiũ, ideoq; uti Betonica utrinq; utiliter adhiberi possunt, præsertim ea quæ purpureos gignit flores, & à nobis ob formam & uires Betonica exigua est nominata.

INTRINSECVS.

Betonica exigua, & Gamandræa cæruleis conspicua flosculis, uino uel aqua decoctæ, percolatæ, demum melle uel saccharo temperatæ, in modum aliarum decoctionum, mirifice ad tussim faciunt, incipientibus hydropicis indurato lieni, strangurię, atq; ijs qui difficulter urinã reddunt, auxiliantur.

Vino decoctæ eædem herbæ, ac ea qua diximus ratione temperatæ, ueneno resistunt, menses trahunt.

Inprimis uero frigidis mulieribus, qui albis laborant mensibus, utilissimæ sunt.

Alia & plura Chamædryos iuuamenta, require in Betonica, cui temperamento & uiribus respondet, ut iam aliquoties diximus.

EXTRINSECVS.

Chamædryos herbæ siccatæ & decoctæ, desessionibus & fotu, necnon in sacculis muliebribus locis impositæ, albos menses finiunt, & erosionibus uuluæ medentur.

Eædem cum aqua salsa, & aceto decoctæ, deinde uero cum fermento cõtusæ, ut fiat emplastrum, ac frigido stomacho impositæ, eructationem, fastidium, & uomitiones à frigida causa ortum habentes, compescunt.

In puluerem redactæ adiuncto semine Nigellæ æquali pondere, in sacculo calidæ, capiti impositæ, fluxiones & pituitam illius discutit.

Sunt & hę plantę uulnerariæ, si admixto aceto, uino, melle, uel oleo, prout consultum fuerit, usurpentur.


Gamamandreæ cum farina fabæ lupinorũ, aceto & aqua salsa decoctæ, decoctę et percolatæ, furfures & porrigines capitis, & superciliorũ tollunt, si huiusmodi decocto colluantur.

Et ut paucis omnia comprehendam, possunt omnes Gamandrææ, necnon Teucrium, quod sequenti statim describemus capite, ad eadem omnia, ad quæ Betonicam facere docuimus, adhiberi, idq; in decoctionibus, po-

tionibus

tionibus, Eclegmatis, oleis, pulueribus, fotu ac sudatorijs balneis, prout cuique uidebitur.

De Teucrio, Germanis Erenbreiß. CAP. LXVIII.



TEVCRII HISTOriam propter adhærescentes quas habet radiculas, post Hederas describere statueram, nisi affinitas, quã cum Chamædry habet, à proposito me reuocasset. Cum namq; tenuibus ac rotundis uirgis, radicibus, flosculis, & semine Chamædryn prorsus referre uideatur, operæpretium fore existimaui, si quas natura & formæ similitudo coniunxisset, eæ in scriptis nostris à se mutuo nequaquam diuellerentur. Teucrium itaque per terram hinc inde serpendo ueluti Numularia sese propagat, folio longiori ac asperiori, minutis diuisuris serrato, ut eo nomine à folijs Pruni syluestris parum dissideat. Flores spicatos & exiguos producit, ex lacteo colore cæruleos, purpura leuiter admixta. Iis decussis, id quod fit, Iunio mense, exiguum semen relinquitur, quale habet uulgaris Gamandræa, loculamentis paruis conclusum, ueluti Bursæ pastoris.

Forma.

Tempus.

Virgæ

Virgæ eius, & flores frequentiores è lateribus quam primario caule prorumpunt. Cæterum tota sua substantia amarum est Teucrium.

2. *Agreste Sedum.* Est & aliud quoddam huius plantæ genus, quod tamen ad diuersa genera pertinere uidetur, partim enim Numulariam refert, partim uero Teucrion, posteriori tamen similius, at uiridius illo ipso, folio non serrato, molliori, Portulacæ pene simili, unde non inepte Sedum agreste dici posse puto. Quod ad flores, semen & loculamenta attinet, adeo cum Teucrio conuenit, ut inter utriusq; semina differentiam inuenire difficile sit. Proinde tam hoc quam illud simul in syluis sub quercubus, locis arenosis, montibusq; ac collibus & agrorum limitibus limosis, nascitur.

NOMENCLATVRAE.

Teucrion haud immerito Chamædryos species censetur, non tantum ob similitudinem, uerum etiam quod sub quercubus (ut diximus) fœlicissime proueniat. Si quid uero de præstantia eius dicendum est, hoc unum ego affirmare possum, Teucrium mirabili & efficacissima ui aduersus aëris intemperiem pollere, adeo quidem ut ea in re multas alias plantas longo post se interuallo relinquat. Inprimis uero aquam è Teucrio per noctem & diem unam uino macerato distillatam, ad acutas & pestilentiales febres unice facere, in multis tam iuuenibus quam ætate prouectis expertus sum.

Τεύκριον. Dioſco. lib. 3. cap. 102. Quamobrē quicquid alij dicant, ego hanc plantam Teucrion esse, & pro Teucrio usurpandam censeo, neq; moror siue Teucer Aiacis frater, siue alius quis, inuentor illius extiterit. Quisquis igitur usum Teucrij uerum nouerit, is certe ad lienis uitia utilissimum deprehendet, attestante id Hieronymo Braunschweig/qui Teucrion Veronicam cognominari tradit, à rege quodam Gallorum, qui succo eius herbæ ab elephantiæ morbo liberatus dicitur. At ego suspicor Vetonicam potius dicendam, propter uires quas cum Betonica easdem obtioet. Nostri Doctores medici hac quoq; utuntur planta, licet ignorēt quid de illa ueteres rei herbariæ autores scripserint, interim pro more suo plæraq; ex Empiricis mulierculis Circes pedissequis addiscentes. Ne tamen nomine careat, uocant illam Herbam Tunica, quod & floribus Gariophyllorum postea tribuunt, ut uel hinc appareat nihil in re herbaria certi apud hos magistros esse constitutum. Pastores nonnulli Germanica uoce Teucrion Vihewurtz/ id est Aroma pecorum, singulari nimirum experimento, quo in puluerem redactum Teucrion, cum sale tussientibus pecoribus utiliter exhibetur, appellant. Mulierculæ quædam Serpentin à serpendo haud dubie, & Grunthepl appellant. Vulgare uero apud Germanos huius plantæ nomen est Erenbreiß. Apud Dioscoridem, sequentia quoq; obtinet nomina, Chamædrys, Trissago, Teucris. Est autem mihi

tem mihi hoc loco monendus paucis optimus lector, Teucrij & Teuthrij appellationes minime confundendas, de posteriori etenim Dioscorides, cum sit alia herba, seorsim agit lib. iij. cap. clv.

Alterum herbæ genus, folijs Portulacę uestitum, Teucrio non absimile, à ueteribus Sedum agreste dictum existimo, quod cum Sedo nonnihil affinitatis habeat, & in syluis reperiatur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Teucrium tota sua substantia amarum est, easdemque cum Betonica & Chamædry facultates obtinet.

INTRINSECVS.

Teucrium uino maceratum, ac distillatum, remedium est efficacissimum ad quasuis pestilentiales febres, binis uncijs cum modica Theriaca adiecta potum, quo facto stragulis probe se operire, & quiescere oportet, tum enim per sudores uenenum expelletur, & à corde arcebitur.

Ad eadem facit herba in uino decocta. Teucrium uitijs lienis opitulatur, & lien ipsum potenter absumit, per aliquot ex ordine dies potum.

Aqua Teucrij stillatitia per aliquot dies binis uncijs pota, uertigini auxiliatur, lentam incidit pituitam, sanguinem purgat, stomachum excalfacit, meatus iecoris aperit, pulmonis & lienis uitia emendat, uenas purgat, necnon matricem & uesicam, sudorem & uenenum expellit, regiumque similiter morbum & calculum renum, & si quæ sunt aliæ corporis totius pestilentes affectiones.

Aqua Teucrij binis uncijs, & semiuncia, cui folia ipsius Teucrij in puluerem redacta, mediusque cortex Amaræ dulcis, æquis portionibus, hoc est, una drachma adiecta fuerint, per aliquot dies pota, thoracis crassos & lentos humores discutit, ac excreabiles facit, suspiriosis prodest, potissimumque exulcerationibus pulmonis medetur. Hoc ipsum prudentes pastores norunt, ij etenim pecoribus tussientibus Teucrij herbam in puluerem redactam, cum sale exhibent.

EXTRINSECVS.

Folia cum aceto, uel tusa, uel cocta, perque aliquot dies imposita, induratum lien discutit & absumit.

Vncia uitrioli in puluerē redacta, ac in aqua Teucrij liquata, collutione putrida ulcera, lichenas, serpigines, papulasque, & alias quasuis scabies purgat, sanatque. Idem succus herbæ præstat, uel per se, uel cum alumine.

Et ut paucis omnia dicam Teucrium non solum hominibus, sed & iumentis, ad internas & externas affectiones, utilissimum est.

De Verbena. Cap. LXIX.

Eysen kraut.

1. Verbena recta.



2. Verbena fœmina.

VERBENA, omnibus notissima herba, passim ad sepes, muros, & in cœmiterijs, alijsq; incultis locis, cubiti interdum altitudine, multis adnascentibus tenuissimis ferulis, arbusculam referens, luxuriat. Radix illius capillata est, haud admodum longa, caulis tenuis et quadratus, folia tribus diuisuris incisa instar cristæ gallinaceæ, (unde à nonnullis Crista gallinacea appellatur) auersa parte qua terram spectãt, albicantia. Flosculos gerit ex albore & purpura uersicolores, in cacumine coliculorum, eosq; raro simul ternos aut quaternos, quibus pereuntibus proximi quicq; orbiculi florere ilico occipiunt. Semine prægnat oblongo, Plantaginis rubeæ simili. Hæc planta uiridis adhuc, odore satis iucundo commendatur, gustu amara.

Altera uero Verbena quæ luteos profert flores, & Germanis hactenus, Verbena fœmina uocata, supra cap. xxxij. descripta est. Forma enim & sapor illius euidentissime euincunt, ad Sinapi esse referendam.

Verbe-

Verbenam autem ſupinam Dioſcoridis non ſatis mihi perſpectam ac cognitam eſſe ingenue fateor. Verum enimuero noui ſtirpem quandam, quã Verbenam ſupinam eſſe conijcio. Ea in locis humidis, paluſtribus, & foſſis prouenit, unico plerunq; eoq; purpureo & tereti cole, ſeſquicubitali nonnunquam altitudine, geniculis diſtincto, radice fibrata. Folia huius, Verbenæ rectæ prope ſimilia, in tres ſcilicet partes diſſecta. Auguſto menſe flore comat rauo, rotundo, multiplici q; foliolorum ordine referto, ſed non ſtellato, Conyzæ ſimili. Proinde flores ſinguli è rotula ſeu ſtella uiridi, inſtar oculi, purpureis ueluti ſupercilijs, per ambitum ornati, elucent. Semen in auras euaneſcit, inſtar Senetionis, odore ingrato, binis aculeis ueſtibus adhęreſcens. 3. *Verbena ſupina.*

NOMENCLATVRAE.

Verbenæ nomenclatura adeo uulgaris eſt, ut eam aniculæ etiam teneant, eæ enim hac quoq; herba in Verbenis ac Sagminibus ſuis ſuperſtitioſe uti ſolent, quæ certe ſuperſtitio ab ijs ortum ac progreſſum ſortita eſt, qui inter Chriſtianos illam maxime cohercere debebant.

Germanis Eiſenkraut & Eiſerich à ferro quod hac herba adureſcere conſueuit, dicitur. Quare haud iniuria Agricola uir doctiſſimus in Dioſcoride, pro feria ferrariam legendum cenſuit. Vulgo herba ſacra, Hierobotane, Sagminalis. Verbenaca, Periſterion, appellatur. Dioſcorides lib. iiij. capite lviij Bunion eam, Philtrodotem, Iunonis lachrymam, Muſtelę ſanguinem, Mercurij ſanguinem, Criſtam gallinaceam, Trixalim, Exuperam, Feriam, uel ut iam indicauimus, Ferrariam, & Pemſempte cognominat. Plinio, Blattaria, Hermolao Barbaro, Columbaris, Lucinia, Luſtrago, Militaria, Petonomos, Panchromos, & Verminaca, Autori deniq; Pandectarum, Centrum Galli nominatur.

ἱερὰ βοτάνη, περιστερεών.

Quędam exemplaria Pheriam legunt.

Blattaria.

Altera uero Verbenaca, quæ ſupina cognominatur, quibuſdam Germanis Fotzen ygel, dicitur, poſſet & Hanenkamp id eſt, Criſta Gallinacea, à forma foliorum appellari. Hanc, ſiquidem ſit Verbenaca ſupina, quidam Erigenion, alij Chamęlycon, alij Sideritin, quidam Curitin, alij Perſephonion, alij Iouis colum, alij Dichromon, alij Calleſin, alij Hippariſon, nonnulli demetriada, Ægyptij Pemphthenphtham, Pytagoras, Eryſceptron, Romani Cincinalem uocant.

περιστερεὼν ὕπτιος.
Dioſco. lib. 4. cap. 59.
Apul. ca. 3. et 66.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Verbena hodie etiamnum frequentius ad amuleta & expiationes, quam in medicina uſurpatur, utiliter tamen utrinq; corpori humano adhiberi poteſt.

INTRINESCVS.

Recentiores herbarij Verbenæ omnes probe internas affectiones ſanan-

di uim tribuunt, quippe quæ epar, lien, & renes obstructionibus liberare possit, uino decocta & pota.

Aqua Verbenæ distillata, ijsdem facultatibus prædita dicitur, meatus scilicet epatis & pulmonis aperiendi, regium morbum discutiendi, uenenum expellendi, & alia pleraq;, quæ in historia Chamædryos annotata sunt, efficiendi.

EXTRINSECVS.

Verbena cum aceto tusa, ac illita, sacris ignibus opitulatur.

Eadem admixto melle imposita, uulnera glutinat. Folia cum suillo adipe ueteri tusa, ac imposita, uuluarũ tumores deprimunt, doloresq́; finiunt.

Verbenæ aquā fronti temporibus illitam, capitis dolores sedare, experientia compertum aiunt. Vtilissima est uero ea aqua ulceribus oris, locorumq́; pudendorum, mariscis, alijsq́; id genus, collutu.

De Verbena quæ Germanis fœmina dicitur, suo loco disseruimus.

Postrema autem nempe supina Verbenaca, serpentes, aliaq́; uenenosa animalia pellit, ueluti & Conyza. Potest etiam depascentibus, ac longe lateq; serpentibus ulceribus adhiberi.

De Stœchade. Cap. LXX.

STOECHADOS HISTORIAM POST ROSMARINVM, & Lauendulam prosecutus fuissem, si eo tempore in horto meo satis excreuisset. Tametsi enim ut illa prouenire posset omnem operam impendissem, tamen ad florem ob hyemis iniuriam peruenire non potuit. Sed quocunq; loco tandem describatur, haud multum referre arbitror, quare paucis in præsentia illam delineabimus, præsertim cum in Germania nostra non usq; adeo uulgata sit. Ea itaq; recens adhuc odoratissima est planta, radice, foliolis, & caule, Lauendulæ simillima, folijs acutis, & ea qua terram spectant parte, subcineracei coloris. Flores illius forma Betonicam referunt, nam tales illi Francoforti in nundinis uenundantur siccati, recentes etenim ex prædictis causis habere non licuit. Attamen in his ipsis aridis flosculis semen continetur exiguum, instar Melissæ, quod ubi terræ ineunte Maio mandatum fuerit, quemadmodum Basilicæ, binis folijs prorumpit, atq; hac ratione plantata mihi fuit Stœchas. Porro & flos & herba huius gustum subamarum repræsentant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Flores & folia Stœchados calidam & siccam obtinẽt temperaturam, Στοιχάς. aiuntq́; eam puerperis à partu utilissimam esse, non tantum decoctionibus, sed

Stœchas.
Stechas kraut.



bus, sed & suffumigationibus. Nam is mos in multis regionibus, iamdudum inoleuit, ut à partu mulieres optimis quibusque & odoratissimis herbis suffumigentur. Quam consuetudinem equidem ut non impro-

barim, ita inprimis optarim, ut herbarum proprijs ac genuinis uiribus cōtenti, non ad magicas coniurationes, quibus singulares quasdam facultates plantis addi stulta putat uulgi opinio, confugeremus. Deo gloria, suusq; honor creaturis tribuatur, ita tamen ne nostris illas coniurationibus meliores efficere stulti conemur.

INRINSECVS, ET EXTRINSECVS.

Stichas non aliter atq; Hyssopus ad uitia thoracis, & pectoris facit, quare indifferenter utraq; stirpe uti possumus.

Flores autem uertigini accommodati sunt, olfactu, impositu, aut certe si illis in Tragemate utamur, prout cuique uidebitur.

De Bursa pastoria. Cap. LXXI.

PLVRIMAE EQVIDEM PLANTAE REPERIVNTVR quæ à seminum receptaculis, Bursæ pastoriæ dici commode possent. Nos in præsentia aliquot earum recensebimus. Prima er-
1. go sit ea quæ sub Thlaspidio descripta est. Binæ deinde sequuntur aliæ, lu-
2. 3. teo in uulgis prægnantes semine, gustu ac sapore Nasturtij, quarum mentionem fecimus cap. xxvij. cum de Nasturtijs ageremus. Rursus quar-
4. ta quædam in agro Vormatiensi (nam non ubique inuenitur) secus itinera, & inter uineas luxuriat, compluribus longis teneris ac tenuissimis uirgulis, ac surculis, quæ paucis & admodum exiguis foliolis, ac angustioribus, quam sint folia Centumnodiæ, uestiuntur. Forma, odor, & gustus seminis, Nasturtium referunt, nisi quod illo acrius est, & paulo etiam minutius. Mulierculæ **Besem kraut** appellant, quasi scopariam herbam, scoparum enim instar pauimentis uerrendis, idonea est.

Atqui duæ uulgares huius generis stirpes, de quibus in hoc capite orationem peculiariter instituimus, quæ & passim proueniunt, forma pene eadem sunt. Vt autem recte dignosci possint utranq; depingemus.

5. Maior & uulgatissima, nempe quæ in hortis, secus uias, in parietinis, locis denique cultis pariter ac incultis nascitur, plerunq; unico assurgit caule, terete, & dodrantali. Folia eius prima, antequam in altum se tollant, dissecta sunt, instar foliorum Verbenæ uel Cardui benedicti. Radicem habet rectam, tenuem, candidamq;. Folijs paucis uestitur. Caulis qua in altum attolitur, in multos sese diffundit ramulos, qui omnes in summitate sua candidos ferunt flosculos, Verbenęq; floribus minutiores, qui tandem in uulgas exiguas, seminibus paruulis refertas abeunt. Est uero hęc herba omni prorsus destituta odore, ueluti omnia pene olera culinaria, perq; totum annum instar Senetionis perdurare potest. Postre-

Bursa pastoris.
Deschel kraut.



Postrema autem Pastoria bursa iam descriptæ similis est, flore & uulgis, quibus semen clauditur, at folia huius cum primum oriri cœperint, ad similitudinem stellæ humi diuisim sparsa iacent, Pilosellæ uulgari haud multum dissimilia. Cauliculos habet nudos, dodrantales, interim & exiliores, tenues. Vasculum quodq; in quo semen continetur acinum Peponis (quam Germani Melonen uocant) refert. Floret ineunte Maio, gaudet arenosa terra, sapore ac odore omni carens. 6.

NOMENCLATVRAE.

Germanis Seckelkraut Teschelkraut vnnd Hirtenseckel, Latinis Bursa pastoria, Pera pastoris, & quibusdam Herba cancri, Crispula, Sanguinaria, & Sanguinalis dicitur, nec iniuria, cũ sanguinis eruptiones sistere possit. Videtur uero mihi hoc loco non Sanguinalis, sed Sagminalis esse legendum, quod si firmum esset, certe hęc planta non procul à Verbena prima Dioscoridis distaret. Nihil tamen hic affirmarim, quin potius sit maneatq; Bursa pastoris.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Burſæ illæ magnæ paſtoriæ, quæ latioribus uulgis conſpicuæ ſunt, ſub Naſturtio deſcribuntur. At uulgatiſſima in his ſtirpibus, nempe quinta, frigidæ & ſiccæ naturæ ut ſit, neceſſe eſt, nam ſanguini ſiſtendo utrinq; corpori adhibetur.

INTRINSECVS.

Burſa Paſtoria ſiccata uino rubro, uel aqua pluuiali, in qua Chalybs candens extinctus fuerit, decocta ac pota dyſententericis ac lientericis fluxiones alui cohibet, urinæ ſanguinolentæ medetur, ſanguinis excreationes, menſiumq́; abundantium profluuia ſiſtit, omniumq; internorum uiſcerum quaſuis eroſiones ſanat.

Eadem aqua diſtillata per aliquot dies continuos, menſura quatuor aut quinque coclearium pota efficit.

EXTRINSECVS.

Errhinon ex lineo panno factum, ſuccoq́; herbæ madefactum, ac naribus inditum, ſanguinem ſiſtit. Idem ſuccus, uel aqua etiam diſtillata, uulneribus recentibus colluendis utiliſſima ſunt.

Multi in ea ſunt ſententia, ut credant, ſanguinem è naribus alijsue uulneribus manantem cohiberi, ſi herba ſaltem apud eum hominem incaluerit.

De Verbaſco. Cap. LXXII.

VERBASCI TRIA PASSIM ET VVLGATA INVENIuntur genera, quæ omnia incultis & arenoſis agris, ſecus itinera, in collibus & ſepibus, ubiq; fere affatim proueniunt.

Verbaſcum maius.

Quodq; in his maximum eſt & notiſſimum, longam habet, rectam, rotundam & lignoſam radicem. Folia uero maxime ea quæ prima erumpunt, humiq; iacent, admodum lata, necnon oblonga, ex cinereo albicantia, piloſa, Elenijq; folijs molliora. Secundo primũ anno in caulem exit candida medulla intus refertum, ueluti Sambucus, cumq; nonnunquam uiri altitudinem attingentem, ac ab imo uſq; ad ſummum, folijs ex ordine ueſtitum, quæ tamen quo altiorem in caule obtinent locum, eo etiam anguſtiora, & minora euadunt. Flores fert luteos, lanuginoſos, & odoratiſſimos quinis foliolis diſtinctos, qui caulem circumquaq; ad faſtigium uſq; ambiunt, quibus decuſſis, teretes ac piloſi globuli, copioſo ſemine, Papaueri haud abſimili,

Verbascum.

Wullkraut.




absimili, at minori prægnã-tes, subsequuntur. Proinde hæc planta cum floribus e-micat candelam pulcherri-mam, forma sua repræsen-tãt, unde illi Candelę regię nomen impositum est. *Candela regis.*

2 Alterum Verbascum, ad superius forma accedit, nisi quod per omnia illo ma-gis exiguum est. Folia hu-ius nigricant, grauiterq́ & male olent. Flores uiolis similes gerit, ex pallido lu-teos, quinis purpureis no-tis pictos, totidemq́ lanu-ginosis staminibus quasi diuisos, & non minus odo ratos, quam primi generis. *Verbascum nigrum.*

3. Tertium in syluis, præ-sertim in Vuasgouia reperi tur, radice & caule secundo generi haud dissimile. Fo-lia eius candicant, modi-caq́ lanugine horrent, flo-res plane candidos habet, odore gratos, nam herba ipsa & cætera omnia graui ter olent. Semen in follicu lis seu globulis rotundis clauditur. Hic uero mihi uide naturæ miram & uari am uim, nam quemadmo-dum in Coriandro solum semen odore iucundo com mendatur, cęteris partibus graueolentibus, ita in hac stirpe nihil est odoratum, præterquam flos ipse. *Syluestre Verbascum.* *Naturæ miraculum.*

4. Postremo inuenitur in quibusdam altissimis syluis, qualis est ea, quæ Germanis der Ydar dicitur, herba quædam, incanis ac mollibus folijs, mi- *Verbasculum.*

Verbascum nigrum.
Schwartz Wulkraut.



noribus tamen quam sint in reliquis Verbasci generibus, è quorum medio elegantissimus cærulei coloris flos prodit, Cyano (quo de infra cap. cxciij.) non absimilis, at maior, pediculo fere dodrantali insidens. Hanc herbam Verbasculum esse suspicatus sum, cum foliorum mollitiem considerarem, quod ad florem attinet Cyanum sylvestrē, Germanice Waldtkorn blům appello, quoad commodius emergat nomen. Sunt qui herbam Paralysin, Verbascis accenseant, sed qua ratione non uideo, nos de illa suo quoq; loco egimus.

NOMENCLATVRAE.

Verbasci apud Germanos hęc sunt nomina, Wull kraut/Künigskertz/Brennkraut/Himelbrant/Unhol den kertz. Dioscoridi libro iiij. cap. xcix. φλόμος, Lucernare, Lychnitis, Phemina lis. Latinis, Lanaria, Candelaria, Tapsus barbatus, Regis candela. Barbaris, Cauda lupina, Aspalatū, Pomplilogos, Abedonei,
1. Busuri, Flominos. Manlio, Auidon, Auion, & ut quibusdam placet, Auicennæ lib. ij. cap. cij. Busuri appellatur. Ego maius Verbascum masculum φλόμος. Leucophyllon, & Verbascum arborescens esse existimo, tametsi uerba Dio λευκόφυλλος. scoridis

Verbasculum.
Waldt korn blůmen.



scoridis aliam præ se ferre sententiam uideantur. Alterum Verbascum nigrum appello. 2. Tertium quod candido emicat flore, syl- 3. uestre Verbascum, seu album dixerim, estq; illud cũ præcedente eiusdem fere naturæ, cum utrunq; grauissime oleat, quod testabuntur quicunque has herbas nouerunt, Pliniumq; libro xxv. cap. ix. legerint, nam non solum scripta ueterum euoluenda sunt, sed & experientia ipsa adhibenda est, si ad exactam stirpium cognitionem peruenire aliquando contendimus. Postremum Verbasculum à 4. Dioscoride Lychnitis, Lucernare, & Tryallis nominatur. λυχνῖτις, θρυαλλὶς.

Nomenclaturæ itaque quas nunc recensuimus satis apertæ ac planæ sunt, quare à prolixiore illorũ explicatione supersedebimus, paucis nonnulla indicaturi. Differũt itaq; φλόμος, & Phlemos quæ est uiperinę apud Apuleiũ cap. v. appellatio. Aliud est item Taxus, uenenosa illa arbor, cuius Vergilius in Æglogis meminit, aliud deinde Taxus barbatus (sic enim quidam scribunt, licet alij Tapsum dicant,) quod est Verbasci cognomen.

Quod autem quidam Verbascum Lanariam herbam appellant, (quanquam

quam & apud Dioscoridem libro ij. cap. lij. peculiaris sit herba, quæ hoc nomine insignita est) id sine causa non fit, cum folia eius pilosa sint, ac uelu ti Saluia omnem attrahant puluerem, unde & Blattaria iure dici posset, quemadmodum de Verbena Plinius libro xxv. cap. ix. scriptum reliquit. Superuacanea hæc forsan uidebuntur, at nullam aliam ob causam in medium à nobis adducuntur, quam ut non solum proprias stirpium differentias, proprietates & facultates, sed & appellationes illarum ueras tandem discamus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Verbasci genera, maxime folia & flores ipsorum, dolores, tam in interioribus quam externis partibus subortos, sedandi, facultatem obtinent.

INTRINSECVS.

Radix Verbasci magni uino rubro, uel aqua (siquidem febris adsit) decocta, & pota, quotidiana alui profluuia, quam Diarrhœam uocant, cohibet.

Idem aqua ex floribus distillata, & per aliquot dies mensura quatuor aut quinque coclearium pota, efficit. Eadem hac ratione usurpata, tormina uentris sedat.

Decoctio Verbasci, necnon aqua distillata, quarum nunc mentionem fecimus, ruptis, conuulsis, fractis & contusis, laborantibus uitio pulmonis, tussientibus, omnibus internis apostematibus, ac doloribus & inflammationibus auxiliantur.

EXTRINSECVS.

Verbasci folia, aut flores in aqua decocti, oculorum, ani, & genitalium inflammationibus, tumoribus, abscessibus, & podagræ etiam calidissimæ, insessionibus, & si calida in linteolis imponantur, apprime conducunt.

Easdem uires aqua distillata obtinet, inprimis uero oleum quod solis calore è floribus uitreo uase diligenter obturato, conficitur, qua ratione etiam oleum è flosculis Rosmarini elici potest, quod sane quam utilissimum est.

Aqua distillata, oculis indita, fluxiones eorum cohibet. Ea, si facies per aliquot dies abluatur rubores illius protinus tollet. Erysipelatis, sacris ignibus, & ambustis, necnon impetigini ac malæ scabiei efficaciter adhibetur, si affectis partibus linteolum duplex in aqua illa madefactum imponatur.

Dioscorides scribit Ficus folijs maioris Verbasci substratis ex ordine, per annum à corruptione uindicari.

De

De Hyssopo campestri. Cap. LXXIII.

Heyden Ysop.



FRVTEX ISTE IN aruis incultis, et montibus inter cęteras syluestres plantas nascitur, radice lignosa, quæ unica sæpe plurimas uirgas easq; dodrantales, humiq; iacētes progignit, exiguis & angustis foliolis instar Genistę aut Hyssopi uestitos. Iunio & Iulio mensibus, flore emicat luteo, non aliter quam Anserina, uel Ranunculus uulgaris, nisi quod aliquantulū hic pallet. Is ubi decussus fuerit, folliculis rotundis semen luteum contentum, apparet. Proin destituta est omni odore hæc herba, succum autem glutinosum, ac lentum, instar Consolidæ maioris fundit.

NOMENCLATVRAE.

Quod huic plantę apud Germanos proprium sit nomen, scire nondum potui, quare quoad commodior aliqua inueniatur appellatio, interea uocabimus Feldt Ysop / seu Heyden Ysop / nam & folia & uirgę Hyssopi habet, ut supra diximus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Necq; etiam quicquam de uiribus illius compertum habeo, nisi quod eā

sagminibus

ſagminibus ſuis mulierculæ adiungere ſolent, creduntq́ tumoribus, ac paralyſi membrorum, ſi in balneis quis utatur, uel imponat, utiliſſimum.

De Aſparago. Cap. LXXIIII.



QVA RATIONE ex ſemine & radice Aſparagus, de quo nunc agendum nobis eſt, plantetur, multi tradiderunt, inprimis uero Palladius menſe Martio, titulo nono, quo ſtudioſum lectorem remittimus, ad deſcriptionē herbæ properantes. Aſparagus Maio mēſe grandi radice, ac thyrſo primum frequēti, recto, digitum craſſo, terete, pingui, & ſucculento, folijs carente, profilit, non aliter quam Lupuli prima germina. Cæterum hi turiones ſiue Aſparagi appetente Iunio in longos caules, folijs tenuiſſimis, inciſuris diuiſis ac capillamenti modo tenuatis, Fœniculo ſimilibus ueſtitos explicantur. Florē æſtate fundit paruulū, quo decuſſo bacculæ dependēt, primū uirides, tandē uero rubei coralli inſtar rubeſcētes, ſeminibus refertæ. Naſcitur lapidoſis locis, limoſis collibus, apricis campis, maxime in agro Vormatienſi, nonnunquam & in humectis. Qui radices uenales circumferunt, ij in Rinckga-

Rinckgauia, in pratis Vueinheimensibus Asparagi radices effodiunt, easq; Antuerpiam usq; deportant.

Asparago hodie Italis & Hispanis nihil frequentius in acetarijs, quanquam & apud Germanos in usu non ita pridem esse cœperit, quid enim est, quod in gulæ uoluptatem non uertatur, quid denique tam rarum, in uictu & uestitu, modo ad uoluptatem & delitias faciat, quod non frugalitatis, sobrietatisq; maiorum nostrorum plane obliti, imitari conemur?

NOMENCLATVRAE.

Asparagus officinis extrita priori litera, Sparagus, Germanis Spargē/ & quibusdam Teüffels trauben/ quasi uua Diaboli, propter baccas inter folia dependentes, appellatur. Theophrasto, Corruda, uel Corrudago. Serapioni, Halion, & nonnullis, Nalion, Affursung. Plinio, Libycum, Horminium. Auerrhoi Alhasce (quod nomen altero Thymo quocq; tributum est) Apuleio, Aspharagos, Acanthillis, Asparagus rusticus, Asparagus noster. Dioscoridi denique ἀσπάραγος πετραῖος, μυάκανθα, hoc est, Murina spina, qua appellatione & Myrtus syluestris uenit, Orminion, sed & hoc nomine Aloe apud Dioscoridem lib. iij. cap. xxiij. cognominatur, ut interim de Asparagi uoce taceam, quæ non solum in genere olerum germinibus, quæ primum in lucem prodeunt, antequam in folia explicentur, recentissimisq; turionibus qui edendo sunt, passim apud authores purioris latinitatis, tribuitur: sed & a Dioscoride lib. ij. cap. cxxxv. Smilaci hortensi ascribitur.

ἀσπάραγος. Theop. lib. 6. cap. 3. Serap. cap. 4. Plinius lib. 20. cap. 10. Apul. cap. 28. Diosco. lib. 2. cap. 114. Diosco. lib. 4. cap. 141.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Recentes Asparagi turiones, cibis idonei sunt, semen & radix officinis, proinde Asparagus abstergendi mediocrem fortitus est naturam, nec nimium frigidam, nec etiam abunde calidam. Vrinam pellit teste Simeone Ianuensi.

INTRINSECVS.

Asparagi recentia germina, uino cum butyro & aceto decocta, qua ratione & Lupuli turiones parari solent, aluum emolliunt, uitia pectoris expurgant, urinam promouent, sed & genituram minuunt, si quis continuo illis utatur.

Radix uino decocta & pota obstructionibus iecur liberat, morbum arquatum expellit, renes purgat ac uesicam, Ischiadicis plurimum conducit.

Herba aut semen uino decocta, & aqua distillata, easdem obtinent facultates.

Aduer-

Aduersus morbum regium, decoquitur radix cum ficis & cicere, qua potione sumpta, morbum pelli asserunt.

Radix resiccata & uino decocta ac pota, dysentericis & stranguria laborantibus auxiliatur.

EXTRINSECVS.

Radix Asparagi in minutas partes dissecta, tusa, uinoq; decocta, ac calida imposita, dolorem in membris luxatis ortum, sedat. Herba pari ratione parata dolorem renum mitigat. Succus herbæ ore retentus, dentium dolorem sedat.

De Plantagine. *Cap.* *LXXV.*

NON CERTE MIRVM VIDERI DEBET, CVR CHRYsippus Plantagini peculiarem ac proprium dicauerit librum, uniuersam eius laudem copiose complexus, cum ad tam uaria efficax sit. Nam & Chirurgici ea utuntur, & in officinis, seplasijs'q; nihil illa notius. Quid? quod in uulgo nemo fere est, qui ex quotidiano usu & obseruatione non didicerit, quibus uiribus Plantago prædita sit, præsertim ij qui illam in cibis iam usurpare consueuerunt, aduersus alui fluxiones. Quare operæpretium non est, ut in commendatione huius plantæ diu immoremur, satiusq; fuerit ad historiam accedere.

Plantaginis tria sunt genera, ita ut alia sit maior scilicet, alia minor, alia uero media. Maior folia fundit Gentianæ, uel Betæ similia, humi iacentia, quorum singula septem fibris seu costis, in folij fine prope radicem concurrentibus auersa parte distincta sunt. Caulem emittit teretem, læuem, & dodrantalem in summitate spicatum, semine in tenerrimis folliculis conclusо prægnantem. Radix huius plurimis fibris capillata.

1. Plantago maior

Media, tota sua substantia magis est exigua, habetq; itidem folia semper per terram instar stellæ diuisim sparsa, semperq; uirentia, ac aliquantulum ad cineraceum colorem uergentia, hirsuta & aspera, septenis neruis diuisa, ea cum ad iustam suam magnitudinem peruenere linguam referunt. Caule exilit dodrantali, nudo, flore ex spicatis fastigijs prodeunte, ut in frugibus uidere est, semine oblongo, Basilicę semini simillimo.

2. Plantago media.

Tertia uero Plantago omnium minima, ac angustissima producit folia, fibris suis distincta, colore fere nigricantia, coliculi eius non rotundi, sed angulosi, ac striati, non aliter ac si septem illi nerui qui per folia sparguntur, in hunc caulem quasi unum corpus coluissent. Florem fert spicatum, & nigrum, qui cum floret candidus est, ut & mediæ Plantaginis, refertq; forma

3. Plantago lanceolata.

sua

Plantago rubea.
Roter Wegerich.




Plantago lanceolata.
Spitzer Wegerich.




ſua capillos punctis minutis, inferne appenſis conſpicuos. Semen huius multo eſt maius quam reliquorum, quantum etenim illis radicis, folio- rum, & florum quantitate cedit, tantum rurſus illas ſeminis magnitudine,

Plantago latifolia.
Breiter Wegerich.



Plantago aquatica.
Wasser Wegerich.



& usu superat. Nascuntur autem omnia Plantaginis genera, in humectis hortis ac pratis, florentq; Maio & Iunio mensibus.

4. *Plantago aquatica.* Iam & alia, Plantagini non usq; adeo dissimilis herba, in fossis nonnullis, palustri-

paluſtribusq́ locis inuenitur, folio pingui & uiridi, longo caule, eoq́ in altitudine ramoſo, floſculis candidis et copioſis, inſtar Limonij. Hęc Germanis Waſſer Wegerich/ id est, Plantago aquatica, (tametſi inter Plantagines nõ uideatur connumeranda) & Froſch löffel/ quaſi Ranæ coclear, ſi ita dicere liceat, eo quod folia eius coclearium formam repreſentant, quando & Ranæ illis gaudent, appellatur.

NOMENCLATVRAE.

Quia linguæ ſimiles ſunt Plantagines, ideo apud Græcos, quæ ſequuntur nomina ſortitæ ſunt, ἀρνόγλωσσον, ἄρνειον, προβάτειον, hoc eſt, Lingua agni, Herba agnina, Ouilla herba, quo nomine & Ocimaſtrum uocat Dioſcorides lib. iiij. cap. xxix. Propter fibras uero & coſtas quibus diſtinguuntur, πολύνευρον, ἑπτάπλευρον, Multineruiam, Septineruiam, uocant. Dicuntur etiã Cynogloſſa (de qua uoce paulo poſt) quod Plantaginis & Cynogloſſæ eadem fere ſint folia, quod ad formam attinet, Coturnix, Gelapyros, Stelaphuron, Eurechnomonon, Aſonth, Theſarica, Atijrcon. Vulgatiſſimum autem harum ſtirpium nomen eſt Plantago, quæ appellatio à doctis maiori generi, quod Germanis Roter Wegerich/ hoc eſt, Plantago rubea, dicitur, (eam nimirum ob cauſam, quod ſemen eius aliquantulum rubeſcit, uel quod aduerſus dyſenteriam uſurpari conſueuerit) aſſignatur. Altera Lanceolata, & minor Plantago, & Lanceola, (ſed & hoc nomen alteri cuidam plantæ lib. iij. cap. cliij. tribuit Dioſco.) Germanis Spitzer Wegerich. Tertia uero Plantago media, Germanis Breiter Wegerich/ hoc eſt, Plantago latifolia, nominatur. Mirum autem eſt quod non ſolum Dioſcorides, & Plinius, ſed & Apuleius (apud quem iſta leguntur Plantaginis cognomina, Thyrſion, Vranichneumonos, Aſthat, Tarbidolopion, Theſarica, Simpeax, Artiercon, Plantago lata, Plantago maior) duorum duntaxat plantaginis generum meminerint, poteſtq́ fieri ut uel tertium illius genus non nouerint, uel certe illud cum primo coniunxerint, proq́ uno & eodem habuerint. Serapioni Plantago Liſen Alhamel dicitur. Auicennæ lingua arietis. Manlio, Bleta ſylueſtris, eidem minor Quinqueneruia, propter quinq́ fibras, quanquam interdum ſeptem quoque habeat, Phryſius maiorem Plantaginem, Aſcher uocat, minorem uero Herlatum, Megeboram, Herbam Martis, & Germanica uoce Spißkraut. Ex his itaq́, quæ de nomenclaturis Plantaginis nobis diſputata ſunt, rurſus animaduertere licet, in ſumma obſcuritate rem herbariam uerſari, poſtquam nobiliſſimæ ſtirpes quamplurimis inſigniuntur appellationibus, cui difficultati nulla alia re conſuli poterit, niſi genuinis ſuis nominibus donentur plantæ, cæteris repudiatis. Quod ut fiat aliquando, rogamus omnes ſtudioſos diuinę ſimplicium cognitionis,

Dioſco. lib. 2. cap. 115.
Plinius lib. 25. cap. 8.
Apul. cap. 1.
Serap. cap. 223.
Auicenna lib. 2. cap. 439.

& adhortamur, ut diligenter, & cum iudicio optimorum authorum, qui hanc medicinæ partem scriptis suis exornarunt, sententias perpendant, & cum uiuis herbarum imaginibus conferant, ex qua collatione ueritas tandem elucebit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Inter multas plantas Plantago usitatissima est. Quod ad temperamentum attinet, refrigerat illa & exiccat mediocriter, quare uulneribus tam hominum quam iumentorum utilissima est.

INTRINSECVS.

Plantaginis herba recens in cibo cocta & usurpata, uel semen eius, aut quoduis horum in puluerem redactum, ac introsumptum, internorum uiscerum erosiones persanat, alui profluuia cohibet, phtisicis prodest.

Aqua distillata Phtisicis commodior usu, necnon sanguinem mingentibus, & excreantibus.

Plantaginis radices ternæ uino decoctæ, ac potæ, febri tertianæ, quaternæ uero quartanæ medentur teste Dioscoride, tametsi aquam distillatam mensura coclearis unius sumptam, in accessione febris magis probem.

Eadem, seu succus Plantaginis expressus per aliquot dies continuuos bibitus, menses sistit, internas erosiones sanat, id quod experientia testatum fecit.

EXTRINSECVS.

Experientia proin compertum est, capitis dolores tolli, linteolis in aqua, seu succo Plantaginis madefactis, & impositis.

Succus oculis inditus inflammationes illorum aufert, similiter aduersus aurium dolores efficax est idem succus, & auditum restituit.

Aqua gargarissata aliquoties per diem, exulcerationi oris, et colli, alijsq; id genus uitijs opitulatur.

Radix Plantaginis cum radice Pyrethri in puluerem redacta, dentibusq; excauatis imposita, dolorem sedat.

Morsibus serpentum & canis rabiosi, succus Plantaginis auxilium adfert, si illo uulnera colluantur.

Omnibus elephanticis & serpentibus ulceribus, mentagris, fistulis, cancro carbunculis, herpetis, & depascentibus, medetur succus uel aqua herbæ Plantaginis, si illis colluantur continuo.

Aqua uel succus Plantaginis cum Sedo temperatus, sacris ignibus, inflammationibus & ambustis igni prodest.

Quidam

Quidam strumas discuti pollicentur, radice de collo suspensa.

Omnis generis inflammationibus & tumoribus præcipue conducere Plantaginem aquaticam multorum prædicatione confirmatum est.

Breuiter omnes Plantagines, herbæ sunt uulnerariæ, tam recentibus, quam inueteratis uulneribus utilissimæ.

Erasmus in colloquijs suis buffonem ab aranea ictum à Plantagine remediũ petere affirmat. Atq; hæc de Plantagine dicta sufficiant, nunc ad Cynoglossam nos conferemus, quæ ut in folijs cum Plantagine, ita & nomine ut supra meminimus, cum eadem affinitatem quandam obtinet.

De Cynoglossa. Cap. LXXVI.

DIOSCORIDES LIB. IIII. CAP. CXXIIII. SCRIBIT Cynoglossam caule uacare, cui & M. Vergilius interpres doctissimus astipulatur, eamq; sententiam alij quoq; uiri doctissimi approbant. Qui fit ut unum è duobus suspicari necesse sit, nimirum uel nostram Cynoglossam aliam esse ab ea, cuius Dioscorides & alij meminerunt, cum nostra caulem habeat altitudinem nonnunquam binorum cubitorum excedentem, aut certe, siquidem eædem sint duæ hæ stirpes, consentaneum est Dioscoridem, & qui eum sequuntur Cynoglossam non uidisse, nisi primo anno è terra erumpentem, tum enim humi folia eius sternuntur, ueluti Plantaginis latifoliæ, perq; hyemem illæsa durant, deinceps uero appetente Iunio mense caulem emittit foliatum, & hirsutum, ac lanuginosum, sicut & Buglossa. Proposui quid mihi uideatur, quod si alijs placuerit, hanc nostram Cynoglossam pro ea recipere, quæ à Dioscoride describitur, per me sane id licebit, neq; enim repugnabo. Ad historiam itaq; accedamus. Caulis illius, quem altero demum anno progigni, proceritatemq; duum, uel ternum pene cubitorum attingere diximus, folijs mollibus uestitur, purpureisq; flosculis Buglossæ illi, quam Germani quidam die Ochßen zung vom ham uocant, similibus, ex ordine collocatis emicat. Ac his decidentibus umbilici lappacei, ricinis seu cimicibus haud multum dissimiles, ijq; bini aut terni ad formam Trifolij coniuncti, subsequuntur, qui ubi Iunio mense maturuerint, non aliter quam Lappæ uulgares, aut echini Eupatorij uestibus inhærent. Radix quandoq; digitum crassa euadit, forma sua Rapam exiguam repræsentans, foris colore pullo. Nascitur Cynoglossa in parietinis & muris secus sepes, quo omnis generis sordes conijci plerunq; solent, sabulosisq; & incultis deniq; locis.

Cynoglosson.
Hundszung.



Cynoglossæ uox & Plantagini et Narcisso tribuitur, uide cap. nostrum de Plantagine, et Apuleiũ cap. 54.

NOMENCLATVRAE.

Κυνόγλωσσον Græcis, Cynoglossa & lingua canina Latinis, Hundtszung Germanis dicitur. Posset & eadem lingua Hundtskraut / id est, herba canina, Hundtswurtzel / id est radix canina appellari, cum tota sua substantia fœtore canino grauiter oleat. Hanc alij (teste Dioscoride) Phyton, alij Caballation, alij Splineion, alij Scolymon. Romani Linguam canis, aut Caninam appellãt. Apuleius cap. xcvi. Phrygian, Hemionion, Splenion, Caballion, Scolymon, Pyrgin, Leucrion, Zenis, Sublabium & Linguam Macedonicam uocat. Manlius sup. pillu. Reumat. Mesue. Cynoglossam ait à quibusdã, Kaliber, Cenestẽ, Alchzaaber, Cabcachar, Alcarcachar appellari. De Splenij & Scolymi uocibus, plura infra clxxxij. & clxxxviij. capitibus libri primi commentariorum nostrorum.

VIRES AC TEMPEramentum.

Cynoglossa frigidam & siccam temperaturam obtinet, inueteratis, & malignis ulceribus & mariscis præsertim sanandis efficacissima.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Radix Cynoglossę uino decocta, uesperiq; & mane bibita, aluũ emollit. Eadem fermento obducta, ac paulatim in calido cinere tosta, & assata, postea abiecto fermento locis affectis balani instar indita, calorem & dolorem internarum mariscarum protinus aufert, utq; cito curentur efficit, experientia id attestante, neq; multis hoc genus curationis notum est.

EXTRINSECVS.

Aqua Cynoglossæ, succus & puluis eius mariscis utilissima sunt, collutione & inspersu.

Aqua distillata alia quoque sanat uulnera, præsertim genitalium, linteolis in ea madefactis ac impositis.

Herba tusa, & cum adipe suillo in sartagine tosta, morsibus rabiosi canis medetur, & ambustis: caluis illitu capillos reducit.

Aduersus inueterata mala pustularum, fistularum, & aliorum abscessuũ tumidorum, unguentum è Cynoglossæ succo confectum illitu efficax est. Confectio uero sic se habet, Succum Cynoglossæ cum melle Rosarum æquis portionibus paulatim, quoad succus absumatur decoque, post Terebintinam admisce, & fiet unguentum præstantissimum.

De omnibus Buglossæ generibus. CAP. LXXVII.

BVGLOSSAE QVATVOR SVNT GENERA, DVO NImirum domestica, duo alia syluestria, eaq; magna & exigua, quę omnia ordine explicabimus.

Maior itaque domestica Buglossa in quibusdam regionibus, ut in Lothoringia in agris optimis prope Dusam, Nanceam, & quæ Germanis Nicleus pfort dicitur, prouenit, alias in hortis plantari consueuit. Radix illius quandoq; cubitum longa euadit, recta, pulla foris. Folia Aprili mense longa, hirsuta, nigricantia, spinulis horrida, humiq; in circulum stellatim sparsa fundit, quorum nerui seu uenæ, qua radicem spectant, quandoque purpurei apparent, ut eo nomine prope ad formam foliorum Cynoglossæ accedant. Maio mense ternos aut quaternos quandoq; oblongos ac hirsutos caules emittit, in fastigijs surculosos, folijs ab imo usq; ad summum inæqualiter longis, ac subinde angustioribus uestitos, eaq; omnia folia formam linguæ acutæ representant. Flores fert radiatos, instar rotulæ, par-


1. Buglossa domestica maior.

Buglossa Italica.
Welsch Ochsen zung.



tim candidos, partim purpurantes ante solis ortum, qui si radijs suis uiolas illas percusserit, pulchre cæruleo inficientur colore. Floribus decussis in hirsutis ac stellatis uasculis tria uel quatuor semina coniunctim posita, oblonga.

Buglossa maior.
Ochsenzung die groß.



longa ac rugosa, ueluti semen Consolidæ maioris, at maiora, capitulis uiperarum similia, sapore Amygdalino prædita reperiuntur. Ex his plantari potest Buglossa, quæ tamen primo plantationis anno raro ad frugem & florem peruenit, sed altero demum, ueluti & Cynoglossa, ac Consolida maior.

Secunda domestica & nobilis Buglossa supra descriptæ quadantenus accedit, nisi quod illa breuior, angustior, acuminatior, ac quoad omnia magis exigua est, semine præsertim, quod & magis nigricat. Flores huius uiolis similes sunt, sicut & præcedentis, ijsq; nonnulli cærulei, alij plane purpurei perpetuo. 2 *Buglossa domestica altera.*

Syluestris Buglossa in agris, ac collibus maxime secus itinera passim inueniuntur, caulibus prælongis, copioso eoq; ex cæruleo quodammodo colore purpurascente flore emicantibus. Aliæ huius generis nonnullæ stirpes candidos gerunt flosculos. Forma herbæ, caulium & radicis, & color syluestriū Buglossarum cum domesticis conueniunt, quanquam folia in his sint magis horrida & acutiora. Floris duntaxat forma qua Galiopsim imitantur hæ Buglossæ, a` domesticis dissident. 3. *Buglossæ syluestres.*

Buglossa syluestris.
Waldt Ochsenzung.



NOMENCLATVRAE.

Quamuis mihi dubium non sit, quin pleriq; nostrã hoc loco sint reprehensuri sententiam, eo quod illa à placitis doctissimorum uirorum, uidelicet Nicolai Leoniceni, Marcelli Vergilij, Leonharti Fuchsij, aliorumq; multorum, qui uno ore omnes Buglossam nostram κίρσιον, seu κρίσιον, Dioscoridis esse affirmant, dissentiat, tamen cum unicus nostrorum laborum scopus is sit, ut nostra industria & studio, res herbaria non tantum maiori luce, perspicuitate ac dignitate exornetur, uerum etiã proprijs ac genuinis appellationibus quæq; planta illustretur, quid mihi uideatur, paucis aperiam, cum bona doctissimorum quorũ me minimus uirorum uenia, quos omnes magnopere rogatos uelim, ut æquo animo quod pronunciabo, accipiant; præsertim cum sententia mea nihil honoris uel laudis cuiquam detractum cupiam. Buglossam igitur nostram censeo ad ἔχιον Dioscoridis, quod ille lib. iiij. cap. cxiiij. describit, referendam, quod non solum experientia testatur, sed & Nicander ipse in Theriacis, cuius descriptio, cum ea quæ in Dioscoride extat omnino consentit. Quod cum ita

sit,

sit,adhortamur omnes rei herbariæ studiosos,ut cum descriptionibus iam citatis Buglossæ formam conferant.postea de nostra sententia iudicent.

Dioscoride, Nicandro,& Ægineta testantibus, alij Aridam,alij Alcidion,alij Doriada,Romani Alcibiacum nominant, ut uel hinc constet Echion seu Buglossam Viperinam esse herbam,cum quia semen eius,ut docuimus uiperina capita imitatur,tum etiã quod ad serpẽtium morsus efficacissime facere manifestum sit,unde & appellationem Alcibij obtinet,a quodam nomine Alcibio. Is (quemadmodum ueterum scripta testantur)cum secus aream dormiens,a uipera dente sub genu ictus fuisset,excitatus a somno, ex herba hac succum commanducando expressit, expressumq́; bibit, mox quod reliquum erat expressæ herbæ corpus, uulneri imposuit contra dolorem,atq; ita sanatus fuit, De Echio Plinius lib.xxv.cap.ix.lib. xxvij. cap.v.

Iam uero non desunt qui Echion in duo genera partiantur, quorum primum quidem illud sit,quod iam attigimus, alterum uero Ocimastrum seu Ocimoides,cuius post Echion statim mentionem facit Dioscorides,sed iudicium penes lectorem esto. Cæterum quid de Ocimastro nos sentiamus, capite lx.supra declarauimus. Et fieri certe potest ut ea ipsa herba quam capite citato Ocimastrum appellauimus,aduersus uenenum efficax sit, quin & flosculi eius seu folliculi a uiperinis capitulis haud multum abludunt,iudicium in hac quoque re lectori permittimus.

Germani hanc stirpem Ochsen zung/id est, linguam bubulam uocant, quam non solum forma,sed & spinulis imitantur folia.

Syluestrem Buglossam, quidam Schaffzung/id est, ouinam linguam appellant,atq; ea flore tantum a domestica differt, ut diximus.

Buglossam uero domesticam minorẽ Tubingæ in ducatu Vuirtenbergensi primum uidi,quo in loco tanq; peregrina planta honorifice habetur. quemadmodum sane non est uulgaris. Cæterum appellant eam die Ochsen zung vom Ham/a loco quodam Ham dicto, unde primum uenisse dicitur. Estq; illa uerum nobile & exiguum Nicandri ἔχιον. Apuleius quoq; Echij meminit,at quantum intelligo,non satis illi perspectum fuit, nam de illo non multa facit uerba,nam de uno tantũ genere scribit, quod ad aquas nasci ait,hisq́; sequentibus insignit nominibus, Viperina,Elenion, Echidnion,Theriorizon,Serpentaria,radix Macedonica,quæ omnia de Ocimastro meo cap.lx.supra descripto,intelligo.

Vnum pro conclusione addere libet,uidetur enim mihi aliquas Buglossas ad Anchusas referri posse, quas Dioscorides omnes Alcibiadia uocat. Conferantur ergo cum syluestri Buglossa cap.Diosco.xxvij.lib.iiij.& cum Ocimastro nostro alterum Alcibium, quod a uenatore inuentum fuit. κυνηγου.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Buglossarum omnium folia, necnon flores calidam & humidam habẽt naturam. Porro iampridem usus obtinuit, ut credantur ad omnes medicinas cor confortantes adhibendæ. Nam è Buglossa aqua distillatur, & flosculi Saccharo condiuntur, quibus utuntur in confortando corde, quæ & ambo in uenenosis ac pestilentialibus febribus usurpari cōmode possunt.

INTRINSECVS.

Herba Buglossæ, radix, & semen, uel singula seorsim, uel omnia simul uino decocta & bibita, ueneno ne cor occupet resistunt.

Aquæ distillatæ necnon & conseruæ ex flosculis tribuunt uim roborandi cor, lipopsychiam remouendi, lætitiam melancolicis excitandi, ac sanguinem purgandi. Breuiter in omnibus febrium caloribus, & animi deliquijs, tam aqua distillata quam flores Saccharo conditi usurpari tuto possunt.

Semen tusum ac in uino potum, mulieribus lactis copiam restaurat.

EXTRINSECVS.

Quicunque serpentino alteriusuè uenenati animalis morsu uel ictu læsus fuerit, aquam Buglossæ potet, eaq́ue uulnera morsus ac ictus abluat, & folia imponat, cito'q́ auxilium sentiet.

Linteolis in aqua è floribus distillata madefactis, oculis'q́ impositis, inflammationem ac dolorem illorum reprimes.

Herba cum radice & semine, uel singula ex his seorsim tusa, uinoq́ue decocta, ac calida imposita, Ischiadicis mirifice prosunt.

Syluestris Buglossa quam Lycopsim appellauimus recentibus uulneribus, morsu uel percussione ortis medetur.

Radix illius cum farina ordeacea trita, oleoq́ue decocta, & emplastri modo imposita, sacris ignibus auxiliatur.

De Boragine. Cap. LXXVIII.

BORAGO CAVLIVM, AC FOLIORVM ASPERITATE horret; rursus radicis rotundæ & rapitiæ grato læuore glabrescit, sicut & flosculi eius radiati. Ii colorem suum uino innatantes quamprimum mutant, maxime qui cærulei sunt, quorum color in

purpureum

Borago.

Burres.



purpureum transit. Quemadmodum enim tenerrima quædam membra uini aceti & salis acrimoniam sustinere non possunt, sed ex illa tumorem quendam contrahunt, ita & flosculi Boraginis, Violarũ, Echij, Cichoreæ,

omnesq;

omnesque pene flores qui cæruleo sunt infecti colore, uino corrumpi consue uerunt. Borago uero (ut ad historiã eius reuertamur) tametsi asperrimos gerat caules, hirsutisque uestiatur folijs, tamen hyemis frigora minime ferre potest, nisi ea quæ non ita pridem è terra enata fuerit, nullumque adhuc fructum procreauerit, deinde ut summo studio cõtegatur necesse est. Quæ caules emi sit plane alsiosa est, cum æstate enim in qua excaulescere cœpit, perit, neque alteram attingere potest. Folia habet hirsuta & aspera, ut indicauimus, lata, rugosa, ac plicata, modice rotunda, minora Verbasco. Caule exit concauo, nonnunquam unico, interdum bino, uel terno, eoque in fastigijs ramoso. Iunio mense ramuli qui summo cauli adnascuntur, flore elegantissimo, alij
1. 2. 3. cæruleo, alij candido, alij denique ex pallescente roseo, emicant. Quo decusso subnascuntur nigra granula, bina uel terna coniuncta, eo modo quo in Echio collocata supra docuimus, aut nigriora & minora illis. E semine deciduo quotannis repullulascit Borago, ita ut quem semel occuparit locum non facile in posterum deserat, neque enim extirpari se unquam patitur. Potest autem semen humi per hyemem illæsum delitescere, nisi à muribus deuoretur, qui propter dulcedinem, quam cum radice & flosculis communem possidet, illo plurimum oblectantur.

2. *Syluestris Borago.* Syluestre Boraginis genus in censu Zizaniarum habetur, reperitur illud in hortis inter olera, Boragini domesticæ caulium & foliorum horridis spinulis simile, florem uero gerit minorem illa. Ego quidem hac Boragine pro satiua, ubi id necessitas postulabat, sæpenumero usus sum.

NOMENCLATVRAE.

Nemo in posterum dubitare debet, quin ea planta, quæ Germanis Burres/Latinis Borago, Porrago, seu ut Leoniceno placuit, Corago dicitur, uerum sit Dioscoridis βούγλωσσον, cui sequentia apud eundem autorem ascribuntur nomina, Genitura felis, Zanuchi, Antueorinbesor, Ansanaphi, Bouis lingua, Bubula lingua, Libanion. Et apud Plinium, Euphrosinon, lib. xxv, cap. viij. Huic nostræ sententiæ non solum astipulatur plantæ illius cũ Dioscoridis descriptione concordia, sed & multi eam doctissimi uiri suo calculo confirmant, uidelicet clarissimus uir Manardus Ferrariensis, Marcellus Vergilius, Otho Brunfelsius, Leonhartus Fuchsius, de erroribus medic. errore vi, quos omnes honoris gratia nominatos uolo, ueteribus interim simul assentientibus, Marco Catone scilicet & Auicenna Arabe.

Dioſco. lib. 4. cap. 123.
Manardus lib. 5. epist.
Cato de re rustica cap. 40.
Auicenna lib. 2. cap. 438.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Boraginis flores & herba hodie communem cum Echio habent usum,

ita

ita ut una pro altera sumatur. Est autem Borago calidæ & humidæ qualitatis, attestante Serapione cap. lxxxiij. quare tuto in cibo & potu usurpari potest.

INTRINSECVS.

Boraginis herba cum maluacea beta decocta, debilibus hominibus in cibo utilissima est, in potu etiam illis adhibendi sunt flosculi, ut reficiantur, possintq́ melancolicam tristitiam pellere.

Aiunt Boraginem quæ tres emittat thyrsos, tota substantia in uino decoctam & potam, ad tertianos horrores prodesse, quæ quatuor, ad quartanos. Mihi aqua distillata & flores Zaccharo conditi magis probantur, ac in omnibus etiam febribus utiliores deprehendi.

EXTRINSECVS.

Herba combusta, ita ut in cineres redigatur, postea uero aqua mellis temperata exulcerationibus, & ardoribus oris, gulæ & linguæ, & gingiuarum medetur, si cum illa colluantur continuo.

Aquę Boraginis iuuamenta in Echio commemorata sunt.

De Consolida maiore. Cap. LXXIX.

CONSOLIDA MAIOR E' RADICE BICVBITALI NONnunquam, intus candida, glutinoso lentore molli, in superficie nigra, folijs latis longisq́ & asperis, Elenij foliorum formam pene imitantibus profilit. Alterum demum anno fructum ædit, caulemq́ emittit cubitalem, hirsutum, asperum, intus concauum, multis germinum ac surculorum productionibus alisq́ distinctum, quæ inflexis foliolis instar Boraginis uestiuntur. Flos illius in rotundam quasi ac cauam campanulam exit, ueluti & herba Paralysis, cuius post Betonicam supra mentionem fecimus. Atq́ his partim ex pallido & luteo colore candicat, partim uero ex purpureo cæruleus est. Floribus decidentibus semen in herbaceis uasculis clausum relinquitur. Floret Iunio & Iulio mensibus. Gaudet palustribus & humectis, graminosis hortis, & littoribus ac ripis, necq́ facile ubi semel radices egerit propulsari potest, nam uel minima radicis portio humi infixa continuo in herbam emergit.

1. Cōsolida maior fœmina.

2. Cōsolida maior mas.

Syluestre Consolidæ genus iam descripto simile est, nisi quod tota sua substantia magis exigua, uiscosior, & glutinosior euadit, radice qua cauli coniungitur fusca, nec temere dodrantalem mensuram excedente, sapore dulci, plerunq́ in syluis inuenitur.

3. Cōsolida maior syluestris.

NOMEN.

Consolida maior.
Walwurtz.



NOMENCLATVRAE.

Consolida maior, Germanis Großwalwurtz / Beinwellen / Schantzwurtz / Schmerwurtz / hoc est Vnctuosa dicitur, eo quod ut diximus radix illius

illius glutinoso lentore mollis fit. Herbarij & uulgus Consolidam maiorem uocant, propter mirificam quam habet uulnera glutinandi uim. Tametsi, ut obiter hoc annotemus, multas alias Medici numerent Consolidas, uidelicet minorem, quæ est Sanicula, Regalem, ea est quam Germani Ritterspoꝛn dicimus. Dioscoridi σύμφυτον alterum, Solidago (quod nomen Primulę veris nõnulli impertiunt) et Pectos a Gręco uerbo πήγνυσθαι, quod densari, cõcerni, & in glaciem gelari est, nam aqua in qua radix eius tusa per noctem macerata fuerit, congelatur, quod idem Theoph. de Althea radice scribit. Apuleio Inula rustica, Xilophyton, Alum, Anazetesis, Hæmostasis, dicitur, quanquam de primo Symphyto quod Petræum uocauit Dioscorides, loqui Apuleium existimem. *Diosco. lib. 4. cap. 11.* *Apuleius ca. 59.*

Symphyton autem exiguum quod in syluis nasci docuimus, Germani Klein Walwurtz/.i. Consolidam minorem, an uero illud sit Dioscoridis Petræum Symphytum nondum mihi constat, quando hæc nostra minor Consolida cum descriptione minime conuenit, nam illius radix digitũ excedit, nec odorata est, quæ omnia de suo Petræo Symphyto prædicat Dioscorides. Quid uero Symphytum sit Petrę̃ũ infra cap. clxxiij demonstrabimus. *Symphyton exiguum.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Radix in medicina maiorem habet usum quam herba, estq; illa temperaturæ calidæ & humidæ, uulneribus & rupturis internis ac externis commodissima.

INTRINSECVS.

Radix mundata, uino decocta, & pota, exulcerationibus pulmonis, uitijs thoracis expurgandis prodest, facit enim illa excreabilia, sanguinem excreantibus, omnibusq; internis rupturis cõducit. Quare aduersus omnis generis rupturas & uulnera præ cæteris radicibus eligi debet. Non desunt qui e radice aquam distillent, qua ad supra dictas affectiones utantur.

EXTRINSECVS.

Cum tam salutaris sit Consolidæ maioris radix, solent Chirurgi emplastris suis illam adiungere, quæ in glutinandis recentibus uulneribus usurpant. Aiunt si cum carnibus coquatur, frusta in unum corpus coalescere.

Radix eadem cum Senetionis folijs tusa, ac emplastri modo imposita, non tantum inflammationibus medetur, sed & confractis membris.

Omnes itaq; Chirurgi Consolidam maiorem in hortis suis plantare debebant, cum radix illius, ut diximus, omnis generis uulneribus, rupturis et confractionibus ossium, accommodatissima sit, quotidiana id attestante experientia.

De Scabiosa. Cap. LXXX.

Pestemen kraut.



M VLTA SVNT SCABIOSAE GENERA, QVAE OMNIA folia gerunt hirsuta, instar Buglossæ, & Boraginis, partim ex uiridi nigricantia,

nigricantia, partim uero albicantia cineraceiúe coloris. Sed ordine singula perstringamus genera, quæ in sex fastigia docendi gratia diuidemus. Prima itaq; & præcipua Scabiosa, quæ plerunq; inter fruges, candida humo nascentes prouenit, radicem habet candidam, oblongam & rectam, qualis est fœniculi radix. Priora quam primum è terra prosiliunt folia, linguas acutas referunt, nec sunt dissecta, at quæ subsequuntur admodum laciniata ac multifida fiunt, instar Valerianæ, quam Mariæ Magdalenæ radicem nominant, alias φου ucrum dictam, eorum summa acumina, formam cuspidis lancearum imitantur. In caulem exit Iunio mense, teretẽ, bicubitalem, culmo Siliginco similem, cuius vertici flos rotundus insidet, pileolum latum æmulans, alius ex cæruleo purpureus, alius uero Bersylici colore tinctus apparet. Admiratione uero dignum censeo, quod singuli istius plantæ flores, multis flosculis compactis constant, structuræ apum similimi. Tertium genus radice & caule iam descriptas Scabiosas sequitur, folijs uero quæ laciniata, & multo minora habet, rursus ab ijsdem discedit. Proinde tota sua substantia magis est hirsutum, crispum, ac nigricantius. Flos purpureus antequam prodierit rotundis capitulis seu uerticillis Lychnitis coronariæ, (qua de infra cap. cxciij) at maioribus, inclusus latet. Cum defloruit semen maturum in auras euanescit. Aliud deinceps Scabiosæ genus reperitur, quod in pratis cum reliquis graminibus enasci solet, capitulatis emicans floribus, folijs uestitum cineraceis & angustioribus, modice laciniatis, & qua terram spectant tenui quasi araneæ tela obductis, id quod etiam in Vngula caballina uidere licet. Semen, quod cum Lychnitis coronariæ semine magnam habet affinitatem, similiter ubi maturuerit, in aëra auolare consueuit. Postremo, binæ aliæ Scabiosæ, florum duntaxat colore à cæteris differentes, in quibusdam aridis campis inueniuntur. Earum caules rotundi sunt, læues & iuncei, primoq; generi non dissimiles. Folia lacinijs suis à coriandro parum distant, humi strata iacent, coloris nigricãtis, et mollia. Flos alteri ex cæruleo purpurascens, alteri uero plane candidus, Iunio mense exilit. Habentq; hæc duo postrema Scabiosæ genera magnam per omnia cum primo affinitatem.

1. *Scabiosæ primũ genus.*

2. *Scabiosæ alterũ genus.*

3. *Scabiosa tertia.*

4. *Scabiosa uulgaris pratensis.*

5. 6. *Scabiosa quinta & sexta.*

NOMENCLATVRAE.

Deplorandum equidem est, quod inter tot doctissimos uiros nemo hactenus prodierit, qui plantarum genuina, & apud ueteres usitata nomina inquirendi laborem sibi sumeret. Nam non solum adulterinę hodie multis stirpibus appellationes ascribuntur, sed & pleræq;, quo pacto à ueteribus uocatæ fuerint ignoratur, id q̃d Scabiosis nostris, & quæ statim sequuntur herbis, usu quoq; uenit. Quamobrem rursus mihi adhortandi sunt rei herbariæ studiosi, ut in id incumbant sedulo, quo proprias suas appellationes

plantæ recuperent. Quod ad me attinet, tametsi nullam mihi aut exiguam certe cognitionem uendicem, pro uiribus id quoque conabor, si uel hac saltem ratione meo exemplo doctiores ad suscipiendam hanc prouinciam, excitare queam. Sed nunc rem ipsam aggrediamur. Cum itaque quo ueteribus sint appellatæ nomine hæ stirpes non constet, usitatis uocibus contenti simus. Nam tria priora genera (quæ & præstantiora sunt, & maioris usus) Medici nostri hodie Scabiosas uocant, autoritate nimirum herbariorum ueterum. Extant de illis uersiculi quidam, quos S. Vrbanum composuisse ferunt. Eos in gratiam studiosorum subijciam.

Vrbanus pro se nescit pretium Scabiosæ,
Nam purgat pectus, quod comprimit ægra senectus.
Lenit pulmonem, purgat laterum regionem.
Apostema frangit, si locum bibita tangit.
Tribus uncta foris anthracem liberat horis.

Nonnulli putant eam esse, quam Ægineta Psoram appellat. Quod si Psora sit, esto sane per me quoque Psora. Scabiosæ etenim nomen à scabie, cui medetur sortita est, posset'q; Germanice Grindt kraut/ dici, cum alias Pestemen kraut / & Scabiosen appelletur.

Postremas Scabiosas ad caput cxiiij. lib. iiij. Dioscori. conieci, ubi κίρσιον describitur, id'q; non sine ratione, non enim tantum descriptio illis competit, sed & nomina conueniunt, Buglossi nimirum grandis & Spinæ mollis. βούγλωσσον μέγα.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Scabiosæ genera calidā & siccam temperaturam obtinēt. Apud ueteres externis tantum corporis partibus, aduersus tumores, & contractiones neruorum et uenarum radix tusa emplastri instar imponebatur. Nostri uero Medici miris eam extollunt laudibus, & recte quidem, quis enim uel minimæ herbulæ uires explicare satis'q; laudare possit?

INTRINSECVS.

Herba uino decocta & pota, pleuritico morbo medetur. Aduersus eundem morbum mulierculæ Maio mense aquam distillare solent ex ea herba, propinant'q; singulis uicibus potandam mensura ij aut iij coclearium, non tantū pleuriticis, sed et contra pectoris uitia & apostemata, tussim omnis'q; generis thoracis affectus.

Apostematibus alij rursus è Scabiosis tale conficiunt medicamentum: Accipiunt manipulum Scabiosæ herbæ desiccatæ, dulcis radicis dissectæ in minutas partes, unciam unam, ficus xij, seminis fœniculi unciam unam, seminis Anisi tantundem, Iridis unciam dimidiam, quæ omnia per noctē in mensura aquæ macerant, postero illa die supra tertias decoquentes, postea uero Saccharo uel rosaceo melle indulcorant, uesperi'q; ac mane calidum haustum

haustum inde præbent, quo Apostema maturari, emolliri ac per tussim excreabile fieri affirmant. Cæterum ad Apostemata quisq; priuatas suas habet decoctiones, quas per nos licebit ut sequatur, nos de simplicibus hoc libro medicamentis agimus, non de compositis, quorum uariam confectionem nunc explicare nostri non est propositi.

EXTRINSECVS.

Succus Scabiosæ omnis generis scabiei, psoris & lepræ usurpatus per se uel in balneis utilissimus est, quo etiam furfures capitis abiguntur, si cum eo caput abluatur.

Ex his quæ paucis recensuimus, alia si qua desiderantur iuuamenta, nemo non colligere poterit.

De Morsu Diaboli. Cap. LXXXI.

QVAE VVLGO MORSVS DIABOLI HERBA DICItur, ea primo Scabiosę generi similima est, nisi quod folia huius non sunt dissecta, ut illius, sed Plãtaginis herbã referẽtia, oblongiora tamen, linguæ non dissimilia, modice hirsuta, colore nigricantia. Iulio mense in caulem nudũ exit, rotundum, in cuius fastigio purpureus flos emicat forma pileoli. Nam multis flosculis coactis simul ille cõstat. Quemadmodum enim apes fauos suos ex ordine construere consueuerunt, ita in hac stirpe flosculi coniunctim & in circulum stipati capitulum cui insident, ornant. Iis Augusto mense decidentibus, semen in auras euanescit, non aliter quam Scabiosæ. 1. *Succisa.*

In hoc genere inneniuntur quæ florem gerant prorsus candidum, sed raro occurrunt ejusmodi plantæ. Ego illas in sylua Ydar / prope arcem Birckenfeldt inueni. Radix utriusq; fibrata sicut & Plantaginis, seu Valerianæ, inferne quasi præmorsa, id quod uel naturæ adscribendum uidetur, aut certe uermibus qui Valerianæ & aliarum quoq; plantarum radices præmordere solent. 2. *Succisa altera.*

Morsus Diaboli exiguus, ad Lactucarias herbas pertinet, folijs uestitur hirsutis & serratis, quemadmodũ Hieraciũ, de quo statim dicetur. Iulio mẽse luteum profert florem, multiplici foliorum ordine stipatum, caulem uero iunceum & læuem. Radix huius itidem succisa est, semen quod habet incanum, & lanuginosum in auras euanescit. 3. *Succisa tertia.*

Morsus Diaboli primus & secundus, dumetis, aridis pratis & campis gaudet. Tertius muris antiquis, semitis & arenosa terra.

NOMENCLATVRAE.

Germanis dicitur hæc herba Abbiß / & Teüffels Abbiß, uulgo Morsus

Morsus Diaboli.

Teüffels Abbiß.



Diaboli, propter radicem succisam. Herony. Braunschuueig Iaceam nigram uocat. Quod si ea nõ sit Scabiosæ genus, certe quo referenda sit, ignorare me ingenue fateor.

Quę autem luteo emicat flore, lacteoq; succo prædita est, ab Ægyptiacis, qui passim oberrant, Germanis die Zygeuner uel Heidẽ audiui Abbiß. i. Morsum appellari qui factum est q̃d illius hoc loco meminimus, cum Hieracei genus sit de quo suo dicetur loco.

VIRES AC TEMperamentum.

Easdem cum Scabiosis uires obtinet uterq; Morsus Diaboli (nam de tertio alibi agetur) ideoq; illo pro Scabiosis, & uicissim Scabiosis, pro illo uti tuto possumus.

INTRINSECVS.

Morsus diaboli cum flore, herba, & radice in uino decoctus, facit ad omnia ad quæ Scabiosæ, maxime uero ad discutiendos sanguinis grumos, & aduersus pestem. Eadem potest aqua ex herba distillata.

EXTRINSECVS.

Aqua distillata, seu succus herbæ vitriolo mixtus exiccat & sanat quasuis papu-

uis papu-

tis papulas, omnemq; fluentem scabiem illitu. Alia iuuamenta ex his quæ perstrinximus colligi facile possunt.


De Luparia, & ea quæ Germanis Eisenhütlin dicitur. CAP. LXXXII.

Luparia. Wolffswurtz.



LVPARIA, ET EA quę Germanis Eisenhütlin dicitur, folia quinis diuisuris dissecta habent quemadmodũ Sanicula, seu Ranunculus multiplex. Radix utriusq; multis capillamentis fibrata, nigra, ueluti Asparagi, seu Ellebori nigri quem Germani Christwurtzel dicunt, satis iucundo odore prædita. Atq; hactenus binæ istæ plantæ consimiles sunt, tametsi posterior multorum sit generum, uti docebimus. Sed Lupariæ historiam prosequamur. Ea ex antiqua radice quinos aut senos bicubitales cauliculos emittit, qui in cacumine Maio mense flores ex pallido luteos, forma acutos pileolos æmulantes ferunt, nec multum à floribus Linariæ distantes. His decussis semen pullum, angulosum, Cępe uel Nigellæ semini non dissimile, in distinctis ac separatis à se mutuo siliquis, quæ ad figuram Aquilegiæ folliculorum accedunt, nisi quod hæ magnitudine illis cedũt,

Eisen hütlin.



Eisen hütlin.

relinquitur. Semen hoc degustatum crebra sputa prouocat, natura calidissimũ, ueluti Pyretrũ. Nascitur uero Luparia in altissimis uallibus, in syluis autem inprimis, quales sunt Hercynia sylua, & quę Germanis der Spessart/der Ydar dicitur, & in Vuasgoia.

Iam ut ad alteram ueniamus, non unius illa est generis. Nam quæ maxima est, Argentinæ (quo Lugduno Galliæ primum deuenisse dicitur) in hortis uoluptatis gratia plantatur, atq; ea Lupariæ forma & sapore per omnia respondet, nisi quod procerior & grandior euadit. Flores eius ex ordine quoque aperti caulibus adhærent, colore cæruleo tincti, galeę figuram elegantissime repræsentantes. Minor autem ex hoc genere cæruleo itidem emicans flore, Norinbergæ usitata est. Postremo alius eius generis frutex florem roseum ferens, ibidem inuenitur.

NOMENCLATVRAE.

Græci in impositionibus nominum fœlicissimi omniũ sunt. Quare quã uulgo Lupariam, & Germani Wolffswurtz (nam de alterius stirpis appellationibus alias disseremus) nominant, eam Græci ἀκόνιτον, κυνοκτόνον, λυκοκτόνον, κάμμαρον λυκὸν, uocant.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Luparia, & altera quæ Germanis Eisenhütlin dicitur, nimirum ea quæ cæruleum profert florem, adurentis sunt facultatis, quare intro sumi non debent. Quam etenim noxiæ sint plantæ internis corporis partibus, interitu conuiuarum Antuerpiensium, qui in acetarijs harũ radice uescentes diem suum obierunt, abunde demonstratum fuit.

EXTRINSECVS.

Lupariæ herba, semen aut radix in puluerem redacta, & cum oleo temperata, ut unguentum inde fiat, illitu pediculos ac furfures quocunque tandẽ inueniantur loco, enecat ac expellit. Idem radix præstare potest, si in aqua uel lixiuio decoquatur, ac cum illa caput postea abluatur. Hoc remedio opus certe erat Syllæ, qui eiectis ciuibus Roma, pediculari tandem morbo consumptus est, ut produnt historiæ.

De Pedicularia campestri, & Consiligine.
CAP. LXXXIII.

CVM DE ACONITO ET ALTERA ILLI CONIVNcta stirpe scribere instituissem, in mentem mihi quamprimum ueniebat pedicularia campestris, cum qua cum nonnihil affinitatis habeat Consiligo Ruellij, uolui post Aconitum historiam illarum persequi. Pedicularia itaque duum est generum, quorum utraꝗ in humectis pratis reperitur.

Et prior quidem unico, recto, ac dodrantali coliculo, herba admodum minutis diuisuris incisa, multoꝗ; magis exigua Geranio minori, enascitur. Maio mense rubicantem florem fert, ex uasculis quibusdam prodeuntem, quod idem in urtica Germanis Bynsaug appellatæ fieri uidemus. Semine post florem prægnat fusco, & rotundo, latissimis siliquis incluso. Radicem habet tenuem ac perbreuem, ita ut quam facilime euelli possit. Quare in noxia hac stirpe naturæ consilium ac prudentiam admirari certe debemus, qua pecorum saluti consuluit, eo quod pestilentissimam herbam radices alte agere nõ permisit, admonẽs interea pecuarios, ut è pratis ac pascuis, ejci illam curent sedulo. Cum enim à pecoribus inter cætera pabula deuorata fuerit, pediculorũ in illis ingentẽ procreat copiam, quo morbo uix tandem citra magnum periculum liberantur. Hinc aqud Germanos Leüß kraut/ hoc est pedicularia uocari cœpta est. *1. Pedicularia campestris prior species.*

Pedicularia campestris, Germanis Rodel.




Pedicularię campestris secunda species.

Altera luteo emicat flore, è latis uasculis prorepente similiter, folio interim non adeo inciso, pecoribus minime noxia.

Tertia

Consiligo Ruellij.
Leüßkraut Consiligo.



Tertia in asperrimis collibus ac mõtibus nascitur, plerunq; secus itinera, atq; ea Helleboro nigro, quem Germani Christwurtz appellãt, adeo similis est, ut utriusq; herbę affinitate nõnunq; decipiantur homines, grauiter olet, radicem habet breuissimam. Et à mulierculis ueterinarijs, pecorum pediculis expellendis adhibetur. 2. *Consiligo Ruellij.*

NOMENCLATVRAE.

Prima pedicularia quibusdam Germanis Rodelkraut / & apud Mediomatrices Leüßkraut appellatur. Alteram nonnulli Germani Matten oder Wysen Teschen / hoc est, Pratenses uulgas à receptaculis nimirum seminis uocant. Tertia fœtida Pedicularia, à nonnullis propter formam Veratrum syluestre, Germanis Wild Christwurtzel existimatur. At D. Cõradus Gesnerus cõtendit eã esse Consiliginem Plinij. Atq; hanc suam sententiã uerbis Ruellij, qui elegantissime hanc plantam descripsit, Pomeleam illam uocans, Pulmonariam, Leonis patam, Marsilicam herbam, & Diapycon, satis comprobatam sentit: An uero Consiligo Ruellij eadem sit cum ea, cuius Plinius mentionẽ fecit, necne, affirmare non ausim, postq; formam illius Plinius haudquaq; depingit. Sunt qui illam Germanica uoce Schlangen-

Plinius lib. 25. cap. 8.
Ruellius lib. 2. cap. 134.

Schlangen wurtzel/ idest Serpentariam radicẽ appellant, eo quod uti asseuerant, omni ueneno aduersetur. Id quod non tantum Columella testatum reliquit, uerum etiam experientia ipsa, quæ fidem rebus conciliare solet. Sed age proferamus utrunq; testimonium. Columella itaq; aduersus pestilentiam ingruentem gregi præsens remedium cognouit radiculæ, quam pastores consiliginem uocant. Ea in Marsis montibus plurima nascitur, omniq; pecori maxime salutaris. Læua manu effoditur ante solis ortum, sic enim lecta maiorem uim creditur habere. Vsus eius traditur talis. Ænea subula pars auriculæ latissima circumscribitur, ita ut manante sanguine, tanquam O literæ, ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinsecus, & ex superiore parte auriculæ cum factum fuerit, media pars descripti orbiculi eadem subula transsuitur, & facto foramini, prædicta radicula inseritur, quam cum recens plaga comprehendit, ita continet ut elabi non possit. In eandem auriculam omnis uis morbi pestilensq; uirus elicitur, donec pars quæ subula circumscripta est, demortua excidat, & minimæ partis iactura caput conseruatur. Hactenus sententiam Columellæ ex capite cxxxiiij lib. ij Ruellij bona fide retulimus, nunc quod nos ex Monacho quodam iam pridem audiuimus, non pigebit referre. Is aiebat, uenenum uel haustum uel deuoratum ei minime nocere posse, qui hanc radiculam ex collo pendentem secum gestauerit. Rursus ilico mori & pecora & homines si intro eam sumpsissent. His addebat certa se hoc didicisse Empyria. Nam cum canis radicem hanc è collo suspendisset, uenenumq; ei propinasset, euasisse illum ueneni periculum. Vbi uero eandem radicem in puluerem redactam cani commedendam exhibuisset, mortuum ilico. Hinc iudicio conformato dicebat se escam ex hac radice confectam vulpibus & lupis proposuisse, multosq; ex illis necasse. Atq; hæc hactenus. Proinde binis his testimonijs facile adducor ut hanc herbam, Consiliginem esse credam.

Col. lib. 6. cap. 5

ADMONITIO DAVIDIS KYBERI *ad Lectorem.*

VETERINARII Gengenbacenses non hac consiligine Ruellij, sed Elleboro nigro, quem Germani Christwurtzel dicunt, in pecoribus medendis eadẽ pene ratione quam Columella proponit, uti cõsueuerunt, nisi quod omnibus ferè corporis iumenti partibus radiculam eam infigere solent, quauis etiam de causa laborantis. Quamprimum enim iumentum aliquod parum læte uiuere ac morbum aliquem alere intellexerint, ad hoc medicamentum tanquam sacram ancoram confugiunt, & plerunq; successus uotis respondet. Hac de causa eam herbam Rinder wurtzel hoc est, pecorum aut boum radicem uocitant, quod bubus ferè & tauris nec non alijs iumentis eo quo diximus modo opituletur. Hæc optime lector eo in medium à me adferuntur, ut

tur, ut studiosi rei herbariæ diligenter ueterum scripta excutiant, quo Ellebori nigri adulterini locum proprium aliquando inueniamus. Nam eam herbam quam Germani Christwurtzel/ alij uero Elleborum nigrum adulterinum uocant, ad Elleboros nequaquam pertinere luce meridiana clarius est, quemadmodum infra cap. cxxxv. fusius docebitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Priora duo genera in uliginosa ac putrida terra proueniunt, pecori nocentissima ut diximus, ideoq; intra corpus hominibus minime usurpanda. Possunt tamen extrinsecus siccis ac calidis affectionibus adhiberi. Sunt enim calidæ & humidæ temperaturæ.

Consiligo similiter internis corporis partibus adhiberi non debet, sed ab illa cauendum tanquam à pestilentissima planta, ut quæ lupis ac uulpibus interficiendis magis conueniat, quam hominibus.

De Cruciata. Cap. LXXXIIII.

CRVCIATA INCVLTIS AGRIS, COLLIBVS ET SEcus itinera prouenit, radicem habet in medio instar crucis dissectam, longam, rotundam, candidam, membrum muliebre referentem, ternis uel binis nonnunquam inferne fibris diuisam. E qua Iunio mense terni aut quaterni prodeunt coliculi, dodrantalem altitudinem haud temere excedentes, atq; ij contractis, ac crassiusculis folijs, Satyrio paruo nõ multum dissimilibus, at crassioribus & minoribus, uersusq; terram sese inflectentibus uestiuntur. In cacumine illorum septeni, aut seni nascuntur flores cærulei, qui tanquam oblongæ ac concauæ campanulæ, ex uiridibus siliquis prorepere uidentur, ueluti herbæ Paralysis flores. His decidentibus, fuluum semen prælongis illis sacculis inclusum reperitur per omnia semini Seriphij Germanici, de quo statim cap. cxi, simile.


NOMENCLATVRAE.

Hæc planta Germanis uulgari uocabulo Modelgeer/ & Creützwurtz/ hoc est, Cruciata à forma radicis appellatur. Alij Saponariam & Isatin agriam, Germanice Seiffenkraut/ & Wildweidkraut/ sed perperam uocant. Qui Rhenum habitant Germani S. Peters kraut/ hoc est, herbam Sancti Petri, nonnulli radicem propter uulnera, quæ ut diximus habet,

Sperenstich

Cruciata.

Modelgeer.



Sperenstich nominãt. Hierony. Braunschweig putat eam esse herbam quæ dicitur, herba Borith, quæ appellatio cum sit Hebræa, (Nam Hebræi בורית, Chaldæi adiecta in fine litera א בוריתא Boritha efferunt) annotabimus quid de illa Hebræi sentiant, inprimis uero Kimhi, qui in radicibus suis, & commentario in Hieremiam capite secundo ita scriptũ reliquit,

פירש ר יונה כי הוא
עשב שמכבסין בו ויש
מפרשין אותו כי הוא
הנקרא בלעז סבו

Hoc est, Interpretatus est R. Ionah, quod Borith sit herba, cum qua lauent (uestes scilicet,) & sunt qui interpretentur ac dicant eã esse quæ uulgari lingua Sapo dicitur. Hæc illi. D. Conradus Gess. hanc herbam Gentianę speciem esse contendit, neq; aliter rem se habere posse totus opinatur. Quod ad me pertinet, fui ego olim in ea sententia, ut existimarẽ Cruciatam esse Radiculam, seu Lanariam herbam Gręcis τρύθιον appellatã. Quanquam commodius ac magis proprie ad caput cxxv. lib. iiij. Diosco. ubi τὸ φύτευμα describitur, referri possit. quæ omnia à me adducuntur, non ut quenquam sententiæ meæ subscribere cogam, sed ut, quod semper moneo & inculco, cum descriptionibus ueterum

rum uiuæ herbarum imagines conferantur, quo uel hinc elucescat ueritas.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quod si hæc nostra Cruciata Dioscoridis sit φύτευμα, quemadmodum mihi persuadeo, non multis aut peculiaribus illa prædita uirtutibus ab autoribus describitur, & recte quidem cum ad ueneficia amorum nonnulli hac herba utantur, tametsi aduersus quasdam affectiones suum quoque utrinq; habeat usum, maxime aqua eius distillata.

INTRINSECVS.

Aqua ex herba uel radice distillata, ac pota, uitia pectoris expurgat, uenenumq; omne discutit, quare nō iniuria aduersus pestem illa utuntur nonnulli.

Planta tota siccata, & in puluerem redacta, easdem facultates obtinere dicitur.

Pastores pecorum apud Mediomatrices miris superstitionibus hanc plantam fœdant, nam ubi pestis porcorum ingruerit, illius herbam ac radicem minutim concisas cum alijs quibusdam pulueribus, in cibo ac potu exhibent, adiunctis quibusdam preculis, plane sibi persuadentes quotquot huiusmodi escas degustauerint porci, eos à pestilentia tutos fore. Sed proh dolor fœdis superstitionibus, ac magicis artibus omnia loca referta sunt, nec est qui serio operam impendat, quo istiusmodi idolatriæ tollantur.

EXTRINSECVS.

Cum radix istius herbæ instar muliebrium genitalium dissecta sit, solent illam aniculæ ueneficæ, & quæ longa obseruatione Circes artes perdidicerunt, summis laudibus extollere, affirmantes mira illam facultate uulnera conglutinandi, pollere. Quare insignem apud illas sortita est appellationē, qua dicitur Herl allen schaden quasi Chiliodynamys. Proinde habetur ab illis uulneraria herba præstantissima, maxime aduersus rupturas, & affectiones equorum, si cum herba & radice decoctis uino uulnera abluantur, & puluere radicis tusæ aspergantur.

De Isati. Cap. LXXXV.

I SATIS HODIE OPTIMOS AGROS INTER AQVISgranum & Duram, celeberrimas inferioris Germaniæ ciuitates,

Isatis.
Waidt.



A. Isatis satiua.

B. Isatis syluestris.

sitis occupat, incolisq́; eius loci magnum quæstum adfert. E qua ut colorem cæruleum extorqueant, inuenerunt illi sibi molas quasdam, quibus cum liquorē herbæ expresserint, inq́; globos redegerint, quos in tabulatis æstate feruente exiccant, uoti sui compotes euadunt. Isatidem Serapio cap. xlvij. & Dioscorides lib. ij. cap. clxxvij. graphice depingunt, inq́; duo genera distribuunt, in satiuum scilicet et syluestre. Satiua Isatis Plantaginis instar folia habet humi sparsa, pinguiora tantum & nigriora. Caulem, qui altero demū anno prosilit, duobus cubitis quandoq́; altiorem. Radicem candidam, rectam, paucis fibris capillatam. Odor ei agrestis & uirosus ut & aliarum syluestrium plantarum.

Syluestris Isatis, a domestica plane nihil differt, nisi quod non ubiq́; locorum plantatur, qui fit ut eo sit ignotior. Quanquam quibusdam in locis sponte sua crescit, præsertim circa Crucenacum, & Meysenheim oppida, ubi ego semen collegi. Folia & caules satiuæ respondent. Aprili mense aduentante longos e radice, recta, candidaq́; emittit caules, in summitate ramosos, multisq́; acutis foliolis ornatos. In uertice cauliū flores emicant lutei, copiosi,

accon-

ac coniunctim stipati, uti in Ebulo uidere est, qui deinceps in nigros, longos, latosq; ac pendulos folliculos linguarum figuram referentes, desinunt. Atque hoc semen illius est, ex quo ubi deciderit, repullulascit hæc Isatis, nam postquam semel semine prægnans fuerit continuo perit.

NOMENCLATVRAE.

Prior Germanis Waidt/ Dioscoridi ἰσάτις ἥμερος, Egne, Augion, Arusion, Gluta, & Glastum. Altera Germanis Wild waidt/ ἰσάτις ἀγρία, Icne parua &c. appellatur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtraq; Isatis ex ordine est calefacientium & exiccantium, potestq; utrinque commode usurpari.

INTRINSECVS.

Isatidis prædictæ uino decoctæ & potæ iocinorosis utiles sunt, ita tamẽ ut simul extrinsecus decocto illo foueatur hepar.

EXTRINSECVS.

Succus herbæ expressus, & aqua distillata, sanant, glutinantq; uulnera, & cruorem illorum sistunt, sacris ignibus medentur.

Herbæ siccatæ inq; tenuissimum puluerem redactæ, exiccant & sanant omnis generis putrescentia & serpentia ulcera & Phagedænas.

De Lactucis. Cap. LXXXVI.

QVOD HOC LOCO LACTVCARVM HISTORIAM INserimus, in causa fuit Plinius uir undequaq; clarissimus. Namq; is cum de Isatide, cuius iamprimum meminimus scriberet, eodem capite tam syluestris quam satiuæ Lactucæ descriptiones complexus est. Quare hinc admoniti ad Lactucas transire operæpretium uidebamur nobis facturi. Et ut ordine singula persequamur, de satiua primum loquemur, deq; illa, & omnibus alijs in genere quędã præmittemus. Satiua igitur Lactuca in tria apud nos diducitur genera, quæ omnia lacteum incisa stillant succum. Herbam habent molliusculam, caulem uero aculeis quibusdam horrentem, id quod & folijs qua terram spectant usu uenit, maxime

Plinius lib. 20. cap. 7.

Lactuca crispa, & lata.

Krauß vnd breiter Lattich.



Theop. lib. 1. cap. 16.

Theophr. lib. 7. cap. 2.

ubi aliquantulum consenuerint, quæ omnia à Theophrasto animaduersa ac scriptis mandata sunt. Proinde omnia Lactucæ genera subamara sunt, quamuis satiua, dum adhuc tenera est, plerunque dulcis fit, unde Theophrastus Lactucam sectam dulcedinem suam genuinam necessario retinere tradit, quod procul dubio de tenera adhuc Lactuca, quantum sentio, intelligi oportet. Nam ut uel omnibus coquis notũ est, quo uetustior fuerit Lactuca, eo amarior euadit, qui fit, ut cum excaulescere cœperit, epulis non amplius sit idonea, quare tum culinis abdicatur, quod similiter Endiuiæ, alijsq́ oleribus contingere uidemus. Sed enumeremus nunc satiuæ Lactucæ genera.

1. Lactuca satiua maior.

Eorum primum quod & maximum est, latissimis uestitur folijs ex uiridi nigricantibus, quemadmodum Beta maior, ac uersus medium coeuntibus, non aliter quam Brassicæ capitatæ. Radicem habet teretem & candidam. Sunt & in hoc genere nonnullius candida folia, quæ & ipsa in caput quoddam coeunt.

2. Lactuca crispa.

Alterum folia acquirit satis longa, quercinis similia, incisa, herbacei coloris.

Tertia

Lactuca syluestris.
Wild Lattich.



Tertia Lactuca, quæ & pulcherrima est, crispa dicitur, uiroris itidem diluti, folio plicato, rugoso, ac coacto, simulq́; laciniato. His omnibus iam enumeratis Lactucis, caulis exilit rotundus & procerus, multis in summo ramis brachiatus, flosculis exiguis, luteis, instar stellæ, at multiplici foliorum ordine distinctis, in uertice ramulorum omnium emicans. Ii à maturitate posteaquam semen fecerint, in pappos euanescunt, non aliter quā Senecionis. Atqui maxima Lactuca semen subalbidum progignit, cum reliquorū duorum nigricet, maiusq́; sit Endiuiæ semine. Porro quotannis omnes satiuæ Lactucæ species, è semine suo repullulascunt in hortis satæ, & nonnullæ fuscas sortiuntur radices. Tempus uero quo seri eas conuenit, est uernum, Martio scilicet, Aprili, & Maio mēsibus, uti tradiderunt Columella & Palladius. 3. *Crispa Lactuca.*

Extra hortos Lactucæ aliud quoddam genus prouenit, secus muros & maceries ac sepes, quod è semine satiuæ secundæ sponte sua prosilit, aculeis ac spinis asperioribus multo quam cætera satiua genera, gustu admodum amarum, & quod nō nisi dum tenerrimum fuerit, in usu habetur. 4. *Lactuca syluestris prima.*

8. Lactuca syluestris altera.

Postremo in obscuris aculiginosis syluis inuenitur Lactuca alia, caule, aculeis, folijsq́ uulgari Endiuiæ simillima, florem gerit rubicantem ex fusco, semine exiguo, Endiuiæ quam propinquo, & quod similiter pappis suis in auras euolet.

NOMENCLATVRAE.

Lactuca latine, θρίδαξ Græce, חזרת Chaseret Hebraice, teste Aruch Monsteri, Lattich Germanis. Auicennæ Alchace. Galeno Thridacine appellatur, atque hæc generalia sunt huius plantæ nomina. Theophrastus autem tria commeminit satiuæ genera, quæ suis appellationibus in hunc distinguit modum, ut prima sit Lactuca rotundi caulis, altera laticaulis, tertia Laconica. Columella item tria statuit Lactucæ fastigia, unam, quæ apud nos maxima appellata est, Cypriam: alteram, quæ folia habet albida, pallentia, & uulgatissima est, Cappadocam: tertiam dulcissimam scilicet & quæ speciem mali cuiusdam obtinet, nam in capitis fere formam protuberant folia illius quamprimum à terra uel parum attollitur, Cecilianam nominans, postquam quæ crispa appellatur, quod ad usum attinet, secundum locum occupat. Porro satiua Lactuca Dioscoridi θρίδαξ ἥμερος, syluestris uero ἀγρία θρίδαξ, Galeno Chondrila, Germanis Wilder Lattich appellatur.

Columella de hor. cult. lib. 11. cap. 3.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Lactuca tam satiua quam syluestris, frigidum, humidumq́ obtinet temperamentum, quare in medicina, & cibis usurpari utiliter possunt. Nam præ cæteris oleribus bene nutriunt, purumq́ generant sanguinem. Quanquam hodie à medicis, qui peregrinis fere & inexploratis, quod pluris ueneant magis gaudent, non admodum expetantur. Verum enimuero aliter senserunt ueteres. Serapio namq́ testatur utilem sibi fuisse Lactucam, quippe qua Choleræ æstuantis uitia expurgarit. Plinius etiam doctissimũ medicum, Musam, Augusto Lactuca uim morbi repressisse tradit. Quid quod Galenus lib. ij. Alimentorũ Lactucam summis laudibus effert? Sed ascribamus uerba illius, quæ ita se habent.

Plerique etiam antequam excaulescat, in aqua elixa utuntur, uti ego iam facio, ex quo dentes mihi deteriores esse cœperunt. Nam amicus quidam meus, quum olere hoc à longo tempore me ut familiari cibo, usum fuisse sciret, uideretq́ post mandi à me citra magnam molestiam non posse, cocturæ rationem indicauit. In iuuentute enim, quoniam assiduo os uentriculi bile efferuescebat, æstus moderandi gratia Lactucis utebar. Quum autem ad prouectam ætatem peruenissem, olus hoc contra quam in iuuentute

somnum

ſomnum iam ſtudio & induſtria accerſenti mihi auxilio fuit: quippe qui etiamnum iuuenis uigilijs dedita opera me aſſuefeceram, declinante iam ætate, ipſa ex ſe inſomni, grauius hoc incommodo infeſtabar. Aduerſus quod unicum mihi præſentiſſimum remedium Lactuca ueſpere commanducata ſemper fuit. Hæc ille.

Quæ omnnia ideo à me adducta ſunt, ut priſtinæ ſuæ dignitati cum aliæ optimæ plantæ, tum uero Lactuca noſtra nobiliſſima reſtituerentur. Ratio parandi Lactucas apud Platinam lib. iiij. extat.

INTRINSECVS.

Lactuca ſatiua, maxime criſpa, in cibo commanducata, æſtuanti ſtomacho prodeſt, uti de ſeipſo Serapio prodidit.

Coctura Lactucæ, ſi in pultem illa concoquatur, nutrimentum bonum affert corpori deficienti, ſomnum conciliat, aluum emollit, lactis copiam generat, doloresq́ʒ ſedat. Verum continuus Lactucæ uſus claritati oculorum officit, inſomnia uenerea, & concubitum arcet, quo nomine ijs qui caſtitatem uouerunt, utiliſſima eſt Lactuca, necnon Ruta, ut ſuo diximus loco.

Quod de herba commemorauimus, hoc idem de ſemine & aqua diſtillata intelligi uolumus.

Lactuca ſenibus inprimis accommodata eſt, naturalem enim humiditatem in illis conſeruat, qua de cauſa Galenus haud dubie Lactuca cum aromatis uſus eſt. teſte Antonio Gaizo de ſomno cap. ij. Qui aromatis deſtituuntur, ij Mentham & Petroſelinum (ut uulgo uocant) cum Lactuca deuorare debeant, admonente Conſtantino lib. v. cap. xvi.

Lactuca ſylueſtris eaſdem pene habet facultates, ſed frigidiore temperatura, & ad Papauer fere accedente prædita, ijs qui inſomnijs laborant, in cibo & foris impoſita, utiliſſima. Idem & ſemen & aqua diſtillata poſſunt.

EXTRINSECVS.

Omnes capitis, iecoris & ſtomachi calidæ affectiones, Lactucæ herba, uel ſemine aut aqua diſtillata curari poſſunt, ſi herba uiridis, uel linteola in ſucco, uel aqua diſtillata madefacta extrinſecus imponantur, quod genus remediorum, Repercuſſiuum uulgo medici appellant.

De Hieracio, Germanis Pfaffen blat.
CAP. LXXXVII.



I. Hieracium maius.

MVLTAE SANE Lactariæ plantæ extant, utpote Lactuca, Papauer, Chelidonia, Lathyris, Esula, Endiuia, Scariola, Auricula muris, & Hieracion, de quo deinceps agere decreuimus. Sunt autem Hieracij duo genera, maius scilicet & minns, cuius postremo mentionem faciemus, de maiori primum, & iure quidem, aliquid dicturi.

Maius Hieracium, folia habet in circuli figuram humi sparsa, eaq; utrinque serrata, nō aliter quam Cichorea, tenera adhuc, sed paulo pinguiora & molliora, ut ea de causa maiorem cum Lactuca affinitatē contraxisse merito uideri debeat. Incisuræ foliorum, dentibus magnæ alicuius serræ similes apparent, & uenæ quæ hijs in læua parte insunt, qua radicem, quæ illi candida & recta, paucisq; capillamentis fibrata est, spectant, colore roseo ac leuiter rubicante, tinctæ sunt. Aprili mense, maxime initio eius, è medio plantæ, longi, ac concaui scapi, culmos imitantes, omnisq; nodorum ac geniculorum intercapedine carentes, emergunt,

emergunt, in quorum summitatibus uiridia ac radiata capitula, Oliuis quam similima prosiliunt, quæ ubi sese aperuerint, in flores tandem luteos, ac multiplici foliorum ordine distinctos, solis figuram repræsentantes, desinunt. Cum autem præmaturi illi fuerint, in rotunda, capillata, ac lanuginosa capitula, in quibus semen continetur, euadunt, quę facilime uento ut auolent in auras impelluntur, quo facto scapi nudos, candidos & rotundos uertices, rasis Monachorum capitibus similes, sustinent, qui & ipsi Maio mense marcescunt, herha ipsa superstite per totum annum. Gaudet locis graminosis, cœmiterijs & sepibus, neq; in Cichoream transit, ut multi somniant. Proinde incisa lacteum fundit eumq; amarum succum.

Heracium minus, maiori per omnia respondet, nisi quod illo magis est exiguum, & nigricantius. Radix eius præmorsa apparet, quod in Morsu Diaboli indicauimus, quo loco hanc plantam descriptam reperies. Succum emittit lacteum, sed admodum amarum. *a. Hieracium minus.*

NOMENCLATVRAE.

Generosus Comes de Neuenare putauit has plantas ad Lagopoda referri posse, quemadmodum & doctissimus Hermolaus Barbarus Benedictam herbam Lagopoda dici posse putauit. Ego tamen bona cum uenia utriusq; affirmo neq; hanc, neq; illam (quam nos Nardum Garyophyllatã supra nominauimus) Lagopoda (quid uero proprie λαγώπυς sit paulo post dicetur) appellandam. Quin constanter & uerissime pronunciamus has stirpes eas esse quæ Hieracia, & Lactucæ erraticæ Dioscoridi uocantur. Maius ergo ἱεράκιον τὸ μέγα, Sonchiten, Lactucam erraticam, & Sithelias Dioscorides lib. iij. ca. lxv. appellat. Apuleio, Thridax agria, Aspidelon, uel Aspideion, Picris, Iobonsos, Lactuca syluatica. Officinis & uulgo Dens leonis, Rostrũ porcinum, & Apostematica (uti Comiti iam commemorato placet) dicitur. Et recte quidem postremum ei nomen attribuitur, cum Apostematibus calidis, & in febre ardente, aqua eius distillata in primis utilis sit. Minus Dioscoridi lib. iij. cap. lxvi. ἱεράκιον τὸ μικρὸν, Sonchite, Intybum agreste, Styhessade, & Lactuca minor, dicitur. Erraticis illis qui Ægyptiacos se gloriantur Morsus Diaboli minor, ea quod radicem habeat præmorsam. In Hassia audiui eam Summer dorn/ hoc est, æstiuam spinam, ab aculeis nimirum exiguis quos habet, appellari. Germani tam hoc quam illud, propter solem Sonnen würbel/ temporis ratione Mertzen blůmen, ob colorẽ Dotter blůmen/ seu Eier blůmen/ & quia rasis capitibus similia sunt scaporum cacumina Pfaffen blatt/ Münch köpff/ id est, caput Monachi, & a foliorum forma, Lewen zan/ id est, Dens Leonis, & Wisen Lattich/ seu Weg Lattich/ quod forma & lacteo succo ad syluaticas Lactucas pertinere ui- *Apul. cap. 30.*

dentur, uocare solent. Posset & comode Augen wurtzel dici ab oculis, quorum maculas extergit, si uel radix, quo tempore Sol Virginis] signum intrat, hoc est, circa festum Bartholomæi, effossa, de collo uel hominis, uel iumenti suspendatur, quod idem aqua distillata efficit, quemadmodum multi qui id experientia didicerant, mihi confirmarunt. Vnde facile adducor ut credam accipitrem, à quo nomen sortitæ sunt, primum mortalibus usum harum herbarum indicasse. Sed de his satis.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtrunque Hieracium frigidam temperatûram obtinet, quare omnibus ardentibus febribus, inflammationibus, & Apostematibus conducit apprime.

INTRINSECVS.

In Apostematibus, ac ardentibus febribus, nihil sane utilius, ac efficacius usurpari, meo quidem iudicio potest, aqua Hieraciorum distillata, si ea singulis uicibus mensura trium aut quatuor coclearium bibatur. Hoc enim remedio punctorum lateris dolores mitigantur, somnus accersitur, tussis aufertur una cum inflammatione.

Succus maioris Hieracij potus, æstuanti stomacho prodest. Atqui aqua distillata gratior est quippe à qua nemo facile abhorreat.

EXTRINSECVS.

Optima collyria aduersus maculas oculorum, ex aqua Hieracij, & radicis illius distillata fiunt, quanquam succus idem possit, sed & uehementius ac efficacius oculorum caliginem discutit.


Herba uiridis extrinsecus imposita, (quod & de linteolis in aqua distillata madefactis intelligendum est) omnem inflammationem nigrarum, & adurentium pustularum sedat, siue illæ pedibus, mammis aut genitalibus oriantur, quin & inflammationi membrorum medetur aqua distillata, linteolis in ea madefactis, ac impositis.

Postremo solent & mulierculæ facies suas hac aqua abluere, ut maculas exterant, purumque & immaculatum uultum consequantur.

De

De Lagopo, & Lactuca leporina.
CAP. LXXXVIII.

Lagopus.
Hasenstrauch.



LAGOPI, ET LActucæ leporinæ post Hieracia historiam annotare operæpretium uidebatur, cum quod ambæ hæ stirpes in censu earum quæ lactariæ dictæ sunt, habeantur, tum etiam quia priorem nonnulli Rostrum porcinum esse contendunt. Atqui iam quodnam illud sit præcedēti capite docuimus, quare Lagopum alibi quærere oportet, & si ueritati subscribere uolumus, certe is lib. iiij. cap. xix. apud Dioscoridem descriptus est, nam de Lactuca leporina paulo post. Tametsi autem Dioscorides, & post hunc Galenus, necnon Ægineta & Plinius, huius herbæ meminerint idq; paucis, intacta illius historia, nihil enim de forma eius dicunt, solum id asseuerantes quod aluum reprimat: tamen nō solum Apuleius herbam hanc Leporinum pedem referre ait, sed et Etymologia hoc idem indicat. Iam si rerum ipsarum imagines cōsulamus, nullam certe quæ Leporinum pedem repræsentet herbam inuenimus, Apul. cap. 61.

præter nonnullos flores, præsertim uero eum qui in genere Lotorum habe
1. Lagopus. Hasenklee. tur, & Germanis Hasenklee dicitur. Ea planta in aridis & siticulosis campis, cultis, pariterque incultis agris prouenit, radice prælonga & lignosa, herba vere Lotum trifoliam referens, nisi quod illa magis exigua est. Iunio mense appetente luteo flore eoque copioso emicat, nam non raro duodecim unicus caulis sustinet, ita tamen ut sæpenumero seni aut quini coniuncti appareant, ac singuli coliculi cum suis floribus pedem leporinum æmulentur. Floribus decussis siliquæ senæ aut quinæ itidē coniunctim positæ succedūt, pedi gallinaceo, uel columbino similes, in quibus semen minutum instar Eruorum inclusum reperitur. Sed de hoc Lagopi genere suo loco plura.

2. Lagopus Hasenpfötlin. Inueniuntur deinde iisdem in locis flosculi diuersicolores, utpote candidi, rubri, purpurei & uariegati, Aprili mense florētes, formaque sua Tineariā repræsentantes. Herbam habent cineream, non aliter quam Pilosella minor. Sed & de hac stirpe alias dicemus, nunc ad Lactucam leporinam nos conuertemus.

3. Lactuca leporina. Illa ualde exigua est planta, foliis in modum rotæ humi sparsis, quæ & singula incisuris dissecta sunt, ueluti Hieracium minus, sed minutior illo per omnia, tenui & læui scapo, flosculo luteo. Nascitur plerumque in segetibus, nonnunquam & incultis agris, ac aridis collibus. Est autem hæc Lactuca, inter omnes Lactarias herbas fere minima.

NOMENCLATVRAE.

1. Primum genus, Germani Hasen pfötlin uocant, atque hanc ego autumo, eam esse quæ Dioscoridi λαγώπους, Leporinum Cyminum, & Leporinus pes dicitur. Diosco. lib. 4. cap. 19.

2. Alterum similiter Hasen pfötlin Mediomatrices appellant, quod Leporino pedi sit simile. Qui ad Rhenum habitant Meüßörlin cognominant, hoc est, Pilosellam.

3. Lactucæ leporinæ nullum aliud præter hoc ipsum nomen apud autores inueni. Solus Apuleius illius meminit, cuius hæc sunt uerba:

Lepus cum æstate nimio deficit æstu, hac herba remediatur, ideo Lactuca leporina dicitur. Hæc ille.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Contraria ac mira facultate hæc Lactuca prædita est, nam uentrem & soluit & cohibet. Proinde utrinque adhiberi potest.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Lactuca leporina uino decocta & bibita, alui fluxum cohibet.

Herba resiccata & in puluerem tusa, inque uino pota, aluum emollit, quod si febris quoque adsit, puluis ille in aqua sumi, uel herba aqua decoqui debet.

EXTRINSECVS.

Lactuca leporina tusa, tumoribus coxendicis imposita, tumore deprimit.

Eam, si febricitantibus nescientibus sub puluino supponatur, remedium morbo afferre aiunt.

Succo illius superciliis illito, pili decidunt.

De Endiuia. Cap. LXXXIX.

DVO DOMESTICAE ENDIVIAE GENERA IN HORtis nostris reperiuntur, quorum alterum seritur, alterum sponte nascitur.


Maxima in his Endiuia, folia Lactucæ quadantenus similia habet, linguam referentia, ac minime incisa. Semen eius omni Lactucæ semine magis nigricat, frigidaque & umbrosa terra gaudet. Porro licet Lactucæ semini admodum affine sit, tamen incultis agris, propter muros & petrosa loca fœlicius fructum fert quam cultissimis locis. Altero demum anno in caulem exit, (nam antequam excaulescat hyemis iniuriam satis sustinet, quod & Columella lib. xij. cap. iij. & experientia testãtur) eumque rotundum, crassum, et procerum lacteo sed amaro (sicut in altera Endiuia) succo prędítum, in uertice multis ramis brachiatum, foliolisque plurimis, linguæ ut diximus formam repręsentantibus, ornatum, ut arbusculam haud obscure imitetur. Florem gerit luteum, qui à maturitate una cum semine in auras euanescit, uti Senecionis. Neque uero prætereundum est, hoc Endiuiæ genus peregrinum esse. Nam è Burgundia olim ad nos allatum fuit, consilio & opera generosissimæ Principis de Troia, cuius beneficio in toto nunc Ducatu Bipontino passim extat. 1. *Endiuia maior.*

Vulgaris autem Endiuia priori, caule, floribus & semini similis est, folijs tantum ab eadem dissidens, quæ maioribus diuisuris incisa habet, non aliter quam Hieracia. Caulis illi admodum magnus, purpurascens pene, spinulis multis horrent uenæ foliorum. In hortis ad muros prouenit. In Alsatia sponte extra uineas, in collibus & secus macerias, gignitur. Semen uento in aëra dispellitur. 2. *Endiuia uulgaris.*

NOMEN.

Endiuia.

Endiuien.



NOMENCLATVRAE.

Quas modo descripsimus Endiuias, eas satiuas Dioscoridis esse iudica-
σέρις. mus, quas ille capite lxi. lib. ij. depinxit communi nomine Serin & Inty-
bum (unde

bum (unde appellatio Endiuiæ nata uidetur) utranque appellans. Verba illius hæc sunt.

Seris duum est generum, una folio latiore, Lactucarum simillima, altera angustiore est folio, & gustu amara.

Quæ sane uerba nostris Endiuijs quadrare nemo non uidet. Vsurpantur & illæ dum adhuc teneræ fuerint in cibis, quod Dioscorides similiter de illis affirmauit.

Proin possunt Germanice Zame Endiuien/& Genßzungen appellari. Serapio Scariolas seu Serriolas illas nominauit. Neque impediunt me hoc loco Neotericorum sententiæ, qui in multas Endiuiam species digerunt, quas tamen discernere ipsi nequeunt. Plinius diligenter de hac re scripsit, quem uide lib. xx. cap. viij. Sed ut de ea quam Germani Sudistel appellant, (quæ nihil aliud est quam Intybum syluestre, cuius descriptionem statim subiungemus sequenti capite) aliquid dicamus, notandum est, Plinio loco citato, & Platinę lib. iiij. Chreston, & Pancration, eam cognominari. Constantinus lib. v. cap. xvi. Endiuiæ & Scariolæ appellationes uni & eidem herbæ attribuit. *Serap. cap. 143.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Endiuiæ seu Intybi genera, siue ea satiua, siue erratica sint, unam & eandem temperaturam obtinent. Refrigerant namque & obstructionibus lien & epar liberant, quare utrinque his uti possumus.

INTRINSECVS.

In cibo commanducatæ aluum sistunt, æstuantis stomachi dolores leniunt. Hæc uero inprimis efficit syluestris Endiuia in aceto assumpta.

Aqua herbæ Endiuiæ distillata & pota, sitim illam uehementem quæ in peste præter naturam oritur, restinguit. Prodest & æstuanti stomacho, & Epati.

In quauis ardente febre citra periculum aqua Endiuiæ distillata uti possumus, necnon aduersus inflammationes pulmonis, & sudores immodicos.

EXTRINSECVS.

Herba Endiuiæ cum farina ordeacea, & cerusa cataplasmatis instar calidis tumoribus, & sacris ignibus efficaciter imponitur.

Radix tusa & succus, scorpionum & araneorum ictibus medentur.

Aqua Endiuiæ linteolis excepta, & imposita, oculorum inflammationibus, doloribusque subuenit.

Eadem

Eadem linteolis uel ſtupa cannabina incenſo iocinori impoſita, æſtum potenter reſtinguit: linteolis exiccatis ſæpius ea aquæ immergere oportet, ut madeſiant.

De Intybis ſyluestribus, ſeu erraticis, quas Germani Genßdiſtel/ Saw diſtel/ & Sudiſtel uocant. CAP XC.

QVEMADMODVM ENDIVIA, ITA ET INTYBVS ſylueſtris in duo genera digeritur, quæ ambo Endiuiæ adeo conſimilia apparent, ut non à quouis facile diſcerni poſſint. Sunt autem Intybi erraticæ in cenſu Zizaniarum, & naſcuntur in pingui ſolo hortorum & uinearum. Iam ut ab Endiuijs dignoſci poſſint hæ ſtirpes: deſcribamus eas. Quod ad folia attinet, quæ in utraq; linguæ formam habēt, & in altera ſerrata, ſeu diſſecta, in altera uero integra per ambitum uiſuntur, cum Endiuijs conueniunt pulchre. Rurſus ab ijſdem magnitudine & latitudine (quam haudquaquam tantam obtinent quantum illæ) tam foliorū, quam caulium diſcedunt. Semen etiam his magis exiguum. Caulis concauus & mollis. Folia alterius nequaquam diſſecta in extremitatibus, qualia Lactucæ habent, alterius uero, anguſta, acuta, & inciſa. Flores eoſdem, ſemina eadem ambo gignunt. Sed ea quæ acutis ueſtitur folijs, intra humum ſerpendo radicatur, quemadmodum Lolium.

1. 2.

Duo Intybi ſylueſtris genera.

5. Præter iam commemoratas Intybi ſylueſtris ſpecies, alia quædam ad muros nonnullos, & iuxta fluuios reperitur, folio prælongo, ſed anguſto, diſſecto inſtar quercini folij, flore luteo, & multiplici & maiori ſupra deſcriptis duobus generibus.

NOMENCLATVRAE.

Intybis binis ſylueſtribus proprium in noſtris commentarijs caput dicatum uolui, nulla alia ratione, quam ut uel tandem à domeſticis ſeparentur. Germani illas Genßdiſtel / Sawdiſtel/ & Sudiſtel uocant: & Latini quidam Scariolas, ſeu Serriolas, atq; hinc error in his ſtirpibus ortus eſſe uidetur, quod ſcilicet tam Endiuiæ quam hæ plantæ Scariolæ nominantur. Cæterum meo quidem iudico non inepte hæc duo Intybi erraticæ genera ad Taraxacon Serapionis, & Cicerbitam aſperam, quæ apud Dioſcoridem σόγχος τραχὺς dicitur, referentur.

Serap. cap. 143. Dioſco. lib. 2. cap. 120.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Cum Endiuia uera deſtituimur, Intybo erratica contenti ut ſimus neceſſe eſt, præſertim cum eaſdem cum illa facultates ſortita ſit, quas hoc loco repetere ſuperuacaneum eſſe putamus. Hoc unum obſeruandum cenſemus, Intyba ſylueſtria propter uim refrigerandi magnam, qua præditæ ſunt, externis corporis partibus potius adhibendas, quam internis.

EXTRINSECVS.

Herba tuſa, & aqua diſtillata, æſtuanti ſtomacho, & podagrę, alijsq́ quę refrigerationem deſiderant, utiliter imponuntur.

De Cichoreæ uarijs generibus. CAP. XCI.

ANTEQVAM CICHOREAS IN SVAS SPECIES PARtiamur, in genere prius nonnihil de illis annotabimus. Cichoreę itaq; omnes circa Solſtitium ęſtiuũ florent, ſecundum itinera, & uias, maxime eas quę per agros frugiferos ducunt. Radices habent longas inſtar fœniculi, quę antequam caules producant, amarum lac manant. Folia prima humi ſparſa procumbunt, non aliter quam Hieraciorum, coloris tamen magis incani, aſperiora & minora, ſciſſa, unde quidam putauere Hieracia in erraticum Cichoreum, quod cęruleo emicat flore, tandem conuerti. Caules proferunt frequentibus ſurculis brachiatos, ſed non perinde foliatos, quin foliorum loco ab imis uſq; in ſummas partes omnium ramulorum, plurimi protuberant toruli, qui cum adaperiuntur cęrulei ex illis erumpunt floſculi, (atq; hęc eſto prima Cichorę ſpecies) cum ſole ſe circum agentes. Nam ſiue ſudum, ſiue nubilum fuerit cœlum, tamen ex his floſculis hora diei animaduerti ſemper poteſt, quippe cum interdiu dehiſcant, ſole occidente comprimuntur. Sed quod fere pręterieram, naturę miracula in hoc quoque flore obſeruare licet. Siquidem non tantum ad ſolis ortum & occaſum ſeſe pandit, & recludit, uerum etiam cumulo formicarum abditus cæruleum colorem in rubeum mutat, ac ſi terrore illarum erubeſceret.

1. Cichorea cærulea. *Miraculum naturæ.*

Inueniuntur deinde (tametſi rariſſime,) in hoc genere plantæ, quæ partim candidum, partim roſeum gerant florem. Has ſtirpes ſecus uias doctiſſimo uiro piæ memoriæ D. Othoni Brunfelſio demonſtraui olim. Semina iam deſcriptarum Cichorearum, non euaneſcuntut aliarum Intyborũ,

2. Cichorea candida, & roſea.

ſed in

Cichorea.
Wegwart.

3. 4. Luteæ Cichoreæ

5. Cichorea procera.



sed in folliculis, qui singuli uerrucas imitantur, coniunctim positis, latent.

Tertia porro & quarta Cichoreæ flore luteo, qui ab Hieracei maioris floribus nihil distat, consimiles plane sunt, quantitate uero differunt, nam altera tota substantia maior est. Foliis utraq; uestitur dissectis per ambitum ueluti primę, sed asperioribus spinulis multis, quemadmodum Endiuiæ horrentibus. Radices earum longæ sunt & rectę, luteum succum manant incisæ, qui in gummi quasi glutinosum coagulatur. In Alsatię asperis collibus, secus agros & uineas, apud Mediomatrices uero in montanis pratis, ubertim gignuntur, semine subluteo.

Quinta Cichorea quæ & maxima euadit, nam altitudinem mediocris arbusculæ attingit, multis surculis brachiata undiq;, foliolisq; frequentibus & acutis instar linguæ, ac ueluti pennatis uestitur. Flos illi quēadmodum Lactucę luteus, qui in pappos à maturitate abit, quod idem in proximis duabus contingit. Frutex iste in humidis agris nascitur, proceritate alias omens fruges superans, germinibus adeo longis, ut ad uinctum satis lenti et apti sint. Lacteum similiter fundit succum, qui cum coagulatur, gummi repræsentat.

Verumenim-

Cichorea satiua.
Wegwart zam.



6. Cichorea satiua.

Verumenimuero superest, ut de satiua dicamus Cichorea, quæ omnium elegantissima est. Ea caule, flore, semine, & radice uulgari omnino respondet. Atqui folia radici proxima nequaquam incisa sunt uti uulgaris Cichoreę, sed integra, Endiuiæ primæ pene similia, sed paulo minora, & angustiora. Colorem obtinent pulchre uiridem, gustu subamara. Hyemari potest hæc herba. Quædam enim ex hoc genere capitula albida progignunt, quæ acetarijs adhibentur, non aliter quam Lactuca.

NOMENCLATVRAE

Cum cognitio stirpium, donum Dei Optim. Max. sit, non pudet me facere quod Hippocratem excellentissimum Medicū quondam factitasse legimus. Is etenim Crateuæ herbario sæpenumero scribebat, rogans illum, ut ad se herbas & radices uarias mitteret, quo quænam illæ essent, addisceret. Pari ratione postquam nos quoq; satiuam Cichoream cognoscendi desiderium tenuit, non dubitauimus super ea re honestissimum uirum D. Georgium Ollingerum, ciuem Norimbergensem, literis nostris interpellare, à quo illa ad nos allata fuit. Atq;

Diosco. lib. 2. cap. 122. Varro lib. 2.

hæc ea est σέρις satiua angustifolia, quo nomine & Intybus uocari meruit. Cichoreum erraticum cærulei floris, herba est Solaris, & apud Varronem Solsequium, Heliotropium, & Ægyptijs Agon dicitur. Reliquę Cichoreę species ad caput cxxij. lib. ij. Diosc. pertinent, suntque hęc illorum nomina (nam uulgo hodie omnia huius stirpis genera, Cichoreę, Cichoria, & Germanis Wegwart / & Wegweiß / a uia quod nascantur secus itinera, Hebręis uero, ut placet Phrisio אינתובה Intuba, uoce nimirum a Latinis mutuata, dicuntur, Græcis χονδρίλλη, σέρις, κιχώριον & Ambubeia.

Hactenus igitur per aliquot capita Cichoreas & Intyba omnia descripsimus, nunc quo facilius discerni queant, paucis & obiter ea repetentes complectemur simul.

1. Cichorea satiua & erratica	pertinent ad	caput cxxi. lib. ij. Dioscor. potestque fieri ut apud Theophrastum lib. vij. cap. vij. & xi. Intyba & porcellia uocentur.
2. Endiuiæ binæ supra cap. lxxix descriptæ.		
3. Genßdistel / hoc est Endiuiæ syluestres		cap. cxx. lib. ij. Dioscoridis σόγχος τράχυς, atque picris seu Taraxacon uulgo uocatur, Andryala nobis Theophrasti esse uidetur. lib. vij. cap. vij. & xi.
4. Caput Monachi, Pfaffen rölin.		cap. lxv. lib. iij. Dioscoridis ἱεράκιον, nobis sub Amaragine Theophrasti comprehendi uidetur.
5. Tria postrema Cichoreæ genera, quę luteos proferunt flores		cap. cxxvij. lib. ij. Diosco. χονδρίλλη
6. Lactuca leporina		Apuleij caput. cxiij. & potest pro Endiuia, seu Lactuca syluestri usurpari.

Quod si hac ratione plantæ a se mutuo discernantur, sortientur illæ tandem genuina sua nomina, & minus difficultatis, ac obscuritatis in rem herbariam subrepet. Sed satis superque de his.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Satiua Intybus iam in usu esse cœpit apud omnes, unde iam passim Cichorea appellatur doctis, quare de illa nunc loquemur. Est enim tota sua substantia frigida & sicca, utrisq; corporis partibus commodissima.

INTRINSECVS.

Decoquitur in aqua fasciculus eius, potumq; id decoctum, per inferna bilem & pituitam trahit.

Semen tusum, ac in uino potum, ante accessiones febrium, illas finire dicitur. *Diosco. lib. 4. cap. 185. de Heliotropio.*

Decoquitur herba & radix, uino aut aqua, & calidum bibitur id decoctum, aduersus obstructiones lienis & iocinoris, sed in principio Hydropis, & malo corporis habitu, Græcis καχεξία dicitur, hoc remedio uti conuenit.

Ad eadem ualet aqua distillata, inprimis uero æstuanti stomacho, & ardentibus febribus, imbecillitatiq; cordis utilis est.

Cichoreæ luteæ, quas Condrillas appellari diximus uino decoctæ & potæ ueneno serpentino resistunt.

Succus expressus uino decoctus, uel per se sumptus, fluxiones alui sistit.

Proinde tam cærulea, quam lutea Cichorea in tenera adhuc ætate, cibis utiliter adhibetur, concoctionem namq; adiuuat, omnesq; obstructiones iocinoris & lienis soluit.

EXTRINSECVS.

Folia cœruleę Cichoreæ, abscessibus, tumoribus, & inflammationibus necnon pudendorum pustulis imposita, dolorem mitigant, ardorem extinguunt, calidæ podagræ commodissima, inflammationibus, & Erysipelæ capitum puerorum subueniunt.

Verum aduersus iam commemoratas affectiones, aqua distillata maioris est momenti, si ea in linteolis lineis excepta affectis partibus imponatur. Maxime uero hoc pacto usurpata Anthraci auxiliatur.

Aqua è floribus cœruleis distillata, inflammationibus & caligini oculorum imposita, potenter remedium adfert.

Cichoreæ luteæ herba & radices tusæ subditæ per se, aut in pesso, menses trahunt.


Succus earundem cum sale nitri & melle temperatus, unguentum nobilissimum præstat, ad emendandam asperitatem, & deformitatem cutis.

Succus eius superciliis nudis illitu, ad recuperandos pilos conducit admodum.

De Alsine, seu Auricula muris maiore.

CAP. XCII.

Auricula muris maior.
Groß Meüßor.



QVANQVAM MVLtis plantis nomen hoc (Auricula muris) commune sit, tamen maxima in his, de qua ueteres scripsere, & quę passim obuia est: apud doctos ætatis nostræ plane ignota est, & usu repudiata. Quamobrem ne in posterum lateat saluberrima herba, age describamus eã. Nascitur autem illa in umbrosis nemoribus, nonnunquam etiã ex antiquis muris in perpetua umbra sitis prorumpit. Iunio mense appetente, teretem, tenuem, & pilosum, cubitalis altitudinis caulem, eumq́ nudũ, foliis & geniculis destitutũ prorsus emittit. Folia humi sparsa iacent, eaq́ singula auriculam muris alpini, seu leporis exprimunt, sunt enim pilosa, & parum in extremitatibus incisa. Radicem habet breuem, sed multis fibris capillatam, non aliter quam Plantago. Flos in summitate rotundi caulis luteus ac multiplici foliolorum ordine stipatus exilit, ueluti in Hieracio, qui post maturitatẽ in pappos euanescit.

euanescit. Tota hæc planta ubicunque incidatur, lacteum manat succum. Neque uero silentio prætereundum censeo, quod ego sæpe huic plantæ acciderc uidi, maxime in sylua Brocomagi. Nam ad caulem prope terrã humiditas quædam colligitur nucis iuglandis magnitudine, quæ in rotundũ agitur, pilisq; incanis obducitur, ut musculo plane similis euadat. Qui fit ut uel hinc à mure nomen sortiri potuerit nostra hæc Myosotis. M.

NOMENCLATVRAE.

Germani Groß meüßor/ & quidam Chirurgi Heidnisch wundkraut/ hoc est, Solidaginem Sarracenicam (quamuis ab ea quæ Salicis folia habet, eodemq; hoc nomine appellatur, quo de infra cap. clxiiij. dicemus, diuersa sit) nominatur. Deplorandum est autem in eum locum redactam esse rem herbariam, ut quisque nomina herbis imponere, & ex ipsa rerum experientia uires earum addiscere cogatur, doctissimis interea uiris (quorum id maxime interest) nescio quem somnum stertentibus. Et quoniam ut dixi omnino ad indoctiores ea prouincia deuoluitur, conabor & ego pro uirili in suum locum plantas asserere, proprijsq; suis quantum fieri potest appellationibus insignire. Itaque si quid iudico hæc ea est Auricula muris maior, quæ apud Dioscoridem μυὸς οὖς dicitur: quam ille Myoton, Anthyllion, Myortochon, Alsinen (quod Lucos quæ Græci ἄλση uocant, umbrosaq; & nemorosa amet loca) & Myotosplenon, nam folia spleni similia apparent, uocat.

Diosco. lib. 2. cap. 175. Dioscor. lib. 4. cap. 15. Periclymenon, Alsinem quoque maiorẽ uocat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Galenus lib. vi. hanc stirpem describit, aitq; illam frigidæ & humidæ naturæ esse, ideoq; commode sacris ignibus adhiberi posse. De minori muris auricula seorsim lib. viij. agit, sed de illa paulo post.

INTRINESCVS.

Aqua huius herbæ distillata ad quasuis internas & feruentes inflammationes cordis, stomachi, & epatis, pota & foris imposita facit, quare ueluti Cichoreæ aqua usurpari potest intrinsecus.

EXTRINSECVS.

Chirurgi potiones uulnerarias ex hac Myosotide conficiunt, uulneribus recentibus mundificandis et sanandis, uino enim decoquunt & herbam bibendam exibent uulneratis, & foris etiam imponunt.

Succus expressus, auribus in dolore utiliter instillatur, nam punctiones earum et tinnitus tollit.

Breuiter aquæ distillatæ eædem insunt facultates, quæ & Cichoreæ.

De Auricula muris minore, & eius speciebus. CAP. XCIII.

Auricula muris minor.
Klein Meüßor.



VVLGARIS ET MInor Myosotis quemadmodum maior amarum lac incisa fundit. Nascitur illa sabulosa tellure, per quam non aliter quam Fragaria serpendo se propagat, radice admodum capillata. Per totum annum folijs humi sparsis apparet, quemadmodum Primula veris. Folia incana & subalbida habet, hirsuta, & singula formam auriculæ Soricis magni repræsentant. Maio mense luteos flores sustinēt tenuissimi coliculi, qui in pappos postea desinunt, & in auras auolant.

Altera huius generis planta iam commemoratę tota sua substantia similis est, sed uiridioris coloris, mollioribus folijs & non perinde pilosis. Natura utrique eadem.

Porro in hortis oleribus & cæpis consitis alia quoque Auricula muris reperitur, herba cauliculis & surculis procerioribus, pinguioribus & mollioribus. Atque ea in tenera sua ætate inter cætera olera decoquitur.

quitur. Flosculi huius cærulei fiunt coloris, similesq́; floribus Anagallidis.

Postremo obseruandum quod et Tinearia lutea, & ea quæ Hasenpfötlin dicitur Germanis, de quibus infra cap. cix. agemus, inter Auriculas muris computantur, propter foliorum similitudinem, quam cum Auricula muris hortensi occupant.

NOMENCLATVRAE.

Duæ priores simul & uulgatissimæ Mysiotides apud Dioscoridem cap. clxxvi. libro ij. uno nomine μυὸς ὦτα appellantur, quod & Plinius testatur lib. xxvij. cap. iiij. Nostri utrasque Pilosellas appellant à pilis, tametsi pauci ueras earum differentias perspectas habeant. Nec desunt qui eas Anagallides uocari uelint; quam sententiam è uerbis Auicennæ stabilire conantur, qui lib. ij. cap. xviij. scribit, secundam Auriculam muris in Dioscoride, cæruleos ferre flores, & semen Coriandro simile. Sed quod ad postrema attinet de semine uerba, iniuria fit Dioscoridi, nisi forte bonus ille Auicenna Anagallida cæruleam intellexerit. Atqui uereor illum, neq; Myosota, neque Anagallida perspecta habuisse. Hac de re Nicolaus quoque Leonicenus copiose tractat. Hortensis & syluestris Myosotis, licet à mulierculis à foliorum forma ita appelletur, nonnulli tamen eam Oculariæ herbæ (qua de nos infra capite cviij) potius quam Mysiotidis genus esse contendunt.

De quarto genere suo dicetur loco. Syluius medicus Parisiensis excellentissimus aliam quandam muris auriculam demonstrare uidetur. Sed probet ipse quod affirmat. Quod ad me attinet, uidere illam cuperem.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vulgares Myosotides lacteum succum manantes, calidum obtinent temperamentum, quo nomine intro sumi possunt, ad incidendum & extrahendum morbum regium adustum & inueteratum.

INTRINSECVS.

Hæ ipsæ Pilosellæ cum Cichorea & Centaureo, aliquando etiam per se uino uel aqua decoquuntur, & Saccharo temperantur, danturq́; ijs quibus obstructi sunt iocinoris meatus, & qui ad morbum Hydropis procliues sunt.

Eadem ratione usurpatæ Aurigine laborantibus, ac commodatissimæ sunt, si eiusmodi decoctum bibant uesperi & mane, ita tamen ut à potu ij. aut iij. horis ieiunent.

De Barbula hirci. Cap. XCIIII.

Bocks bart.



POSTVLABAT nunc ipse ordo, ut Anagallidis & Tineariæ mentionem faceremus, nisi in mentem uenisset Hirci barbula, cuius historiam propter lacteum quem fundit succũ, hoc loco subiungere libuit. Isthæc itaque stirps Iunio mense in nonnullis pratis reperitur, radice candida, rotunda, digitum crassa, folijs ab imo usq; ad summũ caulis ex ordine positis, allij folia referentibus, & aliquanto etiam lõgioribus. Quo loco obseruandũ est paulo aliter tam Dioscoridem quam Plinium, quod ad folia attinet, (nam in cęteris breuiter sed scite illam depingunt) hanc herbam descripsisse. sic enim scribit Plinius,

Diosco. lib. 2. cap. 123. Plinius lib. 27. cap. 13. & lib. 21. cap. 15.

Est & Tragopogon, quẽ alij Comen uocant, caule paruo, folijs croci (quod nos, allij, propter rei ueritatem interpretati sumus) radice longa, dulci, super caulem calyce lato, nigro. Hęc ille.

Sed finitionem barbulæ nostrę prosequamur. In cacumine scapi magni & proceri, quem habet Tragopogon, flores pro-

deunt

deunt lutei, magni & multiplices, & radiati, ut ea ratione haud multum à floribus Elenij distare uideantur. Iis pereuntibus pappi maiores Hieraciorũ crinitis capitibus subsequuntur. Semen eius quod maius est semine Cymini Romani, sub lanuginosis capillis latet, & una cum pappis suis in auras tandem euanescit, quemadmodũ semina reliquarũ Lactariarũ stirpium. Est & caulis multis distinctus geniculis, quę fere omnia alba spuma instar saliuę circumdantur, quam aiunt Coccycem auem aspergere. De hac stirpe quisquis exacte coquoscere cupiat, is legat Theophrastum capite vij. lib. vij. Ruellius lib. ij. cap. cxxxviij. differentiam inter Tragopogona, & Gerontopogona constituit. Hinc quidam plantam hanc nõ Tragopogona, sed Gerontopogona esse affirmant, eo quod non habeat folia croci.

NOMENCLATVRAE.

Barbula hirci Latinis, τραγόπωγων Græcis, alias κόμη, Coma dicitur. Germani Bocksbart, & pueri qui radice tenera adhuc uesci solent, sicut & alias herbas, præsertim Oxalida deuorare cõsueuerunt, Gauchbrot/quasi Coccycis panem ob dulcedinem radicis uocant, quæ si Apitijs perspecta foret, nunquam non acetarijs suis illam præ cæteris herbis & radicibus insererent.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Barbula hirci tenera in ætate culinaria est herba; & esui apta, maxime in acetarijs, quemadmodum aliarum herbarum asparagi. Temperamento suo calida, internis corporis partibus utilissima.

INTRINSECVS.

Aqua ex herba & radice distillata Maio mense, remedium est præsentissimum aduersus Apostemata & dolores laterum.


Reliqua quotidiana obseruatio & experientia docebit.

De Pycnocomo, Germanis Geißbart. CAP. XCV.

POST BARBVLAM HIRCI PROXIMVM EST VT de Barba caprina dicamus, quæ tametsi non manat lacteo succo, ueluti Barbula Hircina, nominis tamen allusione factum est, ut hunc locum sortiretur. Est autem illa duorum generum. Altera & uulga- *1. Barbula caprina prior.*

Barbula capræ.

Waldt geißbart.



tissima non raro in uliginosis pratis, sæpe etiam inter spinas, & in collibus quibusdam prouenit, duris & rugosis folijs, ac complicatis instar foliorum Betulæ, per ambitum incisis, ueluti Eupatorium seu (ut uulgo uocant) Agri-monia

monia, nisi quod folia præcipua, quæ ex multis constant adiunctis æquali distantia alijs folijs, ijsq́ per fuscas uenas è surculis articuli interuallo prodeuntibus grandiora apparent. Quotannis nouos caules emittit, concauos, quadrangulos, fuscos, qui nonnunquam uiri proceritatem attingunt. Florem gignit copiosum, racematim compactum, magisq́ stipatum ac coactum quam Ebuli, coloris candidi, odorem gratum spirantem. Postquam is deciderit, semen subsequitur, Verrucæ exiguæ & acutæ simile, in tria acumina desinens. Radix illi longa, fibrisq́ multis capillata, foris nigra, intus subfusca, grauissimi odoris, amari simul & astringentis saporis, non aliter quam Glandes. Hæc planta in tenera sua ætate inter cætera olera legitur, quod idem alijs nonnullis erraticis contingit.

Altera uero in umbrosis locis reperitur, & uallibus quibusdam, radice lignosa, nigra, tenui, intus subfusca, gustu itidem amara. Folijs uestitur maioribus & elegantioribus, instar foliorum Nucis, per ambitum serratis quemadmodum Castanearum. Alto prosilit caule, flores candidos, racematim instar barbæ dependentes, qui in iulos tandem desinunt. Atq; hoc illius semen est. Porro quotannis nouos emittit caules, floret Iunio mense. 2 *Barba caprina syluestris.*

NOMENCLATVRAE.

Cum exactius formam harum stirpium, & descriptiones tam Plinij quã Dioscoridis considero, sane non uidentur mihi alium posse occupare locum, quam clxix. caput lib. iiij. Dioscoridis, eritq́ nomen illius πυκνόκομον. Nec enim negari potest, non tantum barbas densas floris in hac stirpe dependere, sed & folia complicata & densa satis apparere, ut uel hac ratione Germanis Dickblatt/uel Dickblůmen/propter foliorum & florum frequentiam, hoc est, πυκνόκομον, dici merito debeat. Vulgo Barbam caprinam Latine, Germanice uero Geißbart appellant. Non est autem prætereundum, quod iuuamenta quæ Pycnocomo à Dioscoride attribuuntur, non conueniant cum ijs quas Serapio & Auicenna Barbæ suæ hircinæ assignant. Nam Dioscorides quidem radicem Pycnocomi aluum soluere, bilemq́ extrahere tradit. Arabes contra Barbam hircinam aluum sistere & alios quoque fluxus cohibere scribunt. Hinc facile uidere est Barbam hircinam Arabum nihil aliud esse quam Ledon seu Ladanum, quod à Galeno τραγόπωγων quoq; cognominatum est. Vide Ges. de succid. fol. xvij. *Diosco. lib. 4. cap. 169. Plinius lib. 26. cap. 8.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtrumq; Pycnocomum quantum iudico, calidum & siccum est, inprimis uero uulgare, quod fuscam habet radicem.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Radix uino & melle decocta ac pota, aluum soluit, bilem extrahit. Porro si in uino rubro & quasi nigro decoquatur & bibatur dysenteriæ utilis est.

Mulierculæ verno tempore tenera huius stirpis folia legunt, oleribusq; suis adiungunt.

Semen in cibo commanducatum capiti noxiam adfert.

EXTRINSECVS.

Herba cum farina tusa & imposita, tumores discutit, surculos præterea extrahit, cuspides & tela, tusa & imposita.

καυγινὴν. Folia uulgaris Pycnocomi, adultiora, pustulas imposita excitant, quemadmodum Ranunculus.

De Senecione. Cap. XCVI.

SENECIO TAMETSI NON FVNDAT LACTEVM succum, tamen inter Lactarias stirpes eum recensere placuit, propterea quod semen illius ut earundē in auras euanescat. Cumq; sit uulgatissima herba, nihilominus diligentius eius historiam prosecutus est Dioscorides, quam uel Balsami, Cinnamomi, uel Garyophyllorum. Descriptio igitur Senecionis sic se habet. Senecio planta est cauliculo dodrantali, passim obuia in hortis olerum & cæparum, quibus in locis per totum fere annum uiret, quod & ueteres testati sunt. Folijs uestitur rugosis, in modum crucis dissectis, ueluti Erucæ aut Verbenæ, at angustioribus & breuioribus. Coliculus illi rotundus, concauus & succulentus, subruber, in summitate surculosus ac minutissimis & incisis foliolis ornatus. In cacumine surculorum, nodosi ac lutei flosculi exiliunt, Tineariç flosculis haud multum absimiles, qui quamprimum in semen lanuginosum, ac pappos in auras euanescentes abeunt, è quo quotannis repullulascit, ineunte vere. Tota æstate apparent lutei flores, & usq; in duram hyemen perdurant, quod idem de Scolymo Plinius lib. xxi. cap. xvi. prodidit, his quæ subijciemus uerbis.

1. Senecio uulgaris

Mirum (inquit) quod sine interuallo tota æstate aliud floret in eo genere, aliud concipit, aliud parturit. Hæc ille.

2. Senecio maior. Aliud deinde Senecionis genus non quidem ubique, sed in antiquis muris, & sabulosis semitis tempore messis floret. Illud fibrata ac breui radice, incisis folijs, molli coliculo, luteis capitulis, necnon lanuginoso semine, uulgari per omnia respondet, nisi quod illo tota sua substantia longius,

maius

Senecio.
Creützwurtz.



maius & procerius est, foliisque latioribus & cineraceis uestitur.

NOMENCLATVRAE.

Germanis hæc herba Creützwurtz/Latinis Senecio, & Herbulum, Græcis (teste Dioscoride) ἠριγέρων, (quod initio veris defloreat perinde atque in media messe, nam & partus & conceptus, iuuentus & senium in ea sese mutuo contingunt) et ἐρεχθίτης dicitur. Dioscorides ut diximus eleganter eam describit lib. iiij. ca. xcij. Theophrastus illius meminit lib. vij. cap. viij. & xi. cumque de Intybis scribit, inter alia dicit, Aphacam non posse commode gustari, propter amaritudinem quæ illi insit, deflorere quamprimum, canescere etiam ilico flores illius, ac in aëra auolare, ex semine cõtinuo renasci, rursusque perire &c. quæ omnia de Senecione ego intelligo, nã Erigeron Dioscoridis, & Aphaca Theophrasti ad unum mihi genus refertur. Manardus Ferrariensis ait Senecionem Petrellam uocari, quæ appellatio secundo generi Senecionis, quod cineraceis foliis uestitur, & amarius est, unde proculdubio erit Theophrasti Aphaca, tribuenda mihi uidetur. Quod uero Simon Ianuensis Carduum benedictum Erigeron appellat, error est manife-

Manardus lib. 3. epist. medic. 2.

manifestus, sicut & illorum qui Nasturtium hoc nomine uocant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Senecio frigidam & humidam naturam obtinet, quare raro intra corpus sumitur.

INTRINSECVS.

Totus caulis, si coctus in passo potui detur, stomachi dolores calidos à bili contractos persanat, autor est Dioscorides.

EXTRINSECVS.

Herba Senecionis recens cataplasmatis instar illita, inflammationes sanat, tumoresque mammillarum, articulorum, genitalium, & sedis discutit.

Vulneribus neruorum cum manna thuris medetur.

Nec desunt qui hanc herbam cum aceto tundant, ad eas quas diximus inflammationes. Pares uires aqua Senecionis distillata habet.

De flore S. Iacobi. Cap. XCVII.

HAEC PLANTA FOLIIS VESTITVR NIGRICANTIbus, dissectis & incisis, maioribus Senecionis. Ea primo anno humi procumbunt, ueluti Plantaginis, nam secundo demum anno longi & fusci exiliunt caules, similes Artemisiæ, surculosi, multisque ramis brachiati, copioso emicantes luteo, radiato flore, Chamomillæ non dissimili, qui et ipse non aliter atque Senecionis à maturitate in lanuginosum semen desinit, & in aëra auolat. Floret circa festum Ioannis. Radicem habet breuem & fibratam, quemadmodum Plantaginis. Gaudet inculta & arenosa terra, muris & aridis collibus.

NOMEN.

Flos S. Iacobi.

S. Jacobs blům.



NOMENCLATVRAE.

Germani hunc florem S. Jacobs blůmen/& S. Johans blůmen / quod eo tempore floreat ut diximus, uocant. Latinis Flos S. Iacobi dicitur.

VIRES AC TEMperamentum.

Flos. S. Iacobi non solum eandem formam, sed & easdem cum Senecione uires & facultates obtinet, quo nomine Senecio maior iure appellari, & pro illo usurpari tuto potest. Inprimis autem uulneribus, inflammationibus & fistulis medetur.

Reliqua si qua desiderantur iuuamenta quotidiano usu addisci possunt.

De

De Ricino. Cap. XCVIII.

Wunderbaum.



Plinius lib. 29. cap. 1.

QVAECVNQVE apud ueteres olim magni fiebant, ea cum tempore uariantur, usuq; repudiãtur, quod cum in omnibus fere rebus, tum uero in medicina præcipue contingere uidemus. Tametsi autem unaquæque terra ex liberalissima omnipotentis Dei, manu sua medicamenta accipiat, tamen raro illis doctissimi quique utuntur in curandis morbis mortalium, quin potius peregrinis ac longe petitis delectantur remedijs, qui fit ut quisquis inter istos loquendo polleat, meliusq; nouas ac mirandas medicamentorum compositiones moliri & asserere possit, ilico apud omnes doctissimus & excellẽtissimus habeatur Medicus. Proinde postquam disertis esse lubet, sapiam & ego nunc aliquantulum, percõtaborq; hos, ad quid Ricinus faciat. Nec dubito quin aliqui sint, licet non ore, animo tamen responsuri, quod res est, nempe neque uires Ricini, neque ubi is in scriptis ueterum sit descriptus, sibi constare. Audiant itaque illi, si placet, obiter iuuamenta eius recensentem (nam historiam

ſtoriam ſtatim ſubijciemus) ut uel hinc diſcant uſitatis & cõſuetis remedijs contenti eſſe. Itaque Ricini oleum non ſolum lucernis utile exiſtit, qua ratione apud Ægyptios olim, cum omni alio carerent oleo uſurpatum legimus, uerum etiam herba ipſa ſacris ignibus, tumoribus & inflammationibus mammarum, oculorumq́ apprime conducit. Atqui hodie in hortis noſtris ſpectaculum tantum exhibet Ricinus, uſusq́ eius uel nullus, uel exiguus eſt, quo nomine ſatis apparet ab exteris nationibus ad nos haud ita dudum allatum. Sed ut relictis his finitionem eius inſtituamus, notandum eſt Ricinum hyemis omnisq́ frigoris impatientiſſimum eſſe, ideoque quotannis è ſemine ſubincano, ricinisq́ qui canibus adhærent ſimili, repullulaſcere neceſſe habere. Cæterum ſemen ubi è ſolo emergere cœperit, bina rubra & rotunda foliola, aſſem quem Batzionem uulgo dicimus lata primum oſtendere. Poſt quæ alia & latiora ſubinde exeunt, inter quæ teres, concauus, arundinoſus, procerus idemq́ tenerrimus caulis aſſurgit, quem in ſummitate omnium maxima & latiſſima circumdant folia, quod mirũ uideri iure debet.

Cum etenim inter omnes fere ſtirpes maxima folia, radici propinqua fundant, ſolus hic noſter Ricinus contra facit, quare a qud Germanos recte Wunderbaum/ id eſt, mirabilis arbor dicitur. Porro folia ſingula diſſecta in ſeptem, & aliquando nouem diuiſuras uenis ſuis diſtinctas, ut & pedis anſerini, & ſolis effigiem repræſentent, ſunt & illa per ambitum ſerrata, & pluuia imminente in altum cõplicata ſeſe tollunt, imbrisq́ aquas recipiunt, perq́ triduum nonnunquam retinent. Caulis Ricino fuſcus ac ſubalbidus, & farinæ aliquid aſperſum habere uidetur, altitudinem ſæpenumero duuum uirorum ſuperat, multisq́ in ſummitate ramis è geniculis prodeuntibus brachiatur. Atq́ hi ſurculi in uertice aſperos racemos ex ſe procreant, qui duplici flore emicẽt. Inferior idemq́ prior flos luteus eſt, quemadmodum & Fagi, is antequam emergat, in nodis, ſeu torulis rotundis continetur, poſtquam uero defloruit, decidit ilico ſine fructu. Alter & ſuperior ruber eſt, croci floribus ſimilis deſinitq́ tandem in aſpera uaſcula, eaq́ omnia triangularia, qualia ſunt Cataputiæ ſeminum receptacula, quæ cum maturuerint, dehiſcunt, tumq́ ſemina excidunt ricino animali ſimilia, quod quamprimum fit, tota ſua ſubſtantia quantumuis ingens Ricini moles protinus perit.

Dioſco. lib. 4. cap. 158.

Dioſcorides Seſamoides paruũ, necnon & Solarem herbam maiorem σήσαμον ἄγριον uocat, uide lib. 4. cap. 148. & 185.

NOMENCLATVRAE.

Germani hanc ſtirpem Wunderbaum/ Wundelbaum / Creützbaum/ & Zeckenkörner uocant. Dioſcoridi, κίκι, κρότων, σήσαμον ἄγριον, σέσελι κύπριον, Sanguis febris, Syſtamma, Trixis appellatur. Vulgo Palma Chriſti propter foliorum formam dicitur, & nonnullis Cataputia maior, quod ſemen Ca-

caputię (de qua sequenti capite) simile habeat. M. Vergilius Ricinum in Hetruria & Thuscia Phaselum Romanum uocari tradit. Serapioni Kerua et Cherua et Pendactylus dicitur, nimirum a` folijs, necnon Cataputia maior, ex qua oleum de Cherua conficiatur:

Serap. cap. 312.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Ricinus calidum temperamentum obtinet, magisq́ externis quam internis corporis partibus accommodatus est.

INTRINSECVS.

Grana triginta numero purgata, trita potu, pituitas, bilem, aquam q́ per aluum extrahunt, uomitiones mouent, sed iniucunda admodum est & molesta purgatio: siquidem stomachum uehementer subuertit. Ego sane eiusmodi purgatione non delector.

EXTRINSECVS.

Oleum quod ex semine Ricini conficitur teste Serapione, tum calidius, tum tenuiorum partium est oleo oliuæ, quare uitijs cutis, papulis, & serpigini illitu subuenit, quod idem semina tusa, ac emplastri instar imposita præstant.

Folia recentia tusa, tumoribus, ac inflammationibus mammarum & oculorum imposita, dolorem sedant, inflam̃ationes tollunt, tumores q́ detumescere faciunt, maxime uero si ex aceto & hordeo imponantur.

Reliqua supra in descriptione annotauimus. Nunc ad Cataputiam (ut uulgo uocant) minorem transeamus.

De Cataputia minore. Cap. XCIX.

LATHYRIN IN DVO FASTIGIA PARTIVNTVR, ITA tamen, ut binæ eæ plantæ magnam inter se, quod ad totam substantiam, formamq́ attinet affinitatem habeant. Verumenimuero altera ex his caulem emittit maiorem, & semine etiam prægnat grandiori, eruis proximo. Istuc seminis genus non frequenter reperitur. Solent tamen circumforanei radicum & herbarum uenditores inter cętera medicamenta illud circumferre.

1. Lathyris.

2. Lathyris uulgaris.

Alterum uulgare Cataputiæ minoris genus, semen gignit Cannabino simile, quo in purgationibus uti consueuere aniculæ, nam nouem aut un-

decim,

Lathyris, seu Cataputia minor.
Springkraut.



decim exhibere solent grana, his quos purgare instituunt. Radicem hæc planta habet rectã & lignosam, unicumq; subpurpureũ caulem, ab imo usq; ad summum oblongis & pinguibus folijs uestitum, Amygdali aut Salicis

folia forma sua repræsentantibus, ijsq; altera parte albicantibus. In cacumine altero anno coles multis surculis ac ramis brachiantur, qui & ipsi folijs at breuioribus & rotundis, undiq; circumdantur, inter quæ pilulæ uirides triplici cellula conceptaculoue distinctæ, Ricini seminum uasculis consimiles enascuntur. Eæ arefactæ nimio solis æstu rumpuntur, magnumq; sonitum ædunt; quod & in alijs plantis contingit, atq; ita ex semine deciduo tandem reuiuiscit Lathyris. Nam non ultra biennium durat hæc planta. Proinde totus lacteo liquore plenus est frutex. Semen gustu primo dulce habet, atqui deinceps calidius Pipere uel Aro.

NOMENCLATVRAE.

De herbis Lactarijs uide Theophrast. lib. 9. ca. 11. Dioſco. lib. 4. cap. 159 & 160. & 161. Nicand. in Theriacis.

Germani Lathyrin / Springkorn / uel Springsamen, quod semen impetu quodam è folliculis suis exiliat, & Treybkörner à ui sua qua aluum turbare solet, Latini Cataputiam minorem, Herbam Lactariam, Tithymalum quod nomen multis plantis commune est, uocant.

Tametsi autem de Tithymalis statim sequenti capite tractaturi simus, tamen quantum ad hanc nostram Cataputiam cognoscendam satis fuerit, paucis attingemus Tithymalorum, ad quos Lathyrin nostram quidam referunt differentiam.

1. Prima itaque Tithymalorum species, Characias dicitur Vallaris, Cometes, & foliorum nimirum forma, Amygdaloides, Gobios, quæ omnia ad nucem uomicam nonnulli referunt.

2. Altera in Dioscoride Fœmella et θῆλυς est, quam ille Myrsiniten, Myrtiten, & Caryiten nominat. Verumenimuero uidetur mihi uera Thilys peregrina & incognita esse Germanis, nullam enim Lactariam herbam noui, quæ nucibus similem fructum ferat, quod de fœmella sua annotauit Dioscorides. Quamobrem Cataputiam nostram ad caput clxi. lib. iiij. Dioscoridis pertinere, & sequentibus nominibus appellari arbitror, λαθυρὶς, Tithymalus, & herba lactaria. Quod si quis Lathyrin & Thilyn sub uno genere comprehendere uoluerit, cum eo non multum digladiabor, cum Theophrastus de tribus duntaxat Lactariæ generibus scribat.

C. Celsus lib. 5. ca. 7. Lac caprifici esse Lactucam marinam dicit, quod Græci Tithymalũ dicũt, atq; hæc ipsissima est Cataputia minor, cuius historiam iam persecuti sumus.

Cataputiæ minoris semen, Granum solis dicitur. Pandectarum autor Cataputiam illam Latiuam & Leturam uocat; fuit enim is linguæ Græcæ imperitus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnes Cataputiæ humidæ & calidæ sunt temperaturæ, ac internis corporis partibus non conueniunt, quanquam ubi necessitas id postulauerit, semina & folia eligi poterunt.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Cataputiæ uulgaris xij aut xiiij grana tusa uinoq; pota, totum corpus commouent, aluum purgant, uomitiones potenter prouocant, phlegmata, choleram & melancholicam educunt.

Succus lacteus intro sumptus, maiorem noxam quam grana adfert, quamobrem caueat sibi quisq; ab illo.

Folia iure carninum decoqui possunt, & in potu usurpari, ad purgandam aluum, & uomitiones mouendas.

EXTRINSECVS.

Lacteus Lathyris, & omnium Lactariarum herbarum liquor, calidior, & acrior est herba & semine, quo ab Empericis, seu ut rectius dicam uagatoribus & circumforaneis nequissimis, multi crudeliter necati sunt, caueant ergo sibi, qui decipi & perire nolint.

Verum si quis pilos superciliorum & frontis deijcere cupiat, is oleo lac Cataputiæ misceat, frontiq; uel superciliјs illinat sub sole, ita tamen ne oculos aut faciem contingat lacteus ille succus, nam eæ partes ubi hoc lacte infectæ fuerint, continuo inflantur, ac rubescunt ita quidem, ut lepræ speciem præ se ferant.

Idem succus concauis dentibus inditus, dolorem illorum tollit, sed danda est opera, ut gingiua cera rubea muniatur, ne illo lædatur.

Nam omnium Cataputiarum & Tithymalorum succus adurit, erodit, exest, quare in superfluis carnibus, uerrucis & serpigine exterendis maximus illius usus esse debet.

Qui succum hunc colligunt, ij Pisorum & fabarum farinam illi adiungunt, & ex his pastillos exiguos conficiunt, deinde soli exiccandos exponunt, exiccatosq; usui reponunt.

De Tithymalis. Cap. C.


QVANQVAM DVO TITHYMALI APVD DIOSCOridem, priora genera, necnon tertium & septimum apud nos Germanos non proueniant, ut multi arbitrantur, tamen quamplurimæ ex Tithymali speciebus in nostris regionibus reperiuntur, quas omnes ex ordine suis descriptionibus percensebimus.

Primum illius genus esto Cataputia minor, quam Lathyrin & Myrsiniten appellari superiori capite docuimus. 1. *Lathyris.*

Esula uulgaris.


Gemein Wolffsmilch.

Esula maior.



Alterum deinde sequitur Germanis Groß Teüfels milch dictum, cuius folia Cataputiæ foliis similia sunt. Semen non maius Sinapi albo. Caulis illi rotundus, subruber, unicus, in uertice ramosus, multisq́ue luteis capitibus, seu umbellis emicans, Porro ex alis surculorum appetente Augusto mense seminũ inuolucra ternis loculamẽtis distincta prorepunt.

3. Esula uulgaris.




Tertio loco ponatur Esula uulgaris, quæ passim in hortis & uinetis luxuriat, ea unico & concauo caule contenta est, qui non minus atq; superioris in fastigio umbellis, sæpe ternis, nonnunquam quaternis coniunctis emicat. Folia, quæ terna singulos geniculos circumdant, Portulacæ herbam representant. Flos eius cum florere incipit diluti uiroris est, qui in nuces quasdam, in quibus semen tribus intercursantibus discriminibus diuisas desinit. Semen subfuscum procreat, Rapitio non absimile. Quotannis radice, caule, & floribus flaccescit, & prorsus interit hæc planta.

4. Esula multicaulis. Aliud deinceps Tithymali genus, in quibusdam agris, & nonnullis collibus nascitur, proximo plane consimile, nisi quod quatuor aut quinq; interdum una è radice caules fundit. Flos illius luteus, admixta purpura.

Iam

Esula syluestris, non quæ hoc capite descri-bitur, sed ea cuius supra cap. lxij. postre-mo loco mentio facta est.

Wolffsmilch in wälden.



Iam & in syluis Esula quædam gignitur, sub qua & uulgare illius genus cõprehenditur, quod sabulosis collibus, & uliginosis pratis inuenitur. Bina hæc Esulæ genera quatuor aut quinq; caules ex se mittunt ab imis partibus usq; ad summas angustis simul'q; oblongis foliolis uestitos, ueluti uulgatissima Linaria. Quod in his maius est sabulosis syluis prouenit, luteis & purpureis floribus. Radix utriusque per hyemem salua & incolumis manet, è qua quotannis noui coliculi exurgunt. Estq; hæc inter omnes plantas prima, quæ postquam flos & semen maturuerint, nouos aduentante autumno asparagos ex se gignũt. Proinde qui Esulæ liquorẽ legere utiliter cupiet, is, (meo quidem iudicio) sub Aprilem mensem, quæ diximus germina una cum radicibus colliget, & postquam illas rectificauerit, ad usum postea reponet. Duæ itaque hæ Esulæ magnam inter se obtinent affinitatem, nisi quod syluestris procero caule (qui cu

5. *Esula syluestris.*

Esula exigua.
Die kleinst Wolffsmilch.

6.
Esula exigua.

7.
Esula dulcis.



biti altitudinem fere attingit) exilit, et elegantioribus ac magis rubeis umbellis conspicitur, quam uulgaris quæ passim incultis agris & collibus nascitur.

Præter iam commemoratas Esulę species, in agris quibusdam à messe Autumnali tempore reperitur frutex dodrantalis surculosus, minutissimis folijs Thymo simillimis uestitus. Semen in tripartitis loculamentis continetur. Nec puto multos esse quibus notata fuerit hæc herbula.

Postrema quæ dulcis est Esula, in umbrosis ac uliginosis mõtibus & uallibus alpium Helueticarum prouenit, caule, flore, folijs, radice, & lacteo succo, Tithymalis & Lathyri adeo propinqua, ut ab illis uix discerni possit. At gustus ipsius lactei succi & radicis dulcis est. Semen illius luteum, rotundum, & ad Milium accedens, è uasculis suis ubi maturuerit, exilire cõsueuit.

NOMENCLATVRAE.

Dioscor. lib. 4. cap. 159. Omnium Lactariarum herbarum uulgaria & communia nomina hæc sunt apud Dioscoridem, τιθύμαλος, seu τιθύμαλον, Lactaria herba, Lactuca marina, Lactuca caprina, uel Asinina. Tithymalus deinde apud eundem in uarias secatur species, ita qui-

dem

τιθύμαλος κυπαρισσίας:
Cypressene Wolffsmilch.



dem ut primus ἄῤῥην, mas, χαρακίας, Cometes, ἀμυγδαλοειδὴς, κωβιὸς: secundus, θῆλυς, Myrsinites, Μυρσίτης, & Caryites: tertius παράλιος, Maritimus, Tithymalis, Lactariola herba, seu Papauer, (Theophrasto Coccos:) quartus, ἡλιοσκόπιος, id

Esula dulcis.
Süß Wolffsmilch.



est, Solisequus, Germanice Sonnen milchkraut / aut Sonnenwendende wolffs milch: quintus, κυπαρισσίας: sextus, δενδρώδης, seu arborescens Esula: septimus, πλατύφυλλος, Latifolius, Germanis Breit milchkraut / Leptophyllos, Tenuifolium, Germanice Dünnblatt / dicatur. Et hæc quidem capite clix. lib. iiij. Diosco. quæ sequenti statim aliam post describit Lactariam, eamq́ genus Cyparissiæ esse asseuerat, cui hæc ascribit nomina, πιτύουσα, κλῆμα, id est, Sarmentum, uel Viticula, Crambios, παράλιον, Conopicon, Turpet. Dein de duobus sequentibus statim capitibus binas alias describit Tithymalides, quarum altera est Lathyris, de qua supra diximus, altera quæ dicitur πέπλος, quam aliqui συκῆν, & μήκωνα ἀφρώδη, hoc est, Sycen, & Spumeum papauer uocant. Ex his quæ nūc attulimus in medium satis liquere arbitramur, plures esse Tithymalides, quę omnes à lacteo & acri succo apud Germanos Wolffs milch / Teüffels milch, à semine uero, quod fragore quodam è folliculis exilire, & grauiter, ac non sine noxa purgare aluum cōsueuit, Springkörner / Treybkörner / & Scheißkörner appellari possent.

Iam si Dioscoridis sententiam cum scriptis Plinij, Galeni, & Æginetæ confe-

conferamus diligentius, possumus ex his omnibus tria quæ apud nos Germanos extant Lactariæ summa genera elicere. Primum quidem esto Cataputia minor à nobis ante explicata. Alterum Esula magna, folijs Portulacæ uestita. Postremum uero uulgaris Esula, Linariæ folijs. Sin uero hæc prima & summa Lactariæ genera in species suas dirimere uelimus, quemadmodum Lactucam Plinius partitus est, lib. xix. cap. viij. non pauciores quam octo deprehendemus.

1. 2. 3.

Et primum quidem locum occupabit, iam sæpe repetita Lathyris, quam & Myrsiniten nos appellauimus. 1. *Lathyris.*

Secundum obtinebit magna Esula, Amygdalina gerens folia, at uiridiora & magis tenera, semine itêm prægnans minutissimo, eaq; Dendrodes, seu arborescens nobis uidetur esse Esula. 2. *Dendrodes.*

Tertio & quarto loco numerentur Esulæ binæ Portulaceis folijs comantes, quarum uulgatissima, unici caulis & rotundi, radicisq; breuiusculæ est, altera caules plures profert, & incultis agris prouenit, hyemisq; contemptrix existit. Hæc inquam bina genera ad eum Tithymalum referimus, qui ἡλιοσκόπιος appellatur, nobis Helioscopios & Solisequa dicitur. 3. 4. *ἡλιοσκόπιος.*

Vulgarem porro Esulam sub qua duæ comprehenduntur plantæ, exigua scilicet quæ secus itinera in collibus nascitur, & maior quæ alto exilit caule, & purpurascentibus flosculis, Cyparissiam nos uocamus, uulgus medicorum Esulam minorem Arabes, Scebram, & Alscebram appellant, neque hic recipimus, quod Simon Ianuensis asseruit, Esulam non esse Tithymalum. 5. *Cyparyssias.*

Minutissimum autem fruticē, qui folijs uestitur Thymi, Peplum Dioscoridis esse iudicamus. 6. *πέπλος.*

Postremo eam plantam quam supra cap. lxij. latis folijs descripsimus, Leptophyllum nos appellamus, quod Apuleius Persiten Asclepiu, Diadema, & Tritum cognominauit. 7. *Leptophyllos.* *Apul. cap. 109.*

Reliqua genera Lactariæ mihi nunquam uisa sunt, maxime quod Dioscorides Paralium & Maritimum dicit, quod ad mare proueniat. Neq; Pityusam uiridem sed siccatam uidi, nam illam & Turbit quo hodie utimur unam & eandem esse plantam existimo, qua in re Actuarius Græcus mihi suffragatur. Illud Auicenna lib. ij. cap. ccccxci. Mezeheregi uocauit, tametsi alio in loco nimirum cap. 711. sub Turbit eandem rursus describat plantam. Proinde hoc ipsum est Turbit, cuius alij quoque Arabes, Mesue & reliqui meminere. Solus Serapio peculiare sibi fingit Turbit, quod nihil aliud est quam Tripolium Dioscoridis, quod ille Psychen, Merida, Potamogetona, Stachiten, & Caliumarem appellat. Hinc multi astruere conantur, Tripolium esse Turbit Arabum, quod quam ueritati aduersetur, inde satis liquet, q̃d radix Tripolij odorata est, Turbit uero minime. *Serapio ca. 320.* *Diosco. lib. 4. cap. 130.*

Quare

Quare cum duę apud Arabes extēt plantæ, nomine Turbit insignitę, aduertendum est diligenter quis sit autor, ubicunq; illius mentionem factam legimus. Apud Serapionem namque sub appellatione Turbit Tripolium Dioscoridis, apud Mesuen uero, Rasen & Auicennam, uulgare Turbit, quod nos Pityusam cum Actuario nominamus, intelligi debet.

Quod ad dulcem Esulam attinet, multi sunt qui illam ad Miliariam Plinij referant. Verumenimero si quis effigiem plantæ cum descriptione diligenter contulerit, is facile uidebit speciem eam esse Tithymali.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Tithymalorum genera, adurendi uim obtinent, inprimis uero lacteus eorum succus, quare raro citra noxam intro sumi possunt. Vtilissima inter omnes Esulas ea est, quæ longis & astrictis ueluti Linaria folijs uestitur, ita tamen ut radix solummodo intra corpus usurpetur, repudiato lacteo liquore.

Esulæ dulcis radix uulnera mirifice glutinat, sed intra assumpta uehemēter uomitiones mouet.

INTRINSECVS.

Esulæ dulcis radicis exterior cortex lacte uel aceto per diem & noctem macerata, deinceps autem resiccatus, tusus & in puluerem redactus, postea dimidiæ drachmæ pondere, in uino uel Melicrato potus, quosuis aquosos humores, & choleram expellit, & hydropicis apprime conducit.

Semina omnium Tithymalorum pares habent facultates, at calidiora, & acriora sunt, aluumq; turbant, & uomitiones potenter excitant.

Pro hydropicis sequentes conficiantur pilulæ, quarum dimidiam drachmam infirmioribus citra damnum, fortioribus uero drachmam integram exhibere poteris. Confectio ita se habet.

Accipiatur radicis de Esula, quæ Linarię habet folia præparatæ dimidia uncia, Aloes uncia, Masticþes drachma, & singulæ species in puluerem cōminuantur, et aqua Fœniculi, uel Balsaminę in massam subigantur, posteaq; probe inter se commixta rursus tundatur, ex qua post noctis unius spacium paruæ uel magnæ confici poterunt pilulæ, & sine dolore ac noxa assumi. Prosunt uero hydropicis, & suspiriosis.

EXTRINSECVS.

Vsum & utilitatem Tithymalorum superiori fere capite exposuimus, possunt enim illitu crines euellere, scabiem & uerrucas exterere.

E radicibus, herbis, & lacteo Esularum succo unguentum efficacissimum aduer-

aduersus scabiem capitis contagiosam, quam uocant Germani den Erdgrindt confici potest, estque hoc singulare quoddam experimentum.

De Solani uarijs generibus. Cap. CI.

Solanum hortense.
Sew kraut.



THEOPHRASTVS duo duntaxat Solani genera describit, unum quidem somnificum, alterum uero furiosum. Dioscorides uero quatuor Solani species recenset, hortense scilicet & id quod in folliculis uesicæ similibus rubros acinos habet, quæ ambo citra periculum deuorari possunt, nam reliqua duo somnificum nempe et Manicũ, cibis nõ sunt idonea, propterea q̃d commesta insaniam pariant & immodicum somnum, & suibus quoque in cibo præsentem afferant mortem: & in his quidem cum Dioscoride consentit Theophrastus. Nos uero ex ordine antedicta genera explicabimus, suisque descriptionibus notabimus. *Theophr. lib. 9. cap. 2. & lib. 7. cap. 14.*

Primum itaque et domesticum Solanum in hortis nequaquam prouenit, nisi plantetur, quin potius in altissimis syluis inuenitur, qualis est ea quæ in comitatu Veldentz ad flumen Nahe appellatum, uisitur, & ea quæ der Scheid dicitur pro- *1. Solanum hortense.*

pe

Halicacabon.

Schlutten.



pe Hornbachium, In his namque locis id Solani genus inueni. Frutex uerius est quam herba, nam trium cubitorum altitudinem attingit, multis ramis & surculis instar arbusculæ brachiatus, caule partim spadiceo, folijs Solatri uulgaris, at latioribus, & nigrioribus. Maio & Iunio mensibus flore emicat instar Cãpanulæ oblongo & concauo, ex pallido purpurante ueluti immatura ficus. Eo decidente rotũdi & uirides subsequuntur acini, qui singuli singulis dependent pediculis, atque ĳ appetente Augusto mense maturescunt, & nigri prorsus euadunt, quo nomine ad Myrtyllos fere accedunt, intus uero plane purpurei, multisq; minutissimis granulis referti apparẽt, sapore subdulces aut fere insipidi. Radix huius candida, digitũ crassa, torosa, longa, & quę serpẽdo hinc inde intra terram radicatur. Per totam hyemem illæsa manet, & quotannis Aprili mense nouos ex se procreat asparagos.

2. Halicacabon. Alterum Solanum similiter domesticum est, ubi primum enim in uineis radices egerit hinc inde quoq; serpens, non facile expelli se patitur. Aprili mense noua germina e terra prorũpunt, quę in caules cubitales abeunt, folia primo generi fere simi

lia

Solatrum uulgare.
Nachtschadt.



lia obtinet, at paulo minora & lanuginosiora. Florem profert candidum instar campanulę formatum, sed minorem primi generis flore, ex illo sacculi undique conclusi, ad uesicas animalium quamproxime accedentes nascuntur, qui appetente Autumno rubri fiunt. Porro his uesicis acini quidam rubei continentur, Cerasis similes, gustu amari, calculosis familiares, solēt enim hoc morbo, affecti illos deuorare, uel ex ipsis aquā distillare. &c.

Tertium & uulgare Solatrum, herba est alsiola, nam quotannis ex humo sponte repullulascit, & id quidem non è radice uti reliqua duo genera. In sterquilinijs secus macerias & muros, & locis umbrosis prouenit, sub initia Iunij mensis surculosus exilit frutex, cubitum sæpe altus, folijs nigricātibus, mollibus & succulentis, Atriplicis similibus, flore copioso, candido & pallente, forma flores Dulcis amaræ repręsentante, nam singuli flosculi luteum intra se habent paxillulum, non aliter quam iam dictæ herbæ flores. Ii ubi decussi fuerint, acini uirides subnascuntur, qui cum maturuerint, nigro tinguntur colore, ac per omnia Hederarum corymbis similes euadunt, Radix illi candida, recta, & breuiuscula, sicuti Solatrum uulgare.

Anetho.

Anetho. Proinde frigore ita læditur, ut ilico tota sua substantia perire necesse habeat.

4. Quartum Solanum tertio loco à Dioscoride descriptum in Germania nostra hauddum uidi. Verum nascitur in hortis & uinetis nocētissima quędam herba, caule cubitali, folijs fere Solatri uulgaris, aut quod magis arridet Atriplicis, per ambitum acutis incisuris serratis, ita ut singula folia pedem anserinum satis commode referant. Semen copiosum producit, coniunctim stipatum, ueluti in Atriplice minore uidere est. Pestifera & nocentissima ut diximus est herba, nam præsentanea morte sues interficit, quotquot illam in cibo deuorauerint.

NOMENCLATVRAE.

1. *Solanum nigrū, seu hortense.*

Primum domesticum seu syluestre Solanum, in montanis syluæ Ydar/ prope Nohefelden/ & Birckenfeld/ Germanica uoce Sewkraut/ quasi Porcina herba dicitur, nam in cibo illud tanquam præseruatiuum aduersus uenenosos & subitaneos morbos, suibus exhibere solent incolæ illorum locorum. Nec desunt qui eiusmodi plantam in hortis suis, ad usus illos plantare solent, experientia enim compertum est, nihil illa efficacius suibus dari posse aduersus morbos à calore et ęstu profectos, quod malum Iunio mense plerunq; illis accidere assueuit. Hoc uero Solanum apud Dioscoridem στρύχνος κηπαῖος, id est Solanum hortense, Solanum satiuum, uel nigrum uocatur, alij Scubulum, alij Allelo, Astrismurum, Cacubalum appellāt. Quod aūt istā plantā Solanum hortense appellatam uolui, ea est ratio, quod illa nō perinde noxia est, atq; uulgare nostrum Solatrum, nam intro sumi quandoque potest, id quod de uulgari nostro minime affirmandum erit. Sunt qui radicem huius Solani pro Mandragora uendant, est enim Narcotica radix.

Diosco. lib. 4. cap. 69.

Hæc nonnullis Mādragora Morion appellatur, forte hac ipsa de causa.

2. *Halicacabum.* *Diosco. lib. 4. cap. 70.* *Pli. lib. 21. ca. 31.*

Alterū Germani uocant Schlutten/ Boborellen/ Judenkirsen/ Teüffelskirsen/ Großsteinbrech. Estq; hoc secundum στρύχνον, Dioscoridis quod ille ἁλικάκαβον quoque nominat. Plinio Vesicaria, seu Vesicula, Trichon, & Callion dicitur.

3. *Solatrum uulgare.*

Tertium idemq; uulgatissimum Solatrum, meo iudicio quartum est Dioscoridis Solanum, quod ille μανικὸν appellat, id est, furiosum, Germanis Dollwurtz. Alij Persion, alij Thryon, alij Amydron, alij Pentadryon, alij Enoron, alij Orthogyion dicunt. Cæterum uidetur mihi hoc ipsum Solani genus alteram esse Apuleij Apollinarem, quam Dercean, Strychnon, Manicon, Dorcinion, Cacabon, Baccinam, Colida. Apollo hanc herbam fertur inuenisse, & Asclepio dedisse, & Appollinaris nomen imposuisse. Hanc ipsam herbam Celius Aurelius lib. ij. cap. xiij. Vuam lupinam uocat,

Apuleius ca. 22.

quam

quam hodie nostri docti satiuum & hortense Solanum esse contendunt.

Quartum Solanum, uenenosum & furiosum Solanum, per me quidem esto, (nam aniculæ quædam quæ non sine magno damno porcorum, quos hac herba interijsse uiderunt, uires illius expertæ sunt) sequentibus nominibus nuncupant, Schweins todt / Sewplag / Genßfüssel) quoad alterum δορύκνιον Plinij quo cuspides in prælijs tingebantur, exactius cognouero. Quanquam autem multi Dorycnion Dioscoridis ab eo, cuius nunc mentionem fecimus diuersum esse statuant, tamen lib. vi. cap. vi. idem autor, Dorycnion, Solanum furiosum nuncupat. Plinio Naurita, & Manicon Erythron dicitur. Porro tertium Solanum Dioscoridis, quod acinos rubeos in folliculis profert, sequentibus insignitum nominibus, (στρύχνον ὑπνωτικὸν, & μανικὸν, Halicacabon, Dircion, Dorycnion, Callias, Vlticana, Opsago, Apollinaris. Plinio, Morion & Moly) nondum uidere mihi contigit, quare Xenocratem, qui Solana Theophrasti, Dioscoridis & Plinij, discernere me doceret, desidero, nam inter commemoratos autores quisque proprium pro se Solanum habet. Atqui cum de ijs præcipue plantis, in his commentarijs agamus, non quæ in maritimis regionibus proueniunt, sed quas Germania nostra profert, non magnopere in rebus obscuris & perplexis laborandum nobis censemus, quare relictis his, ad uires eorum Solani generum, quæ hoc capite descripsimus, potius conuertamur.

4. *Furiosum Solanum.* στρύχνον μανικόν.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Solanum syluestre (a quibusdam Germanica uoce Sewkraut appellatum) aduersus omnis generis inflammationes, utrinque subortas, tam iumentis quam hominibus utilissimum est, ita tamen ne una uice immodice illo utaris.

INTRINESCVS.

Herba huius Solani una cum flore, & fructu suo maturo, in fine Maij distillata, omnis generis internis ardoribus & inflammationibus præsentissimo est remedio, si singulis uicibus mensura ij. aut iij. coclearium ea aqua bibatur, & foris etiam linteolis lineis excepta imponatur. Ita enim usurpata æstuanti stomacho (quod uicium Cholericis familiare est,) opitulatur, necnon inflammationi epatis: quo nomine aduersus ardentes suum affectiones usurpari, & Sewkraut / hoc est, porcina herba, appellari cœpta est. Verum cauendum, ne immodice, ut diximus, illa herba utaris, quod nisi feceris, idem tibi accidet, quod uiro cuidam ex Erbach / prope Hohenburg / euenit Anno domini 1541. Is cum in sylua forte fortuna plantam hanc &

acinos eius elegantissimos uidisset, decerpsit illos & quamplurimos deuorauit: Altero uero die in tantam insaniam & furorem incidit, ut plerisque, prout fert superstitio sæculi nostri, suadentibus Widerstorffum ut uocant, (ubi insani & qui à Cacodæmone obsessi creduntur, exorcisari quemadmodum superstitionis Ministri loquuntur, consueuere) abducendus iamiam esset. Ego autem ubi rem intellexissem, iussi illi uiro fortissimum uinum propinari, quo facto, consopitus paulo post conualuit, uiuitque adhuc hodie.

EXTRINSECVS.

Folia recentia, capiti imposita, dolores eius ex magno æstu ortos finiunt, & æstum sedant.

Aqua distillata eodem modo usurpata easdem habet uires, nimirum ægylopia & parotidas sanandi.

Folia minutim concisa & imposita idem præstant. Pari ratione usurpata æstuanti stomacho, & inflammatione laboranti epati subueniunt, sacris item ignibus, & omnis generis inflammationibus succurrunt.

Succus in pesso mulieribus subditus, menses cohibet.

Succus albumine oui temperatus, oculisque impositus, inflammationes, & destillationes eorum tollit.

Potest & ex succo illo, admixtis cerussa, & Lithargyrio unguentum nobile confici, ad persananda fluentia & serpentia ulcera.

VIRES AC TEMPERAMENTVM SOLANI alterius, quod Halicacabon uocant.

Secundum Solanum, à quibusdam Judenkirsen appellatum, uim expellendi habet, quare utrisque corporis partibus utile censetur.

INTRINSECVS.

Acini huius Solani commanducati, seu aqua eius distillata, singulis uicibus mensura iij. uel iiij. ligularum pota, urinam & calculum certo expellunt, renesque & uesicam purgant, omniaque interna ulcera mundificant, in die ter, supra dicta ratione sumpta.

EXTRINSECVS.

Herba, succus & aqua foris non aliter adhibentur, quam primum à nobis positum Solanum.

VIRES AC TEMPERAMENTVM uulgaris Solatri.

Vulgare Solatrum, necnon postremum eius genus, quod Genßfüssel

à quibus-

a quibusdam appellari supra docuimus, qualitatis sunt frigidæ, ideoq; raro intra corpus sumenda.

INTRINSECVS.

Solatrum uulgare intro non sumitur, ut diximus, propter immensam quo præditum est frigiditatem, quod quam sit uerum, in suibus facile uidere est, quibus in cibo commanducata hæc herba præsentissimam necem adfert.

At aqua distillata cum biennium aut triennium excesserit, si moderate usurpetur, ardoribus febrium conducit, quod idem de aqua Nymphææ polliceor, quæ huic succedere potest.

EXTRINSECVS.


Inter omnia medicamenta, quæ Repercussiua, hoc est, dolorem & calorē sedantia ac repellentia nuncupant, uix aliud efficacius reperias Solatro uulgari, quare quibuscunque inflammationibus, erysipelis, & æstuationibus, capitis, oculorum, aurium, stomachi, mammarum, epatis, renum, uesicæ, muliebrium locorum & testium, iure adhibetur succus expressus, & aqua distillata imposita. Potest etiam ex hoc Solatro, unguentum quod uulgo uocant Populeon, aut aliud eius generis confici, prout Chirurgo cuique uidebitur.

De Vua lupina, seu Astere. Cap. CII.

QVANDOQVIDEM HAEC PLANTA A' NONNVLLIS Vua lupina, seu Vulpina esse putatur, uolui post Solatrum illius quoque mentionem facere. Ea (ut natales locos principio explicemus) apricis quibusdam locis, montosis, & senticosis prouenire solet, e radice læui & rotunda, prælonga, hinc inde instar uermiculi longi sparsa & extensa, coloris pulli, caule fusco & minime nodoso, ueluti Hieraciorum, dodrantali, qui in cacumine quatuor pulchre uiridibus folijs instar stellæ dispositis, Solani folijs similibus emicat, e quorum medio pulcherrimus stellatus seu radiatus flosculus, triplici colorum discrimine conspicuus enascitur. Primum etenim in illo quaterna folia nigricantis uiriditatis apparēt, deinde uero octo ijdemq; lutei quasi capilli uidētur, demum intra illos purpurascens, & quadrangulus nodus forma ocellum referens apparet, qui in unicum & fuscum acinum desinit, figuram Myrtilli magni repræsentans, saporis agrestis simulq; dulcis, qualis Solani syluestris acini sunt. Sub

Ἀστὴρ, *sed non Atticus.*

Wolffsbeer/oder Stern kraut.



finem Aprilis mensis floret, ita tamen ut quisque cauliculus unico duntaxat flosculo, & unico acino cõtentus sit.

NOMENCLATVRAE.

Quod si isthæc stirps uera sit Vua uulpina, seu canina, ut quidam existimant, superuacaneum fuer it nomina illius, quæ in Solanis enumerata sunt, hoc loco repetere. Germanis Wolffsbeer/& Stern kraut appellatur. Nonnullæ mulierculæ à forma Augenkraut & Sternkraut nominant, nec id quidem iniuria, nam meo certe iudicio ἀστὴρ, sed non Atticus (cui sequentia nomina Dioscorides assignat, ἀστηρίσκος, ἀστήριον, βουβώνιον, ὀφθαλμός, hoc est, stellæ oculus, herba inguinalis, Rathibis, & Alibium) appellari posse uidetur. Vt autem hunc nostrum Asterem παρδαλιαγχὲς ἀκόνιτον esse credam adduci nullus possum, propterea quod is refrigeratoriam obtinet uim, quam in Aconito nequaquam reperias.

Dioscor. lib. 4. cap. 115.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vua lupina, seu Aster, una cum unicis suis acinis, earundem est cum Solanis

lanis facultatum, & extrinsecus inflammatis locis imponitur, experientia attestante.

EXTRINSECVS.

Herba ipsa recens tusa, & cataplasmatis instar, tumoribus genitalium imposita, præstantissimum est remedium, nam & inflammationes illorum tollit, & tumores detumescere facit.

Inflammationibus oculorum, folia, seu aqua distillata pari ratione adhiberi commode poterunt.

Eadem medicamenta alijs quoq; calidis affectionibus imponi possunt, Paronychiæ nimirum qui est abscessus circa radices unguium.

Multi in ea sunt opinione, ut credant herbā hanc sinistra manu effossam inguini tumenti impositam, dolorem finiri.

Nec desunt qui asserant, acinos Vuæ lupinæ deuoratos soporem inducere. Ego sane illos nequaquam degustare uolo, ne forte prorsus obdormiam.

De Prunella. Cap. CIIII.

PRVNELLAE SEPTEM GENERA NVMERANTVR, quorum duo coeruleos, duo alia purpureos, tria denique candidos producunt flores, folijs, caulibus, & radicibus prope consimilia. Sed ordine singula perstringamus.

Prima igitur coerulea Prunella, verna est herba, nam in pratis & graminosis hortis, necnon apricis collibus Aprili mense reperitur, folio uestita molli & nigricante, Mentastri folium æmulante. Radix huius multis capillamentis fibrata, ueluti Plantaginum. Mense Aprili caulem emittit quadrangulum & concauum, cumq; dodrantalem, atq; hic illius flos est, nā cauliculum quem diximus undique flores circumdant coerulei, non aliter atq; in Hedera terrestri. Proinde inter flosculos, nonnulla ex purpureo uiridia folia usque ad cacumen coliculi, posita sunt. Flos ipse satis iucundo commendatur odore. Iunio mense & flos & caulis protinus dispereunt, ueluti Hieraciorum, at herba per terram sparsa hinc inde serpit, instar Numulariæ herbæ, multis rotundis & minutioribus foliolis, quam dum floret, prædita, quo nomine Serpentaria dici recte posset. *1. Prunella cærulea prior.*

Huius primi generis interdum in nemoribus quibusdam graminosis alia inuenitur Prunella, supra dictæ per omnia similis, nisi quod flore emicat plane candido. *2. Prunella candida prior.*

Altera porro Prunella coerulea, quæ florem gerit inter foliola illa exigua, & caulem in altissimis locis sitis, collibus & agris, prouenit priori coeruleæ *3. Prunella coerulea altera.*

Prunella uulgaris.

Braunellen.



4. 5. *Prunella purpurea & candida.*


Prunellę per omnia respondens, hoc solo ab eadem discedens, quod non perinde læui et molliusculo folio ut illa, sed potius hirsuto, & cineraceo prorsus (sicut & caulis eius) uestiatur. Flos etiam suauiorem altera spirat odorem.

Aliæ deinde huic congeneres Prunellæ, folijs, radice & odore cum cœruleis quas diximus forma conueniunt, hac solum inuicem ratione distantes, quod altera purpureum, altera candidum profert florem. Porro autem raro binæ hæ stirpes inueniuntur, tametsi ego quidem in syluis illas legerim, ac in hortos meos principio Maij mensis transtulerim.

6. Sexta uero eademq́ue uera Prunella, Iunio & Iulio mensibus, similiter graminosis collibus secus agros, & apud Mediomatrices in montibus Iuniperorum, pulcherrimo, magno & purpureo flore ornata conspicitur, qualem Stœchas profert. Folia forma Mentastrum fere imitantur, sed magis sunt aspera & hirsuta. Caulem habet quadratum, dodrantalem, radicem fibratam ut et prima. Reperitur hæc Prunella & in pratis, at herba, flore & caule magis exigua, quam ea quæ in montibus nascitur.

Postre

Prunella, Germanis
Gulden gunsel.



Postremo in sylua Brocomagi inueni ego prorsus candidam hanc Prunellã, circa festum diui Ioannis, tota sua substantia sextæ Prunellæ similem. Eam sane Prunellam fœminam esse existimo. 7 *Prunella candida altera.*

NOMENCLATVRAE.

Priores quinque Prunellæ, ex ipsæ sunt quæ communi nomine Germanico Gunsel dicuntur, de quibus (maxime uero quod ad cœruleas attinet) apud Hierony. Braunschuueig Herbarium excellentissimum sequentes uersiculi Germanice scripti extant.

Gulden gunsel ist der namen mein/
Mein blům gibt bloen schein.

Hoc est,
Gulden gunsel meum est nomen,
Flos meus cœruleo emicat colore.

Duæ autem posteriores purpureæ Prunellæ apud eundem autorem, & suis uersiculis insignitæ sunt.

Braunell so bin ich genant/
Ein braune blům ist mir bekant. hoc est,
Prunella ego uocata sum,
Purpureo etenim flore sum prædita,

Atque hæc quidem de Prunellis Hieronymus Braunschuueig, uerum si quis diligentius illas discernere uoluerit, is primum omnium cogitabit unamquamque fere regionem suam peculiarem habere Prunellam. Proin quemadmodum Arabes duplex agnoscunt Turbith, ita nos Germani duo quoque Prunellæ genera habemus. Nam apud Mediomatrices eæ quę cœrulei coloris sunt, & ab alijs Gunsel dicuntur, Braunellen nuncupantur, eæ uero quæ circa diui Ioannis festum in pratis & Iuniperorum collibus reperiuntur, apud eosdem Braunwisen blůmen/ hoc est, purpurei pratenses flores nominantur. In Alsatia uero hi ipsi, die rechten Braunellen/ hoc est ueræ Prunellæ appellantur. Sed quæ nostra super his sit sententia declaremus. Videtur ergo nobis primum genus, quod cœruleos, purpureos, & candidos fert flores, ueram esse Prunellam, nec inepte Primulam ueris dici posse, eo quod si res ipsas spectes, uerna omnino sit planta, non minus quam ea quæ uulgo hoc nomine notatur. Quanquam qui omnes Prunellas generalibus uocibus Solidagines, & consolidas appellauerit, cũ eo haud magnopere contenderim, modo meminerit plures esse alias herbas his appellationibus uocatas, Symphiton inquam, Tormentillam, Anagallida, Saniculam, Vaccinium (quo de infra cap. cxcv.) uulgares denique Primulas veris. Quæ omnes plantæ cum commune Solidaginis & Consolidæ nomen obtineant, notis suis distinguendæ erunt, hoc pacto.

Solidagines.

Vt { Symphyton, alias unctuosa. / Sanicula. / Prunella. / Primulæ veris genus unum. / Vaccinium } sit Consolida uel Solidago { maior. / minor. / Media. / Omnium minima. / Regalis. } Sed de his supra quoq; cap. lxxix.

Prunella Argentinensis.

Quod ad Prunellam Argentinensium attinet, sciendum est, illam nequaquam Primulam veris dici posse, cum circa festum diui Ioannis appareat. Dicitur autem Prunella, Germanice Braunell/ quod experientia obseruatum sit, eã Aphtis, et oris exulcerationi, ac gulæ ardori (quæ uitia Germani die Breune appellant) mirifice conferat. Hactenus uulgata Prunellarum nomina recensuimus, quæ uero illarum apud Dioscoridem & Theophrastum sint appellationes ignorare nos ingenue fatemur, cupimusq; aliorum

hac.

hac de re audire sententiam. Quanquam prętereundum non est, priorem ex coeruleis Prunellam à D. Conrado Gesnero, Verbenacæ supinæ accenseri. *Diosco. lib. 4. cap. 39.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Prunellarum genera, uulneribus recentibus accommodatissima sunt, propterea quod leniter illa sanare possint, præcipue uero aqua distillata ex floribus istarum stirpium, tam internis quam externis corporis partibus utilissima est.

INTRINSECVS.

Aqua Prunellæ internis corporis affectionibus & exulcerationibus medetur, interdum pota, concretos sanguinis grumos discutit, doloresq́ ex calida intemperie profectos sedat.

EXTRINSECVS.

Omnia tam inueterata quam recentia uulnera aqua Prunellæ mundari & sanari commode possunt, maxime tum quando ardor siue inflammatio aliqua illis accesserit.

Eadem hodie ardori gulæ & exulcerationi oris, faucium q́ uitijs quam Germani die Breune appellant, duntaxat adhibetur, remedio sane pręstantissimo, si gargarizetur, adiecto pauxillo mellis rosarum.

Flores uel folia uino uel melle decocta (pro ratione ægritudinis,) oris & faucium commemoratis uitijs subueniunt.

De Rhabarbaro Monachorum, Lapatio acuto,
Oxalide, & Bono Henricho, CAP. CIIII.

CVM CONGENERES OMNIVM CONSENSV HAE SINT plantæ, uoluimus & nos coniunctim historiam illarum prosequi, initium facientes à Rhabarbaro (ut uocant) Monachorum, de quo breuiter citra præiudicium aliorum, quæ nostra sit sententia aperiemus. Eam igitur Rhabarbaram, quæ primum quidem in monte S. Symonis in ditione Dominorum de Stauffen reperta, postea uero in hortis Franciscanorum, & Cartusianorum plantata, ac aliquandiu suppressa, unde tandem mihi quoque & multis alijs communicata fuit, Rumicem Hip- *1. Rhabarbarum Monachorum.*

Rhabarbarum Monachorum.

Münch Rhabarbarum.

Diosco. lib. 2. cap. 106.



polapathum Dioscoridis esse existimo, qui primo Rumicum generi, (quod ille acutum, nos uero Germani Menwelwurtz uocamus) radice, herba, caule, flore, semine, colore, forma & sapore adeo consimilis est, ut eodem loco simul nascentes binæ hæ stirpes, in tenera sua ætate discerni uix possint. Proinde in eo summa, ac certissima differentia uersatur, quod Rhabarbarum Monachorum folio & caule magis ruber, ac procerior, & grandior euadit cæteris Rumicis generibus.

2. Hortensis Rumex.

Vera autem hortensis Rumex Lausannæ Sabaudiæ oppido prouenit, iam dicto Rumici quadantenus similis est, at folia teneriora sunt, pinguiora & molliora, ac etiam magis exigua, quare inter olera reliqua ob dulcedinem suam in culinas recepta est.

3. Lapatium acutum.

Iam ut ad Rhabarbarũ nostrum & huic congenerem uulgarem Rumicem (qui Germanis Grindtwurtzel dicitur) reuertamur, habẽt eæ plantæ, cum quadriennium, aut quinquennium superuixerint, radicem amplissimam, ut quæ cubiti altitudine in terram descendat ueluti Gentianæ, intus crocei coloris, tametsi, quæ è monte S. Symonis ad nos peruenit, illam magis rubicundam quam uulgaris obtineat,

Oxalis.
Sawrampffer.



obtineat, utriusque tamen gustu aspera & subamara. Folia utriusque oblonga et lata, Martio mense emergunt, acutaq; apparent, ueluti cuspides lancearum. Maioris inter hos duo Rumicis folia primum subrufa sunt, ubi uero sese explicauerint, pulchre uiridia ac latissima fiunt, quemadmodum & Raphani maioris, Verbasci, aut Elenij. Porro è radice utriusq; teretes, striati, nodosi ac concaui exeunt caules, coloris fusci, altitudine ternorũ quandoq; cubitorum, digitum crassi. Appetente Iunio mense prędicti caules in cacumine flosculos multos luteos, & racematim dependentes ueluti Barbula hirci proferunt, Iis in purpureum colorem mutatis semen succedit elegantissimum, figuræ triangularis, tenuissimo inuolucro inclusum, ex quo plantari illæ stirpes rursus poterunt. Breuiter, binæ hę plantæ consimiles sunt, maior, tenerior &, rubicundior, in hortis conseri necesse habet, hyemis contemptrix.

At uulgaris Menwelwurtz dicta, sponte sua gignitur in humectis hortis, palustribus locis, pratis, & circa fossas;

Oxalis autem optimus est Rumex, illiusq; quartum apud Dioscoridem genus, radice itidem lutea, folijs minoribus, & acutioribus, auritis utrinq; ut hoc 4. Acetosa.

Oxalis minima.

Der kleinst Sawrampffer.



ut hoc nomine cuspides lãcearum paruas referant. Sapor illi subacidus atque gratissimus, nam et pueri tempore famis illam diligenter quærunt, ut uitam suam sustentent. Principio Maij mensis, caulis cubitalis exilit, cui folia acuta, minora Plantaginis folijs. Flores fert in uertice caulium exiguos, partim subrubros, partim uero ex croceo uirides, in quibus hij ipsi iam dicti colores adeo miscentur uarij, ut ex uiridi ruber resplendere & elucere uideatur. Ex his fuscum ac triangulare semen oritur, quale & in superiori stirpe nasci diximus, sed colore elegantius, et forma Adamantem gemmam triangularem repręsentans. Ista Oxalis ferculis accommodatissima est, & merito hortensis Rumex diceretur. Quanquam Theophrastus Rumicem syluestrem in cibo magis usurpari, quam domesticũ testetur, quæ uerba ego de hac nostra Oxalide intelligo.

Theophr. lib. 7. cap. 6.

5. *Acetosa minor.*

Oxalis præterea quædã exigua, sabulosis et incultis agris prouenit, caule dodrantali, nec temere altiore, radice tenui & lutea, digitum longa, folio non maiore Saluia aurita (ut ita dicam.) Nam hæc Oxalis quæ pediculo folia emittit, auriculas suas gerit, non aliter quam Saluia nũc cōmemorata,

nisi

Bonus Henrichus.
Schmerbel.



nisi quod hæc folia habet uiridiora iuxtaq; teneriora. Flosculi racematim quoq; cauliculis adhærentes, resplendentem eumq; rubrū colorem obtinent. Maio mense in flore optimo habetur. Semen eius trianguris quoque formæ, sed omnium reliquorum Rumicum seminiorum minimū. Radix & semen asperi & acerrimi sunt saporis. Caulis & folia acida, ut uulgaris Oxalidis.

6. Sed Rumex unctuosus qui Germanis Schmerbel/ Gůt Henrich/id est, Bonus Henrichus, & Gemein wundkraut/hoc est, Vulgaris uulneraria herba dicitur, in pagis, sepibus, antiquis areis & secus itinera gignitur. Radicem habet luteam & prælongam uelu ti Lapatium acutum. Folijs uestitur Vngulæ asininæ, uel ipsius Ari (qua de causa Serpentina uel Colubrina radix à nonnullis dicta fuit) folijs similibus, sed pallidioribus, & tactu unctuosis, ac quasi farina aspersis. Caulem suū Maio mense procreat, copioso flore racemi instar incipientis florere, ornatum. Porro tota hæc planta farina quasi aspersa apparet, quod et in Blitis uidere est. *Bonus Henrichus.*

7. Rumex denique aquaticus, in palustribus locis circa fossas ac lacunas nascitur, *Rumex palustris.*

ſcitur, maiori Lapatho, quod aliqui Rhabarbarum nominant, per omnia ſimilis. Folia huius nonnunquam cubitum longa & latiſſima euadunt.

NOMENCLATVRAE.

Ἐπεὶ καὶ τὸ λάπαθον ἄγριον, καὶ περ εὐστομώτερον τοῦ ἡμέρου, τὸν δὲ χυλὸν ὀξύτερον ἔχει, καὶ τούτῳ μάλιστα διαφέρει. Hæc Theophraſtus.

Duorum Lapathorum meminit Theophraſtus lib. vij. cap. vi. aitq́ꝫ Rumicem ſylueſtrem guſtatu gratiorem ſatiuo, quæ quidem uerba ita ego intelligo, ut Rumex domeſticus qui Lauſannæ in hortis plantari conſueuit, ſit ſupra commem orata domeſtica Germanorum Menwelwurtz/ſylueſtris uero Theophraſti Rumex, Acetoſa, ſeu Oxalis habeatur. At Dioſcorides lib. ij. cap. cvi. quatuor Rumicis genera recenſet, ὀξυλάπαθον ſcilicet, κηπευτὸν, ἄγριον, et ὀξαλίδα. Tametſi prætereundũ non eſt, ordinem apud Dioſcoridem non ſatis bene ſe habere. Nam Oxylapathon, hortenſi ille præponit, (quod alias facere non ſolet) qui fit ut quemadmodum indicauimus, ordinis, male collocati ſuſpitio nobis ſubrepat. Sed diſtinguamus & nos ſingula Rumicis genera, ſuis q́ꝫ inſigniamus appellationibus.

1. Rhabarbarum Monachorum.

Primus ergo Rumex grandis, Græcis ἱππολάπαθον dicitur, atq́ꝫ illud Monachi Franciſcani Rhabarbarum uocant, propter rubras quæ folijs illius inſunt, uenas, & quia radicem intus habeat croceam. Faxit autem Deus ut ſaltem Rhabarbari ſit ſpecies, quod cum ita ſe habuerit, certe Rhabarbarum in poſterum ne quaquam tantis ſumptibus, quantis antehac à nobis acquiretur. Sed utut ſeſe hæc habeant, certum eſt magnarum uirium hanc eſſe radicem, nam per ſe ſumpta cum pauxillo gingiberis phlegma & choleram per inferiora educit, quod ipſe (quippe qui hoc remedio uſus fuerim) experientia didici. Hoc uero pacto confici debet. Accipiatur radicis aridæ drachma, gingiberis tertia pars drachmæ, redigãtur in pulueres, & ſumantur in iure calido, idq́ꝫ ieiuno ſtomacho.

2. Lapatium acutum.

Secundus idem q́ꝫ ſylueſtris Rumex, qui Germanis Grindtwurtz / Zitterſzwurtz/Menwelwurtz/ Wilder Ampffer /Wilder Mangolt/ Stryppert/Struppflattich/Buppen kraut/ dicitur, primo loco apud Dioſcoridem collocatus eſt, & ὀξυλάπαθον uocatus, quod quidam Rumicem acutum & Germani nonnulli Spitzige letſchen/interpretantur, unde non inepte ἀναξυρὶς, à foliorum forma dici quoque poſſet, quod acutis calceis, qui olim in uſu fuere, ſimilima ſint eius folia. Hac uero ratione Rumicis acuti appellatio ad aliam quemadmodum ſequenti ſtatim docebimus capite, pertinebit ſtirpem. Plinio ſecundo Lapatium agreſte: & Plinio alteri Hydrolapatum, & Cantherinum: Auicennæ uero Sicla ſylueſtris nominatur.

Plinius ſecundus lib. 1. cap. 38. Apuleius ca. 13. Plinius lib. 20. cap. 21. Auicenna lib. 2. cap. 54.

Rumicem domeſticum, Sabaudienſes, Lampe & Lampade uocant.

Acetoſam, Germanis Sauwrampffer Dioſcorides in quarto ordine

Lapatho

Lapathorum ponit,& Oxalida uocat, à saporis aciditate. Posset & Oxylapathum ut multi putant, dici. Medici nostræ ætatis Acetosam, alij uero Acedulam,& Acetosellam, Lapatium acutum, Macrobius denique Paritellam,& Serapio cap.cxi Humaalh, nuncupant,

Minima autem,& acuta illa Acetosa, quæ auriculis suis acutissimis cuspides imitatur exiguas, sub prædicta Acetosa nunc comprehendam. Verum si exactius singula pensitemus, quod ad formam & gustum attinet, iustius Oxylapathon (de quo nomine sequenti capite plura) appellari poterat, cũ acutioribus uestiatur folijs quam ullum Rumicis genus. Sed proculdubio pauci sunt quibus ista planta sit cognita, utut multa de Rumice, eiusq; generibus scribant. Nec inepte Lapatiolum,& Acetosellam, hoc genus Acetosæ quis uocaret. 5. *Acetosa minima*

Bonum autem Henrichum, quem quidam Germani propter unctuosa folia Schmerbel nominant, Rumicem tertium Dioscoridis, quem ille Plantagini similem, mollem, & in terra iacentem dicit, esse iudicamus. Tametsi quæ citauimus Dioscoridis uerba, de hortensi primum, deinde uero de omnibus generibus Rumicis facile intelligentur, nam omnium prima folia antequam in caulem assurgant, in terra iacent. De alijs generibus sequenti statim capite. 6. *Rumex unctuosus.*

Magnus postremo & palustris Rumex, Hydrolapathum esto. 7. *Rumex palustris.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Rhabarbari peregrini radix, omnibus pene calidis affectionibus, è cholera et phlegmate ortis adhibetur, nam humoribus prædictis leuiter purgandis, drachma radicis illius in puluerem redactæ, in uino aut alio quopiam liquore ieiunis exibetur. Est autem hæc radix hodie in magno pretio, sicut omnia alia ignota & peregrina. Sed relicta illa, de radice nostra, quam Monachi Rhabarbararum quoque uocant, loquamur. Ea enim saluberrima, ac utrisq; corporis partibus utilissima est, quod sequentia quæ subijciemus, affatim docebunt.

INTRINSECVS.

Radix Rhabarbari Monachorum siccata, in puluerem redacta, ac drachmæ pondere, cum gingiberis drachma in iure mane sumpta, choleram & phlegmata purgat citra periculum, hinc est, quod omnium Rumicum decocto olere aluum molliri tradat Dioscorides. Contrariarum uero semen eorum est facultatum, nam aluum sistunt, quare aduersus quasuis alui fluxiones, dysenterias nimirum,& cœliacorum affectus utiliter usurpantur, quæ quidem ita se habere usus & obseruatio me docuere.

Radix omnium Rumicum, & Rhabarbari Monachorum in puluerem redacta ac sumpta, aut folia in uino decocta & pota, epar & bilem expurgant, Ictericis & cholericis utilissima.

Aqua distillata harum herbarum maxime autem Acetosæ, in pestilentialibus febribus utilissima, incenso etiam epati, & æstuanti stomacho prodest, continuo pota, & foris lineis panniculis imposita.

EXTRINSECVS.

Lapatij acuti tam hortensis quam syluestris, & Acetosæ herbarum succus, & aqua distillata, omnis generis impetigines, & scabies sanant, inprimis uero abscessus, seu ulcera purulenta, ab inflammatione aliqua ortum ducentia.

Quidam ex his unguenta conficiunt aduersus scabiem, idq́ hoc modo. Accipiunt radicem Lapatij acuti (Germanis Mentzelwurtzel) eamq́ in puluerem tusam cum aceto temperant. Alij succo expresso utuntur, aut tam herbam quam radicem in aceto decoquunt remedio efficacissimo aduersus omnes papulas & serpentes scabies.

Acetosa, seu Lapatium acutum uino decoctum ac calidum in ore retentum, dolores dentium sedat, & auribus instillatum, dolores eorum tollit.

De Bistorta, seu Colubrina.
CAP. CV.


DE VERO ET MAGNO DRACVNCVLO, QVI RADIcem bulbosam habet, hoc capite nihil dicemus, historiam eius lib. ij. cap. lxxxi. prosecuturi. Nunc autem de ijs Serpentarijs (ut uulgo non sine errore uocant) sermonem instituemus, quę rubicantes intus radices, & contortas obtinent, dicimusq́ duo earũ esse genera, quorum amborum radices extrinsecus nigræ sunt & capillatæ, intus uero rubricantes astringentis saporis, quemadmodum Barbulæ caprinæ radix, aut glandes.

1. *Bistorta maior.* E radice alterius, nimirum maioris, vere appetente foliola acuta instar linguæ, non aliter atq; in Lapatio acuto, & rubicantia, prorumpunt, quæ tandem ubi sese explicauerint, oblonga & latissima euadunt, Lapatio acuto simillima, at magis crispa & inflexa, superne uiridia & herbacea, ex altera uero parte cœsia, non aliter atq; uiride æs. Caulem habet rotundum, cubitalem, exiguis & acutis foliolis linguam referentibus uestitum, spicatorum florum quibus dilutioris purpuræ color inest, uertice emicantem. Flos illi copiosus, Plantaginis flosculis similimus.

Alterius

Colubrina.

Naterwurtz.



Alterius uero Colubrinæ radix, forma serpentem aut uermem imitatur, sed substantia priori minor, Caulē & folia (quæ & ipsa ex altera parte cœsij sunt coloris) non maiora habet, quam Acetosa. Nascuntur binæ hæ plantæ umbrosis, & humidis locis, pratis potissimum Martianæ, seu Herciniæ syluæ, aliarumq; syluarum, ut sunt Germanis appellatæ, der Odenwaldt / der Speßhart / der Ydar / quæ in Eifalia ad Moseliam prope Valentiam sita est. Solent autem hæ plantæ dum adhuc teneræ sunt inter cætera olera legi. 2. *Colubrina minor.*

NOMENCLATVRAE.

Si duæ hæ Colubrinæ in censu Carduorū essent, Anchusæ uideri poterant, quia uero Cardui nō sunt, non possum certe illas alio commodiori nomine appellare, quam Rumicis acuti uoce, quem Dioscorides Oxylapathum non ἀπὸ τοῦ ὄξους, id est, ab aceto, sed ab acutis folijs, nam ὀξὺ mucronem significat, & aduerbialiter, pro eo quod est, acute, accipitur. Inter omnia enim Lapathorum genera, nullum acutiora fert folia, præsenti nostra Colubrina. Acetosa quoque Oxilapathum, & per υ Oxylapathum dici posset, tum quod acido *Rumex acutus.*

fit gustu prædita, cum etiam quia acutis folijs uestiatur. Ne tamen confundantur appellationes, Rumicem acutum in palustribus nascentem (quod de præsenti Colubrina uere dicitur, ut indicauimus) a foliorum forma Oxylapathon, Acetosam uero ὀξαλίδα nuncupauit Dioscorides. Neq; cuiquam dubium esse debet, quin huic nostræ Colubrinæ, uti hodie in usu est, uires Lapatho acuto attributæ apud eundem autorem conueniant, præsertim cum Pandectarum autor, præter Bis tortæ, & Bardanæ maioris appellationes, quas Colubrinæ assignat, illam quoque Lappam minorem, quod folia habeat Lapatho acuto similia, appellat. Sed utut hæc se habeant, nos, præsentes binas has plantas, quas Germani Schlippen wurtzel / Schlangenwurtzel / Naterwurtzel / uocant, Rumices acutos nominabimus, idq; & propter formam, & propter facultates, nō obstante, quod sint qui putent Bistortam eam esse herbam quæ Britannica uocatur. Qui uero illam pro Limonio Dioscoridis (de qua uoce nos lib. ij. commentariorum nostrorū cap. lij & liij. egimus, habere uoluerit, cum eo nequaquam contenderim.

Colubrina, Serpentaria, Bistorta, Bardana maior.

Tormētilla quoque nonnullis Bistorta dicitur.

Diosco. lib. 4. cap. 18.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Folia Bistortæ & radix eius, easdem pene cum Acetosa facultates obtinent, ueneno enim resistunt, & sanguinem sistere utrinq; possunt.

INTRINSECVS.

Radix in puluerem redacta, ac drachmæ pondere in potu sumpta, ueneno pestilentiæ resistit, ac illud per sudores expellit.

Eisdem uiribus pollet aqua distillata, & radicis in uino decoctio ad eadē ualet.

Radix Colubrinæ, necnon aqua distillata, & radicis decoctum sanguinis eruptiones, dysenterias, aliasq; id genus fluxiones cohibet.

Radix Colubrinæ in puluerem redacta, ac cum aqua distillata temperata, grumos sanguinis ex casu, contusione, aut alia quauis causa, concreti, discutit, necnon morbum quoque regium.

EXTRINSECVS.

Radix Colubrinæ, Pyrethrum, & Alumen adustum, æquali pondere in puluerem redacta, melle temperata, ac magnitudine Pisi, cauis dentibus indita, fluxiones ac destillationes a capite defluentes sedant, & caput purgant.

Aqua e radice & herba distillata, araneorum & scorpionum ictibus medetur, si cum illa colluantur.


Ad cancrum dorsi, Polypos, & maligna ulcera, quæ κακοήθη uocant, aqua prædicta, & puluis conducunt apprime, si cum aqua abluantur, & puluere aspergantur.

Puluis

Puluis pari ratione usurpatus, sanguinem e uulneribus abundanter manantem cohibet.

De Ophioglosso. Cap. CVI.

Natter zünglin.



PINGVIS HAEC Herbula, digiti altitudinē attingit, quemadmodum folia Malogranati arboris. Folium unicum obtinet, a cuius sinu inferiore pediculus exit, cui a lingula acuta herbacei coloris insidet, quæ serpentinæ linguę Lapilli uocati similitudinē refert. Folium huius plantæ crassum & pingue, cui lingula adhæret, ut diximus, Plantagini aquaticæ forma sua aliquantum simile est, & Fabæ folium crassitie ac pinguedine sua æmulatur. Aprili ac Maio mēsibus in quibusdam humidis pratis inuenitur.

NOMENCLATVRAE.

Lingua serpentina Latinis, Gręcis ὀφιόγλωσσον, & Germanis Naterzünglin dicitur, a forma sua. Posset & Lingula uulneraria appellari, a facultatibus. Nam illa nonnulli ad uulnera maligna ac curatu difficilia, necnon aduersus tumores, & inflammationes utūtur.

Nec desunt qui putant eam esse Linguam, seu Lingulacam Plinij lib. xxiiij. cap. xix. & lib. xxv. cap. ix.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Elegantissima hæc ac exigua herbula, calidis tumoribus, ac recentibus plerunque uulneribus adhibetur, propter singularem in curando, ac sanando quam obtinet celeritatem.

EXTRINSECVS.

Tundunt eam nonnulli cum adipe suillo, ac emplastri modo quibusuis tumoribus cum inflammatione coniunctis, ad præcauendos, ac repellendos ignes sacros imponunt.

Vulnera glutinat Ophioglosson intra paucos dies, celeriterque sanat, uelu ti Symphyton quam Consolidam magnam uocant.

Et ut paucis omnia cōprehendam, ἐφιόγλωσσον uulneraria est herba, inflammationibus ac tumoribus discutiendis accommodatissima.

De Olere Hispanico, Germanis Bynetsch. CAP. CVII.

RVMICVM MENTIO AD PRAESENS NOS PERDVxit olus: multi enim hodie in ea sunt sentētia, ut credant illud Rumicē esse acutum, proprerea quod folia eius, maxime quod ad auriculas attinet, quas in fine obtinent, cum Acetosa quadantenus conueniant. Veruntamen si spinosum huius oleris & corniculatum semen, necnon radicem candidam eius & breuiusculam accuratius contemplemur, facile deprehendemus, illud nequaquam Rumicis apud Dioscoridem genus esse. Omnium namque Rumicum radices prælongæ sunt, coloris lutei, sapore acri, semine triangulari, sed non spinoso, quæ uiuersa signa in hoc olere neutiquam reperiuntur, sed diuersa omnia illi insunt, nempe radix breuis & cādida, sapor idem qui & aliorum quæ cibis adhibentur olerum, semen denique aculeatum. Porro tria illius sunt genera.

1. *Spinachia nobilis.* Primum idemque nobilissimum, herba est mollis ac elegantissima, surculosa, uestita multis folijs molliusculis, ueluti crispa Lactuca. Folia habet non prorsus acuta, sed parum in rotundum flexa, ueluti Lapatum quod uocant Bonum Henrichum, aut Beta, sed teneriora & contractiora. Caulem uero teretem, striatum, ueluti Betæ, concauum, interdum inferioribus partibus

Olus Hispanicum.

Bynetsch.



tibus subrubentem, multis ramulis brachiatum, ac angustis pluribus foliolis uestitum. Ex alarum sinu seminium rotundum, nequaquam spinis horrens, uerrucis aut semini Betæ haud dissimile erumpit. Atque hæc est satiua, & nobilis Spinachia, quæ cultum requirit in hortis diligentissimum, & quo sæpius in tenera ætate succiditur, eo surculosior euadit.

Altera & uulgaris Spinachia priori partim similis est, nisi quod folia eius sint longiora, acutiora, & astrictiora, & qua pediculo coniunguntur, utrinq; laciniata, binis acutis auriculis uel si mauis corniculis, uelu ti Acetosa minima, ornata, primo tactu farinacea, ac pinguiuscula, ueluti Bonus Henrichus, quare pro Spinachia syluestri lubens hāc plantā habebo, quanquam quod ad radicem eius attinet, inter Lapatha non male collocari posse uidetur. Caulis huic prȩcedenti consimilis, & ex alarum sinu similiter semen aculeatum, idq; numerosum, (nam sena aut septena plerunq; granula, ut ita loquar, coniunctim apparent,) latum, binis spinulis, cornu alicuius animantis, aut corniculantem Lunam referens, nascitur. Hoc olus cum Beta passim in hortis ciborum gratia seritur. 2. *Spinachia uulgaris.*

3. Spinachia tertia. Tertium Spinachiæ genus, cum uulgari plane forma conuenit, habet enim caulem concauum, cui minimi ac flaui adnascuntur flosculi, qui in auras nullo post se relicto semine, euanescunt, quod & cannabis fœmella uocata facere solet. Possunt autem iam commemorata Spinachiæ genera bis in anno seri, quemadmodum alia quoque olera, nimirum appetente verno tempore, & aduentante Autumno.

NOMENCLATVRAE.

Quod si Spinachia (quam Germani Bynetsch / & alij ultra Rhenum habitantes Spinnat appellant) Lapathum acutum fuerit, quemadmodum suspicatus fuit Comes de Neuenare, certe peculiare illius genus erit (uti indicatum est) nec appellari poterit σόγχος τράχυς, quod Romani olim Cicerbitam asperam interpretati sunt, ut & alij Cichoreum, & Affricani Gathuonem. *Diosco. lib. 2. cap. 120.* His autem qui hoc loco obijcient Sonchum esse Crispinam, seu Lactucellã, Germanis Krauser Lattich / eamq; in Hetruria Cicerbitam dici, respondebimus hoc pacto. Scimus equidem Marcellum Vergilium uirum doctissimum ita scripsisse, & ipsi aliquando sententiæ ipsius subscribebamus, sed repugnat ipsa historia Sonchi quæ apud Dioscoridem habetur. Nam omnia Lactucæ genera lacteum incisa succum manant, spinisq; & aculeis prorsus carent, quæ in Soncho diuersa reperies, quod considerandum alijs ac discutiendum relinquo. Certe Theophrastus lib. vi. Sonchum inter Carduos collocat, quare ut aculeata sit Endiuia, aut Scariola necesse est, quantum mihi quidẽ uidetur. *Vide de Soncho supra cap. 99.* Sed ut ad Spinachiam reuertamur, culinæ illam reliuquam, ac cum Ruellio, Seutlomalachon, hoc est, Maluaceam Betam, & Hispanicum olus uocabo. *Ruellius lib. 2. cap. 147.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

In culinis nihil fere frequentioris est usus, pultibus ex Spinachia recenti confectis. Temperamento illa frigida & humida est, cibo & medicinæ accommoda.

INTRINSECVS.

Pultes Spinachiæ aluo astrictiori prosunt, potestq; id oleris in omni pene ægritudine cibo deligi, nam meo iudicio inter omnia culinaria olera, Spinachia laudatissima est, & gratissima.

Spinachia aluum emollit, gutturis asperitati medetur, & aridæ tussi confert, testis est Constantinus lib. v. loc. com. cap. xvi. de herbis.

Succus & aqua distillata Spinachiæ pota, calorem restinguit, stomachi rosiones mitigat, & lac elicit,

EXTRINSECVS.

Spinachia cataplasmatis instar, stomacho & epati imposita, inflammationibus illarum partium prodest, doloremque tollit. Eadem ictibus scorpionum, & araneorum imposita succurrit.

De Euphragia, seu Euphrasia. CAP. CVIII.

QVOT REGIONES TOT HERBARVM NOMINA, Liceat enim mihi hoc dicto historiam Euphrasiæ auspicari. Nam cum in omnibus alijs plantis, tum in hac præcipue uarietas magna deprehenditur, ita ut quælibet regio peculiarem sibi habeat Euphrasiam. Quæ cum ita se habeant recensebimus aliquas. Ac primum quidem Norimbergenses seplasiarij Euphasiam ostendunt suam, quæ nihil aliud est, quam gramen nodosum, æquali interuallo a se mutuo distantibus geniculis distinctum. Caulis illi dodrantalis, cui ex geniculis singulis bina sibi inuicem opposita prodeunt foliola acuta, & haudquaquam obtusa, sed acie quasi conspicua, formamque linguæ auicularum referentia. Radicem habet tenuissimam tanquam filum, uliginosis locis, umbrosis dumetis, & sabulosis collibus serpendo se propagat. Sub finem Aprilis mensis uiolæ emicant candidæ, quinis foliolis, quæ singula incisuris diuisa sunt, distinctæ. Atque hi flosculi in folliculos teretes desinunt, quales Linum fert, qui semine repleti sunt.

1. Euphrasia Norica.

Altera & nobilis Euphrasia, quam sibi Argentoratenses uendicant, candidos similiter fert flores, qui luteo intus aspersi sunt colore. Planta est surculosa, dodrantalis arbusculæ non dissimilis, multis adnascentijs ac foliolis exiguis nigricantibus, & per ambitum serratis, (quemadmodum folia τοῦ μυωσότας de quo nostrorum commentariorum lib. iij. cap. xviij) uestita, oboli latitudinem haud temere excedentia. Nascitur illa aridis pratis, & graminosis collibus secus itinera.

2. Euphrasia Argentinensium.

Tertia Euphrasia cœsio, eoque dilutiore colore (ut lac quadammodo referat) tinctos flores fert, non maiores Anagallidæ cœrulea, ac similiter in pratis inuenitur, dodrantali altitudine, folio molli & pinguiusculo Centaurij folijs simili. At quod nonnunquam contingit, ubi ad ripas gignitur bicubitali interdum proceritate assurgit, folio longo & pingui, quale habet id genus Salicis, quod uocant Germani Bruchweiden / de quo uide infra lib. iij. cap. lx. nostrorum commentariorum.

3. Euphrasia cœrulea.

Euphrasia.
Augentrost.

4.
Pilosella syluestris.

5. 6.
Euphrasia Hassorum et Herm. Bar.



Quarta Euphrasia, flore emicans cœruleo, quæ interdum ex hortis tanquam uitium eijcitur, supra cap. xciij. inter Pilosellas minores descripta est.

Postremo Hassi peculiarem habent Euphrasiam, et Hermolaus quoque Barbarus de quadam scribit, quam ait Pampinulæ uel Bibinellæ, ut uocant uulgo, folijs similem esse, sed minorem & serratiorem, uide de Saxifrago Dioscoridis lib. iiij. Hermolai Corollarium.


NOMENCLATVRAE.

Omuium iam commemoratarum stirpium commune nomen apud Germanos est, Augentrost/ quasi dicāt, Solatium oculorum, Latinis Ophthalmica, Ocularia herba, Euphragia, seu Euphrasia, et multis uidetur esse herba Adhil nuncupata, de qua Neoterici uarias habent sententias, alijs Euphragiam Cassilaginem esse putantibus, alijs herbam uerulam interpretantibus. Vide Nicol. et Manl. de confect.

Prima autem candida & Norica Euphrasia in Vuasgoia, Teüffelsblůmen/ hoc est, Flos Diaboli nominatur, qua ratione ignoro. Nec desunt qui eam Gramen interpretentur.

Reliqua

Euphrasia gramen.
Augentrost graß.



Reliqua duo genera cœruleis floribus, prædita, ubique locorum Augentrost appellantur, & tertium in hortis, quidam Germani Meüßörlin das wild / id est, Pilosellam sylvestrem, & alij Augentrost dz wild / hoc est, Euphrasiam sylvestrem.

Porro Argentinensium Euphrasiam ego semper omnium prestantissimam iudicaui.

VIRES AC TEM*peramentum.*

Omnes Euphasię inflammationibus, & caligini oculorum adhibentur, tusæ, ac impositæ, aut succo earum oculis indito. Præstat tamen aqua ex illis distillata aduersus affectiones prędictas uti.

Reliqua si qua plura desiderantur Euphrasiarum iuuamenta, quotidiana obseruatione addisci, ac manifestari poterunt.

Ego certe Argentinensem morbo arquato utilissimam comperi, uino decoctam ac calidam ægro propinatam.

De Amarantho, Germanis Rhein blůmen/ & ea quam Germani Rhurkraut uocant, deq; Lagopo, Germanis Hasenpfötlin dicto.

CAP. CIX.

Amaranthus.
Rhein blům.



1. Heliochrysos: Rheinblům.

ELEGANTISSIMVS iste flos, quem Germani Rheinblůmen uocant, quique nunquam ut reliqui marcescit, nusquam locorũ prouenit quam sabulosa, aspera, aridaq; terra, pratisq; ac campis soli maxime expositis, præsertim uero ad tractum Rheni inter Spiram & Vormaciam, necnon circa Hagenoiam, Newenburg / & in Vuasgoia affatim luxuriat. Planta est dodrantalis altitudinis, radice breui & nigra, folio albo & lanuginoso, ueluti Verbascum, forma uero uulgari Pilosellæ simili. Caules illi teretes, & cineracei, qui singuli in cacumine denos aut duodenos, plus minus, luteos, instar lini folliculorum in nodum quendam rotundos (ut eo nomine Corymbi dici mereantur) flosculos, eosq; multiplici foliorũ ordine distinctos gerunt, qui nunquam neque marcescunt, neq; colorem suum natiuum mutant, odore grato, sapore autem subamaro præditi. Iulio

Rhurkraut.




lio mense circa festum Diui Ioannis floret hæc stirps.

Syluestre huius genus in sabulosis agris & hortis reperitur, caule proceriore, & plane cineraceo, corymbis seu nodosis flosculis aliis non perinde aureo colore fulgentibus, sed luteo mixto ac quasi incano, aliis ita cineraceis, ut subcœrulei appareant tota sua substantia, utrisque uero à maturitate in pappos euanescentibus, quod in multis aliis plantis, quarum uillosi flores in auras quoque auolant, uidere est. 2. *Syluestris Heliochrysos.*

Inueniuntur porro in aridis campis mense Aprili flosculi diuersicolores, alii candidi, alii subpurpurei, alii rosei, alii ex candido & rubeo aspersi colore, omni odore destituti, forma Heliochryson referentes. Atque ii seni aut septeni breuiusculo insident coliculo, qui similiter nunquam marcescunt decerpti. Folia humi in rotam quasi disposita procumbunt, & qua terram spectãt cineracea sunt, ac hortensi & satiuæ Pilosellę per omnia similia sunt, qui fit quod à nonnullis hæc planta Meüßörlin/id est, Auricula muris, & Pilosella dicitur. Nascitur graminosis, incultisque agris, & ouium pascuis, Flosculus nunquam nisi appetente Aprili mense apparet. 3. Hasenpfötlin

NOMEN.

Lagopus.
Hasenpfötlin.



NOMENCLATVRAE.

1. Primum florem Germani Rheinblůmen (quod in regionibus quę Rheno adiacent potissimum gignatur) appellãt. In Vuasgoia Jüngling dicuntur, q̃d nõ senescant, nec marcescant. Aliis Mottenblůmen/ hoc est, Tinearia, et ἀμάραντος nominatur, quod uestes à Tinearum erosionibus uindicet. Multi in ea sunt sententia eam esse Aureliam Theophrasti lib. x. ca. xxi. Nos, ut ueritas ex collatione historiæ & uiuæ imaginis elici possit, adferemus in medium uerba Theophrasti, quæ quidem sic se habeut.

Ἔχει δὲ ὁ ἑλειόχρυσος τὸ μὲν ἄνθος χρυσοειδὲς, φύλλον δὲ λευκόν, καὶ τὸν καρπὸν δὲ λεπτὸν καὶ σκληρόν. ῥίζαν δὲ ἐπιπόλαιον, καὶ λεπτήν. χρῶνται δ' αὐτῷ πρὸς τὰ δακετὰ, ἐν οἴνῳ. καὶ πρὸς τὰ πυρίκαυστα, κατακαύσαντες καὶ μίξαντες μέλιτι. Hoc est,

Habet Aurelia florem auro similem, folium candidum, fructum tenuem, durumq́; radicẽ per summa cespitum, atque tenuem. Vsus eius ad serpentium morsus è uino. Valet etiam ad ambusta, cremata & mixta melli. Hæc ille.

2. Alterum genus à quibusdam Ketzlin/ seu Feldtkatzen/ à colore & mollitie

itie dicitur. Alij Rhurkraut/ & Hünschkraut/a` facultatibus quas obtinet, appellant.

Tertiam diuersicolorem plantã, uocant Hasenpfötlin/a` forma nimirũ, nam singuli coliculi suis floribus & corymbis figuram pedis repręsentant. Nec desunt qui illius flosculos Engelblümlin Germanice, hoc est, Angelicos flores appellãt. Proin de hoc herbę genere supra lxxxviij. & xciij. capitibus plura annotauimus. Quidam illam Stœchada citrinã nuncupatam uolunt, quam sententiam ex capite xiiij. Serapionis de Sceha stabilire conantur, existimantes eam esse uerum Absinthium marinum, de quo paulo post nos quoque loquemur. Mihi sane uidetur secundum genus a` nobis descriptum, esse alterum Polium Dioscoridis. At quod ad primum attinet, diuturnum illum inquam, quem Germani Rheinblůmen/ uocitant, duo illi mea sententia non male quadrabunt capita apud Dioscoridem, nempe quinquagesimum quintum, & septimum libri quarti. Equidem utrunq; genus nostræ Tinearię si florem spectes τὸ ἑλειόχρυσον (quod χρυσάνθεμον, & Amaranthum nonnulli cognominant) nomine recte censebitur, nam nõ in umbrosis locis, sed apricis & sub sole nascitur. Atqui ut mea fert opinio ἀγήρατα rectius appellabuntur, quod nequaquam consenescant, hoc est, quia non marcescunt ut alij flores. Descriptionem τοῦ ἀγηράτου magis illis quadrat quam Eliochrysi, siquidẽ illud folia Abrotono similia habere Dioscor. ait, & aquosis conuallibus nasci, quæ omnia Amarantho, seu Tineariæ tribui non possunt. Iam qui ueritatem ipsam docere nos posset, illum libenter sequemur, nemini enim præiudicare, sed solum quod sentimus pronunciare uolumus, parati audire meliora & firmiora, tradentes.

3. Sceha. Diosco. lib. 3. cap. 115. πόλιον τὸ ἕτερον. De Heliochryso plura cum de Linarijs agemus. Chrysanthemi appellatio supra in Chamomillis declarata est. Amaranthus est Chrysocome Dioscoridis lib. 4. cap. 53. necnon Centaurium minus. lib. 3. cap. 7. Diosco. Nec desunt qui Thymbrã ἀγήρατον uocent. Est etiam Ageratus lapis coriarijs idoneus ut indicat Galenus lib. 9. de simp. facult.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Amaranthi flores calidæ sunt naturæ, id quod & sapor & odor arguũt, ideoq; possunt utrinq; usurpari commode.

INTRINSECVS.

Amaranthi flores uino decocti, & poti, lumbricos uentris expellunt, quod ego experientia certum esse didici. Eodem modo sumpti, sudores eliciunt, quare hanc herbam obstructionibus epatis, lienis, renum & uesicę, conferre existimo.

Tertia a` nobis posita, si Polium est, ueneno omnis generis pota aduersatur, uino decocta, qua ratione & regio morbo laborantibus conducit.

EXTRIN-

EXTRINSECVS.

Amaranthi flores in lixiuio decocti, si cum illo caput abluatur, furfures capitis & porriginem expellit, pediculosq; enecat.

Idem flores uestibus appositi, à tineis illas tuentur. Aqua decocti, uaporationibus & fomentis induratam, ac tumentem matricem emolliunt.

Altera Amaranthi species easdem obtinet facultates, & pecorũ ac armentorum cœliacis affectionibus, quas Germani die Hynsch appellant, succurrit.

De Absinthio. Cap. CX.

ABSINTHIVM FOLIIS VESTITVR INCANIS AC CIneraceis, odoratis, multipliciter dissectis, Rutæ folijs similibus sed paulo maioribus, & sapore amarioribus. Secundo demum anno lignosum caulem emittit Absinthium, multis surculis ac ramis brachiatum, radicem lignosam similiter habet & fibratam. Caules porro surculosi altitudinem binorum cubitorum attingunt, aureos corymbos ab imo usque ad summum Iulio mense ferentes, idq; in omnibus ramulis. Flores ij similes sunt floribus Anaranthi supra descripti, qui ubi maturuerint semen excidit minus Tanaceti semine, è quo quotannis repullulascit. Nascitur in areis aridis & incultis collibus, & ad muros, ad quod alludens Ouidius sequentia cecinit carmina.

Turpia deformes gignunt Absinthia campi,
Terraq; de fructu quam sit amara docet.

NOMENCLATVRAE.

Germani Absinthium Wermůt appellant, et Mediomatrices Æltz/ quod propter insignes quas obtinet facultates rectius Weronmůt / quasi dicas, pellens tristitiam, appellari posset. Hebræi לענה Laanah. Amos v. Chaldæi מרר Mirer, & מרירותא Meriruta, appellant, uide Thargum. Hieremiæ v. Theophrastus lib. x. cap. xviij. Pontico Absinthio pasci oues, & pinguiores, ac pulchriores, ac sine felle reddi testatur, una nimirum amaritudine alteram pellente. Sed uerba ipsius autoris subijciamus.

Τὸ ἀψίνθιον, τὰ βόσκαυτα πρόβατα, ὅ φασί τινες ὑμνᾶσθαι. τὰ δ' ἐν τῷ ποντῷ νεμηθ, καὶ γίνηθ πιότερα καὶ καλλίω, καὶ (ὡς δή τινες λέγουσιν) οὐκ ἔχοντα χολήν. Hęc ille.

Absinthium ergo præstantissima est planta, tametsi non magni apud Medicos existat usus. Qui ebrietati noctesq; diesq; student, uino Absinthite

aduersus



Absinthium.
Wermůt.

aduersus crapulam uti con sueuerunt. Cum namq; pręterita nocte plus ęquo uino se ingurgitauerunt, mane ad uinum Absinthites confugiunt, tanquam ad sacrã anchoram, quo hesternam reprimant crapulam.

Ἀψίνθιον ab ἀ[illegible] a contrariando, per ἀντίφρασιν deduxerunt, quod nullum animal propter amaritudinem, hanc herbam attingat. Veteres [illegible] [illegible] conformi etymo uocarunt, q. impotabilem, quod nullum animal degustet aut bibat.

Dioscorides Absinthiũ Græce ἀψίνθιον, & à grauitate amaritudinis βαθύπικρον, et Absinthium rusticum appellat, quod Germanice Acker Wermůt interpretari possemus. Ægyptijs Somi dicitur. Auicenna quinque describit Absinthij genera, Tarsene scilicet, Susui, Nabathi, Corasceni, & Romanum Absinthium. Serapio trium tantum meminit, quorum primũ Absinthium uocat, aitq; illud Cuscute, & Sceha Romanum esse. Alterum Cretense nimirum, mihi id est q̃d ille Saricham & Erision appellat. Tertiũ uero est Santonicum, sed de his paulo post.

Diosco. lib. 3. cap. 24.

Apuleius Aristolochiam quoque Absinthium rusticum uocat.

Auicenna lib. 2. de simp. cap. 2.

Serap. cap. 14.

De Absinthio scripsere Hippocrates, Galenus, Paulus Ægineta, Plinius libro xxvij. cap. vij. & viij. Apuleius cap. ci. Oribasius. lib. ij. de potent. simp. Platina lib. iij. Ioannes Mesue. Iacobus de Manlijs, et Hieronymus Braunschuueig, quos uidere poterit, qui absolutam Absinthij cognitionem desiderat.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Absinthium tam internis, quam externis corporis partibus utilissimum est, temperamento suo calidum & siccum.

INTRINESCVS.

Absinthij folia uel flores in cibo ac potu usurpati, stomacho prosunt, concoctionem adiuuant, calefaciendi uim habent, dolores sedant, uenenum & bilem expellunt, quæ stomacho inhæsit.

Flores uino decocti & poti, aut in Autumno uinum ex Absinthio confectum, quod Absinthites uocant, continuo usurpatum, supra commemoratas facultates habent, nam appetitum edendi faciunt, & fastidia discutiunt, quod non ignorant vinosi, qui ut appetentiam cibi concilient, uinum eiusmodi potare consueuerunt.

Absinthium cum Romano Cymino in uino decoctum & calidum haustum, ad tormina & stomachi dolores facit, tineas uentris expellit, arquatum discutit morbum, & menses ciet, ueneno'que sumpto aduersatur, eiusque uires infringit, nimirum Hyoscyami, Cicutæ, Opij, Draconis marini, aliorumque id genus.

Absinthium in aceto decoctum, contra fungorum strangulationes conuenienter bibitur.

Commemoratas facultates aquæ distillatæ ascribunt, quanquam non perinde ualidarum sit uirium, quippe quæ infirmioribus, & pueris (qui omnes fortes medicinas ferre nequeunt) exiberi debeat mensura iiij aut v cochlearium.

Absinthium contrarias habet uires, nam aluum duram emollit, laxam uero coercet. Quis ergo est qui omnia iuuamenta eius recensere possit?

Opiliones flores Absinthij resiccatos, et cum sale tusos, pecoribus et ouibus deuorandos exhibẽt, nam ex longa obseruatione perceperunt, Absinthium omnibus internis affectionibus mederi, neque tantum dolores mitigare, sed et quæuis noxia expellere, quibus nonnunquam pecora non minus quam homines infestantur.

EXTRINSECVS.

Aqua Absinthij lineis linteolis tẽporibus illita, dolores sedat capitis, qui ex frigida oriuntur intemperie. Eadem uesperi oculis instillata & auribus, claritatem illorum adiuuat, & dolores harum tollit, anginæ cum melle & nitro tusa herba illinitur.

Dentium

Dentium auriumq́ dolores decoctum, uaporis suffitu compescit.

Absinthium uino decoctum, & cataplasma inde factum, stomachoq́ impositum, fastidia, ructus, & dolores eius aufert, maxime si ceratum cyprium illi adiungatur. Prædictis morbis oleum Absinthij confert illitu.

Herba & flores Absinthij insparsi arcis uestiarijs, uestes ab erodentium iniuria uendicant.

Succus atramento librario inditus, literas à murium erosione tuetur.

Quidam succum illum linimentis lectisterniorum, aduersus mures tuendi gratia imponunt.

Absinthium aqua decoctum, cimices abiguntur, si illo inferiores lecticæ partes illinantur, quod aliæ quoq; amaræ herbæ præstant.

De Seriphio Germanico. Cap. CXI.

AD HERBAS EAS IAM PERVENIMVS, QVAE CERtissimam lumbricis necem afferunt, quarum haud postrema est, Germanis Wormkraut/seu Wellsamen uocata. Ea autē siue species Absinthij, siue Abrotoni sit parum refert, siquidē utręq; Absinthij uoce appellantur, & sæpe una pro altera usurpatur. Proinde cum utriq; odore, forma & coloribus, tum uero Abrotono minori quam proxime accedit. Est enim frutex elegātissimus Arbusculæ simillimus, ramosus, plurimis cineraceis & dissectis foliolis uestitus, flore in uertice caulium emicans luteo, exiguo (sicut Sinapi) semine minutissimo, & luteo in oblongis siliquis cōtento, lubrico & læui, cum maduerit aqua, aut alia humiditate. Herba sane uulgaris & contempta, quippe quæ in cœmiterijs passim, itineribus, ad muros & sepes luxuriet, non aliter quam uulgare Absinthium. Et quod minime prereundum, inter alsiosas stirpes censetur, nam non magis quam uulgare Solatrum, frigora ferre potest, ideoq; quotannis ex semine deciduo reuiuiscit.

NOMENCLATVRAE.

Quanto in honore Absinthium apud ueteres fuerit, passim autores testantur, inprimis autem Plinius, cuius de uulgari hæc sunt uerba: 1. *Absinthium uulgare, seu Romanum.*

De usu eius conuenit herbæ facilimæ, atq; inter paucas utilissimæ, prętereа sacris populi Romani celebratæ peculiariter. Siquidem Latinarum ferijs quadrigæ certant in capitolio, uictorq́ Absinthium bibit: credo sanitatem præmio dari honorifice arbitratis moribus. Hæc ille. *Plinius lib. 27. cap. 7.*

Seriphium Germanicum.
Well samen.



m. Absinthium marinum. Seriphium quod Diosco. Santonicum quoq; cognominat. exiguum.

De marino quoque quod & Seriphium uocatur, eadem fere scribit Plinius nimirum Isiacis eius ramum Isidi præferre moris fuisse. Atque hoc alterum Absinthij apud Dioscoridem est gen us, nam de primo iam primum in præcedenti capite locuti sumus. Iam hoc quicquid est nomiuis huic nostræ, quam modo tractamus, herbæ, libens tribuerem (nam cum Seriphio in facultatibus, forma, graui odore, & amaro sapore, conuenit, solum semen parum dulcius est & usitatius) nisi Seriphium in Ægypti Thaphosiri prouenire traderet Dioscorides. Verum enimuero, cum uulgare Romanum seu Ponticū Absinthium, ex quo Apitius condimenta factitare solebat, ad nos Dei Opt. Max. munificentia peruenerit, spero equidem eiusdem liberalitate ex Ægypto Seriphium quoque ad nos commigraturū. Quare interea dum meliora alij doceant, (nemini enim ea in re impedimento esse uolumus) præsertim Lumbricorum herbam, Seriphium Germanicum uocitabimus, summaque gratiarum actione pro illo usurpabimus. In Bauaria & Hassia semen istud patria uoce Well samen appellant.

Platina lib. 3.

n. Absinthium Santonicum.

Tertium postremo Absinthium Dioscorides Santonicum, a` Santoni-

bus

bus Galliæ populis nuncupat. Estq; illud Lumbricorum semen, quod Rizotomi & Pharmacopolæ, ac Agyrtæ uendere solet. Multi putarunt à facultatibus illud uocari Santonicum, quare in receptis suis (ut uulgo loquuntur) Semen sanctum nominant, quod Arabibus Sceha, aut Scheha dicitur. *Auicenna lib. 2. cap. 668.* In Græcis exemplaribus quibusdam σερφίον scribitur, quod quam absurdũ sit, & uitiosum nemo non uidet, cuius rei Manardus Ferrariensis libro .iiij epist. j. meminit. *Serap. cap. 319.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Seriphium Germanicum, calidæ & siccæ est temperaturæ, internis corporis partibus, & ad Chirurgicam accommodatissimum. Singulari enim experimento obseruatum est, semen eius quemadmodum Plantaginis, alui fluxiones quasuis cohibere. Multi etiam crediderunt ossium confractiones (modo illa rite redintegrentur, ac in locum suum reponantur) in pecoribus sanari quamprimum herba & semen Seriphij Germanici affectæ parti adalligentur. Quæ quidem indicare non piguit, ut in usum tandem reciperetur, herba utilissima.

INTRINSECVS.

Semen Seriphij Germanici, in cibo & potu usurpatum, dysenteriæ, alijsq; alui fluxionibus sistendis conducit, id quod experientia testatum fecit.

Herba uino decocta & pota, lumbricos expellit, sicut & alia lumbricorum semina.

Dioscorides scribit eam cum melle & Oryza decoctam, ac sumptam, cõtra lumbricos facere.

Ego certe aquam distillatam gratiorem et utiliorem ipsa herba existimo, propterea quod illa admodum iucundi sit odoris.

At nobile Lumbricorum semen Santonicum inquam aduersus lumbricos, apud Germanos frequentius usurpatur, nam nisi ab agyrtis illis quos diximus adulteretur, non tantum aduersus lumbricos ex melle sumptum, unice facit ut dixi, sed etiam contra quoduis uenenum expellendum singulari experimento usurpatur.

Quidam pastillos ex eo conficiunt, ut tenerioribus, & pueris usu facilius sit & gratius.

Porro qui semine hoc recte uti uelit, is puero infra septem annos nato, uesperi dimidiæ drachmæ pondere, mane quoque pari pondere, ex melle illud exhibeat, & non ex lacte, ut uulgo solent. Qui adultiores sunt, ijs singulis uicibus drachma detur,

EXTRINSECVS.

Herba Seriphij Germanici fœtida uermes è uulneribus sordidis & malignis pecorum & hominum expellit, adalligata, aut si succus expressus illis instilletur.

Herba tusa & imposita ossium confractionibus medetur, uti Symphyton.

De Abrotono. Cap. CXII.

Theophr. lib. 6. cap. 7.

QVANQVAM THEOPHRASTVS ET ALII NONNVLli autores Abrotonum hyemis frigora ferre non posse scribant, ea nimirum ratione adducti, quod folia eius appetente hyeme nigrescant & decidant; tamen apud nos Germanos, siquidem diligenti cura in hortis plantata colatur, caules, uirgæ & radices illius nequaquam frigoribus læduntur, sed incolumes manent, ac aduentante verno tempore repullulascunt, uti arbores.

Plinius quoq; duorum generũ meminit lib. 21. cap. 10. & 21.

Abrotonum duorum traditur generum, maius scilicet & minus, utrunq; suauissimi odoris, & amarum gustu: Frutices sunt ambo tota sua substantia lignosi, & ut de minori priuatim loquamur, folijs hoc magis cineraceis & incanis quam maius uestitur, adeoq; Seriphio Germanico plane similibus.

1. Abrotonum minus.

At magnum Abrotonum uirgas emittit prælongas, tenues, & flexibiles, uiridantibus & satis magnis folijs, uulgari Chamomillæ quam proximis, ornatas. Frutex hic nonnunquam uiri proceritatem attingit, odoris grauioris simulq; gratioris quam minus. Atq; his notis abinuicem differunt, cætera prorsus consimilia, bina isthæc Abrotoni genera. Qui plantando illa propagare uelit, is surculos appetẽte vere, aut in Autumno, decerptos terræ inserat, non aliter atq; in Lauendula ac Rosmarino factitare solemus.

2. Abrotonuum maius.

Abrotonum sub Augusti mensis initia floret, uirgis ab imo usq; ad summum copioso flore refertis, comantibus in summo fulgore auri corymbis congestim dependentibus, non secus ac in Absinthio, ijs decidentibus par quidem erat, ut inde pro more aliarum plãtarum sese propagaret, uerum licet sæpius id à me in terram proiectum fuerit, nunquam tamen ad frugem peruenire uidi.

In agro Vormatiensi nõ procul à pago, quem uocant Haseloch/ Abrotonum quoddam in collibus Autumno florens inueni, cuius tam herba, quam odor cum Abrotono minori conueniunt. Flos illi copiosus Absinthio similis per omnia, quo nomine primum quidem Absinthium mihi uidebatur.

3. Abrotonum campestre.

Abrotonum.
Stabwurtz.



debatur. Sed cum herbam accuratius contemplatus fuissem, tandem Abrotonum esse cognoui, præsertim cum odore illius esset præditum, et gustu amarũ.

Potest autem fieri ut ea planta sit Abrotonum Theophrasti. *Theophrastus lib. 6. cap. 7 2.*

Syluestre denique Abrotoni genus per terram spargitur, nec in altum sese erigit, sed uirgæ eius tenuissimæ humi procumbunt sicut Centumnodia, Germanis Weggraß/paucissimis, sed minutim concisis foliolis uestitæ. Flosculi eius seu corymbi potius incani sunt ueluti Artemisię, satis boni odoris. Nascitur hoc Abrotonum è regione montiũ in uijs sabulosis, collibus & apricis locis, ubi nulla sunt senticeta. Hyemis frigoribus non facile cædit, quapropter in alsiosarum censu haberi non potest. *Abrotonum syluestre.*

Nec desunt qui hanc stirpem, syluestrem Artemisiam esse opinentur, quod mihi uerisimile non uidetur, nam & odore & sapore propius ad Abrotonum, quam Artemisiam accedit.

Constantinus in libello de gradibus alterius cuiusdam meminit Abrotoni, quod in Armenia nascatur, nomine Syche, temperamento calido, nam urinam illud ciere, matricem aperire, & suffitu eius incensi fœtus mortuos euocari. An uero hoc

sitidem Abrotonum quod in agro Vormatiensi inueni, aliorum esto iudicium.

NOMENCLATVRAE.

Dioscorides scribit Absinthium quod in Ponto & Cappadocia monte Tauro nascatur, bonitate antecedere omne aliud. Hoc nobis in Germania quoque (Deo sit laus) prouenit. De Abrotono uero (quod Germani Stabwurtz / & Gertwurtz appellant) idem autor commeminit Ponticum illud Absinthium nominari, ita ut duo Pontici Absinthij genera apud nos extent, quæ sane ijsdem facultatibus prædita esse, facile credendum est, cum & Galenus in libello de succidaneis pro Absinthio, Abrotonum accipere iubeat, quare Romani olim Abrotonum, Ponticum Absinthium uocarunt.

Diosco. lib. 3. cap. 26. Maius Abrotonum idem Dioscorides ueteribus Siculum creditum esse prodidit. Vtriusque uero Abrotoni nomina communia hæc sunt ἀβρότονον, ἀβότονον, ἀψίνθιον simpliciter, ἡράκλειον, (ab Hieraclia nimirum Ponti urbe, sicut & Origanũ ab illa nomen inuenit, nam in finibus illius multæ sponte sua proueniunt herbæ) Cholopeon, Thelypththorion, Absinthiomenon, Procampylon, Cynanchites, Ancon glycys, id est, Ancon dulcis, Neura phœnicos. Arabes Abrotonum Catsmu, & Halscia uocant, uide Serapionem cap. ccciј. & Auerrhois simplicia. folio ccclv. Hieronymus Braunschuueig Abrotonum Germanice Schoßwurtz / & Garthagẽ / quod surculos & sagittas extrahendi ui polleat. Alij Kuttelkraut / & Ganserkraut / Germanica lingua, Arabica uero Hesum, Beremisch, Berengesif, & & apud alios Sauschaurarim uocari tradunt. Tametsi autem hęc Arabica nomina (ut Simon Ianuensis putat) non ad Abrotonum pertineant, tamen Belẽgesif, siue Berengesif, Artemisia, Sanguosaro, Abrotonũ certe est.

Syluestre Abrotonum Germani Besemkraut / hoc est, Scopariam herbam, à multitudine uirgularum, quæ uerrendis & purgandis pauimentis idoneæ sunt, uocarunt. Nec inepte Ancon & Procampylon appellari poterat, siquidem uirgæ eius non eriguntur in altum, sed humi sparsæ iacent, sicut & satiui Abrotoni uirgæ uersus terram capita sua inclinant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtriusq; Abrotoni, syluestris inquam & satiui temperatura calida & sicca est, quemadmodum Absinthij. Quare unam pro altera usurpare possumus, uti Galenus in libello de Succidaneis testatur.

INTRINSECVS.

Summæ propagines Abrotoni cum flosculis suis uino uel aqua decoctæ,

ctæ, adiecto melle aut Zaccharo, percp diem ter aut quater potæ, non nisi recta ceruice spirantibus, & Astmaticis apprime conducunt, nam uitia pectoris expurgant, Cardiacæ medentur & tussi, lentosqꝫ humores pulmonis, renum, matricis & uesicæ incidunt, stillicidio urinæ succurrunt, & quosuis internos dolores sedant.

Aqua distillata non est inferiorum uirium.

Reliqua Abrotoni iuuamenta, require in Absinthij historia.

EXTRINSECVS.

Suffitu Abrotoni uenenata pelluntur ac fugantur animalia, quare non immerito sagminibus suis mulierculæ adijciunt Abrotonum.

Aqua distillata scorpionum & araneorum ictibus auxiliatur, loca muliebria mundificat & sanat, si illa colluantur, uel linteolis in ea madefactis curentur.

Herba ipsa in cineres redacta, admixto melle, ita ut unguentum inde fiat, capillos tardius enascentes elicit, illitu per aliquot dies.

De Artemisia. Cap. CXIII.

QVEMADMODVM PLERAEQVE STIRPES VIRIbus & iuuamentis alias superant, ita magnitudine & exiguitate plurimum à se inuicem distant herbæ, quod uel ex concisis Foeniculi, Anisi, Anethi, Coriandri, Dauci, Pastinacæ hortensis, Leuistici, folijs satis demonstratur. Proinde sicut Millefolij folia maiora sunt folijs Abrotoni minoris, & rursus Abrotoni maioris herba latior Chamomillæ uulgaris, seu Cotulæ foetidæ, & his quidem latiora folia Rutæ, quæ & ipsa magnitudine cedunt Absinthij folijs, denique ueluti Matricaria antecedit quantitate foliorum Absinthium, ita certe Matricariæ folia Artemisiæ cedunt. Sed hæc ita se habere nemo qui stirpes istas cognouerit, inficiabitur, quare ad descriptionem Artemisiæ relictis his nos conferemus. Ea folia habet prope radicem maxima, multis incisuris diuisa, ut manus figuram præ se ferant, quæ quo altiorem in caule locum occupant, eo minutiora sunt, & quandoqꝫ ternis tantum digitulis discreta, omnia autem qua terrã spectant candicantia, superne uero ex nigro uirescunt. E radice lignosa & capillata quandoqꝫ quini aut seni exiliunt caules oblongi Cannabinis similes, surculosi, multisqꝫ corymbis referti, qui cum sub Augustũ mensem hiscere coeperint, in cereum colorem desinunt, iucundoqꝫ odore & grato sapore

Artemisia.

Beifůß.



pollent, ad multa utilissimi, præsertim ad infarciendos anseres, quos assatos & iucundo quasi condimento palato arridere uolumus. Apud nos Germanos nulla fere Artemisię omnis differentia constituitur, nisi quod alia purpureo, alia uero uiridi ac subpallente caule, utraq; uero altissima, ac medulla plena, ueluti Sambucus, quod ad reliqua attinet forma, odore, et sapore alteri cōsimilis sit.

NOMENCLATVRAE

Artemisia Germanis Beyfůß/Bucken/ S. Johans kraut/& S. Johans gürtel/non secus atq; multæ aliæ plantæ superstitione hominum contaminari cœpit. Sunt enim qui illam certis horis & diebus sicut Verbenam effodere, ac sub ea carbones (seu quod fere dixeram) stultorum lapides aduersus febres, inquirere soleant. Alij eo stultitiæ progrediuntur, ut Artemisia se cingant, ac ex ea serta conficiant, quæ postea in ignem diuo Ioanni sacrū, una cum omni infortunio, (ut sibi persuadent) conijciunt. His cerimonijs, hac superstione non infimi homines Lutetiæ Parisiorum quotannis uti consueuerunt. Nec desunt qui Plinio uidelicet doctore, Artemisiam cum Saluia secum deferant, cre

dentes

dentes se nequaquam ex itinere defatigandos. Sed quis omnes illas superstitiones enumeraret, quibus Seductor ille Spiritus optimas Dei creaturas conspurcauit?

Artemisiam unicaulem Dioscorides Monoclonon, eam uero quæ plures habet caules Polyclonon appellat, quibus nomenclaturis, & Absinthium & Abrotonum & Origanum, necnon aliæ plures herbæ distingui possent.

Plinius lib. 26. cap. 15. Diosco. lib. 3. cap. 118.

Reliqua apud eundem autorem Artemisię nomina hæc sunt quæ sequuntur, Toxitesia, Ephesia, Anactarios, Sozusa, Leia, Licophryx, magis sanguis hominis χρυσάνθεμον, Serpillum, Herba regia, Rapium, Tertana, Gallis pona, Dacis, Zuoste, Romanis Valentina.

ἀρτεμισία. 1 Μονόκλωνος. 2. Πολύκλωνος. βασιλικόν λάχανον

Artemisię, nomen primum ab Artemide, hoc est, Diana impositum quidam credidere, alijs reclamantibus ac affirmātibus hanc nomenclationem ab Artemisia Halicarnassi regina ortam esse, cum prius Parthenis hoc est, Virginalis Meidkraut Germanis, uocaretur. Sed parum refert unde nomē traxerit Artemisia, modo illa nobis cognita sit. Sunt qui illam Matricariam hoc est, Germanis Müterkraut / appellatam uelint, astruentes apud Hispanos Altiliam seu Altimiliam nuncupari. De Altilia neoterici medici uarias habent opiniones, alijs Rob, seu Sapam eam interpretantibus, alijs Abrotonum syluestre esse dictitantibus. Verum Arabs Auicenna v. Cano. in Theriaca Esdræ, litem dirimit, dum scribit succum Altiliæ esse Albelengesif, & Abrotonum syluestre uocari. Atq; hæc est quorundam mater herbarum seu Artemisia.

Artemisiæ appellatio unde. Altilia. Mater herbarū.

Neoterici tres ponunt Artemisias, Monoclonon scilicet, quam Matrem herbarum nominant, deinde Tageten, Tanacetum, Tanasiam, siue Athanasiam, tot namq; nominibus Tanacetum Germanis Groß geel Reinfarn insignitur, secundo loco collocant, tertio quæ dicitur ἀρτεμισία λεπτόφυλλος, cuius folia Sampsuchi, uel Maioranæ odorem reddunt. Huic sententiæ subscribit Apuleius quoq;. Atqui si Dioscoridis & Galeni scripta diligentius inspiciamus, duæ solummodo reperientur Artemisiæ, nam de Artemisia tenuifolia caput apud Dioscoridem superfluum est, id quod ex uerbis ipsius autoris colligere licet, cum ait Artemisiam duorum esse generum, maiorē scilicet & minorem, quas cum expedijsset formamq; & facultates earundem descripsisset, superuenit alius quidam sciolus, secundumq; de Artemisia tenuifolia caput adiecit, quod nos propter rei ueritatem indicare uoluimus, adjcientes hoc postremo Monoclonon Artemisiam non esse uulgarem nostram, sed fieri quidem posse ut sit Leptophyllos, posteaquam folia & semē illius Sampsuci odorem satis repræsentent. Hebrai Artemisiam חלגלוגות Chalgalugoth uocant, teste Aruch Monsteri.

Tres Artemisiæ Neotericorum. 1. 2. 3. λεπτόφυλλος. Dioscor. lib. 3. cap. 119. Apuleius ca. 10. 11. 12.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Artemiſia tam rubea quam candida(ſic enim apud nos Germanos diſtinguitur)utiliſſima eſt mulieribus,quare ſummo honore ab illis conſeruanda erit,nam calefaciendi & diſcutiendi uim obtinet.

INTRINSECVS.

Artemiſia rubea uino decocta, adiecta Mace multa aut exigua prout uolueris,in potu per diem bis uel ter ſumpta, locos muliebres excalfacit, menſes ſuppreſſos ciet,& educit, necnon ſecundinas, ac quæcunque id genus in internis hærent uitia. Aqua diſtillata paribus facultatibus eſt prædita.

Decocto Artemiſiæ,ſi id cum Saccharo uel melle temperetur, tuſſis mitigatur,lenti humores circum præcordia extenuantur,calculi comminuuntur,pulmo mundatur,necnon renes & ueſica,idq́ tam in mulieribus quam uiris,ſi decoctum iſtud per diem bis uel ter bibatur,ita tamē ut à potu ſumpto poſtea ieiunes.

Floſculi Artemiſiæ ſiccati omnium præſtantiſſimi ſunt,nec tantum medicinæ,ſed & culinæ maxime idonei.

Sunt qui in Autumno uinum ex Artemiſia conficiant,nam muſtum iniecta Artemiſia deferueſcere ſinunt, illudq́ uinum poſtea ad dictas mulierum affectiones uſurpant.

Et ut paucis abſoluam , Artemiſia uiribus ad Pulegium fere accedit, & quantum iudico,in omni cibo gratior.

EXTRINSECVS.

Quemadmodum Artemiſia omnes internas & ſuperfluas mulierum humiditates incidit & expellit,ita aduerſus eadem in deſeſſibus & peſſis muliebribus,quæ foris adhibentur,facit.


Artemiſiæ flores cum Chamomilla & Eupatorio in uino decocti ad neruorum & articulorum perfrictiones & dolores faciunt, ſi decocto illorum foueantur,& cum illo confricentur partes affectæ.

Præterea ſi quis ex longo itinere plus æquo defatigatus fuerit,is aqua in qua Artemiſia decocta fuerit pedes abluat,releuationem ſentiet.

Herba Artemiſiæ uino rubro decocta utuntur aduerſus exitum ani, qui ut in in locum ſuum reponatur, uino decocto calidiſſimo inſidendum erit, ita tamen ut prius cum Myrrha,& colophonia ſuffumigetur anus.

De

De Geranijs. Cap. CXIIII.




GERANIORVM TRIA sunt genera, quorum minimum sabuloso & macri solo, secus itinera, et quandoque in agris prouenit, radice candida, terete, dulci, ueluti Rapunculorum, digitũ longa. Herba huic exigua, sed multipliciter concisa, humi sparsa, & minutioribus crenis dissecta quam Pimpinella. Aprili mense uiolas fert Bersilici colore præditas, multas, nec maiores flosculis Anagallidis, quæ tandem in capitula rostellis gruinis in quibus semen continetur emicantia abeunt. 1. Geranion minus

Alterum huic quod ad radicem attinet simile est, nisi quod radix saporem magis astringentem & asperũ præ se ferat. Folia illius rotunda, uti Maluæ uulgaris minimæ, per ambitum incisa, & qua terram spectant cinerea, multisq; uenis aut neruis distincta. Caulem habet teretemq;, dodrantalẽ, geniculatum, nec culmo crassiorem, geniculi purpurei sunt & leuiter lanuginosi. Florent per æstatem, flosculo ex purpura cœsio, minori 2. Geranium alterum

nori

Sanguinaria radix.
Blůtwurtz.



3. Blůtwurtz.

4. Species Sanguinariæ radicis.

nori quam habeat primū genus, qui & ipsi rostrantur tandem. Semen eius canum est, uti Githaginis Germanis Raden / de qua supra cap. xl. Nascitur hæc herba inter cætera uitia, in cœmiterijs & hortis. Herba est æstiua seu alsiosa, frigorisq́ impatientissima.

Tertium Geraniū, iam descripto geniculis, caule & rostris consimile est. Folia eius rotunda, ut Maluæ, sed profundioribus & frequentioribus incisuris dissecta, ut manus similitudinem quodammodo exprimant. Flores gignit purpureos, mediocriter magnos, rosæ formam referentes. Radicem habet teretem, lōgam, intus, & extra rufam. Nascitur in altissimis syluis, qualis est quæ Hercinia siue Martiana Germanis der Schwartzwaldt dicitur. E radice quotannis noua prorumpunt germina.

Postremo alia Geranij species, circum oppidum Cruzenacum gignitur, proximo caule, flore, semine, & folijs similis, nisi quod folia habet maiora ad Ranunculum accedentia. Flos illius ex purpura cæsius emicat, ex quo capitella gruini capitis formam referentia & rostrata rostellis breuiusculis, proueniunt, in quorum singulis quina oblonga ac dulcia semina reperiuntur, quæ

tandem

tandem exiliunt è suis siliquis. Nonnulli hanc stirpem in hortis suis plantant.

NOMENCLATVRAE.

Comune omniũ istarum stirpium nomen est γεράνιον. Latinis Geranium, Germanis Storcken schnabel/hoc est, Rostrum ciconiæ. Primum autẽ apud Dioscoridem sequentes obtinuit appellationes, Pelonitis, Trica, γερανογέρων, Herba gruina (Germanis Krannichschnabel) Echimastrum, uel Ouchinastrum, Iesxe. *Diosco.lib.3. cap.122.*

Reliqua quę Maluæ folijs uestiuntur, his nominibus insignitæ sunt ὀξύφυλλον, μίγτρυξ, Myrris, quæ uox propter folia pimo generi potius attribuenda erat, Cardamomos, Origanos, Sed & hæc duo nomina alio pertinent. Magi (ut inquit Dioscorides) Hierobricas, Aphricani, Iec, Romani Pulmoniam (Germanice Lungenkraut) & Cicutariam, hoc est, Schirlingkraut/ quæ appellatio priori magis conuenit, ob foliorum incisuras.

At duo postrema Gerania quin in Dioscoride peculiaria habeant nomina non est dubium, quæ si reperientur, non grauabor indicare. Germani tertium Blůtwurtz/ hoc est, Sanguinariam herbam nominant, rationem statim audies.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vulgaria Gerania non magni sunt in medicina usus, neque multis ad quid faciant Dioscorides scribit, interim tamen dissecta illa ac incisa utendum suadet, ad interna.

INTRINESCVS.

Geranium quod folia habet incisuris diuisa, drachmæ pondere in uino potum, muliebrium locorum inflationes soluit.

Postrema à nobis posita herba, quæ cœsio emicat flore, tota sua substantia in uino decocta, & pota, singulari experimento aduersus calculum facere dicitur, quod ego à calculosis audiui.

EXTRINSECVS.

De alio Geranio quod Germani Gottsgnad dicunt, deq; usu illius supra cap. xxxiij. diximus. Reliqua Gerania quæ Maluæ folia habent, usu abdicata sunt in medicina. *Dei gratia.*

At tertium quod Blůtwurtz Germanis uocatur, ad sanguinem undecunque manantem compescendum inprimis conducit, quare non immerito Sanguinaria radix appellata est.

De

De Cannabe. Cap. CXV.



1. Cãnabis foemella

2. Cannabis maioris descriptio.

CANNABIS NOSTRA Germanica duorum nascitur generum, ex uno & eodem semine, quorum primum optimum ac præstantissimum est, id nimirum quod primum etiam maturescit, & flosculos fert exiguos ex luteo albicantes, qui non aliter atque puluis in auras auolant, nullo neque fructu neque semine post se relicto. Caulis illi rectus & inanis, magisq́ tenuis, & ad pannos conficiendos aptior, maiori Cannabe, quæ semine prægnat. Illius enim caules surculosi sunt, maxime quod ad superiores eorum partes attinet, ut mediocrem arbusculam referat, ramulorum cacuminibus semine tereti, rotundis uasculis concluso, ac per omnia uulgari Lathyri simillimo, undique referti. Folia utriq; fere eadem nigricantia, & aspera, dissecta, sed inæqualibus diuisuris, nam alia multitudine diuisionum aliĳs cedunt, ita ut singula explicatæ manui quam proxima appareant, eaq́ alia septenis, alia denis aut duodenis digitis per ambitum

ambitum instar falcis serratis, conspicua sint. Porro binæ hæ Cannabes uno ut diximus ex semine procreantur, sed qua ratione hoc intra terram perficiatur, ut altera ex illis fructifera, altera uero sterilis sit, nemo est qui scire possit, ideoq; cum alia multa tum etiam hoc ipsum naturæ esse miraculum necesse est ut dicamus. Cannabis utraq; quotannis uti & aliæ æstiuæ plantæ, è rotundo & dulci semine plantari consueuit. *Miraculum naturæ.*

Cannabis syluestris apud nos in censu uitiorum habetur, neq; cum descriptione Dioscoridis conuenit. Nam nostra hæc syluestris Cannabis hirsutum, lanuginosum & nodosum profert caulem, folio aspero uestitum, vrticæ folijs similimo. Surculi qui è caulibus exeunt in uertice florent, alij purpureo, alij prorsus candido flore, forma ipsa vrticæ Germanis Bynsaug appellatæ similimo, semine per omnia satiuæ respondenti. Nascuntur autem Cannabes syluestres in antiquis sepulchris & ad uetustos muros, secus macerias & sepes, asperisq; & incultis locis, odore grauiore & fœtidiore quam satiuæ, pereuntq; quotannis appetente Autumno. *3. 4. Cannabis syluestris duplex.*

NOMENCLATVRAE.

Cannabis satiua, tenuis illa et semine destituta, dubio procul fœmella est, nam & mulierculæ nostræ Femel appellant, alludentes ad fœmellæ uocem. *Femel.*

Altera quæ semen fert Germanis Hanff dicitur, quanquam fœmella seu Cannabis satiua, ab altera, mascula scilicet, originem suam traxerit. Dioscorides hanc sequentibus appellat nominibus, κάνναβις, καννάβιον, ἄσ(?)ιον, & à texendis ex ea funibus, σχοινόστροφον. (Hebræi seu Thalmudistæ potius uocem Græcam imitati קנבוס Kannafos uocant testis est Elias in nomenclaturis suis) Syluestrem uero idem autor, Hidrastinam & Terminalem, cognominat. Atq; illam nos non habemus, nisi per illam subintellexerit unam satiuæ speciem Dioscorides, aut certe quod puto, caput illud redundat. Nam syluestrem Cannabem primo contra consuetudinem suam ponit loco, deinde satiuam. Plinius tamen tria Cannabis satiuæ genera describit, quarum primam & optimam, Mesam, alteram Milesiam, tertiam Roscam nuncupat, quæ sane de satiua duntaxat Cannabe eum scribere, uel hinc liquet quod syluestris nusquam mentionem faciat. In libro quidem xx. cap. xxiij. rem paucissimis attingit uerbis, cum ait, Cannabis in syluis primum nata est, nigriore folio et asperiore, Hæc ille. Sed de nostra uulgari intelligi ea uerba commode possunt. *Dosco. lib. 3. cap. 157. De Cannabe lege Apul. cap. 155. Plinius lib. 19. cap. 9.*

Porro Althææ similes caules, & semina proferre syluestrem Cannabem, autor est Dioscorides lib. iij. cap. clvi. quo in loco deficere aliquid existimo, neq; enim caules illius, neq; semen, neq; radix quicquam affinitatis cum Althæa habent. Tametsi ex Plinio locus emendari & restitui possit, ut dicamus,

camus, Cannabem recentem adhuc eo Altheæ similem, quod tusa & aquæ infusa eam coagulat, non aliter atq; radix Altheæ facere consueuit.

Plinius lib. 20. cap. 23.

Serapio cap. ccvij. Cannabem, Canabs, & Scehedenegi appellat. Quo pacto autem Cannabis plantari debeat, indicauit Plinius locis citatis, & Palladius titulo v. sub Februario.

Medici differentiam constituunt inter Scehedenegi quod est semen Cannabis, & inter Scedenegi, qui est Ematites lapis qui sanguinem sistit, et inter Scehetenegi qui est fumus terræ. Vide. Auicennā lib. 2 cap. 665. et 174.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Cannabis genera frigidam habent temperaturam, ideoq; magis externis quam internis corporis partibus adhibētur, sed & semen iampridem leguminibus accenseri cœpit.

INTRINSECVS.

In Francia Orientali, alijsq; nonnullis regionibus semen Cannabis quotidie inter cæteros cibos decoquitur, non aliter quam Ordeum. Sed in ueritate qui continuo huiusmodi semine in cibo usus fuerit, is non parum lædetur, namq; semen Cannabis stomachum frigidum & debilem reddit, & genituram extinguit.

Idem semen lacte decoctum, & calidum potum, aridam calidamq; tussim emendat & expellit.

EXTRINSECVS.

Restiones & qui nendo quæstum faciunt, Cannabis usum omnium optime norunt, quem describere longum esset, & proprium requireret librum.

Herba Cannabis recens, necnon & aqua distillata, quibusuis inflammationibus capitis aliorumq; membrorum illita & imposita, inprimis autem podagræ calidæ imposita prodest.

Succus herbæ auribus instillatus, uermiculos, & quodcunq; animal intrauerit, eijcit & enecat.

Syluestris Cannabis herba tusa, ac Erysipelatis, & sacris ignibus imposita, morbos eos incidit, discutit, doloremq; & inflammationem tollit.

De Germanico Lino. Cap. CXVI.

QVOD SAEPE DIXIMVS, RVRSVS HOC LOCO DIcendum est. Nam quemadmodum quę ad cibum & medicinam pertinēt, affatim Germaniæ nostræ donauit Deus optimus Maximus, ita quibus rebus uestitus parari posset eadem fundit tellus. Quid enim

Linum Germanicum.
Teütscher Flachs.



enim deest illi, si respicias necessitatem et ornamentū, quæ duo in uestitu requiruntur? Siquidem non solū Cannabim & Linum nostrum ut alij populi, habemus, sed & lanam nobis suppeditant oues, & sericū uellus uermiculi, qui Græcis σῆρες dicuntur, perficiunt, sicut & apud Ægyptios fit. Quæ nos ergo miseros homunciones insana exagitat superbia, ut his nequaquam contenti, purpuram Damascenam, Holosericū, et id genus preciosissimas uestes è lōginquis regionibus magnis impensis petamus? Sed is est fastus hominum, ex auaritia originem ducens, ut qui illo tenentur, donis Dei sibi collatis non contenti esse uelint. Id quod passim hodie apud nos Germanos (proh dolor) deprehenditur, qui eo ingratitudinis & luxus peruenimus, ut maiorum nostrorum sobrietatis ac mediocritatis penitus obliti, nō nisi peregrinas ac sumptuosissimas uestes, ut interim de formę horrēda uarietate taceā, amemus. De cibis, medicamentis & metallis, idem est iudiciū. Nam hodie nihil nisi nouum, incognitum, longe petitum, exoticum, & quod plurimum constet, expetimus, spernentes ea quæ nobis diuina liberalitas contulit. Rogandus est ergo Deus, ut animos no-

ſtros, tanta peruerſitate & ingratitudine liberet, donecq́ ut dona ipſius agnoſcamus, iisq́ cum gratiarum actione ad ſalutem noſtram utamur. Amen.

1. *Linum ſatiuum.* Sed ad Linum tandem accedamus, eſt illud herba tenui caule, foliis anguſtis, tenuibus, Lenti ſimilibus, floribus cœruleis, rotundis folliculis, in quibus ſemen fuluum continetur latum & læue. Plantatur Linum ex ſemine, idq́ in Germania noſtra bis in anno, verno ſcilicet tempore, & interdum etiam appetente Autumno.

2. *Syluestre Linũ.* Syluestre Linum ſatiuum plane refert forma, niſi quod caules habet & folliculos craſſiores, & maiores, & in ſummo ſurculis multis brachiatos. Et maxima inter hæc duo Lini genera in eo conſiſtit differentia, quod folliculi ſylueſtris Lini calore ſolis non aperiuntur, perinde ut alterius, nam quamprimum exiccati ſole fuerint, excutere ſemen ut aliarũ frugũ oportet. Apud Mediomatrices hoc ſylueſtri Lino aduentate æſtate integri agri conſeruntur, & inuenitur etiam quandoque inter ſegetes auenæ.

Alia Lini genera peregrina nimirum, hoc loco de Germanico tantum agentes, aliis deſcribenda relinquemus. Qui uero de iis aliquid cognoſcere uelit, necnon de ratione parandi, deq́ uſu & nocumentis Lini, cum nulla ſit inter omnes Lino & Cannabe, uſitatior planta, is Plinium legat & Ruellium.

Pli. lib. 19. ca. 1. Ruellius lib. 2. cap. 33.

David Kyberus ad Lectorem.

DE ratione apparandi Lini copioſe & eleganter, & de uſu etiam nonnihil autor noſter lingua Germanica in Herbario ſuo ſcripſit, quam deſcriptionẽ transferre in linguam Latinam noluimus, quin potius oculis eam ſubiecimus, cum quia gratiam & uenuſtatem ſermonis illius exprimere me non poſſe ſentiebam, tum etiam quod locis citatis, latine fere eadem leguntur, & omnibus nota ſunt, cum ubiq́ terrarum in uſu ſit Linum.

Alſo iſt der Flachs ein gemartert kraut im Teütſchen landt / bede von reichen vnd armen / den armen zur notturfft / den reichen zum wolluſt / ja den edlen Fürſtin vnd Gräffin kein ſchand darmit zů kurtzweilen. Die plag vnd marter des Flachs ſeind vnzalbar. Erſtlich mit ropffen vnnd reffen / dann ſchwerlich ertrenckt werden / darnach auff der Heiden gedörrt / von newem gedroſchen vnd geſchlagen werden / dann můß er ſich laſſen zerbrechen vnd ſchwingen / von diſer marter můß er durch die ſtähele ſpieß der ygeln oder hecheln geſchleifft ſein / nach diſer plag verbint man jhn ein weil / thůt jn wider auff / zeücht jn von einander / henckt jn an den galgen des rockens / da würt er geküßt / geleckt / vnd durch die finger gezogen / wider auffgewickelt / ſchnabs abgehaſpelt / darnach von newem mit ſieden

vnd

vnd braten gemartert / ins kalt bad vom warmen gefürt / widerumb gehenckt/gedörrt vnd mit kolben geplawt/vber den stockt geleg / mit vmbtreiben auff runde kugel gewunden/ abgespült/außgestreckt / als dann durch die engen strassen der Weber geschirr gefürt/in ein verbündtnuß verknüpfft/mit flůchen vnd schelten durch einander geweben. Noch ist er dem vngefel nit entrunnen/mùß aller erst von den schneidern vnnd negerin zerschnitten vnd zerstochen werden/kompt er dann nach der marter zů den ehren/eilens beklagen sich die krancke gůte döchter/ vnd allerley gesindt/die wöllē alle sampt seiner nit entparen/da wirt er zů windeln/zů pflastern vñ zů letsch zů arßwüschen gemacht. Vnd so jederman vermeint es sei gar mit jm auß/kompt er doch nach aller vnehre widerumb herfür/doch nit on plagen der wasser mülen/ in den selben würt er zerschnitten / gedretten /gestampfft/erdrenckt vnd erhenckt hoch vnd nider / begeren als dann seiner von newem. Er würt gehorsam dem Keiser vnd dem Hirten zů land vnd auff dem wasser/zů nutz vnd schaden/wie man jn brauchen will. Der tode vnd absterben geschicht jm vom fewer vnd meüsen / die fressen jn gar/also mùß der gůt Flachs vnd was seins geschlechts ist/vmbkommen.

NOMENCLATVRAE.

Quemadmodum lingua Latina & Græca tela linea, & ipsa Lini herba communi nomine λίνον, & Linum dicitur, ita apud nos Germanos Linum siue in agro siue domi ad texturam & telam apparatum, commune nomen retinet Flachs. Tametsi non desunt qui Linum nondum euulsum, Linum agreste & Linocalamum, contra uero telam ex Lino textam, Linum domesticum seu urbanum, uocitent. In Dioscoride Annon, & Pænis, Zeraphoes, cognominatur Linum. Arabes seminis tantum meminere, uocantes illud Bizerichitem, seu ut Serap. placet Bazarichichen. Hebræis פשתה Pistah dicitur, Esaiæ xlij. & xix. Chaldæis כיתנא Kisna. Vide Targum Onkeli, Exod. ix. *Serap. cap. 22.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Linum magnæ est utilitatis, sed & multis & uarijs modis incommodat, quæ omnia ordine describere nulli hominum possibile esse existimo, postea quam nouis subinde artibus Linum occasionem præbet. Plinius quædam de ijs attigit, quem uide loco citato. Nos mulierculis ipsum Linum relinquemus, de semine nonnihil dicturi, quod communi medicorum consensu calidum & humidum esse traditur, quare utrinque corpori adhiberi commode potest.

INTRINSECVS.

Semen Lini tusum, ac in puluerem redactum, adiecto modico mellis, & piperis, ita ut eclegma ex his fiat, & per diem quantitate nucis moschatæ sumptum, tussim mitigat, & venerem stimulat.

Qui internis inflammationibus infestantur, his semen Lini aqua decoctum, admixto melle, in potu exhiberi potest, & foris emplastri instar imponi, quæ medicina plurimum prodest, & quosuis finit dolores.

EXTRINSECVS.

Ad emolliendum uuluæ & interaneorum propter lentam humiditatem obstructiones, in colica etiam passione prodest, corpus oleo Lini inungere, aut semen decoctum calidum foris imponere, aut ex iure seminis decocti & oleo clystere iniicere, prout unicuiq; (intelligenti) uisum fuerit.

Semen Lini, necnon oleum eius illitu & impositum ambustis conducit.

Semen Lini & oleum, emolliunt omnis generis duritias, parotidas, cutis in facie uitia emendat, semen in uino decoctum, si cum eo facies abluatur.

Vngues scabros emendat semen cum melle & pari Nasturtij modo decoctum & impositum.

Aliæ seminis Lini facultates, emolliendi & sanandi, ex supra dictis colligi possunt, ut interim nihil dicam de oleo seminis Lini, quo pictores & alij opifices uti consueuerunt.

De Linariæ uarijs generibus.
CAP. CXVII.

LINARIAE HERBAE MVLTA SVNT GENERA, QVAE singula ordine recensebimus. Vulgatissima Linaria cubiti altitudinem æquat, nascitur incultis agrorum limitibus, in muris, hortis ac secus sepes. Et ubi semel radices egerit, non facile inde expelletur, nam tenuissimis hinc inde & candidis radiculis per terram spargitur, crassa interim & primaria eius radice eaq; recta in terram profundius demissa, quam multæ circumdant fibræ, humi effusæ, non aliter quam Lolij. Est autem hæc herba uulgari exiguæ Esulæ adeo propinqua, ut discerni illæ uix possint, tametsi qui diligenter rerũ uiuas imagines considerauerit, differentiam facile deprehendet, nam Esula lacteum stillat liquorem, contra Linaria succo eiusmodi caret, hinc versiculus ille,


1. Vulgaris Linaria.

Esula lactescit, sine lacte Linaria crescit.

Præterea.

Osyris, Linaria.

Scheißkraut.



Præterea Linaria flore emicat luteo, forma flores Consolidæ regalis referens, quorum acumina seu cuspides, umbilicum aut caninum caput repræsentant. Porro in medio horum florum plane lutea ac omni odore destituta exiliunt stamina, quę in rotundos abeunt folliculos lato semine impar Gentianæ refertos.

2. *Altera Linaria.* Alterum Linarię genus iam descripto per omnia simile est, nisi quod flores habet multo minores, sub luteos. Hoc in agro Vormatiensi è regione oppidi Altzen, inuenitur.

3. *Heliochrysos.* Tertia Linaria uulgari consimilis est, caule & herba, sed elegantior & tenerior, cuius flores in uertice caulium coniunctim collocati sunt, et multiplices, forma & colore ad Amaranthum luteum accedentes, sed maiores & magis rubicantes.

4. *Linariæ quarta species.* Est & alia Linariæ species, cauliculo tenuissimo, folio angustissimo uestita, nascitur in altissimis & asperis campis, nonnunquam in ijs locis ubi Iuniperi proueniunt. In summis coliculorum partibus cœruleo et elegantissimo emicat flosculo, forma & colore Lino simili, odoris gratissimi ac suauissimi, floret Iulio mense.

Linariæ tertium genus.
Das dritt Lynkraut.

5.
Vera Linaria.



Vera autem & quæ passim occurrit Linaria, Lino adeo similis existit, ut ab illo uix separari possit, unici coliculi planta, inter Linũ prorũpens, multis cauis & acuminatis folliculis prædita, in quibus copiosum & luteum ac exiguum continetur semen, uulgaris hortensis Nasturtij semini affine, gustu dulce, auiculisq́ pascendis commodissimũ. De hoc stirpis genere, secundo commentariorum nostrorum libro. cap. xxvij. plura docebimus, Deo fauente, nunc ad nomenclationes pergamus.

NOMENCLATVRAE.

Priores duæ Linariæ species, Germanis Lynkraut/Harnkraut/Flachskraut (quod scilicet Lino aliquantulum respondeant forma sua) Scheißkraut/et Nabelkraut/dicũtur. Quidam etiam Wild wolffsmilch uocant, hoc est, syluestrem Esulam. Latinis Pseudolinum, Linaria, Vrinalis, Adulterina Esula, quarum appellationum nonnullæ alijs quoque tribuuntur plantis, uidelicet Vrinalis, Germanice Harnkraut/ Saxifragiæ alias & Ononi, quibus de suo quoque loco dicetur, assignatur. Multi proinde sunt qui priorem Linariam, quæ nonnullis Gäl ritter sporen/ hoc est, Consolida rega-

da regalis lutea(sic enim interpretandi gratia liceat nobis dicere) appellatur, ad caput Dioscoridis cxxxviij.lib.iiij. referri debere, & Osyrin uocari contendant, quod per nos nequaquam impedietur. Verumenimuero si & mihi meo sensu abundare liceat, uidetur sane ea planta rectius Cynocephalia dici posse, quæ in Ægypto (ut prodidit Apion Grammaticus) Osyrites cognominatur, & aduersus ueneficia a` Magis usurpatur. Vide Plin. libro xxx.cap.ij. Duæ uero me mouent rationes, cur hanc Linariæ speciem Cynocephaliam nuncupandam exsistimem. Primum quidem quod flores eius caninum caput, quod oblongum est, repręsentent, deinde uero quia singulari medicamento oculorum epiphoris adhibetur, quod non solũ Apuleius & Hieronymus Braunschuueig testati sunt, sed & ego experientia ac obseruatione longa didici. Apuleius Cynocephalium suum, Antirrhinon, Bucranion, Burrhinon, Ametiston, Anarrhinon, Pithecion, Osireos taphen, Canis cerebrum appellat, quæ nomina pro maiori parte ad eam quam sequenti statim capite describemus herbam, pertinent. Sed credibile est apud ueteres non multis rem herbariam curæ fuisse, quin potius quemq; sua ascripsisse nomina, quæ sibi arridebant, quod hodie quoq; fieri uidemus. Quot enim fere regiones, tot & herbarum, alię atque aliæ subinde reperiuntur appellationes. Si itaque Linaria nostra, Osyris est, certe nomen ab interfecto rege Osyre traxit, qui laudis aucupandæ gratia ex Græcia in Ægyptum commigrans, Deus est habitus, & sub imagine bouis adoratus. Quæ quidem si sint uera, Anthirrinon rectius Osyris diceretur, cum Linaria nostra forma sua caninum caput, & Anthirrinon uitulinum nasum repræsentet. *Apul.cap.86.* *Osyris.*

Tertia Linariæ species magnis illis corymbis, seu multiplicibus, & rotundis floribus, qui Amaranthum luteum imitantur, ornata, secundum descriptionem Dioscoridis Heliochryson ego appellarem, et ad illud ipsum Dioscoridis caput referrem, nam folia habet acuta plane & astricta, non multo aliter quam in Abrotono uidere est. Præterea non in syluis nascitur, sed in campis sub dio uersatur, arenosis & humectis incultis & apricis agrorum limitibus. Sed quæcunque tandem habeat apud Dioscoridem, ego sane nullum apud Germanos illius nomen unquam cognoscere potui, quapropter a` forma Lynkraut/hoc est, Linariam, a` floribus groß Rheinblümen/ id est, Amaranthum maiorem nuncupaui.

Quartam quæ in aridis campis, ubi Iuniperi luxuriant, prouenit, quęq; cœruleo emicat flosculo, ueluti Linum, a` forma Heiden Flachs/id est Linũ campestre uocaui, cum aliud nomen non haberem.

Quinta Linariæ species, quæ semper inter Linum reperitur, Germanis Dort/id est Zizania, communi omniũ uitiorum, quæ inter fruges enascuntur, nomine appellatur. Est uero illa nihil aliud quam Pseudolinum. Ruri in agro Vormatiensi Dotterkraut/& in Alsatia Bimmel/& Bluel dicitur.

Porro de hac ultima Linariæ specie, plura infra lib. ij. capite. xxvij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vulgaris Linaria alui turbatrix est, tẽperamenti humidi & calidi. Extrinsecus maiorem habet usum, in ijs quæ refrigerationem potius quam calefactionem requirunt. Aqua enim in linteolis imposita id præstat.

INTRINSECVS.

Aquæ distillatæ herbæ Linariæ uulgaris, quantum uitrum exiguum capit, admixta drachma corticis Ebuli in puluerem redacti, sumpta potio, * urinam potenter cit, quare hydropicis tantum id medicamenti exibendum erit.

Eadem aqua distillata ac pota, aluum laxat, morbum discutit regium, * aduersus quem herba ipsa uino decocta ac pota inprimis facit, sicut & iecur obstructionibus liberat.

EXTRINSECVS.

Linariæ aqua distillata, aut succus eiusdem oculis inditus, inflammationes eorum & ruborem tollit.

Linaria, aqua eius, & succus quæuis ulcera mundant, cuiusmodi sunt, cancer, & fistulæ, linteolis imposita, & si cum aqua loci affecti colluantur.

Succus idem maculas & uitia faciei emendat, quare superbis muliercu lis, quæ puram & immaculatam faciem affectant, conuenit.

De quinta Linariæ specie, Germanis Dott appellatur, quæ esca est auicu larum, secundo libro inter fruges, nonnulla annotabimus. Nunc de Heliochrysi uiribus speciatim differemus.

VIRES HELIOCHRYSI.

Linaria quam ego Heliochryson nominaui, utrinque corporis affectionibus adhibetur.

INTRINSECVS.

Herba cum floribus uino decocta & pota, ueneficia amoris, & alia uenena expellit, conuulsis & ruptis prodest, necnon ad disijciendos sanguinis concreti grumos facit, menses & secundinas euocat.

Flores siccati, in puluerem deinde redacti, ac pondere ij. drachmarum in uino poti, ieiuno stomacho, frigidum capitis cohibent fluxum, qui alias Catharrhus dicitur.

EXTRIN-

EXTRINSECVS.

Flores isti in balneis sudatorijs, & uaporationibus, calculi, lumborum, matricis, & coxendicum affectionibus medentur.

Flores resiccati, arcis uestiarijs insperſi, uestes ab iniuria tinearum asse- runt.

De Antirrhino. Cap. CXVIII.

MVLIERCVLAE MEDIOMATRICES SVAS PECVliares herbas habent, quibus liniendis lectis suis, (quod illi Bestreichen dicunt patria lingua, aut, Stercken) uti consueuerunt, præsertim uero cum linimenta illa colore croceo tingere uolunt, inter quas & Antirrhinon connumeratur. Ad quam rem perficiendam Alsatæ crocum Sarracenicum, & qui agrum Vormatiensem incolunt, Chamomillas luteas, quas illi ob id Streichblůmen uocant, & alij nonnulli Tinctorium florem, quem alias Germani Ackerpfrimmen dicunt, usurpare solent. Quam uero nunc præ manibus habemus plantam, ea incultis areis, limitibus agrorum, & secus itinera nascitur. Primo quidem anno nullum emittit ex se caulem, sed folia eius, quæ habet oblonga, angusta, nigricantia, & quasi corrugata, humi procumbunt, è quibus altero demum anno, proceri, teretes & concaui exiliunt caules, nonnunquam bicubitales, multisq; ramulis & surculis brachiati. Caules ipsi inferne angustissimis & prælongis folijs circumcirca uestiuntur. Folia uiolarum candidarum uel lutearum folijs similia sunt, sed longiora, uiridiora, & corrugata ac plicata. Floribus caules quamplurimis et luteis, ex ordine collocatis, undique ornantur, non aliter quam Verbascorum genera. Ex ijs flosculis, suboriuntur folliculi, instar crucis dissecti, ac quadripartita dstinctione hiantes, quorum singuli uitulinas imitantur nares. Atque in his ipsis (ut ita dicam) naribus semina nigra & perexigua latent, minora semine Portulacæ. Porro sponte sua hæc herba seritur, radicem habens mediocris magnitudinis, albam, rectamq;, & Fœniculo similem. Herba eius utuntur (ut diximus) sicca, & recenti ad tingenda linimenta lectorum.


Hinc ista & aliæ herbæ Streichkreutter/ uel Sterckkreutter dicuntur.

NOMENCLATVRAE.

Linaria, uti superiori capite meminimus, ab Osyre rege, (qui à fratre suo Typhone interfectus, ab Iside uxore Memphi Ægyptiaca vrbe honorifice sepultus, ab Ægyptijs deniq; adoratus fuit, cum enim ad sepulchrum eius Bos apparuisset, illi regem suum esse rati, phanum eo loco ædi-

Antirrhinon.

Orant / oder ſterckkraut.



ficantes, ſimulachro bouis in illo conſtituto, diuinos ei honores exhibuerunt) appellationem ſuam obtinuit, ſicut & pleræque inſignes plantæ, à regibus, & inuentoribus ſuis nomina ſortitæ ſunt. Verum ſi paulo diligentius rerum uiuas imagines cõſideremus, nonne Oſyreos nomenclatura huic noſtræ (quam Germani Orant/& Mediomatrices Streichkraut/ aut Sterckraut uocitant) Tinctoriæ herbæ potius tribui poteſt, poſtquam ſeminis eius foraminulenti figura, & forma uitulinis naribus ſatis reſpondet? Rurſus ut dicamus de Linaria, an non illa ſi flores ſpectes rectius Cynocephalea dicetur? Dioſcorides certe præſentem plantam ἀντίῤῥινον, ἀνάῤῥινον, λυχνίδα ἀγρίαν, id eſt, Lychnidem ſylueſtrem appellat. Galenus Bucranion. Gaza uero Antirrizon nominat. Quantum autem ad deſcriptiones Antirrhini attinet, quæ paſſim apud autores extant, notandum eſt illas ualde diuerſas eſſe, ut uel hinc plura genera Antirrhini eſſe, cum unuſquiſque peculiare aliquod deſcribat, aut ueterum ſcripta, non ſatis bene ſe habere, conijcere liceat. Nam Theophraſtus lib. x. de plantarum hiſtoria cap. xxi. ſuum Antirrhinon, uel ut ipſe appellat Antirrhizon, ſimile eſſe Aparinæ teſta-

Lychnus ſylueſtris.

Τοῦτο δ' ὅμοιόν ἐστι τῇ ἀπαρίνῃ.

næ testatur. Dioscorides Anagallidi folijs & caule, Marcellus denicꝫ Vergilius Hederę confert. Iam quid magis a se inuicem distat quam Aparine, Anagallis & Hedera: præterea nulli ex his Antirrhinon nostrum forma respondere manifestum est. In hoc tamen omnes conueniunt, quod & certissimum est, semen Antirrhini uitulinos nares repræsentare, quod in hoc nostro Antirrhino euidentissime apparet. Ego sane Dioscoridis lectioni ita succurri posse, & ita omnino legi debere arbitror.

Violis, quas Leucoia uocant, caule & folijs similis herba est. Flores habet, purpureis Anagallidis flosculis similes.

Quod si hoc pacto, ut demõstrauimus, Dioscorides legeretur, posset forte fieri, ut certũ aliquod Antirrhinon inueniremus. Nolumus autem in his & alijs quicquam affirmare, parati interim, meliora docentes audire & sequi. Plinius suum Antirrhinon, Lino confert, quæ uerba ego de Linaria superiori capite descripta intelligo, & uidetur mihi illa esse ipsa Cynocephalea herba, cuius meminit Apuleius ca. lxxxvij. Hinc facile colligere est, non ualde magnum inter Antirrhinon, & Linariam apud ueteres discrimen habitum esse. *Plinius lib. 25. cap. 10.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Hoc Antirrhino apud nos Mediomatrices non nisi linimentis lectorũ luteo colore tingendis usurpatur, & si quid iudico, calidæ & humidæ temperaturæ est. In exterioribus tantum corporis partibus usum suum hodie habet.

EXTRINSECVS.

Dioscorides testatur Antirrhinon amuletum esse, aduersus ueneficia amoris, si quis illud adalliget, & secum deferat, atcꝫ tum neminẽ Philtris, alijsꝗ id genus artibus decipi posse. *Diosco. lib. 4. cap. 128.*

Deinde ferunt etiam commendatiores omnibus eos reddi qui hanc herbam secum portent. Ego non dubito quin elegantiores & crocei coloris ij efficiantur, præsertim si se hac herba tingerent.


Mulierculæ hanc herbam siue sicca sit, siue recens, in aqua cum alumine decoquunt, tingendis linimentis, ut diximus.

De Malua Romana, seu hortensi, & Alcea. CAP. CXIX.

CVM MALVARVM MVLTA SINT GENERA, DE ILlis porro agemus, initium ab hortensiana facturi. Ea ex semine quod *1. Malua hortensiana.*

Malua Romana.

Ernrosen.



quod illi numerosum, ac ca seoli instar coagmentatum, uiridi ac lanuginoso folliculo reclusum est, plantatur. Et primum quidem ex eo semine terræ mandato, bina emergunt rotunda foliola, obolum lata, postea uero maluacea, ac plura subinde & maiora, ita quidem, ut nonnulla palmi amplitudinem facile obtineant, succrescunt. Altero deinceps anno appetente Iunio mense teretes exiliunt caules, medulla sua referti, qui nõnunquam instar uirgarum Coryli, grandescũt, ut usum baculi præbeant. Ii undique rotundis & asperis folijs uestiuntur, quorũ aliqua quinis diuisuris dissecantur, ueluti Alchimilla, quam alias Leontopodium nominant. Inter folia & caules, partim capitula, seu florum prægnantia inuolucra, partim rosæ ipsæ sese pandentes enascuntur, illis decidentibus aliæ succedunt, qui fit ut alternis & per uices a` Iulio usq; in hyemem ipsam, rosę aliæ, quasi curriculo uitæ suæ absoluto decedant, alijs in locum succedentibus, alia item semina decutiuntur, & uicissim alia ad maturitatem properent. Porro producit hæc Malua alia rosas candidas, alia rosei coloris flores, alia plane rubras, alia ex rubro colore nigricantes, & rursus uniuersa hæc florum genera in

Alcea.
Sygmarswurtz.



ra in quibusdam multiplici in aliis simplici foliorum textura, differunt, omni odore destituta. Radix omnium longa, leuis, & candida, gustu glutinosa & lenta. Seritur autem nullis nõ in hortis, sicut & reliqua florum genera.

Syluestre huius Maluæ genus passim incultis agris & graminosis agrorum et apricis limitibus, è radice sublutea, longa, & duos digitos crassa, nascitur. Folia habet rotunda, & singula profundis, ac quinque partitis, aut senis incisuris dissecta. Caules fundit cubitales, Iulio mense ex rubro roseis nonnullis etiam candidis flosculis, iisq́ elegantissimis, & minoribus per omnia quam sint hortensianæ, emicantes. Semen etiam in hac, terete & caseolũ imitante forma, compactũ folliculis includitur, quod ubi aruerit, & in nigrum colorem uersum fuerit, protinus in terram decidit, unde altero anno repullulascere pro more aliarum quoque plantarum assolet. 2. Alcea. Sygmarswurtz.

De uera & satiua Alcea, quæ è Norimberga primum ad me allata fuit, secundo libro dicemus.

NOMENCLATVRAE.

Nobilem hanc Rosam, hortensem inquam Maluam, Metenses Rosam ultrama-

Dicitur illa quoque à nonnullis Malua Romana, Rômisch Pappeln.

ultramarinam uocant, Germani Ern Rosen/ quod scilicet tempore Messis floreat, uel Herbstrosen/ aut Winterrosen / quod à messe usque ad hyemem floreat. Estque illa uera hortensis seu Romana Malua (Germanis Garten/ oder Rômisch Pappeln) quod Theophrasti satis confirmat authoritas. Is enim lib. j. cap. v. hist. plant. Maluam intra senos aut septenos menses, arborescere quasi, & in altum agi, ac ita crassum caulem acquirere, ut illo tanquam baculo uti & inniti possis, cui sententiæ Dioscorides quoque li. ij. ca. cix. subscribit apud quem sequentia eius nomina extant, μαλάχη, Anthema, Diadema, Chocortem, Capræ lien, Muris cauda, Malua hortensis. Proinde apud ueteres Moloche dicta fuit hæc Malua, ut uidere est in Aulularia Plauti, in qua Molochinarios eos uocat, qui purpura tingebant pannos. Præterea Lucius Columella idem hoc uersiculo testatur.

οἷον μαλάχη τι εἰς ὕψος ἀναγομένη καὶ ἀποδενδρουμένη. συμβαίνει γὰρ τοῦτο καὶ οὐκ ἐν πολλῷ χρόνῳ, ἀλλ' ἐν ἓξ ἢ ἑπτὰ μησὶν, ὥστε μῆκος καὶ πάχος δορατιαῖον γίνεσθαι, διὸ καὶ βακτηρίαις αὐταῖς χρῶνται.

Et Moloche prono sequitur quæ uertice solem.

Quo loco obseruandum est, cum dicit Maluam solem sequi, id in minori Malua maxime uideri, nam illa semper folia sua, & flores uersus solem agit.

Serapio ca. 149. Auicenna lib. 2. cap. 199.

Arabes Maluam Romanam, alij Molochiam, alij Muluchiam arboream uocant, & semen eius Bizeri Katmi. Hebræi seu Thalmudistæ, Maluam חלמית Chalmuth, & חרני Harni appellant, teste Aruch Monsteri.

Diosco. lib. 3. cap. 155. Plinius lib. 27. cap. 4. Alceæ nomen Alismati quoque attribuitur, uide Dios. lib. 3. cap. 160.

Quod ad alteram pertinet, syluestrem nimirum, dicitur illa Germanis Sygmars wurtzel/ & Symons wurtzel/ id est Radix Simeonis. Dioscoridi & Plinio ἀλκέα. Barbarus putat eam esse, quæ cauda Leonis dicitur, cuius Poëtæ meminerunt. Alij Peristerion nominant, cum tamen ad Verbenam & Fumariam (de qua supra cap. lxix.) pertineat ea nomenclatura.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Maluarum genera (sub quibus & Ibiscum comprehensum uolumus) humidæ sunt naturæ, & mediocris temperaturæ, teste Constantino lib. v. cap. xvi. quibuscunque corporis affectionibus utrinque cumprimis saluberrima, quare inter olera culinaria & acetaria non postremum debent habere locum. Atqui hortensianæ maximarum sunt uirium, præsertim uero ad emolliendam aluum, quod his uersiculis innuit Martialis Poëta.

Exoneraturas aluum mihi uillica Maluas
Attulit, & uarias quas habet hortus opes.

INTRINSECVS.

Maluæ Romanæ, radix aut semen, si uino uel lacte decoctum per aliquot

dies

dies bibatur, calidam tussim tollit, exulcerationi pulmonis medetur, estq́; singulare aduersus phtisin remedium. Quisquis ergo huiusmodi morbis infestatur, is in cibo et potu Maluis continuo utatur, folijs scilicet, radice aut semine, aut si quod ex his magis illi arriserit. Possunt etiam ex rosis Maluarum Syrupi, ut uocant, & conseruæ, confici, ac Zaccharo condiri, quod & in alijs floribus facere solemus.

Et quod hic de Malua Romana dicimus, de omnibus Maluæ generibus intelligi uolumus.

Herbæ & radices Maluæ cum Fœniculo & Anetho uino decoctę, & potæ, lactantibus copiam lactis adferunt.

Hoc pacto usurpatum idem remedium, erosionibus uesicæ & intestinorum confert, aluumq́; subducit.

Aqua ex Romana, aut alia quauis Malua distillata, ac continuo pota, mirifice facit ad omnes internos febrium ardores, refrigerat illa & emollit omnia pulmonis & laterum mala, quę uitia alias Peripneumoniam, & pleurisin uocant Medici.

Eadē aqua pari ratione pota, sanat & mitigat dysenteriam, calidos matricis renum, & uesicæ abscessus persanat. Idem præstat id semen in iure gallinaceo decoctum & potum.

Syluestre Maluæ genus, quam Alceam uocari diximus, si herbæ & radicis uino uel aqua decoctum bibatur, torminibus intestinorum remedio est, ruptis & conuulsis conducit, & opitulatur.

EXTRINSECVS.

Maluæ Romanæ (quod et de alijs generibus intelligas) flores uino aut aqua decocti, interdum etiam admixto melle & alumine, prout affectiones id postulare uidebuntur, exulcerationem oris & colli sanant & mundant, gargarizati, & parumper in ore retenti.

Flores Maluæ Romanæ decocti aqua, aut aqua ex illis distillata, remedium est præstantissimum, aduersus ardorem gulæ, omnesq́; tam internas, quam externas inflammationes, sacros ignes, anginam, aliosq́; tumores, gargarissatu uel lineis linteolis impositu.

Aqua uel succus omnium Maluarum, contra aculeatos apium & vesparum ictus, illitus facit.

Oleum ex Maluæ floribus confectum, ac illitum, ne quis feratur ab illis animalculis hominem præseruat.

Folia Maluæ cum radice in urina decocta, ulcera capitis manantia, furfuresq́; sanant si caput illa decoctione abluas.

Aqua

Aqua Maluæ quæuis calida uulnera sanat, & ad sanationem mature ea urget.

Possunt etiam omnes externi abscessus, folijs radice, & semine Maluæ resolui & emolliri. Quidam adipem purissimum addunt ijs medicamentis.

Aduersus tumores epatis, lienis & matricis, accipiantur Maluæ herba, radix & semen, & cum farina ordeacea in aqua decoquantur, cui admisceatur oleum oliuæ, uel rosarum, ex his omnibus denicp emplastrum conficiatur, imponaturcp locis affectis, id quod non sine magna utilitate fiet, nã resoluendi, discutiendi, & emolliendi omnes calidos abscessus uim obtinet, huiusmodi medicamentum.

Eadem emplastra sacris ignibus & alijs id genus inflammationibus auxiliantur, & impactos corpori aculeos refigunt.

Omnibus clysteribus flores, radices & semina Maluæ, propter sanandi uim mirificam adijci debent.

Qui calculo renum molestantur, ij sacculum folijs & radice Maluæ refertum in caldario cum aqua decoquant, ac ea aqua balneentur, quod cum fecerint, meatus qui ex renibus in uesicam descendunt, partim angusti, partim tumoribus obstructi dilatabuntur & aperientur, obstructionibus liberati.

Eo Balneo si ad pedes utaris, fluxiones in caput eleuatas deduces, ac descendere coges.

Breuiter Malua Romana, Alcea, Malua uulgaris, & Ibiscus, omnibus calidis doloribus totius corporis apprime conducunt.

De uulgari Malua, quam Germani Käß Pappeln dicunt. CAP. CXX.


VULGARIS MALVA IN DVO QVOQVE GENERA distribuitur, & alia quidem maior, alia minor appellatur. Nascitur utracp inculta terra in pagis, hortis, cœmiterijs, secus itinera,

1. *Malua uulgatissima.* et sepes, et fere ubicp locorũ. Vulgatissima eadẽcp uilissima maximi apud medicos nostri tẽporis est usus. Ea rotunda habet folia, subpurpureos flores, exiguis uenis inferne interstinctos, caulem aliquando cubitalem. Porro flosculi qui cauli adnascuntur, in rotundos caseolos abeunt, quibus pueri lusus gratia in plateis negotiantur. Atcp hoc semen illius est.

2. *Maluæ uulgaris altera species.* Altera uero huius Maluæ species, foliorum, radicis, caulium, & seminis magnitudine, proceritate, & crassitie, uulgarem illam excedit. Et flores etiam huius maiores sunt, et plus ruboris habent, & multis purpureis uenis distin-

Malua uulgaris.

Gemein käß Pappeln.



distinguuntur, ac forma uniuersa florem Alceæ repræsentant. Nec desunt qui putent huius Maluæ folia cum sole circumagi, quod quidam copię humiditatis quæ illi inest ascribunt. Vide hac de re Columellam libro decimo.

NOMENCLATVRAE.

Germani has plantas Papeln/uocant, communi multis aliis herbis nomine. Nam Mediomatrices quasuis latifolias stirpes, maxime incognitas, ea appellatione notant. Quo tamen binæ eius species discerni possint, solent illi, primam exiguam illam a` seminis figura Käßpappeln/Hasenpappel/Genßpappel/& maiorem Roßpappeln/appellare. Dioscoridi μαλάχης ἀγρίας ἢ χερσαίας, Malua agrestis, seu inculta terra proueniens dicitur. Serap. Maluam Chubeze, & semē illius Bizeri Chubeiz nominat. Apud Latinos Malua a` molliendo, nam aluū emollit usurpata, nomen obtinuit, qua de causa, Molua Varroni dicta est.

Diosco. lib. 2. cap. 109.

Serap. cap. 149.

Auicenna lib. 2. cap. 199.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vulgares Maluæ fere calidæ & humidæ sunt qualitatis, easdemq; ha-

bent uires, quas & satiua. Vide de Malua Galeni de aliment. facult. lib. ij. Tit. Malua. Neque tantum in medicina suam laudem sortitæ sunt Maluę, sed & in coquinis locum suum inuenere, nam ex his, & alijs Maluæ generibus acetaria confici possunt, teste Platina lib. iiij.

INTRINSECVS.

Plinius scribit si quotidie quis succi ex qualibet earum sorbeat cyathum dimidium, eo die ab omnibus morbis qui accidere possent præseruari.

Succus Maluarum potus aduersus morbum comitialem facit.

Recentia & tenera Maluæ folia cum sale commanducata, ritu acetariorũ aliorum Ægylopas sanant, qui sunt abscessus inter maiorem oculi angulum, qui ruptus si negligatur in fistulam abit &c. uerum enimuero eidem abscessui folia Maluæ tusa cum melle imposita alligare conuenit.

EXTRINSECVS.

Maluæ tota sua substantia quibusuis ulceribus & tumoribus auxiliantur, quemadmodum superiori quoque capite docuimus.

De Althæa. Cap. CXXI.

EBISCVS LANVGINOSVM, ET MOLLE GENVS Maluæ est, & dubio procul omnium reliquorum saluberrimum ac utilissimum, id quod uel nomen Althęæ à nobilitate effectus illi impositum testatur, necnon consensus Chirurgorum apud quos semper magno in usu & existimatione fuit. Nascitur autem illa locis humentibus & pinguibus, nimirum pratis uliginosis prope fossas, & paludes, cæterasq́ꝫ aquarum collectiones, & in hortis etiam, si eo translata plantetur. Radix quæ illi candida est & uiscosa, ac multis adnatis radiculis fibrata, & quotannis nouos purpurei coloris ocellos, non aliter quam Elenium protrudit, qui in proceros & rotundos caules sub Maium mensem exeunt, multis cineraceis & lanuginosis in fastigium usque folijs uestitos. Inter folia uero mollia, ac rotundos coliculos candidi (& nonnunquam sublutei) erumpunt flores, Campanulæ formam repræsentantes, intra quos apices hirsuti, ac purpurei uisuntur. Floret appetente Iulio. Semen cum uulgari Malua idem habet, at magis gustu dulce, & lubricum ac glutinosum.

NOMENCLATVRAE.

Germani Ybisch hanc plantam uocant, nomine ab Ebisci, siue Ibisci uoce

tracto,

Althæa.
Ybisch.



tracto, qua in lingua Heilwurtz/seu Hilffwurtz iure appellari posset, à mirifica sanandi ui quæ illi inest, sicut & Græcis ἀλθαία, hoc est, Medica belle dicitur. Alias ἰβίσκος ἢ ἐβίσκος, unde proculdubio Germanica uox Ybisch descendit. Plinius Pastinacam hibiscum uocitat, id quod hoc loco impedimento nobis esse non debet. Galeno Anadendromalache, hoc est, Arborea, uel Arborescens Malua dicitur, quæ nomina ut mihi uidetur rectius Maluæ Romanæ tribui possent. Barbarus Aristalthæam nuncupat. Theophrastus & Macer Maluam agrestem, illã uocant, quod nomen uulgari Maluæ rectius ascribetur. Nonnullis olus Iudaicum, hoc est, Germanice, Judenkraut. Dioscorides Althæam & Ibiscum appellat, aitq; eam esse genus agrestis Maluæ, unde id nominis hactenus habuit. Nemo tamen est, qui non & Hibiscum & Maluam agrestem discernere possit. Medici nostræ ætatis plurimum usurpant Hibiscum, cumq; Maluauiscum, & Bismaluam, forte ab excellentia uirium & efficacia quæ in radice potius quam folijs spectatur. Ea tusa & aquæ imposita, addensari illam atq; congelascere facit, quemadmodum Consolidæ maioris radix, qua ratione colligi fa-

ἀλθαίνειν enim mederi significat.
Dosco. lib. 3. cap. 154.
Plinius lib. 19. cap. 5.

Ebiscus, Ibiscus, & cum aspiratione Hibiscus passim apud autores indifferenter usurpantur pro Althæa.

Serap. cap. 76. cile poteſt, dyſentericis & alui fluxionibus cohibendis prodeſſe. Serapio Althæam Chitini uocat, & Roſam Zaneni dici quoque teſtatur, ſed poſteri us hoc nomen Maluæ Romanæ ego tribuerem. Rurſus alio in loco idem Serap. cap. 207. autor Alfam illam dicit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Inter omnia Maluarum genera Hibiſcus, propter inſignes quas obtinet facultates, utriſq; corporis partibus curandis eligitur: Eſtq; ille temperamento ſuo fere calidus & ſiccus.

INTRINSECVS.

Radix Althææ uino aut aqua mulſa decocta, ac pota, medetur quibuſuis internis pectoris & pulmonis uitiis, & ut paucis multa dicam, uniuerſo corpori confert hæc medicina.

Eodē pacto uſurpata radix eroſiones inteſtinorum, ex dyſenteria, aliaue Choleræ cauſa profectas perſanat. Iiſdem facultatibus pollet aqua diſtillata.

Ea Aſtmaticis propinatur utiliter.

Aliæ ſi quæ Altheæ uires deſiderentur, ſub Malua Romana deſcriptæ reperientur.

EXTRINSECVS.

Quæcunque de Maluis dicuntur, ea dupliciter de Althæa intelligi debent, quo nomine à nonnullis Biſmalua uocitatur

Radix minutim conciſa, inq; lacte aut aqua decocta, quouſque in pultem euadat, & emplaſtri ritu impoſita, emollit, & maturat quæcunq; ulcera, quæ ſponte ſua ſuboriuntur, quale id eſt quod in manibus ſæpenumero naſcitur, & à Germanis das Mittel/ nuncupatur, necnon alia huic ſimilia, quacunque corporis parte oriantur.

Oleum ex foliis Altheæ confectum, omnes apum ac veſparum aculeatos ictus perſanat, illitu. Idem poſſunt folia per ſe.

Radix in aqua cocta, adiecto ſuillo adipe, aut anſerino, & terebinthina, in peſſis ſubdita, facit ad inflammationes uuluæ, & mariſcarum. Eodem munere fungitur aqua diſtillata.

Semen in puluerem redactum, & cum rore qui Maio menſe excipitur, temperatum, uitiligines & maculas faciei emendat.

Radix, aut ſemen in aceto decocta, ac calida in ore retenta, dolori dentiū auxiliatur.

Proinde apud Medicos equarios magni nominis & uſus eſt hæc radix.

De Scrophularia, seu (ut quidam uocant) Portulaca maiore, Germanis Wundkraut. CAP. CXXII.

Scrophularia.
Wundkraut.



INTER OMNES PLANtas uix alia reperitur quæ diutius uireat, & ab interitu uindicetur, hac ipsa nostra Scrophularia, qua de causa nonnulli, præsertim Mediomatrices in uigilia Diui Ioannis illa ad superstitiones suas, uti & Artemisia, utuntur. Nam quam primum ea dies transierit, suspendunt hanc herbam in conclauibus suis, alij etiam parietibus imponunt, & supra ianuas collocant, quibus in locis longo tempore uiret, & continuo repullulascit, ita ut circa festũ Natiuitatis uirentem eam reperias. Hoc uero illi faciunt, ea spe & fiducia persuasi, qua credunt illi homini qui herbam suspenderit, nullam lethalem ægritudinem accidere posse, tantisper dum illa incolumis sit, & uigeat. Sed relictis his superstitionibus, descriptionem eius potius audiamus.

Nascitur illa sine ullo negotio, & præcipue locis umbrosis, radice multiplici candida, & torosa, impli-

cata & perplexa, referunt autem singulæ radiculæ per se formam Rapunculorum, ut uulgo uocant, sapore dulci præditæ. Appetente Maio mense teretes emittit caules, qui usque ad fastigium rotundis, pinguibus, succulentis, ac Fabæ similibus folijs, ijsq; aliquibus instar cristæ gallinaceæ crenatis, & incisis uestiuntur. Atque ij caules Iulio & Augusto mensibus flores ferunt in umbellis elegantissimos, purpureos, odoris omnino expertes, instar foliorum Origani, sed multo pulchriores, & magis purpurantes, singuli stellæ figuram æmulantes.

NOMENCLATVRAE.

Cum aduersus hernias hæc herba usurpetur, apud Germanos Bruchwurtz appellata est, & Knaben kraut. Sortita est autem & alia nomina nam à sanãdi facultate Wundkraut/ & à forma radicum Zumpenkraut/ Fotzwein/ & Fotzzwang/ à superstitione uero cuius ab initio meminimus S. Johans kraut/ à similitudine denique foliorum, quæ illi est cum Faba, Bonen blatt dicitur. Et hæc quidem de Germanis eius appellationibus dicta sufficiant. Cæterum quod illi in Dioscoride sit nomen, Herbarij nostri nihil dum exposuerunt certi. Nam alius Scrophulariam, alius Fabam grossam, alius Portulacam maiorem, alius postremo Semperuiuum nominat. quod ad nos attinet, subscribimus opinionibus duabus postremis. Nam si respicias formam, Portulaca maior non inepte dicetur, licet nemo antiquorum herbariorum ita uocauerit hanc herbam, rursus si perpetuitatem eius consideres, quid obstat quo minus ἀείζωον uocetur? Et uidetur mihi omnino esse Aeizoon, non quidem illud quod Dioscorides lib. iiij. cap. lxxxv. sed quod libro eodem capite liij. describit & Chrysocomen appellat. Et quamuis nomina quæ eo loco adfert Dioscorides, non satis ad præsentem herbã quadrent, non tamen de nominibus semper sollicitos esse oportet, ubi de re ipsa constat. Vtut uero Chrysitin quoque, Chrysanthemon & Amaranthon eam cognominet, nihilominus tamen adijcit alias quoque, & huic herbæ magis proprias appellationes, nimirum διὸς πώγωνα, Iouis barbam, Dubath, & Buchromat. Sed duæ postremæ uoces peregrinæ sunt, & inexplicabiles. Multi propter radicis formam hanc herbam ad Satyria, Germanis Stendelwurtz pertinere arbitrantur. Sed si totam eius substantiam perspicias, rectius ad Portulacam, Sedum maius & minus (de quibus paulo post disseremus) referes. Sin uero Telephium fuerit, ut multi arbitrantur, certe id est quod à Dioscoride Portulaca agrestis dicitur lib. ij. cap. ult.

χρυσοκόμη.

De Chrysitis Chrysanthemi & Amaranthi uocibus supra locuti sumus. cap. 109.

Quæ sit Iouis barba, sequenti docebitur capite

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Herba hæc maxime quod ad folia pertinet, humidæ & frigidæ est temperaturæ. Radix uero ferme calidæ est qualitatis. Potestq; hæc planta utrinq; uulneratis adhiberi.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Aqua ex herba & folijs distillata et pota, nō leuis est medicina ad rupta, & conuulsa, ac uulnera etiam, & ulcera interna, necnon erosiones stomachi, pulmonis, epatis, matricis & intestinorum.

His omnibus uitijs medetur ista aqua, per aliquot dies continuo bibita.

Est autem illa aqua præstantissima medendis erosionibus intestinorum, quæ ex dysenteria accidere consueuerunt.

Radix cum melle in uino cocta & pota, ijsdem pollet facultatibus.

EXTRINSECVS.

Herba hęc glutinat & sanat omnis generis uulnera, præsertim uero hernias. Eadem tusa & imposita sanguinem uulneribus manantem sistit.

Sunt & mulierculæ quædam superstitiosæ, quæ credunt & docent, puerorum hernias curari, quamprimum herba ipsa prorumpere cœperit, puero prius intra genua in horto aliquo plantata. *Superstitio.*

Sed relinquam has & illis similes superstitiones suis autoribus, quo omnis offendiculi, & sinistræ opinionis ac superstitionis occasio deuitetur.


Illud tamen de præsenti hac planta affirmari potest, eam magna dolores sedandi facultate præstare, idq; tam in recentibus uulneribus, quam inueteratis ac sordidis ulceribus efficere tusa folia & imposita.

De Aizoo, seu Sedo. Cap. CXXIII.

AIZOON SEMPITERNVM VIRENS PLANTA, NVLla sui unquam parte marcescit, nisi caule, qui cum appetente Autumno defloruit, protinus arescit. Præter caules ut diximus, tota sua substantia quamcunq; cœli intemperiem ferre potest Aizoon, seriturq; illud in regionibus nostris, in tectis, & muris, quibus locis fœlicius prouenit. Nam radices eius exiguæ, capillatæq; cum sint, facile humi hęrēt, nutriūturq;. Quin et inter petras, & ad macerias & muros, ubi terra plane destituta est, uirentior quandoq; conspicitur. Folia Aizoo pinguia, crassa & succulenta, stipata, ac copiose congesta, ut stellam multiplicibus radijs distinctam repræsentent, prima autem & radici proxima in terram conuexa sunt, è quorum medio coliculi erumpunt, ex purpura rubentes, dodrantales, hirsuti, flosculis purpureis, forma seminum Lini receptacula exprimentibus, ijsq; ex ordine collocatis, emicantes. Porro pereunt illi cum caulibus sub Autumnum, nullo post se relicto semine, nam quotannis ocellos suos, siue gemmas ipsæ stirpes emittunt, è quibus noua subinde Aizoi soboles gignitur, non aliter atq; in Croci propagatione fieri consueuit.

Sedum.

Haußwurtz.



NOMENCLATVRAE.

Germani Haußwurtz/ hoc est, si interpreteris, Domesticam radicem, quod scilicet in culminibus domorum seratur &, Donderbar/ à tonitru, & ueteri illa superstitione, qua stultū uulgus credidit non feriri fulmine domum, in cuius tegulis uireat Sedum, appellant. Estq; ea herba quam alias uocant Barbā Iouis, tametsi Barbarus uir doctissimus, Chrysocomē, quam precedenti descripsimus capite, & alij Amaranthum (nam ijs Stœchas Citrina, & Barba Iouis una & eadem est herba, sed perperam illi sentiunt) hoc nomine insignire uelint. Dioscoridi ἀείζωον τὸ μέγα, Sedum seu Semperuiuum maius, uocatur. Proinde & alias appellationes illi ascribit idem Dioscorides, nam Aithales, hoc est, semper uirens, & Ambrosion, à sempiterno eius uirore (quanquam hoc ipsum nomen alijs quoque plantis commune sit) & Chrysospermon, & Zoophthalmon, & Buphthalmon, hoc est, Bouis oculum, à forma, & Stergethron, quod amorem conciliare putetur, Aeonion denique, Aichryson, Holochryson, Chrysanthemon, Protogonon, Boron, Notion, Paronychiam, Chrysitin, Ceri-am,

Diosco. lib. 4. cap. 85.

Pleraq; ex his nomina Sedo inde tribuuntur, quod quasuis cœli tempestates facile ferat, semperq; tam in hyeme quam æstate uireat, nullaq; cœli iniuria lædatur, quod ego sæuißima in grandine non semel uidi.

am, Cuſpiam, Iouis caulem, Leapetes, & Pamphanes nuncupari ait. Plinius Hypogeſon, & Amerimnon quibuſdam, Italis uero Digitellum & Oculum, nominari tradit. Apuleius Semperflorium, & Vitalem. Auerrhoes Caylem. Macer Accidulam. Serapio Beiahalalem, nominat. Otho Brunfelſius Trithales, quod ter in anno floreat, quod ego nunquam animaduerti. Sed hoc nomen ad minus Sedum pertinere, Plinius teſtatur, dum illud Trithales, ſeu Erithales appellat.

Plinius lib. 25. cap. 13.

Apul. cap. 123.

Serap. cap. 340.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Semperuiuum plane humidæ & frigidæ eſt qualitatis, adhibeturq́ʒ calidis morbis, & inflammationibus, idq́ʒ in externis frequentius quam internis corporis partibus.

Plinius lib. 25. cap. 13.

INTRINSECVS.

In inteſiſſimis acutarum febrium caloribus, necnon & dyſenterijs, alijsq́ʒ profluuijs (& præterea in nullis alijs morbis) aqua ex Sedo diſtillata exhiberi poteſt, menſura trium aut quatuor cochlearium.

Dioſcoridi ſuccus Sedi in uino potus, lumbricos excutit.

EXTRINSECVS.

Succus Semperuiui, & aqua diſtillata, linteolis in ea madefactis, ac impoſitis inflammationibus quibuſuis corporis, inprimis uero Phrenetico morbo apprime conducunt.

Quibus oculi propter abſceſſum aliquem aut inflammationem noctu præcluduntur, ij aquam Semperuiui diſtillatam infundant, quo facto non ſolum inflammatio ipſa, ſed & dolor tolletur, necnon fluxus oculorum calidus, idē auribus inſtillatus efficit. Rurſus ille ipſe ſuccus & aqua diſtillata, doloribus & inflammationibus iecoris & renum ſuccurrunt, & articulorū morbo & podagræ medentur. Auxiliantur autem non ſolum inflammationibus, ſed & ambuſtis igni, illita, & in linteolis impoſita.

Succus Semperuiui, admixto ſucco Solatri, cum oculis Populeis, decoctus in axungia ſuilla, ac percolatus, ut fiat unguentum, mire efficax eſt, omnibusq́ʒ Populeis unguentis Chirurgorum noſtrorum, meo iudicio præferendus, & mihi quidem longe gratior.

De Sedo minori, Germanis Mauerpfeffer. CAP. CXXIIII.

Sedum minus.
Klein Haußwurtz.



Duæ Sedi minoris species.

QVOD SVPERIORI capite descripsimus, Sedũ maius omnium herbariorum consensu dicitur, cui hanc ipsam plantam, quam Germani Mawrpfeffer nominant, adiungere placuit, quia Sedum minus esse uideatur, quod non tantum genitalis illius locus, nam plerunque in tegulis domorum, & muris reperitur, sed & idipsum comprobare uidetur, quod æstatis & hyemis duræ iniurias illæsa sufferre potest, non aliter atq; superius Aizoon.

Huius autem minoris Sedi quatuor liquido nobis constant genera, eorũq; duo, uidelicet minora, coliculis surculosis, & pinguibus ac succulentis acinis uerius quam folijs, nam ĳ grana tritici æmulantur, cõsimilia sunt. Rursus hoc pacto inter se differunt, ut alterum candidos & stellatos flosculos ferat, breuissimis & tenuissimis coliculis insidentes, alterum uero subluteos & pallidos, similiter stellatos sustineat. Atque hæc duo Sedi minoris genera

Vermicularis.

Katzen treübel.



nera nusquam alibi quam in tectis lateritijs, & muris reperi. Florent Maio mense, æstate accedente flos euanescit, sola foliola per integrũ annũ in caule uisuntur.

Tertium idemq́ maximum illius genus in altissimis syluis Vuasgoiæ & Hercynia gignitur, ad sabulosas nimirum rupes, necnon in quibusdam arenosis agris et campis calori solis maxime expositis. Folia seu acinos fert prælongos, sed tenuiores & acuminatiores duobus prioribus generibus. Caules emittit appetente Iulio, læues & raro dodrantales, qui in uertice exiguis, luteis et stellaris flosculis, ijsq́ congestim collocatis emicãt, ueluti Amaranti, pereuntq́ illi una cũ coliculis Augusto mense. 3. *Sedi minoris tertia species.*

Quarta Sedi minoris species, in humectis & herbidis pratis prosilit, Maio mẽse florem procreat purpureum ac roseum, eumq́ stellatum, purpureis insidentem coliculis, qui plurimis & minutissimis acinis undique circumdantur, multoq́ uiridioribus, quam in superiori sint planta, qui gustu non sunt salso, sed eo fere, quo culinariæ herbæ, ut est Beta, sunt præditæ. Æstate hæc planta & hyeme pariter uiret, quemadmodum Sedum maius. 4. *Quarta Sedi minoris species.*

NOMEN.

NOMENCLATVRAE.

Sedum maius, necnon ea planta quam altero ab hinc capite descripsimus, & hæc herbarum genera, easdem prope facultates obtinent. Nam refrigerant & sanant inflammationes & tumores, præterea uirorem suum retinent, licet decerptæ soli exponantur. Quibus rationibus ego permotus, Aizoon Germanis Haußwurtz/Sedum maius, Scrophulariam uero seu ut alij uocant Telephium, Germanis Knaben kraut/Sedum medium, nostrũ denique quod nunc præ manibus habemus, Sedum minus appellare uolui. Germanis hoc postremum Sedum Mauerpfeffer appellatur (quasi murale Piper) quod in muris proueniat, gustuq; acris admodum sit, ut Piper, & Blattloß (quasi folijs destitutum) eo quod pro folijs acinos quosdam habeat. Alij à forma Judentreübel/& Katzentreübel/hoc est, vuas Iudaicas, uel Felium nuncupant. Dioscorides ἀείζωον τὸ μικρὸν, Sedum minus, & à loco natali πετροφυὲς, Brotion, Theobrothion, Crobysson, Chimerinen, id est, Hyemalem (Germanice Winterkraut/seu Winterweissen/aut ut Hieronymus Braunschuueig interpretatur, Erdtweissen) Ceraunium, hoc est, Fulminarem herbam (Germanis Donderzepfflin) uocat, Ægyptij Epijcelta. Nostri medici à forma apposite Vermicularem nominant.

Nec desunt qui eam Sedi minoris speciem, quæ pinguior est & luteos gerit flores ac stellatos, Portulacam agrestem esse putant, calidumq; obtinere temperamentum, quod si ita se haberet, quemadmodum isti asserunt, sane euulsa hæc herba aresceret, ut reliquæ plantæ, quæ temperamento sunt calidæ. Cum uero id minime fiat, non est quod caliditatem illi ascribamus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vermicularis frigida & humida est, sicuti Sedum, ideoque externis corporis partibus commodior ac utilior existit.

INTRINSECVS.

Aqua ex illa distillata, aut succus, nunquam intro sumi debet, nisi caloris uehementia & necessitas id postulare uideatur, cum scilicet reliqua medicamenta refrigerantia nihil efficere possunt, id quod in Sedo quoque monuimus.

EXTRINSECVS.

Quæ de Sedo & Scrophularia diximus, ea in hac quoque vermiculari locum habent.

Linteola aqua Vermicularis distillata, aut succo eius intincta, & Phagedænæ (quem Germani den Wurm appellant) imposita, breui illam enecare, & dolores sedare traduntur.

Sunt

Sunt qui Vermicularem nostram Hippuridem maiorem, Germanis Schaffthewe/ dicendam putant, quorum error manifestior est, quam ut refutari debeat. Caueant ergo sibi qui sapiunt, ab his, necnon ab illis, qui altetam Vermicularem Portulacam syluestrem interpretantur.

De Portulaca. Cap. CXXV.

ETSI PORTVLACA, VT EST FRIGIDAE ET HVMIdæ temperaturæ planta, citius putredine corrumpitur, quam arescat: nihilominus tamen hyemis & frigoris impatientissima, & alsiosa esse, inde cognoscitur, quod quotannis ex semine, exiguo, tereti, & nigro repullulascere necesse habet, id quod in Semperuiuis superioribus tribus capitibus a nobis descriptis, minime reperias, quo nomine Portulaca Sedis, ut multi putant, accenseri non potest.


Portulaca duorũ est generum, hortensis scilicet & syluestris, quod & Dioscorides lib. ij. cap. cxiij. mecum testatur. Hortensis non ita pridem ex Gallijs ad nos, inter cæteras ex quibus acetaria fiunt, herbas in Germaniam deuenit. Estq; illa tota sua substantia grandior, pinguior, & succulentior, ea quam agrestem, seu syluestrem uocant Portulacam, folia fert rotunda, pinguia, Scrophulariæ similia, sed magis exigua. Caules eius qui ex una radice, eaq; candida & recta plures proueniunt, teretes sunt, & punicei, dodrantali longitudine in altum erecti, tametsi non raro humi sparsi procumbunt. Atq; ij inter geniculos, ex quibus folia cauli adnascuntur, in inferioribus foliorum partibus, luteis & stellatis ornãtur flosculis, qui a Iunio mense usq; ad Autumnum fere apparent, quo tempore in rotundos exiguos & contectos calyces, semine nigro refertos abeunt. Semen ubi maturuerit, & uasculis suis exciderit, appetente Autumno, tota substantia Portulacę putrescit, solo seminio humi relicto, quod illæsum per totam hyemem tanquam depositum fideliter ab alma tellure conseruatur, quousque in Vere cum se aperit, uitæ illud reddat. *1. Portulaca hortensis.*

Vulgaris autem & agrestis Portulaca, spõte sua in pinguibus aruis, & hortis nascitur, superiori per omnia similis, nisi quod angustiora folia, & minores flosculos fert. Semper per terram sparsa iacet, ueluti Centumnodia, qua de paulo post cap. cxxviij. Hæc Portulaca commanducata succo abundat glutinoso ac lubrico ueluti Malua, porcis in cibo utilissima, unde Germanis Portzel kraut/ quasi Porcellorum herba, dicta uidetur. *2. Syluestris Portulaca.*

NOMEN-

Portulaca.

Burgel/oder Grensel.



NOMENCLATVRAE.

Germani has plantas Burgel/ Burtzel/ & Portzel kraut/ac Grensel appellare cōsueuerunt. Latini Portulacas nominant. Græcis Portulaca ἀνδράχνη dicitur. Et hæc quidem uulgaria Portulacæ alterius, hortensis scil. sunt nomina. At q̃d ad syluestris Portulacæ appellationes attinet, uariant exemplaria Dioscoridis. Et optādum sane esset, ut suo loco quæq; planta, in ueterum scriptis collocaretur, quod si fieret maiori cū fructu illa legeremus. Sed ea semper fuit sciolorum in deprauandis optimorum autorum scriptis peruersitas, ut cum aliquid minus intelligerent, statim immutato ordine pro libito transponerent, aut omnino expungerent, substitutis in locum adulterinis sententijs, qui factum est, ut uetusta & emendata exemplaria prorsus perierint, relictis nouis & de prauatis, quibus si rē diligenter consideres, quod alibi deest, alio loco superfluum inueniatur. Id cum in alijs multis capitibus Dioscoridis contigerit, tum uero in descriptione Portulacę haud obscure uidere est. Nam Andrachnen hoc est, Portulacam. lib. ij cap. cxiij, duorum esse generum ait, hortensem, &

sem & agrestem, sicut rei ueritas sese habet. Rursus lib. iiij. sub descriptione Sedi minoris, tertium illus genus, Portulacam agrestem esse, & Illecebram, ac Telephion dici tradit. Præterea Telephio proprium dicatum est caput, nimirum ultimum secundi libri, quo loco Portulace agrestis seu Illecebræ iterum facta est mentio. Quis ergo non uidet in his mendosis exemplaribus, omnia esse confusa, nihilq; uel suis proprijs nominibus appellatũ, uel suis locis dispositum? Sed cui ascribemus hæc, nisi temporis quo omnia & uariantur & abolentur, iniquitati, & herbariorum, ac medicorum & imperitiæ & negligentiæ? Nos, relictis his ad uires Portulacæ transibimus.

In ijs exemplaribus quæ Coloniæ Ioannes Soter excudit, cum commentarijs Marcelli Vergilij, unius tantum generis Portulaca, cap. 113. lib. 2. describitur, sicut et Ruelliana habēt exemplaria.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Portulaca frigida & aquea temperamento est, teste Galeno, utrisque corporis partibus utilissima herba. Est uero illa partim subacidi & salsi saporis, ut uideatur sale condita. Qui factum est, ut apud ueteres inter Salgama, quę ad usum & uictum sale condire solebant, relata fuerit. Et meo quidē iudicio, æque utile est, & iucundi ac grati saporis hoc Portulacæ condimentum, atq; id quod ex Cappari & oliua conficiunt Itali & Galli, quod ego non semel expertus sum.

Vnum hoc in Portulaca detestandum est, quod atros & melancholicos auget humores, uti scriptum reliquit Hippocrates lib. vi. de Epidemijs.

INTRINSECVS.

Herba Portulacæ, succus, aqua distillata, semen & quicquid denique ex illa conficitur, internis stomachi, epatis & renum caloribus confert, si deuoretur, aut bibatur.

Herba, & aqua distillata, dysenterias, & alias alui fluxiones cohibent, cōfortant & refrigerant renes calida intemperie affectos, & aduersus ardorē urinæ faciunt. Eadem ratione usurpata, menses sistit, & sanguinem ex mariscis defluentem, excreationibus sanguinis tollendis, tussiq; & astmaticis medendis utilissima.

Si herbam, semen, aut aquam distillatam quis continuo usurpet, ille sentiet Gonorrhœam impediri, & veneris impetus inhiberi, sanguinemq; refrigerari.

EXTRINSECVS.

Herba aut semen Portulacæ si tundatur, & cum polenta temperetur, ac permisceatur, & emplastri modo fronti atq; tēporibus imponatur, sedat dolores capitis, quos æstus excitauit, et quam uocant Phrenesin, oculorum inflammationem, & ruborem illorum amouet, sacris ignibus medetur, et erysipelatis.

Si

Si aquæ distillatæ aut succo Portulacæ oleum rosaceum aut violaceum miscueris, ut fiat emplastrum, illinasq́ temporibus somnum & quietem induces.

Ea ipsa medicina utilissima est ad prouocandum somnum in infantibus, qui ob nimios calores dormire nequeunt, in stupa cannabina capiti imposita. Potest & aqua distillata quandoque potanda illis exhiberi.

Aqua distillata si prius in illa grana Cotoneorum, aut semen Basilici maceretur, linguæ illita oris fauciumq́ ardori & exulcerationi medetur.

Præterea aqua Portulacæ, si ex illa os colluatur, aut certe ipsa herba commanducata, dentium stuporem ab acidorum contactu ortum, sanari certa experientia comprobauit.

Portulaca deniq; fluxiones capitis, quas uocant destillationes reprimit, quod Plinius lib. xx. cap. xx. his uerbis testatum reliquit.

Quin etiam inueni apud autores, caput inde litum destillationem toto anno non sentire. Oculos tamen hebetare putatur.

Propter hanc causam, quidam è collo suspensam filo, gerunt &c.

De Morsu gallinæ. *Cap.* CXXVI.

QVANQVAM, QVAE VVLGO DICITVR MORSVS gallinæ, Anagallidi quadantenus, maxime quod ad folia attinet, affinis esse uideatur, non tamen ad illam referri potest, sed ad proprium ac peculiare genus pertinet. Herba est uulgatissima, perq; totum annum in hortis inuenitur, & in uineis, ac quo pinguior locus eius natalis fuerit, eo lætior & pinguior tota sua substantia humi procūbens, & hinc inde serpens, prouenit. Radicem habet tenuissimis capillamentis fibratam, caulem teretem, succulentum prorsus, mollem, flosculos exiguos, candidos, eosq; inter foliola ex utraque coliculorū parte enascentes, qui tandem in cōclusa ac minima (nam non sunt maiora semine Passerinæ) abeunt uascula, in quibus minutissimum, luteumq; semen, multoq; minus seminio Chelidoniæ, continetur. Planta hæc ex semine deciduo repullulascit, & in omnibus cultis hortis per annum totum uiridis ac recens reperitur, non aliter atq; Senecio, gustu plane eodem, quo & culinariæ herbæ & olera, prædi tæ sunt, hominibus, pecoribusq́ utilissima, inprimis autem, carduelibus caueis inclusis, nam cum fastidiunt escam, solent se ea herba recreare.

1. *Primum genus, morsus gallinæ.*

Et hæc quidem de primo genere (nam sunt & alia huius herbæ genera) dicta sufficiant.

In agris

Morsus gallinæ.

Hüner darm/Vogelkraut.



In agris ac hortis, irriguis & graminosis secundum & maius illius genus reperitur, quod in cubitalem aliquando altitudinem excrescit, cauliculum habet geniculatum, utrinque folia Portulacæ syuestris, inter quę flosculi prioribus similes exeunt. 2. *Secundum genus morsus gallinæ.*

Tertio, alia quædam huius herbæ species in hortis & vineis inuenitur, primæ similis, folijs subasperioribus, serratis, instar Chamædryos uulgaris uestita, flosculis cœruleis inter alas ramulorum prorumpentibus. Semen eius rotūdum, binis & latis loculamentis conclusum uisitur. 3. *Tertia morsus gallinæ species.*

Extat pręterea aliud eius genus foliolis ualde exiguis, Thymo non dissimilibus, flosculis ex albo cœruleis, semine luteo, paruulis itidem loculamentis contento. Tres hæ posteriores herbæ omnes serpendo per terrā se propagant, uelut morsus gallinæ, ac Portulaca syluestris. 4. *Quarta Morsus gallinæ species.*

NOMENCLATVRAE.

Germanis hæ plantæ Hünerdarm/Hünerserb/Meier/Hünerbiß/Genßkraut/& Vogelkraut/ Latinis Morsus gallinæ dicuntur. Nonnulli hanc herbam, Morsum inquam gallinæ, medium genus Anagallidis esse, Hippiamque mediam uocan

dam contendunt, quibus ut assentiar adduci nullus potero. Neque enim Anagallis est, sed potius (meo iudicio) τηλέφιον Dioscoridis, maxime quod ad priores tres illius species pertinet. Vt uero sic sentiam, ipsa descriptio, necnon temperamentum & uires herbæ me urgent. Quid enim Portulacæ, folijs, & tota prorsus forma similius, Morsu gallinæ? An non ille per annum totum, in uineis & hortis, uirentior ipsa Portulaca durat? Exposui sententiam meam, adferant qui possunt meliora, & nullius laudi inuidebimus. Serapio cap. cccxl. cum de Semperuiuis agit, inter cætera huius quoque herbæ meminit, tametsi quid dicat, nesciat, nam idem illi quod alijs multis scriptoribus proculdubio accidit, ut sæpe citra experientiam, & cognitionem uiuarum herbarum imaginum, historiam illarum conscripserit. Dicit autē illam Andrachabara, Andrage agria, Tilaphon, Alscebram, nominari. Nemo uero est qui nesciat, quod Arabes per Alscebram nihil aliud intelligant quam Esulam, id quod Mesuę & Auicennæ scripta abunde testantur, qua de re supra cap. c. disseruimus.

De hac herba optime scripsit Plinius lib. xxvij. cap. xiij. cuius uerba in gratiam studiosorum rei herbariæ subijciemus.

Telephion Portulacæ similis est & caule & folijs. Rami à radice septeni, octoniue fruticant, folijs crassis, carnosis. Nascitur in cultis, & maxime inter uites. Illinitur lentigini, & cum inaruit, teritur. Illinitur & Vitiligini, ternis fere mensibus, senis horis noctis aut diei, postea farina hordeacea illinitur. Medetur & uulneribus & fistulis. Hæc ille.

Cæterum quod noui quidam herbarij Morsum gallinæ Alsinen faciant, per me hoc illis licebit, modo meas mihi non conculcent herbas.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Morsus gallinæ refrigerantem & humectantem, quemadmodum Portulaca obtinet facultatem, potestq́ utrinque commode usurpari.

INTRINESCVS.

Aqua distillata cum Portulaca easdem habet uires, sed & hoc illi experientia tribuit, quod ijs qui diuturnis morbis & magnitudine ægritudinum consumpti sunt, uiribusq́ deficiunt, & macrescunt, utilissima sit, uel per se uel in uino pota.

Eadem

Eadem infantibus, in summis caloribus & ægritudinibus exhiberi debet, nam non solum internas inflammationes restinguit, sed & impedit, qui accidere possent, morbos, ut sunt spasmi.

EXTRINSECVS.

Herba ipsa, succus & aqua distillata, non secus atque Portulacæ & Semperuiui minoris, uulneribus calidis & ulceribus utilissima sunt, imposita, illita & si ex illis colluantur.

Ex succo unguenta refrigerantia confici possunt, inflammationibus iecoris aliorumque uulnerum, commodissima, non minus quam Populeon, quemadmodum de Sedo, Semperuiuo, & Solatro docuimus.

De Anagallide. Cap. CXXVII.


ANAGALLIDIS DVO CONSTITVIT GENERA DIOscorides, alterã flore cœruleo, fœminam nimirum, quæ & prior floret, alteram uero puniceo, quæ illi mas dicitur. Bini hi & teneri frutices iisdem uestiuntur foliolis, eodem sunt caule præditi, & consimiles habent radices, non altiores palmo fiunt uterque, inque terra iacent sparsi, quemadmodum Portulaca, aut Morsus gallinæ. Radices illis capillatæ & fibratæ prorsus, folia Hypericum, aut Maioranam æmulantur, quæ & bina sibi inuicem undequaque opposita conspiciuntur. Flosculis decidentibus globuli plane teretes subsequuntur, instar Coriandri, in quibus semen exiguum & triangularis figuræ inclusum reperitur, idque luteum. Porro uterque sexus, gustu amarus est. *Diosco. lib. 2. ca. 170.* A

Nascuntur Anagallides passim in hortis, aruis, uineis, & præcipue agris demessis. Florent per totam æstatem, à Maio mense incipientes. Cæterum quibus superstitionibus ueteres in effodienda Anagallide usi fuerint, extat apud Plinium libro xxv. capite. xi.

Christiani certe nihili faciunt eiusmodi nugas, tametsi, proh dolor, nec illis suæ desinit superstitiones.

Venatores hisce plantulis medentur canibus uenaticis, si quando contagiosa rabie infestati fuerint, ea nimirum ratione ducti, quod intelligerent, ueteribus illas aduersus uenenatos viperarum & serpentum morsus utiliter usurpatas, sicuti etiamnum hodie contra quasuis à ueneno profectas affectiones usurpari possunt.

Anagallis.
Gauchheyl.



NOMENCLATVRAE.

ἀναγαλλὶς Græce, Anagallis Latine, Germanice Gauchheyl & Colmarkraut. Plinius tradit Anagallidem quibusdam Corchoron uocari, qui proculdubio is est, cuius Theophrastus libro vij. cap. vij meminit, aitq; ob amaritudinem suam illum in prouerbium abijsse, ut diceretur, κόρχορος ἐν λαχάνοις, hoc est, Chorchorus inter olera. Nemo autem est, modo sanæ sit mentis, qui sententiam nostram refellere poßit, nam Anagallis non tantum amarũ habet saporem, sed & descriptio Theophrasti, cum dicit folia illius Ocymo similia esse, herbæ protinus respondet, Dioscoride, Plinio & Theophrasto, consentientibus id historia illius, Mirũ, quod Plinius commemorat, fœminam Anagallidẽ pecora uitare, at si decepta similitudine (flore enim tãtum distat) degustauere, statim eam in remedio quærere, quæ Asyla uocatur, a Romanis Ferus oculus. Appellationes plures Anagallidis Dioscorides annotauit, quas pro more subijciemus. Anagallis purpurea, quibusdam Aeritis, aut Ægitis uocatur, alijs Sauritis, magis Oculi sanguis, aut Chelidonion. Romanis Macia, Dacis Cerceraphon.

Ana-

Anagallis cōmunis, quibusdam Chorchoron, aliis Halicacabon, aliis Zeliaurus, magis Nycteritis, Ægyptiis Mecii, Romanis Aneciaton, Aphris Asirrisæ. Iacobus Manlius & alii nonnulli Morsui gallinæ, Anagallidis nomenclationem tribuunt, cognominātq; illam herbam Morgelinam, & Hippiam, asseruntq; eam quæ puniceos fert flores, syluestre esse Anagallidis genus. Pandectarum autor Auriculam muris esse dicit, quemadmodū Neoterici quidam Herbarii Morsum gallinæ ad Auriculas muris referunt. De qua re uide supra caput xciii. & Nicolaum Leonicenum de Alsine. Serapio cap. clv, Masculam Xantalam, Fœminam Cardabellam nuncupat.

De Anagallide aquatica uide supra 61. cap. Halicacabi uox ad Solana pertinet, uide 101. caput supra. Chelidonii uox, Hirundinariæ utrique tribuitur, uide cap. 33. & 35. supra. Quam uero Nicander in Theriacis Saurcen nominat, existimo esse Sauritin, & Anagallidē Dioscoridis.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Anagallidis uterq; sexus calidam & siccam naturam obtinet, extergendi mundandi, & expellendi facultate præditus, utrisq; corporis partibus accommodatissimus.

INTRINSECVS.

Anagallis uino decocta, medetur ictibus serpentum & viperarum, si bibatur, aut si ex decocto uulnera colluantur, & herba imponatur.

Propter hanc ipsam causam, aduersus pestem Anagallis utraq; mirifice conducit, ita usurpata, ut posteaquam ex illa mediocrem haustum acceperis, in lectum te componas, probe contectum, & sudes, tum enim omne uenenum per sudores expelletur.

Anagallis canibus morsu læsis utilissima, similiter & hominibus, aduersus canis rabiosi morsus conducit, quisquis etenim hoc pacto affectus fuerit, continuo utatur, uel succo uel aqua Anagallidis, eaq; potet, ac ex illis uulnera colluat.

Pari ratione usurpata Anagallis aquam intercutem expellit, iecoris meatus aperit, purgat renes, calculumq; mouet & expellit.

EXTRINSECVS.

Omnia uenenosa uulnera, ictus & morsus, succo, uel aqua Anagallidis mundificari debent, nam dolorem mitigandi & uenenum extrahendi, atq; impactos corpori aculeos refigendi, uim habet maximam, teste Galeno lib. vi. Simp. facult. Cohibent quas uocant nomas & rheumatismos, eosq; ad sanitatem cito promouent.

Succus melli purissimo admixtus, oculorum caliginem discutit, & argemata: claritatemq; illorum adiuuat, illitus.

Succus naribus inditus, cerebrum purgat, pituitam capitis elicit, quæ dolorem dentium non raro adfert.

Tradunt eam quæ cœruleum habet florem prociduam sedem reprimere, quæ phœniceum, illitu prouocare. Hinc sane colligi potest, masculam Anagallida in expellendo efficaciorem esse, fœmella.

De Polygono masculo, uulgo Centumnodia. CAP. CXXVIII.

MVLTI IN EA SVNT SENTENTIA VT EXISTIMENT hoc nostrum Polygonon intelligendum, ubicunque de gramine apud autores incidat mentio, sed quam recte illi sentiant uel hinc manifestum fieri putamus, quod lib. iiij. cap. xxxi. proprium Gramini dicauit caput Dioscorides. Nos relictis his ad descriptionem Polygoni nostri pergemus.

1. Primum Polygoni genus. Polygonon inter uulgares plantas uulgatissima est, simulq; utilissima. Quæ enim est regio in qua non reperiatur? quæ uia ad quam non appareat? qui denique agri (nam illis inprimis gaudet) quæ sepes, quæ itinera illo tantum non obruuntur? Nascitur autem Iunio mense primum ex semine, cum sit æstiua herba, & quotannis renasci atq; mori necesse habeat. Radices habet teretes, breues & tenues. Caules itidem rotundos, teneros & molles, ac prorsus geniculatos & nodosos, innumeris pene ramulis, ac adnascentijs ornatos, geniculis breuissimo internallo à se mutuo distantibus, qui & binis foliolis utrinq; sese respicientibus, acutioribus Rutæ folijs, Thymo fere aut Satureiæ similibus, uestiuntur. Sub geniculis & folijs flosculus admodum exiguus, nec enim maior est Milij seminio, quibusdam candidus, alijs ex purpura candicans emergit, qui tandem in triangulare granum abit, Acetosæ semini simile, & hæc illius sementis est, quæ appetente Autumno ad maturitatem suam prouenit. Porro binorum cubitorum longitudinē sortiuntur hæc duo Polygoni genera, ut illis tanquam Salicibus & funibus, in uinciendis & colligandis sarcinis uti possis.

1. 2. Duo Polygoni maris genera quod ad florem attinet.

2. Polygonon minus. Alterum Polygoni genus, huic per omnia simile, sed minus & breuius est, nam dodrantem nequaquam excedit, florem, quo solo à primo genere dissidet, fert Centaureæ uulgari, aut rubræ Anagallidi consimilem. Hoc ipsum Polygonon Aprili mense, & per totam deinde æstatem in agris demessis inueni.

NOMENCLATVRAE.

Germani has herbas Weggraß/& Wegdritt/à uijs & itineribus tracto

nomine

Polygonon masculum.
Weggraß.



nomine nuncupant, quod plerunque ad itinera proueniat, & viatores non raro remoretur, & sæpe improuidos, nihilq; tale cogitantes in terram prosternat, solent enim petulantes & maligni homines ea gramina colligare, ut pedibus inhærentia viatores, ut diximus impediant. Medici nostri Centinodiam, & Corrigiolam uocant, alij Sanguinalem Germanis Blůtkraut/ est enim Sanguinalis mascula, ut ex Dioscoride facile constat. Nam is Polygonon masculum nominat, scribitq; alios uocare Polygonatum, alios Cynochalam, alios Heracliam, alios Aspalton, alios Chiliophyllon, alios Clema, alios Polycarpon, alios Carcinethron, alios Teuthalida, alios Myrtopetalon, alios Cnopodion, alios Zaritheam, alios Pedaliam, Ægyptios Thephin, aliquos Stemphin, Magos genituram herois, aliquos Vnguem muris, Latinos Sanguinariam, aut Seminalem. Aphros denique Chulum.

πολύγονον ἄῤῥεν. Diosco. lib. 4. cap. 4.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Magnam apud ueteres laudem habuerunt Polygona, idq; ob mirifica

suas uires, sunt enim natura sua frigidæ & siccæ, sanguinis & alui fluxiones sistentes, & calculum per urinam propellentes, quare utrinque utiliter usurpari possunt.

INTRINSECVS.

Polygonon uino rubro decoctum & potum, alui fluxiones, uomitiones, sanguinis excreationes, fœminarum profluuia sistit, contra uenenum quoduis auxiliatur, calculos renum pellit potenter, internos calores restinguit, choleræ & feruori stomachi aliorumque membrorum prodest, internorum membrorum erosionibus medetur, in summa internis corporis partibus mirifice auxiliatur. Eadem intelligas uelim, de aqua eius distillata, si cũ semine suo in puluerem redacto sumatur.

EXTRINSECVS.

Succus Polygoni, & aqua eiusdem distillata, inter præcipua remedia habentur, quæ refrigerandis & restinguendis Erysipelatis, & sacris ignibus, & inflammationibus inde profectis, siue eæ sint internæ siue externæ, imponuntur & adhibentur.

Eadem aqua distillata, seu succus herbæ, auribus purulentibus instillatur, putrescentibus & gangrænosis gingiuis prodest, & uulneribus tam recentibus quam inueteratis, inprimis autem ulceribus genitalium utriusque sexus, conducit: conseruat enim ea ne inflammationibus alijsue accidentibus malis infestentur.

De Polygono quod Germani Knawel appelant. CAP. CXXIX.

HERBVLA ISTHAEC QVAM GERMANI Knawel APpellitant, cum humidiores sunt anni tempestates, a vere inde usque ad Autumnum, in agris maxime uero ijs qui Rapis consiti fuere, inuenitur. Fruticulus est unicus, surculosus, dodrantalis, geniculatus, non secus atque Polygonon, quod præcedenti descripsimus capite. Folijs uestitur minutissimis, cineracei coloris, acutis ueluti Chamæcyparissus. Flos illi multiplex & copiosus, quemadmodum & semen, quæ duo nihil aliud esse apparent, quam flosculi exigui, uirides, & stellati, instar granorum Milij, odoris uehementissimi. Radicem habet exiguam, capillatam, nec temere digitum longam.

NOMEN.

Polygonon Germanis
Knawel.



NOMENCLATVRAE.

Quanquam si descriptionem spectes nostra hæc plãtula, non facile πολύγονον θῆλυ, hoc est, Sanguinaria fœmina dici possit, tamen quod ad geniculos frequentes, quibus interstinguitur, attinet, Polygoni fortasse gen⁹ erit, aut potius obnumerosum et copiosum semẽ πολύκαρπον. Certe si uires eius cõsiderentur, cõmode πολύκνημον appellabitur. Nam ad stranguriam & stillicidium urinæ mirifice facit. Polycnemum quidam Clinopedion, alij Polygonatõ, alij Iouis colum, alij Echeonymon uocant. *Diosco. lib. 3. cap. 99.*

VIRES AC TEM-
peramentum.

Dulcem hanc herbulam, quæ apud Mediomatrices Knawel dicitur, a Polygonis separare non possum, posteaquam easdem cum illis obtinet facultates.

INTRINSECVS.

Polycnemum uino decoctum & potum, calculum expellit, quemadmodum Polygonon. Idem de aqua distillata Polycnemi, & pona, sentiendum est. Potestq; pro Polygono in omnibus sumi Polycnemum.

Proinde gratissimũ est armentis pabulum, in eum etenim usum a puellis in æstate carpitur.

EXTRINSECVS.

In externis corporis partibus medendis, eundem usum habet Polycnemum, quem & Polygonum.

De Peruinca. Cap. CXXX.

Yngrün.



PERVINCA, EX CAPILLATA ac fibrata radice, multas nodosas & geniculatas uiticulas emittit, quæ uirgæ, aut si mauis sarmenta ubicunque terram attigerint, ibi radicantur, præsertim ea parte qua nodosæ, aut geniculatæ existunt, & radices acquirunt capillamentis multis fibratas, qui fit, ut uno de surculo breui tempore amplissima area obduci possit, quamobrem non immerito serpentibus & hederaceis herbis accensetur. Folia eius pleraque admodum exigua sunt, buxo non dissimilia, nonnulla etiam maiora, ita ut salicis herbam referant. Martio mense florem fert ex purpura cœruleum, quinis foliolis distinctum, instar Boraginis, & prorsus inodorũ. Per totam hyemem uiret, & quascunque illius iniurias illæsa suffert, & quod mirandum mihi uidetur, intra humum etiam sepulta incolumis longo tempore manet, id quod testari ipse possum. Nam anno supra millesimum

Miraculum naturæ

lesimum quingentesimo, tricesimo nono, in die Marci Euangelistæ, uidi caput effodi, quod hac herba coronatum erat. Proinde ipsa herba uiridis plane erat, ac si recens lecta fuisset, cum tamen multis annis cum cadauere in sepulchro abdita latuisset. Hinc facile liquet, cur eam nonnulli Germanica uoce Todten kraut, aut Todten violen/hoc est, herbam siue violas mortuorũ, uocarint, nimirum quod illa mortui coronari consueuerint.

Historia de Peruincæ perpetua uiriditate.

Peruinca gaudet locis umbrosis, prouenitq; in quibusdam hortis, in muris, secus sepes, sub dumetis denique & rupibus.

NOMENCLATVRAE.

Commune apud Germanos Peruincæ nomen est Yngrün/à perpetuo illi uirore inditum, Officinæ Peruincam nominant. Est autem illa ipsissima Clematis Dioscoridis, quæ Plinio & Daphnoides cognominatur. Posset & Chamædaphne, hoc est, Terrestris, seu humilis dici Laurus, aut ut Romani dicunt Laurago, & Laureola, & Vinca Peruinca, quemadmodum alibi meminit Plinius. Apud Dioscoridem sequentia Peruincæ nomina leguntur, δαφνοειδὶς, σμυρνοειδὶς, πολυγονοειδὶς. Apud Apuleium uero cap. lviij. multæ extant nomenclationes illius, nimirum Eupeplios, Daphnoides, Hypoglossion, Eupetalon, Diglossos, Nycephyllon, Pelleon, Idæa Daphne, Samothracia Daphne, Alexandrina Daphne, Mitrion, Danaë, Stephane Alexandrum, Chamædaphne, Carpohyllon, Daphnitis. Latine Peruinca, Victoriæ folium, Laurus Alexandrina, Macedonica, Laurago, Mustellago terrestris. In Plinio nonnullæ ex his repetuntur, & aliæ etiam adijciuntur, uidelicet Hypetale, Pelasgum, Eupetalon, Stephane Alexandri. Sed quantum mihi quidem uidetur, rectius uniuersæ hæ appellationes Lauro Alexandrinæ, de qua sequenti dicemus capite, quam Peruincæ tribuentur. Quod uero controuersia nominum in hanc quoque plantam irrepsit, mirum uideri non debet, cum Lauri Alexandrinæ appellatio, multis & uarijs herbis attributa semper fuerit. Nihilominus descriptio quæ apud Plinium lib. xxi. cap. xi. extat, Peruincæ nostræ satis respondet.

κληματὶς δαφνοειδὴς.

Pli. lib. 24. ca. 15.

Dioscor. lib. 4. cap. 7.

Plinius lib. 15. cap. 30.

Eo in loco Peruinca Chamædaphne dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Peruinca æternum uirens sicca est temperamento, & utiliter utrisque corporis partibus adhibetur.

INTRINSECVS.

Quod si Clematis sit hæc herba, id quod mihi dubium non est, certe illa

uino

uino decocta & pota, torminibus prodest, alui profluuia & dysenterias sedat, & mulierum menses sistit.

EXTRINSECVS.

Herba ipsa tusa, uenenosis ictibus & morsibus imposita, medetur.

Succus expressus, auribusq; instillatus, dolores illarum finit: Dolores etiam dentium sedat in ore retentus.

Succus in pesso mulieribus subditus, cruciatibus uuluæ medetur, fluxumq; sistit.

Si quis habuerit uinum turbidum, quodq; colorem amisit, accipiat tantum huius herbę, quantum pro quantitate & copia uini sufficit, uasiq; imponat, ac illud deinde obturet, obturatumq; quindenam relinquat, quod cum fecerit, uinum breui purissimum ac clarissimum reddetur, & genuinum suũ colorem recuperabit: præstabit tamen si rite rem perficere uoles, ut uinum prius in aliud uas transferatur, tumq; herba ut diximus, utiliter iniicietur. Hæc ita se habere experientia certa comprobauit.

De Lauro Alexandrino, uulgo Vuularia. CAP. CXXXI.

HANC PLANTAM ANTE ANNOS ALIQVOT, doctissimo uiro D. Othoni Brunfelsio piæ memoriæ, in Theophrasto & Dioscoride demonstraui, qui illam deinceps suo Herbario inseruit. Hunc excellentissimus uir Euricius Cordus, Poëta & Medicus secutus, in colloquio suo quod de herbis cõscripsit, Lauri huius mentionem quoque fecit. Præter hos duos, nemo, qui indicasset, quo loco in Dioscoride nasceretur ista Laurus, extitit. Orandus est autem Deus Opt. Max. ut bonos & diligentes uiros excitet, qui in re herbaria ornanda & amplificanda operam suam impendant, quo in hac etiam parte Reipub. seruiatur.

Laurum istam circumforanei Agyrtæ, seu Rizophori, ex Vngaria, sine radice ad nos deportant, asserentes eam in altissimis prouenire syluis. Caules habet rotundos, ueluti Sigillum (ut uulgo uocant) Salomonicum, dodrantales, utrinq; crassis folijs uestitos, diluti uiroris, Lauro similibus, sed tenerioribus & mollioribus. Porro quodq; folium aliud ex se gignit foliolum linguIæ, aut uuulæ appensæ simillimum, unde apud Germanos nomen

Laurus Alexandrina.

Zapffenkraut.



meninuenit, quod dicitur Zäpfflin kraut/hoc est, Vuularia. Inter folia & caules uidi ego rubros acinos ciceris magnitudine, idq; Argentinæ in nundinis, ad quas, quidam Agyrta hãc herbam partim cum fructu, partim sine illo; sed tamen satis sibi inuicem consimilem detulerat ex Pannonia inferiore.

NOMENCLATVRAE.

δάφνη ἀλεξάνδρεια Lauri Alexandrinæ appellatio, Chamædaphnæ etiam tribuitur apud Dioscoridem lib. 4. ca. 144.

Hic uero habemus triumphalem illam Laurum, qua Alexander Magnus uictor usus creditur, ut scribit Vergilius Marcellus, unde illi Laurus Alexandrina nomen factum est. Porro hanc Laurum teste Diosco. lib. iiij. cap. cxliij. aliqui Idæam, à monte Ida, in quo affatim luxuriat, alij Danaen, alij Hyppoglotton, alij Zaliam, alij Stephanen, alij Daphnon, alij Samothracicen, alij Methrion, alij Hyppoglossion uocant. Theophrastus lib. iij. cap. xvij. ἐπιφυλλόκαρπον, eleganter dicit, quod fructum super folijs ferat. Vulgo Vuulariã, Germani Zapffen blatt/& Hockenblat dicunt. Serapioni Gar Alexandriæ nominatur. Reliquæ appellationes præcedenti capite commemoratæ sunt.

Hyppoglossion, à foliolo illo dicitur.

Serapio ca. 324.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vim obtinet calidam et exiccatoriam Laurus Alexandrina. Germani in faucium ulceribus, & humecta supra modum columella, & angina duntaxat hodie utuntur. At ueteres utrisque corporis partibus illam adhibuerunt.

INTRINSECVS.

Radix illius (Dioscoride id asserente) sicca, in puluerẽ redacta, pondere quatuor aut quinque drachmarum cum dulci seu Apiano uino pota, difficulter parientibus, & stillicidio urinæ laborantibus succurrit, menses cit, uti & alia quæ uocant Diuretica.

EXTRINSECVS.

Herba & radix in puluerem redacta, exiccant manantia & fluentia uulnera ac ulcera, quemadmodum uulgaris Aristolochia.

Herba in potum iniecta utuntur ad humectam supra modum columellam sicuti diximus supra.

De Sigillo Salomonis. *Cap.* CXXXII.

GERMANI HANC PLANTAM Weißwurtz / HOC EST,
1. *Primum Sigilli Salomonij genus* Albam radicem nuncupant, a colore radicis albo, quæ & geniculata ac nodosa est, & intra humum hinc inde repẽdo se diffundit, non aliter atque Lupulus, seu Lolium. Gustu primo dulcedinem quandam præ se fert, deinceps uero acrimoniam & feruorem, quemadmodum gingiber, aut is quem uulgo uocant Calamum aromaticum. Proinde recens adhuc commanducata, succum reddit lentum & glutinosum. Aprili mense asparagos suos emittit, qui in teretes caules, in formã siliginei culmi, ex utraque parte pulchris, uiridibus, & maioribus, latioribus, ac lõgioribus, quam sint Lauri Alexãdriæ, folijs, ijsque denis et nõnunquam duodenis, uestitos excrescunt. Inter folia elegantissimi, candidique & oblongi, recti, ac teretes gignuntur flosculi, herbæ Paralysis floribus e suis uasculis excerptis, similes. Atque hic partus eius in nostris regionibus Maio Mense æditur. Appetente Augusto mense flos in rotundos, ac nigricantes acinos, instar hederacei fructus, aut Myrtillorum desinit.

2. *Sigillum Salomonium angustifolium.* Alterum huius plantæ genus, quod per omnia primo respondet, nisi quod multo angustioribus uestitur folijs, ad Mosellam in ea sylua inueni, quæ uulgo der Ydar dicitur.

NOMEN.

Sigillum Salomonis latifolium.
Weißwurtz.



NOMENCLATVRAE

De præsenti quoque nostro Sigillo Salomonio, inter herbarios controuertitur, nonnulli enim ad Secachul Serapionis illud referunt, alij Polygonaton esse dicũt, ea nimirum ratione moti, quod radicem habeat nodosam & geniculatam. Verumenimuero cum ipsa planta, seu caulis eius non sit geniculatus, neque radix ipsa ualde sit odorata, nescio quo pacto Polygonaton esse possit, nolim tamẽ cuiusquam sententiã cõtemnere, modo & mihi meam in commune rei herbariæ commodum, proferre liceat. Ea autem sic se habet. De Polygonato supra cap. xl. diximus, eam'que appellationem herbæ Germanis Glidweich uocatę assignauimus. Vulgo solent hanc plantam Albam radicem & Sigillum Salomonium appellare, Germani Weißwurtz dicunt, utilis enim est ad exterendas maculas faciei, præsertim eas quæ sub oculis sunt. Hinc proculdubio adductus Euricius Cordus Polygonaton eam uocauit, nam quod Polygonaton faciei maculas deleat ipse Dioscorides testatur. Sed non sunt admittendi, qui non sine manifesto errore Elleborum album esse asserunt, quam paulo ante Sigillum

Serap. cap. 89.

Hermolaus Barbarus Radicem Rhodiam Sigillum Salomonis uocat. Sed quæ nostra sit sententia statim dicetur

Diosco. lib. 4. cap. 6.

Sigillum Salomonis anguſtifolium.

Klein Weißwurtz.



Δαφνοειδὴς Dioſco. lib. 4. cap. 143. De Peplio uide Dioſcoridem lib. 4. cap. 163. & ſupra in commentarijs noſtris ca. 100. ubi de Eſulis egimus.

ἴσα ἄχρηστος.

gillum Salomonium nominari diximus. Et ut ſemel quod ſentio pronunciem, uidetur nobis omnino hoc Sigillum, Laureolam eſſe Dioſcoridis, quod ille ab elegantibus folijs Eupetalon cognominat, addēs, alios Chamędaphnen, alios Peplon uocare. Quod uero Sigillum Salomonis Laureolam ſeu Daphnoida Dioſcoridis eſſe exiſtimem, multa ſunt quæ me permouent. Non enim tantum tota Laureolæ deſcriptio huic herbæ conuenit, ſed & guſtus feruidus, quo pituitam in os è capite detrahit, ueluti Pyretrum, & uiſcoſus ac lentus ſuccus, et locus natalis ad amuſſim illi reſpondent. Quod ſi quis obijciat id quod Dioſcorides ait, radicem illi eſſe inutilem, huic reſpondebimus facile potuiſſe fieri incuria librariorum, ut pro εὔχρηστος, hoc eſt, utilis, ſcriptum fuerit ἄχρηστος, id eſt, inutilis. Sed ut dixi ſæpius nemini ſentētiam noſtram ita obtrudimus, ut diuerſum ſentire illi non liceat: hæc enim tantum conſideranda & dijudicanda doctioribus, à nobis proponuntur. Vnum admonendi gratia adijciemus. Quod enim Sigillum Salomonicum certum nomen in Dioſcoride hactenus non habuerit, in cauſa eſſe puto ambiguitatem uocis Daphnoides,

quæ

quæ cum multis tribuatur herbis (nam Plin. nunc Cassiæ, nunc Clematidi eam appellationē tribuit, nunc fruticem esse dicit, cuius sententiæ Diosc. & Æginera partim subscribunt) erroris & dubitationis occasio multis esse potuit. Atqui ego ita existimo, quocunque loco Daphnoides simpliciter legatur, ibi nostrum hoc Sigillum Salomonium intelligi debere. Et hæc de primo illius genere, quod latifolium est dicta sint. Angustifolium enim & alterum genus Chamædaphnen Dioscoridis esse puto.

Plin. li. 12. ca. 21. & lib. 24. ca. 15. et lib. 15. cap. 30. Diosco. lib. 4. cap. 7. Diosco. lib. 4. cap. 143.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Laureola calidæ est naturæ, habetq́ uim discutiendi & expellendi concretos sanguinis grumos, aliosq́ uiscosos humores, uomitiones mouet, & hodie externis potius quam internis corporis partibus adhibetur.

INTRINSECVS.

Aqua Laureolæ distillata, per aliquot dies mensura iij. aut iiij. ligularum pota, sanguinem concretum expellit, & calculum renum per urinam, menses elicit, & interna apostemata discutit.

Acini Laureolæ duodeni aut sedecim manducati, & aluum & uomitiones mouent. Folia uino decocta aut arida in puluerem redacta, ac pondere drachmæ singulis uicibus sumpta, pituitam expellunt.

EXTRINSECVS.

Folia Laureolæ recentia manducata, caput inaniunt, & sternutamenta mouent.

Radix tusa sugillatis imposita, breui tempore medetur. Idem aqua distillata linteolis excepta & calida imposita efficit.

Aqua distilata Laureolæ, næuos, maculasq́ corporis totius, inprimis uero quæ oculis subsunt, lentiginesq́ emendat efficacissime, si ex illa colluantur, linteolis etiam in ea aqua madefactis ac impositis.

De ea quæ Germanis Hendelkraut *dicitur.*
CAP. CXXXIII.

MENSE APRILI DVAE PROSILIVNT HERBVLAE, quarum altera cœruleos, altera candidos gerit flosculos. Ea quæ cœruleum fert florem, arenosis agris & campis, quæ candido emicat, umbrosis & uliginosis locis, uidelicet ijs qui inter muros & mœnia

urbium conspiciuntur, gaudet. Vtraque non ultra dodrantem in altum attolitur, caule rotundo, unico, ac in cacumine multis ramulis, ijsq; hirsutis, & colore subpurpureis brachiato. Folia illis succulenta & pinguia, ueluti Portulacæ & Sedi minoris, forma sua manum paruulam, aut pedem ranæ repræsentant, & in tres quasi digitos plerunq; explicantur. Radicem habent rectam & breuem. Natura sua refrigerant, sicut Sedum minus.

NOMENCLATVRAE.

πεπλίς. De Peplio Plinius lib.20.cap.20 Verba Galeni, et Aeginetæ de illo à Dioscoride mutuata sunt.

Si lacteum succum hæ plantulæ stillarent incisæ, ad Dioscoridis caput clxiij. lib. iiij. illas referre non dubitarem. Cum uero non habeāt succum, hactenus nihil possum asserere. Ego in acetario hac herba usus sum, quemadmodum Lactuca uti solemus, quod ut facerem occasionem mihi dederunt uerba Dioscoridis, quibus illam sale condiri posse tradit. Siue ergo Peplis sit, siue non sit, certe illam contemnere nolumus. De nomine illius Germanico diu inquisiui diligenter, sed frustra, ne uero nomine prorsus careret, Hendelkraut illam uocare placuit, à forma manus, quoad certius aliquod addiscere liceret.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vim habent refrigerantem & humidam binæ hæ plantæ, & possunt citra noxam utrinque corpori aduersus inflammationes usurpari.

INTRINSECVS.

Possunt hæ plantæ cum cæteris in acetarijs usurpari, sunt enim meo iudicio facultatibus Portulacæ pares.

EXTRINSECVS.

Aduersus calidas affectiones utiliter usurpantur, quemadmodum & Anagallides.


De ea quam Germani Gauchblům/*hoc est, Cuculi* florem uocant. CAP. CXXXIIII.

Flos Cuculi pratensis.

MVLTAE HERBAE APVD GERMANOS À CVCVLO aue nomen habent, nempe Tragopogon, & ea quæ xxvi. capite supra descripta est, & ista quam nunc tractamus, quę nusquam lætior prouenit quam in pratis. Ea cum primum prosilit, folijs angustis

& acu-

Cuculi flos, Germanis Gauchblům.



& acutis Auriculam muris repræsentare uidetur, quanquam illa sint & angustiora & magis acuminata, ut eo nomine parum à folijs Hyssopi distent. Thyrsos emittit appetente Maio mēse, teretes & erectos, paucissimis folijs uestitos, quorū cacumina flosculis Bersilici colore tinctis emicant, forma uerò flores Superbę quam uocant, referētibus, ita ut singula floris foliola rudimentum manus satis exprimant. De Superba uide infra cap. 198.

Alterum huius, syluestre nimirum genus, in aridis montibus humo candida nascens reperitur, priori per omnia simile, nisi quod florem fert prorsus candidum. Cæterum flore decidente utrunq; genus in oblongis siliquis, semen conclusum ostendit, non aliter atq; flores Gariophyllorū. 2. Syluestre huius herbæ genus.

NOMENCLATVRAE.

Germani hanc stirpem Gauchblůmē/hoc est, Coccycis florem nominant, non enim aliud expiscari illius nomen potui. Dicunt aūt id nominis sortitam eā esse, quod Coccyx auis notissima saliua sua caulem herbæ aspergat. Nam habēt quidem Thyrsi illius spumam quandam, maxime prope geniculos, candidam, unde opinio uulgi nata esse uidetur. Si florem consideres, qui

pro ratione tempestatis & clauditur, & recluditur, Anemone dici posse, uerum foliorum forma reclamat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Cuculi flores meo iudicio humidæ & calidæ sunt temperaturæ, possentq; usurpari utiliter, præsertim uero aqua distillata. Præterea quod de illis dicã hodie non habeo, nec enim de inexpertis quicquam temere affirmarim. Puellæ & adolescentuli æstate his floribus in sertis suis concinnandis uti consueuerunt.

De Elleboro nigro, adulterino. CAP. CXXXV.

ELLEBORVS NIGER, QVEM GERMANI NOSTRI Chriſtwurtʒ nominant, radicem habet nigram, multis capillamentis fibratam. In fine Decembris mensis florem profert, mo- B
1. *Elleborus niger adulterinus.* do in calido loco & aëri exposito, sita fuerit, quem ab eo tempore inde usque ad festum Purificationis, ut uocant, ostendit. Flos ad uiridem potius quam luteum uergit colorem, forma Malorum aut Cydoniorum, aut Capparis florem æmulatur. Bini autem & quandoque trini flores coniunctim coliculo unico, tereti, & subpurpureo insident, abeuntq; demũ in siliquas quaternis aut quinis intercapedinibus diuisas, non aliter atque Aquilegia, quæ cum rumpuntur maturitate, semen læue, quod illis inerat, in terram protinus decidit. Folijs uestitur dissectis, & Pæoniæ prope similibus, sed minoribus & magis nigricantibus, perq; ambitum serratis. Radix eius amara est, illa uetulæ mulierculæ, in potum iniecta, aluum subducere solent, ijs quos purgatos uolunt.

2. *Consiligo Ruellij.* Syluestre huius herbæ genus, hortensi simile est. Flores illius in capitula quædam desinunt, ut in Nigella, semen nigrum, Dictamni Germanici semini simile. Proinde nigrati & fœtidi est odoris ea herba. Gaudet lapidosis agrorum limitibus, asperisq; montibus, quales sunt illi qui ad Mosellam, Rhenum, inq; Eiffalia, & montanis syluæ Herciniæ, præsertim uero fossis argenti & aurifodinarum. Sed uerus ille & niger Elleborus, quem Rizophori nostri similiter Chriſtwurtʒ appellant pulcherrima & elegantissima est
3. *Elleborus niger uerus.* planta. Nam tota substantia sua nonnunquam binos palmos excedit, radicem habet capillatam, radiculis multis perplexam & contextam, nigram, & alteri quem nigrum uocant Elleborum plane consimilem. Cauiculi illius ab imo usque ad summum tenerrimis, serratisq; foliolis ornantur, ue-

luti


Elleborus niger adulterinus, Germanis Christwurtz.



luti Abrotonum exiguum, sed uiridioribus, quin & coles surculosiores ha-
bet quam hoc ipsum Abrotonum.

In cacumine verno tempore lutei & simplices apparent flosculi, Chamo-

Elleborus niger uerus.
Schwartz Nießwurtz.



millam referentes pene, nisi quod longe maiores sint. Flore decidente capitella quædam in cacumine protuberant, uti & in Pinastro fieri solet, atque hoc illius semen est.

NOMENCLATVRAE.

Mulierculæ nostræ hanc plantam Christwurtz appellãt patria uoce, eo quod quandoque circa seruatoris nostri Christi natalem diem flores producat, præsertim quando temperatior fuerit hyems, aut certe quod clysteribus quoque adijciatur, quod Germani Cristieren uocant. Recentiores medici omnino contendunt eam esse Elleborũ nigrum Dioscoridis, quẽ describit lib. iiij. cap. cxlvi. nec multum ab illo abludit descriptio. Verum non adeo est noxia hæc radix in Germania nostra, sæpenumero etenim uidi multos homines citra periculum illa sanatos. Quamobrem mihi quidem uidentur uerba, quæ de pernicie eius radicis apud Theophrastum & Dioscoridem extant, in utroque autore superflua, augurorũq; eam superstitionem ex Theophrasto in Dioscoridis quoque scripta irrepsisse, aut certe aliud quid ueteres ut fieri potest, intellexerunt. Si namq; hic noster Elleborus niger, hominibus et pecoribus mortem afferet,

quod

quod de suo prodidit Theophrastus, præstaret eam nusquam terrarum extare. Atqui ut diximus si moderate illo utuntur homines, non solum innoxius est, sed & citra periculum & fodi & usurpari a` quibuscunque potest. Dioscorides loco citato Elleborum nigrum, Veratrum nigrum, Melampodion, a` Melampo pastore, qui hac radice furentes Prœtidas purgauit, & sanauit: Protion a` filiabus Prœti regis Arcadiæ, Ecstomon, Polyrrhizon, hoc est, Multiradicem, Melanorrhizon, id est, Nigam radicem, (Germanis diceretur Schwartzwurtzel) Cyiranion, Zomarition, Isæam, Elaphine, Cimeleg, Saraca, & Prodiorna, appellat. Plinius de utroque Veratro libro xxv. cap. v. scribit, cuius uerba pene omnia ex Theophrasto desumpta sunt. Qui usum, utilitatem, & damnum Ellebori nigri cognoscere desiderauerit, is legat libellum Hippocratis, quem ad Democritum scripsit, inscriptione Elleborismi. Serapio utrunque Elleborum Cherbachen nominat, Auerrhoi Barbacus & Condisi dicitur: Mesue uero Barba Alfugi. Et hæc de domestico nigro Elleboro dicta sufficiant. De syluestri genere quod domesticum per omnia æmulatur, ita ut uix discerni possint, nisi odor & radix quæ illi non perinde fibrata, sed & breuior ac quasi inflexa est, animaduertatur, supra cap. lxxxiij. disseruimus. De domestico genere, ut ad illud redeam, ego ita sentio, Consiliginem esse Ruellij, cuius meminit & Plinius, ad quod duo me mouent. Primum quod non perinde sit noxia herba, atque Veratrum nigrum cuius ueteres meminerunt, qui fit etiam, ut nõ possim credere eam esse Elleborum nigrum. Deinde Rizophori peregrini longe aliud ostendunt Veratrum nigrum, quod Ingelheimij effodiunt inter Bingium, ac Moguntiam, oppida, deferuntque Venetias usque, ubi magno pretio eam radicem distrahunt. Et hic mihi uidetur esse Elleborus niger, quem & ego anno Domini 1544. in montibus non procul ab oppido Leiningen, effodi.

ἐλλέβορος μέλας.

Serap. cap. 313. Sunt tamen qui putant Condisi eam esse herbã quæ Struthion dicitur, & à Dioscoride lib. 2. ca. 152. describit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnes prope nostræ ætatis herbarij, eam herbam quam Germani Christwurtz dicunt, Elleborum nigrum esse uolunt, quibus ut assentiar adduci nõ possum. Nam sine periculo intra corpus sumi potest, id quod de Elleboro nigro nusquam legas. Quæ cum ita se habeant, ego in posterum pro innoxio Elleboro illam habebo, alterum autem eius genus uenenosum Aconitum, quo & Lupi, & vulpes capi possint, existimabo.

Radix Ellebori nigri adulterini, domestici, Christwurtz appellati, uino per noctẽ macerata, mẽsura dimidiati cyathi pota, aluũ subducit citra damnum, & purgat: estque hæc medicina aniculis admodum familiaris.

Eadem drachmæ pondere in puluerem redacta, et cum uino aut alio quo-

piam liquore sumpta, in expellendo efficacior est, præterea nullius apud nostrates usus.

VERATRVM NIGRVM

ἑλλέβορος μέλας, uerus.

Vtrumq; Veratrum, tam nigrum quam candidum, ex ordine est excalfacientium, & exiccantium, quare non sine singulari cura & iudicio assumi debet. Vide Constantinum de gradibus: gradu tertio.

INTRINSECVS.

Veteres, insanos, melancolicos, & male mentis homines, necnõ & comitiali morbo oppressos, vertiginosos, podagricos, hydropicos, febri quartana afflictos, lepra, spasmo, & torminibus laborantes, nigro Elleboro purgare consueuerunt. Sed quoniam plus detrimenti quam utilitatis eiusmodi purgatio sumentibus adfert, ideo de illa nõ multum nunc dicemus. Vno tamen uerbo quod res est declarabimus. Si quis Elleboro nigro uti uelit, is non ultra drachmam accipiat, ne quod damnum sequatur. Præterea quisquis ea in re peccauerit, sentiatq; se nimium grauari Elleboro, confestim lac caprinum, aut aliud quodcunque bibat, ut ueneno resistere possit. Optima autẽ purgatio ea est, si quis radicem in uino macerauerit, posteaq; moderate de illo uino bibat.

EXTRINSECVS.

Radix Ellebori nigri, locis muliebribus indita, menses potenter elicit, sed ut caute hoc remedio utantur mulieres, necesse est, nisi mali quid pati uelint: fistulas & inueterata uulnera ac maligna ulcera mirifice purgat, si in puluerem redacta illis inspergatur.

Eadem tusa & ex aceto cataplasmatis instar imposita, scabiem sanat, uitiliginibus, lepris, impetiginibus, serpiginiq; medetur. Erodentibus quoq; medicamentis admiscetur, & gangrænosis sanandis mirifice conducit.

Reliquas superstitiones quas hac de radice comminiscuntur, prudens prætereo, ociosis illas relinquens.

De Elleboro albo. Cap. CXXXVI.

DIOSCORIDES ELLEBORVM EVM INPRIMIS COMmendat, qui ad montem Oetam, in Anticyra, ut tradit Strabo, nascitur,

Elleborus albus.
Weiß Nießwurtz.



nascitur, Cyrenaicum appellatum. Huic subscribit Theophrastus, cum lib. x. cap. xi. optimos & usitatissimos Elleboros quatuor esse (nam ut Dioscorides testatur, & in Galatia & Cappadotia Elleborus prouenit) Oetæū

Βέλτιστοι δὲ καὶ οἷς ἐγχρῶνται μάλιστα, τέτταρες, οἰταῖος, ποντικός, ἠλεάτης, μασσαλιώτης, ἄριστος δὲ πάντων καὶ τούτων, καὶ τῶν ἄλλων, ὁ οἰταῖος.

scilicet, Ponticum Eleaticum, & Messalioticum, inter omnes uero Oetæum præstare tradit. Nostri Rizotomi hoc genus Ellebori ex altissimis alpibus & montibus deportant, asserentes in sylua Hercinia quoque illum prouenire. Elleborus albus quem mihi recentem uidere contigit, radicem habebat teretem, digitum crassam, foris pullam, & multis capillamentis fibratam, intus uero fungosam & candidam, gustu feruentem & acrem nam subinde saliuam ciebat, ueluti Pyretrum. Folia latiora folijs Gentianę, quorum costæ leuiter purpurascebant.

NOMENCLATVRAE.

Agyrtæ nostrates, qui tum hanc, tum etiam alias radices uenales circumferũt, solent illas perforare, ac funibus collectas gestare, quemadmodum et radices gladioli filo, aut funiculis ut arescant, suspendi consueuerunt. Atq; hanc radicem quamdiu integra manserit, & non contundatur, illi Schampanier wurtzel / hoc est, Campaniam uocitant, persuadentq; hominibus ut huiusmodi Campaniam uino per noctem macerent, ac usurpent: sic enim fieri ut omnes prauæ humiditates saluberrimo hoc medicamento extrahantur. Et quantum mihi quidem uidetur, utilior est hæc purgatio, quam ea quæ radice in puluerem redacta, & intro sumpta perficitur, quam imprudentes quidam & maleferiati homines sine ullo iudicio, & pręter rationem etiam hominibus exhibent. Optandum sane esset, ut huiusmodi Magistris, aut medicinæ usus & tractatio interdiceretur, aut certe cogerentur in seipsis medicinæ ac immanis huius purgationis periculum facere, quod si deinceps sibi ipsis eam salubrem & minime noxiam deprehenderent, posset illis permitti, ut & alijs hominibus eam præberent. Neque credibile est illos artem tenere in usurpando Elleboro, quam Chius ille Eudemus tenuit, qui cum uno die uiginti duas ex Elleboro potiones sumptitasset, nullum tamen sensit damnum, sed pro more sine uomitionibus, & stomachi eructationibus pransus est & cœnauit, prætereaq; balneauit. Quod uero nullam noxam tot potiones Ellebori homini attulerunt, inde factum est teste Theophrasto, quod post septimam potionem pumicem cum fortissimo aceto hauserit. Quæ quidem ideo mihi recitantur, ut uel hoc pacto ijs consulam qui per imprudentiam nimio Ellebori usu sese læserunt. Dioscorides Elleborum album ascyda, Sanguinem seu ut alij habent genituram Herculis, Polyidos, Anaphyston, Somphiam Vnre, Laginum, Anepsa, uocari tradit. Sed ut semel tractationem de Elleboris finiam, hæc mea est sententia, eam herbam quæ Germanis Chꝛistwurtz dicitur, nullam esse Ellebori speciem, nec enim descriptio nigri Ellebori illi competit, nec in uiribus cum illo conuenit. Nam sine periculo uomitionum & eructationum intro sumi potest,

ἐλλέβορος λευκός. Diosco. lib. 4. cap. 145. *Sesamoides quæ à Diosco. lib. 4. cap. 147. describitur, dicitur etiam Elleborus albus. Sicut & Myrtus syluestris, Genitura Herculis cognominatur. Vide Diosco. lib. 4. cap. 141.*

mi poteſt, quod in nigro Elleboro minime reperias, quemadmodum ſcripta ueterum & recentiorum abunde teſtantur. Quamobrem utrunque Elleborum pernicioſum exiſtimo, nulloq́ pacto ſine conſilio periti medici uſurpandum. Rurſus eam quam uulgo Elleborum nigrum omnes nuncupant, innoxiam eſſe putamus, ſi extrinſecus uſurpetur præſertim uero in medendis pecoribus, ſicut lib. vi. cap. v. Columella docuit. Sed alterum & ſylueſtre eius genus, cuius cap. lxxxiij, ſupra deſcriptionem habes, par ei in uiribus iudicamus. Nec deſunt qui pulmonis affectibus illam prodeſſe affirmant. Ego tamen nolim periculum facere.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vſitatiſſimus Elleborus, hoc eſt albus, calidæ quoque & ſiccæ eſt temperaturæ, quamobrem diligenti cura uſus eius opus habet, & raro ad dimidiam drachmam exhiberi conuenit, ſemperq́ & tempus anni, & ætas ac conſtitutio hominis, & morbi natura conſideranda ac exactiſſime penſanda erunt, quoties in medicamentis illo uti uolumus, aut alijs exhibere. Qua de cauſa Hippocrates proprium libellum Elleboro dicauit, in quo docet quo pacto illo ſit, & quibus utendum, quem docti diligenter legere debent. Cauendum eſt etiam, ut conſulit Conſtantinus de gradibus gradu tertio, ne ieiuno ſtomacho Elleborus uſurpetur, ſed ſemper aliquid cibi prius ſumendum erit &c.

INTRINSECVS.

Agyrtæ nonnulli, circumforanei illi impoſtores aduerſus omnis generis internas affectiones Elleborum, Tithymalos, & Cataputiam, ut uulgo uocant, hominibus ſæpe cum magno illorum damno propinare & exhibere ſolent, quæ admonitionis gratia mihi dicuntur, quam quiſquis contempſerit, is pergat uſque Elleboro uti ſibiq́ nocere. Nam proh dolor apud multos ea conſuetudo obtinuit, ut nullo alio quibuſcunq́ in morbis utantur remedio. Sed proculdubio dabunt illi imprudentiæ ſuæ pœnas. Quid uero de turpiſſimis ac flagitioſiſſimis ſcortis dicam: quæ ne palam flagitia ſua fateri cogantur, non dubitant, & ſibi & fœtui morbum & internetionē Elleboro conciliare. Atq́ illas quidem culeo inſutas, & in flumen deiectas medicari conuenit. Sed relictis his ſceleribus uires Ellebori albi proſequamur.

Ellebori radix per uiginti quatuor horas, uino aut Oxymelite macerata, poſteaque reſiccata, poteſt dimidiæ drachmæ pondere, aut ſaltem tanto, quanto pro conſtitutione huius opus eſſe uidebitur, cum uino exhiberi fu-

rioſis

riosis & melancolicis, necnon aduersus eos morbos, quorum superiori capite meminimus, nam uomitiones ciet isthæc purgatio.

Sin uero potiunculam ex illa præparare uolueris, tum uel biduo uino illam macerabis, aut iure carnium decoques, & cyathum mediocrem ex illa exhibebis ægroto. Hæc purgatio tametsi & aluum & uomitiones moueat, nullo tamen cum periculo coniuncta est.

Galen. lib. 2. Simp. cap. 5.

Affectiones aduersus quas Elleborus facit, proximo capite commemoratæ sunt. Breuiter tamen hoc scias, nigrum per aluum, album uero per uomitiones purgare.

EXTRINSECVS.

Elleborus cum Sampsucho naribus inditus, cerebrum purgat, sternutamenta mouet.

Ellebori radix aceto decocta, ac in ore aliquandiu retenta, dolorem dentium tollit.

Eadem radix abscessibus scabie, & inueteratis ulceribus purgandis usurpatur.

In lixiuio decocta, si illo postea caput abluas, pediculos & furfures enecat. Idem unguento aliquo admixta præstat.

Radix Ellebori cum melle & farina temperata, si pinsatur, utilis est ad capiendos glires & mures. Ea in re ferunt nigrum Elleborum efficaciorem esse, omnibusque pecoribus lætalem.

Ellebori radix in lacte decocta, & muscis proposita, illas enecat, nam quotquot illud lac degustauerint, intumescent, rumpentur & ilia muscis.

De Elleboro nigro adulterino syluestri, quam nonnulli Consiliginem Plinij & Columellæ esse asserunt, ita perscriptum reliquit Lucius Columella lib. vi. cap. v.

Præsens etiam remedium cognouimus radiculæ, quam pastores Consiliginem uocant. Ea in Marsis montibus plurima nascitur, omnique pecori maxime est salutaris. Læua manu effoditur ante solis ortum: sic enim lecta maiorem uim creditur habere. Vsus eius traditur talis, ænea subula pars auriculæ latissima circumscribitur, ita ut manante sanguine tanquam O literæ ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinsecus, & ex superiore parte auriculæ cum factum est, media pars descripti orbiculi eadem subula transuitur, & facto foramini prædicta radicula inseritur, quam cum recens plaga comprehendit, ita continet, ut elabi non possit, in eam deinde auriculam omnis uis morbi, pestilensque uirus elicitur, donec pars quæ subula circumscripta est, demortua excidat, & minimæ partis iactura caput conseruatur. Hæc ille.

De

De Herba uenti. Cap. CXXXVII.

Kuchen schell.



HIC VERO RVRSVS incognitam, & quasi peregrinam herbam prę manibus habemus, quam mulierculæ nostræ herbarię Kuchen schell uocant, uel Küschell/quod est si interpreteris, Campanula culinæ aut vaccæ, ea proculdubio ratione, quod flores eius purpurei, qui intus uti & rosæ stamina quædam seu capillamenta lutea habent, Cymbalis non admodũ dissimiles sint. Inuenitur in arenosa, arida, & argillosa terra, necnõ in syluis, floret Martio mense. Radicem habet nigram et capillatã, quemadmodum Elleborus niger adulterinus, herbam uero Fœniculo per omnia similem. Maio mense flos in caput quoddam desinit incanum, capillatum, teres, hirsutum, et quod Erinacei animalis rudimentum non infœliciter exprimat, atq; hoc illius semen est, nẽpe singula capillamenta quæ inferne instar setæ suillæ cauli inserta sunt. Caulis illi nõnunquam dodrantalis, feruentis & adurentis saporis herba, & quæ linguam gustata uellicat, non aliter atque Piper, aut Ranuncu-

lus,

lus, & Aron. Propter feruentem gustum in horto meo tuta & illæsa, ab iniuria bestiarum mansit.

NOMENCLATVRAE.

Germani hanc plantam Büschellen / Hacketkraut / & Schlotten blümen / Latini Herbam uenti uominant. Gallis & Italis Gocles dicitur. Quod illi sit apud Dioscoridem nomen nondum constat, mihi uidetur quod ad acrem & feruentem gustum attinet, Ranunculi genus esse, nimirum id quod Sardonium dicitur, de quo Dioscorides lib. ij. cap. clxvi. egit, nam si teratur hæc herba adeo acris est, ut etiam lachrymas eliciat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Herba uenti calida est & sicca, debetq; magis externis quam internis corporis patibus adhiberi. Si uero sit Ranunculi genus (quod ego mihi persuadeo) duntaxat extrinsecus usurpari debet, & nunquam intro sumi.

INTRINSECVS.

Si hæc herba Oreoselinon sit, quemadmodũ quidã putarunt, potest uel radix, uel semen uino decoqui, atq; illis preberi quos calculus uexat, præterea etiam frigidis muliebribus ad proritados menses.

EXTRINSECVS.

Herba commanducata, linguam ualde adurit, quare erodentibus gangrænosam carnem ac causticis medicamentis, necnon & malignis ac putridis uulneribus mundificandis, adhiberi potest, sicut Persicaria.

Succo etenim papulæ, mariscæ, verrucæ & maculæ exteruntur.


Aqua distillata aliquanto mitior est, & purificãdis uulneribus, & aptior & tolerabilior. Herba recens tusa, cumq; succo suo duris & scabris unguibus imposita, absumit quicquid id est uitij. Radix siccata, naribusq; indita, sternutamenta ciet.

De Petasite. *Cap.* CXXXVIII.

PETASITES IN FINE FEBRVARII FLORIBVS SVis, quos in albo purpureos, agglomeratos, & botri figuram referentes, cauli dodrantali, cauo, et purpureo insidentes, primum omnium

Petasites.

Pestilentz wurtzel.



omnium profert, conspicua est herba. Hi marcescentes una cum colliculo suo sine fructu abeunt ac decidunt. Postea incana rotunda & cineracea folia prodire incipiunt, quæ in pincipio quidem vngulę caballinæ admodum similia

similia apparent, demum uero in tantam crescunt amplitudinem, ut unum interdum orbicularem mensam prorsus tegat, quod ego sæpenumero uidi. Singula autem folia singulos habent, purpureos canos & hirsutos pediculos, quibus superposita, pilei ampli baculo superpositi figurã obtinēt. Radix illi nonnunquam brachium humanum crassa, intus candida, fungosa, uehementer odorata & amara, & quæ ubi semel plantata fuerit, non facile eijci possit, propterea quod hinc inde humi serpat & radicetur. Id quod in horto meo deprehendi, in quo uno anno trium cubitorum spatium occupauit, subinde alias ex se radiculas emittens. Nascitur plerunque Petasites humidis locis, marginibus fluuiorum, nonnullis pratis, quæ riuulis irrigantur. Radix sicca gummi quoddam stillat compressa.

NOMENCLATVRAE.

Hanc Herbam Germani Roßpappel, hoc est, Maluam equinam, propter amplitudinem foliorum, & Pestilentz wurtzel uocant, hoc est pestilentialē radicem, propterea quod experientia comprobatum sit radicem hanc mirifice conferre pestilentialibus febribus, quod sudorem uehementer moueat, si in puluerem redacta in uino (uti decet) sumatur. Nec minori efficacia bibitur à mulieribus, quas uteri tormina & præfocationes exercent. Quæ omnia eo mihi dicuntur, quod cupiam in usum & medicinā hanc utilissimam radicem recipi. Non desunt etiam veterinarij quidam qui eiusmodi radice utuntur aduersus uermes qui equos molestant, & alios ipsorum tam interiores quam exteriores morbos.

Dioſco. lib. 4. cap. 103. Latinis posset hæc herba dici Galerita, nam quod ad foliorum amplitudinem attinet πετασίτης Dioscoridis forsan fuerit. Sed cum uires & odorem exactius considero, Costi genus esse dixerim.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Radix Petasitis dubio procul sicco & calido est prædita temperamento, ideoq; aduersus omne uenenum utrisque corporis partibus adhiberi efficaciter potest. Hæc uero posse, amaritudo eius euidentissime demonstrat. Finis enim saporis amari est abstergere, sicut Galenus lib iiij. de simp. facult. cap. xvij. fusius docet.

INTRINSECVS.

Præcipua iuuamenta quæ hæc radix præstat, sub nomenclatura eius executi sumus. Proinde licet non sit genus Costi, tamen uino decocta & pota, succurrit ijs qui spiritus difficultate laborant. Facit & aduersus latos uentris uermes, qui semina Cucurbitarum referunt. Postremo & urinam & menses ciet hæc potio.

EXTRIN-

EXTRINSECVS.

Radix siccata in puluerem redacta, efficax est ad quæuis fluentia & pręhumida uulnera. Oleum ex hac radice confectum, si illo inungantur febricitantes ante accessionem febris apprime conducit. Idem & ad reliquas cutis fœditates facit, & perfrictionibus neruorũ & membrorũ unice prodest.

De Tußilagine, seu Vngula caballina. CAP. CXXXIX.

TVSSILAGO NOBILISSIMA ILLA PLANTA, PETAsiti quoad folia in initijs adeo similis apparet, ut discerni uix possint, nisi quis diligenter animaduertat, & consideret & flores & substantiam utriusque. Nam Tussilago tota sua substantia magis tenuis & exigua, breuior & angustior existit altera. Deinde Tussilago Martio mense flores profert luteos, multiplices, cauli hirsuto & lanuginoso insidentes, Auriculæ muris flauis flosculis similes, qui non multo postquam enati fuere in pappos euanescunt, quod in Hieracijs quoque fieri consueuit, tum uero nudi caules relinquuntur, qui & ipsi appetente Maio mense, caduci marcent. Aprili mense folia prodeunt, inferiore sui parte qua terram spectant, cinerei coloris, vngulæ equinæ similia, unde & vngulæ caballinæ nomen sortita est herba. Radix illi alba, culmum crassa, & quæ hinc inde per terram spargatur, non aliter atq; Lolij, neque enim facile ubi semel plantata fuerit, eradicari potest, siquidem ex radiculis quas plures singulis annis ex ueteri emittit, semper repullulascit. In aquosis & humidis agris nascitur.


NOMENCLATVRAE.

Germani hanc plantam Brandt lattich (quasi ambustorum Lactucam) quod ambustis & inflammationibus quibusuis medeatur: & Roßhůb/hoc est, vngulam equinam, à foliorum cum vngula equi similitudine, & nonnulli Brantletschen, hoc est, Arcion, & Personatiam (sed quam recte ipsi uiderint) appellant. Dioscorides βήχιον, Tussilaginem uocat, aitq; illis Rhichion, alijs Petrinam, alijs Peganon, alijs Pithion, alijs Pagonaton, alijs Chamęleucen, alijs Procheton, alijs Arcophyton, alijs Chamęgeron, Ægyptijs Saarthan, quibusdam Pharphariam, aut Farfarum, aut Pustulaginem, Bessis denique Asadici. Plinius Tussilaginem Cacaliam, Farranum, & Farfugium cognominat, quibus uocibus maxime duabus posterioribus errorẽ

De Arcio & Arctio suo quoq; loco dicemus. Dicitur autem βήχιον, quod βῆχας, hoc est, Tusses, & Orthopnœas sanare creditur, Galenus simp. facul. li. 6. Plinius lib. 26. ca. 6. & lib. 24. cap. 15.

Vngula caballina.

Roßhůb.



ſubeſſe puto, rectius enim Farfarus legeretur. Vides rurſus unam & eandem herbam quamplurimas obtinere nomenclaturas, quæ ne erroris cauſa alicui eſſe poſſint, diligentius paulo excutiemus, initium facturi a' Bechĳ

& Tuſſi-

& Tussilaginis appellationibus, nam autores rei herbariæ in illis parum conueniunt. Apuleius etenim cap. cj. Saluiam, Bechion & Tussilaginem uocat, quare ubicunque in illo autore Tussilaginis aut Bechij incidit mentio, Saluiam semper intellige. Apud Dioscoridem uero & Plinium quoties Tussilaginem aut Bechium legeris, toties de præsenti nostra Vngula caballina sermonem fieri scias. Ex his uides duas herbas Bechij nomine insigniri, & Tussilagines uocari, hoc est, Hustenkreuter/sic enim Germani dicerent, nimirum Vngulam caballinam, & Saluiam.

Nec desunt qui non sine magno errore eam quæ aliàs Nymphæa dicitur, Tußilaginem esse contendant.

Iam ut ad alias quoque nomenclationes ueniamus, dicitur hæc herba & Pharpharia, aut ut alijs placet, Farfarella, nulla sane alia ratione, quam q̃d folia eius, folijs Populi albæ, quam ueteres Farfarum uocitabant, satis respondeant. Idem de uoce Chamæleuces, hoc est, humilis populi, sentias uelim, qua ideo donata est hæc planta, quod folia illius plus affinitatis cum Populo habeant, quam cum Hedera. Dicitur & Chamægyros, quæ & ipsa Populi, cum qua in folijs Vngulam caballinam conuenire diximus, appellatio, esse uidetur. Vide Dioscoridem lib. j. cap. xcviij. Appellatur & Pustulago, quæ uox si in Vstilaginem conuerteretur, non male ad hanc plantam meo iudicio quadraret. Postremo in his appellationibus, hoc unice miror, qui factum sit, quod Pegani, hoc est Rutæ appellatio, inter cæteras Vngulæ caballinæ attributa fuerit, cum tamen nulla plane similitudo foliorum inter has duas plantas intercedat. Quæ cum ita se habeant aliud quod addam non habeo, nisi Dioscoridis libros esse deprauatissimos, maxime q̃d ad nomenclaturarum insulsam ac prorsus ineptam illam congeriem attinet. Optandum autem est, ut aliquando à uiris doctis repurgaretur, quo foelicius illius opera uti possemus. Simon Ianuensis scribit Vngulam caballinam, Farfaram, aut Dardanam uocari, duorumq; esse generum, maiorem scilicet & minorem. Minorem ait in uineis & agris prouenire, maiorẽ uero in ripis aquarũ inueniri, & à nonnullis Cassulam cordis uocari, eamq; habere exiguam & odoratam radicem. Quod si paulo secus hæc uerba haberet, hoc est ut diceret Ianuensis. Maiorem ex his in ripis & humidis locis nasci, radicem habere crassam & bene odoratam, certe facile cum illo sentirem, eiusq; sententiam hoc pacto interpretarer, Vngulam caballinam minorem Bechium esse, maiorem uero, Petasiten, quam nos Costum Germanicum appellauimus. Controuersiam de personatis laruis Leoniceni & Collinutij in præsentia missam facimus, nam uterque de rebus ijs scribit, quas pro maiori parte nunquam uidit, quod Plinio illi obijciunt.

Vide Plautum in Pœnulo.

Hedera terrestris similiter Chamæleuce dicitur. Vide Dio. lib. 4. cap. 121.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vngula caballina frigida est & humida, quare non immerito aduer-

ſus ſiccam & calidam tuſſim uſurpatur, necnon aduerſus quaſuis inflammationes & ambuſta igni.

INTRINESCVS.

Aqua herbæ diſtillata, & per uices menſura quatuor cochlearium pota, & linteolis foris impoſita, inflammationibus iecoris, eroſionibus ſtomachi, ueneno*que* ardentis febris, unice conducit.

Quod ſi hanc aquam efficaciorem reddere uelis, ad ea quæ diximus, tum herbam accipe Vngulæ caballinæ, florem Sambuci, & Solatrum, æquis portionibus, eas*que* herbas ſimul minutim conciſas diſtilla, dici non poteſt quanta huius aquæ ſit efficacia.

Dioſcorides teſtatur, folia ſiccata & incenſa, ſi fumus ille hianti ore rapiatur, eos ſanare qui ſicca tuſſi atque orthopnœa infeſtantur.

Tuſſilago decocta in hydromelite, & pota, emortuos partus eijcit.

EXTRINSECVS.

Folia Tuſſilaginis, ſuccus illius & aqua diſtillata, maxime ea cui flos Sambuci & Solatri adiungitur, efficaciter inflammationibus, Anthraci, ſacris ignibus, mariſcis, quibuſuis calidis abſceſſibus, & ambuſtis etiam igne medentur illitu & impoſitu.

Aduerſus calidos capitis dolores, & æſtus ardentium febrium, folia imponi debent, & aqua etiam diſtillata in linteolis.

Aquam diſtillatam ad quaſuis totius corporis puſtulas, ab æſtu & calore profectas, mirifice facere experientia certa comprobatum eſt.

Inprimis uero mulieribus utilis eſt, quæ cum ardenti aliqua affectione pudendorum infeſtantur, ex hac aqua locos colluant, & linteolos in ea madefactos imponant, tum ſentient breui auxilium. Idem etiam mariſcis remedium eſto.

De Angelica. Cap. CXL.

1. *Angelica ſatiua.*

INTER PLANTAS OMNES VIX ALIAE DVAE ADEO conſimiles apparent atque Angelica & Liguſticum, ſi enim herbam & caules, & radicem, & flores, ſemen denique odorem & ſaporem utriuſque diligenter conſideres, amabo te quid Angelicæ ſimilius reperias Leuiſtico? Quæ cum ita ſe habeant, de duabus his nobiliſſimis ſtirpibus coniunctim commentabimur, nec enim diuellendas exiſtimamus, quas tanta formæ affinitate natura ſociauit. Angelica itaque, ut ab illa au-

ſpicemur,

Angelica.

Angelick.



ſpicemur, folia habet ad ficulnea quadantenus accedentia, ſed magis diſſecta & undique per ambitum ſerrata, ueluti herba Brancæ vrſinæ, niſi quod illa ſint teneriora, molliora, & uiridiora. Radix illi longa, recta adnatis ali-

Angelica syluestris.
Wild Angelica.



quando radiculis aliis & fibris capillata, liquorem croceum & lentum incisa stillans, fortissimi & odoris et saporis. Altero aut tertio demum anno caulem emittit longum, crassum & concauum, nodosum, instar arũdinis, aut bacculi fortissimi, in cuius cacumine tenues, caui, & quasi inflati sacculi nascuntur, ex quibus umbellę prorepunt, uti in Fœniculo uidere est, luteis emicantes flosculis, qui in semen tandem Leuistici aut Brancę vrsinę simile desinunt, odore et sapore acri præditum, non secus atque radix. Ex semine plantatur Angelica, quod sicut Chærefolium ex humo primum prodire solet, foliis primis Petroselinaceis similibus. Radices autem magna cura transplantandæ sunt, dũ in tenera adhuc existunt ætate.

2. *Angelica syluestris.*

Syluestris Angelica satiuæ per omnia similis est, nisi quod nonnunquam candidum fert florem, odor illi necnon & sapor non perinde uehemens. Nascitur in opacis & umbrosis locis, nonnunquam in ripis fluuiorum, & quibusdam syluis.

3. *Vitium Angelicæ.*

Alia proinde herba passim prouenit, quæ Angelicam aliquo pacto æmulari forma uidetur, florem gerens in umbellis candidum, radice per terram sparsa,

ſparſa, ueluti Lolium. Naſcitur ubiq; in hortis graminoſis. Ea mihi nihil aliud uidetur eſſe quam uitium quoddam Angelicæ.

NOMENCLATVRAE.

Multi hodie ex recentioribus medicis ac herbarijs, qui eo quod ueterũ ſcripta, aut non legunt, aut negligenter & obiter per tranſennam quaſi uident, & interea tamen magno cum mortalium damno Medicos ſe præter ſimplicium cognitionem, quam ex ueterum ſcriptis haurire debebãt, uenditare non dubitant, ij inquam (nam ad doctos & qui recto itinere ingrediuntur, hic noſter ſermo non pertinet) dicere non uerentur, Angelicam ueteribus haudquaquam fuiſſe cognitam, ſed à neotericis herbarijs in altiſſimis montibus eam fuiſſe inuentam. Et recte illi quidem in montibus eam repertam teſtantur, nam ſi Plinio credimus, iam olim in montibus Arcadiæ ab Hercule inuenta fuit. Quamobrem hanc noſtram Angelicam Panaces Herculeum Dioſcoridis eſſe ſentio, & ut ita iudicem multis cauſis moueor. Non enim tantum ſimilis eſt Angelica Leuiſtico, ſed etiam cum recens adhuc eſt, thus optimum redolent folia, quod idem Theophraſtus una mecum teſtatur, ut interim prætercam uires eius quas habet, aduerſus omne tam internis quam externis in partibus corporis uenenum, præſertim uero contra ictus & morſus ſerpentum & canum rabioſorum, quod ego ipſe experientia certa didici, efficaciſſimas. Et ut paucis uerbis multa dicam, tantis pollet uiribus Angelica, ut malim certe, quod ad me attinet domi meæ habere radices Angelicæ, Aſtrantiæ, Liguſtici, Gentianę, Elenij, Ariſtolochię, Petaſitis, quam omnes Arabicas, ut uulgo loquuntur ſpecies, Peſoartici inquam & Liberantis, &c. Serapio hoc Panacis genus Steuſir uocat, Succus eius Auerrhoi Opopanax dicitur. Germani Angelicam Angelick/des heyligen geiſts wurtzel/ hoc eſt Sancti ſpiritus radicem, & Bruſtwurtzel/ hoc eſt pectoris radicem nuncupant. Syluestrem angelicam, Germani Wild Angelick/& nonnulli Wundtkraut/ hoc eſt Vulnerariam dicunt, q̃d uulneribus mundandis & ſanandis conducat. Poſtremum autem genus, aut uitium potius Angelicæ Mediomatrices materna lingua Hynfüß / & Witſcherlewetſch nominant, nam hinc inde per humum ſerpit ueluti Lolium.

Πάνακες ἡράκλειον Dioſco. lib. 3. cap. 50.

Multi ſunt qui Angelicã Smyrnium appellent. Sed de Smyrnio paulo poſt.

Theoph. lib. 10. cap. 32.

Serap. cap. 252. Non deſunt qui Remeſcir Auicennæ id eſſe putant, quod Opopanax alias dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnibus prope regionibus nota eſt Angelica, ob inſignes facultates, quas obtinet. Temperamento eſt calida & ſicca.

INTRINSECVS.

Iuuamenta Angelicę sub nomenclaturis partim sunt explicata, inter quę id præcipuum est, quod uenenum educit, sanguinem disijcit, & corpus excalfacit.

Eadem potest aqua ex radice, non herba, distillata.

Si quis peste, febri repentina, aut sudore immodico corripiatur, is radicis Angelicæ in puluerem redactæ dimidiam drachmam, cum Theriacę drachma misceat, in tribus aut quatuor cochlearibus aquæ ex radice Angelicæ distillatæ, bibat, deinde in lectum se componat, seq; probe contegat, ac adminus tribus post horis ieiunet: quod si fecerit, incipiet sudare, & (Deo fauente) periculum omne euadet, morboq; liberabitur. Quod si Theriaca non suppetat, tunc pulueris radicis drachmam integram, cum aqua distillata sumas, ut iam diximus, pari ratione liberationem senties.

Radix in aceto macerata, tempore pestis odorata, et nonnunquam etiam aceto illo poto si ieiunus sis, præseruat à lue pestifera corpus.

Aqua radicis distillata, aut radix ipsa in puluerē redacta, ac cum uino pota, tormina ex frigore orta sedat, modo nulla illis alui astrictio adiūcta fuerit

Breuiter omnibus internis affectionibus prodest aqua distillata, & radix in puluerem redacta, nempe Pleuritico morbo incipienti, nam collectiones eiusmodi discutit, ruptis & pulmonis uitijs, unde tusses plerunq; grauissimæ oriuntur, torminibus, stillicidio urinæ & stranguriæ, mensibus & fœtibus mouendis & trahendis, internis denique quibusuis tumoribus & flatibus discutiendis.

Ad omnia illa possunt decoctiones & potiones ex Angelica confici, si uel uino uel melle, prout ratio ægrorum postulare uidebitur, decoquatur radix.

EXTRINSECVS.

Succus Angelicæ cauis dentibus inditus, dolore liberat. Aqua distillata auribus indita, idem potest. Succus etiam et aqua distillata, oculorum aciem illitu excitāt, claritatem adiuuāt, pelliculasq; oculis obductas, unde caliginem sequi necesse est, rumpunt.

Ex Angelica & pice optimum fit emplastrum contra bestiarum morsus quæ in rabiem efferantur.

Remedium præstantissimum est aqua distillata, succus'ue instillatus aut puluis radicis inspersus, inueteratis & profundis ulceribus, illa enim mundat, & nudata ossa corpore operit.

Aqua distillata, podagricis, Ischiadicis illitu prodest, dolorem enim sedat, & collectos ac lentos humores dissoluit.

Alia

Alia iuuamenta ex his quæ diximus colligi possunt.

Semen eiusdem cum radice est efficaciæ.

Syluestris Angelicæ radix,& semen non tantarum sunt uirium. Hodie illis in uino decoctis in uulneribus recentibus sanandis utuntur.

De Angelicæ radice, Vergilius li. xij Æneid. cecinisse uidetur cum inquit,

Spargit Ambrosiæ succos & odoriferam Panaceam.

De Ligustico. Cap. CXLI.

CVM DE PANACE HERCVLEO PRAECEDENTI CApite scripserimus, uidetur ipsa affinitas, quæ Angelicæ cum Ligustico intercedit, id postulare, ut deinceps de Ligustico agamus. Ac manifestum est non solum ex scriptis Dioscoridis, Panaci Herculeo simile esse Ligusticum, radice, caule, & uiribus, sed etiam hoc ipsum ita se habere neminem inficiari posse puto, qui saltem utranque plantam uiderit, & contulerit, ita tamen ut Historiam Panacum cognitam habeat. Quod si quis hoc pacto diligenter has stirpes ad natiuas imagines examinarit, & historiam Panacum simul perpenderit, is proculdubio nostram sententiam non abijciet. Sin uero quod semper addimus, quisquam in Dioscoride alium locum ostenderit, in quem commodius binæ hæ plantæ referri possint, illi subscribere non dubitamus. Sed obijciat aliquis, descriptionem Dioscoridis cum nostro Ligustico minime per omnia conuenire, maxime quod ad folia attinet. His respondebimus, multas tales in Dioscoride & Theophrasto obiectiones inueniri, quæ si ubique locum habere debent, nihil certi nobis fere relinquetur in optimis authoribus. Quid enim de Rosmarino dicam, ut reliqua innumera præteream, amabo te an non descriptio Rosmarini apud Theophrastum plurimum ab ipsa planta dissidet? Verum ut his relictis ad historiam Ligustici nostri ueniamus, retineat quisque suum Ligusticum, ego quid sentiam dixi. Leonhardus Fuchsius Ligusticum Smyrnion Dioscoridis esse dicit. Rursus Smyrnij appellationẽ Angelicæ tribuit Euricius Cordus. *Theoph. li. 10. cap. 12.*

Ligusticum itaque passim in omnibus hortis satum prouenit. Semen illius ubi maturuit Angelicæ semini adeo simile est, ut discerni illa duo genera uix possint. Illud cum satum è terra prosilit, binis suis quæ primum emittit folijs Angelicam refert, sed maiora sunt & contractiora foliola Ligustici, folijs Angelicæ. Herba & folijs, ubi adoleuerint, deinde & concauo, nodosoq; caule & radice, adeo repræsentat Angelicam, ut nulla alia planta. Tria uero sunt quibus ab Angelica Ligusticum distat, nimirum magnitu- *1. Ligusticum satiuum.*

Ligusticum.

Lybstöckel.



do, color uiridis, quem habet dilutiorem, nec tam nigricantem uti Angelica, & incisuræ, quę sunt profundiores. Muscarium in capitibus caulium Fœniculo simile habet, luteo flore emicans, idq; sub Iulium mensem. Porro

quocunq;

quocunque transferatur radix Ligustici, non facile illa interit, sed singulis annis Maio mense asparagos suos rubicundos, ueluti Pæonia emittit. Sæpenumero duodenos annos in terra incolumis manet (si non lędatur) q̃d in Angelica non contingit. Illius namque radix, postquam semel defloruit, semenq́; produxerit (id quod secundo plerunq; aut tertio anno fieri solet) putrilagine demum corrũpitur in terra, quamuis syluestris Angelica, & uitium eius non perinde facile pereant. Radix Ligustici grauissimo odore, acri etiam gustu, ut linguam uellicet manducata, prædita est. Lentum quoq; & luteum stillat succum incisa.

Syluestre Ligustici genus in fossis, pratis, & lacubus ac paludibus quandoq; prouenit, radice caua & fungosa, adeoq; longa, ut fundum aquę attingere non possit, quare aquæ prorsus supernatat. Caulis illius & folia plus habent cum Ligustico affinitatis, quam cum Fœniculo, sed tota sua substantia est minus, & odore etiam ac sapore remissius, cætera Leuistico simile. 2. *Syluestre Ligusticum.*

NOMENCLATVRAE.

Ligusticum herba est odoratissima, balneisq; accommodatissima, cuius radix apprime aduersus quoduis uenenum facit, quo nomine proculdubio à Liguribus amata fuit, & in cibis usurpata. Dioscorides Ligusticum Panaceam, & Panaces cognominat. Galenus Libysticum uocauit. Neotericis quibusdam Leuisticum dicitur. Germanis Lybstöckel. Veteres Ligustici, Elenij aliarũq; herbarum radices aceto condierunt, quemadmodũ lib. xij. testatur Columella. Quod si loco Piperis & Gingiberis uulgus hac radice in cibo uteretur, parsimonia magnum tandem uectigal acquireret. Sunt qui putent Cheismi, seu Keismi Arabum, esse Leuisticum. Alij alia quoque nomina Leuistico tribuunt, nimirum Thalaspium, Thalapis, & Scandilatium. Et hæc de nomenclaturis Ligustici dicta sufficiant. 1. *Diosco. lib. 3. cap. 53. λιγυστικὸν dicitur quod in Liguria inuenta sit hæc planta.*

Syluestre Leuistici genus, ego cum alijs erraticum Fœniculum esse existimo, quod Dioscorides lib. iij. cap. lxxv. Hippomarathron, Marathrida, agreste Marathrum, Thimaricolinũ, Myum, Systrameor, Fœniculum erraticum, cognominat. Germani Wilden Fenchel/ seu Roßfenchel/ & Weierfenchel/ agreste seu syluestre Fœniculum, Equinum fœniculum, & Palustre fœniculum uocant. Serapio Othomarathrum uocat, estq́; id tertium illius quod describit Fœniculum, quod dicit semen Coriandro simile proferre, sed illud alterius esse generis puto, aut si idem cum hoc nostro sit, ut seipsum non intelligat necesse est. Alio rursus loco montani cuiusdam Fœniculi meminit, quod Fahar dicit, atq; illud aliquantulum Hippomarathro Dioscoridis respondere uidetur. Hippomarathri meminit etiam Nicander in Theriacis, ubi aduersus ictus serpentum docet remedia &c. Quod uero ego

hoc loco huius herbę mentionem facere uolui, id in causa fuit, quod forma, odore, & sapore ad Leuisticum magis quam Fœniculum accedit. Sunt quidam qui uolunt hanc herbam Cordumenum & Carui agreste dici, & esse semen Peucedani. Sed nemini obscurum est, aliam esse, & peculiarem plantã Peucedanum, quod describit Dioscorides lib. iij. cap. lxxxiij. Sed quid hæc ad Fœniculum syluestre? Relinquantur ergo cuique plantæ suæ appellationes. Phrisius Peucedanum sequentibus appellationibus insignit, Fœniculum agreste, Algul, Cusaunon, Porcinum, Herbaturum. Credibile est autem bonum illum uirum hanc herbam non uidisse, sed ex Petro de Crescentijs, qui nomina illa recenset, didicisse.

Manlius super confect. Oximel. Squil.

Dicitur & Elatrum Peucedanum.

Dioscor. lib. 4. cap. 149.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtrunque Ligusticum ex ordine est exiccantium & excalfacientium, ad uenena propulsanda utilissimum, non minus atque Angelica.

INTRINSECVS.

Ligustici satiui radix, siccata ac in puluerem redacta, condimentum est optimum, quo cibi condiuntur, non minus atque Piper, quod é longinquis regionibus ad nos deportatur. Vtilis est stomacho frigido, concoctionem adiuuat, omnes superfluas humiditates consumit: internos sedat dolores in uino pota pondere dimidiæ drachmæ, uenenum educit, urinam & menses trahit, & ad omnia ad quæ Angelica facit, usurpari potest.

Semen in omnibus feruentius est efficacius.

Aqua distillata discutit & sanat anginam, & pleuriticum morbum, gargarissata & pota.

Radix aceto & sale condita conseruari potest uti Elenij, aliarumque herbarum.

Syluestre, seu palustre Ligusticum, calculos & uenenum expellit, dolores sedat, & omnia præstat quæ satiuum.

Radix illius & semen uino decocta ac pota, morbum regium & atram melancholiam educunt.

EXTRINSECVS.

Vtrunque Ligusticum insessionibus & balneis adhibetur utiliter, ad ciendum urinam, calculos ac menses, necnon ad excalfacienda omnia interna membra.

Radix aut semen tusum ac impositum, ictibus atque morsibus serpentum, uiperarum,

uiperarum, araneorum, scorpionum, & canis rabiosi medetur, dolorem namque mitigat, & uenenum educit.

Puerperæ harum herbarum radices, folia & semina in cibo & potu suo usurpent, & balneis sudatorijs suis adijciant, ut à partu recte purgentur.

Aqua Ligustici distillata & imposita, tumenti capiti utilis est, & gutturi uulnerato apprime conducit, gargarissata, & si cum illa colluatur guttur.

Angina etiam sanatur Ligustico, si per caulem eius continuo bibas.

Aqua distillata clara redditur & pura facies, & uitia cutis deformis ac nigræ, maculas & sugillata, cicatrices etiam à scabie & abscessibus relictas exterit & emendat, si ex illa per aliquot dies colluantur.

Eadem ad oris & colli, ani, & locorum muliebrium exulcerationes & uitia utilis, si lineis pannis aqua affectis partibus imponatur.

De Fœniculo montano. Cap. CXLII.

D VAE EXTANT PLANTAE, CAVLE, FOLIIS, VMbellis, & radice Fœniculo quam simillimæ, quarum alteram quę & odoratior est, nusquam locorum inueni, quam in altissimis montibus & syluis, quales sunt Hercynia, & quæ Germanis dicuntur der Spessart / & Ydar. Ea per omnia Fœniculum repræsentat. Florem in muscarijs habet prorsus candidum ueluti Cicuta, semen maius Aniso. Radix illius satis bono odore, sed admodum acri sapore est prædita, ut degustantis linguam uellicet, & ipsum gingiber acrimonia superet. *1. Fœniculum montanum.*

Altera odore, sapore, & forma iam dictæ pene consimilis est, quamuis non tam sit odorata atque acris ac illa. Nascitur passim in pratis. Folia autem eius, caulis & umbellæ, plus habent cum uulgari pratensi cumino, quo etiam tota sua substantia maior est, quam cum Fœniculo affinitatis. Floret Iunio mense, quo & Cuminum. Radix odoris est peregrini, quiçp prope Daucum redoleat, est enim & pilis ueluti ille obducta. *2. Cyminum equinum.*

NOMENCLATVRAE.

Si Fœniculum montanum luteum proferret florem, optimo iure Panaces Asclepium dici posset, quod Nicander in Theriaca Phlegyenum, à Phlegijs populis cognominat. Cum uero candidus flos sit, nihil ausim affirmare, tametsi de colore nulla moueri debebat controuersia. Equidem sæpenumero à doctissimis rei herbariæ uiris petij, quodnam esset herbæ huius nomen, nunquam tamen quicquam ex illis super hac recognoscere potui.

Quamob-

Quamobrem, dum meliora quis in medium adferret, uolui illam Fœniculum montanum, Germanice Berg fenchel appellare.

2. Altera uero quæ in pratis nascitur, ad idem caput commode referri posset, tametsi radicem habeat tenuem, & non perinde acrem, vulgo Germani Roßkümmel / hoc est Cyminum equinum uocant, nam semen Cymino simile est, sed multo maius. Serapio cap. ccxcviij. Panacem Asclepion, Panax, & Aschilibet nuncupat. Plinius lib. xxv. cap. iiij. ab Asclepiade, qui lapsu de scala uitam finiuit, hanc radicem nomen habere tradit.

Cyminum equinum.

Diosco. lib. 3. cap. 55.

Proinde posset utraque planta ad Seseli referri.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtriusque iam commemoratæ herbæ radix, semen & succus excalfacientem & exiccantem habent facultatem, sed potentius & efficacius est quod in montibus nascitur, Possunt ambæ utrinque usurpari.

INTRINSECVS.

Aduersus uenenatos serpentum, aliorumque animalium ictus, radix Fœniculi montani in uino decoqui & bibi debet, & ex illa decoctione uulnus collui, quod qui fecerit, nihil à ueneno illo sibi timendum nō dubitet. In cæteris easdem cum Angelica & Ligustico uires habet.

EXTRINSECVS.

Ad omnia maligna & manantia ulcera, flores & semina trita cum melle, emplastri instar imponi possunt, nam hoc remedio exiccantur & sanantur uulnera. Breuiter eodem pacto usurpari possunt binæ hæ plantæ, quo Angelica & Ligusticum.

De Herba Vulneraria. Cap. CXLIII.

IN ASPERRIMIS AC SAXOSIS MONTIBVS ET AGRIS, necnon subter Iuniperos, inter muscum nascitur planta quædam, radice tenui, læui, cādidaque, Petroselino simili, subacri gustu. Folijs oblongis & angustis, ueluti Acetosæ minoris, nisi quod longiora hæc sunt & strictiora, & uiridiora. Caulem profert teretem, quemadmodum Pimpinella. Florem in umbellis luteum, instar Anethi aut Petroselini, qui in semē postea abit, semini Ammios, aut Petroselini simile, acre, & peregrini saporis.

Herba uulneraria.

Wundtkraut.



ris. Caules huius plantæ nonnunquam ſpadicei coloris ſunt. Floret menſe Auguſto.

NOMENCLATVRAE.

Diu multumq; mihi de nomine huius plantæ percontanti, tandem mulierculæ in agro Vormatienſi prope Pfederſzheim / & Dalſzheim indicarunt, Wundtkraut / hoc eſt Vulnerariam eam dici herbã. Eò proh dolor res herbaria deuenit, ut à mulierculis cognitionem illam accipere neceſſe ſit, (quamuis, quod ad me attinet, uel à puero diſcere non erubeſcam) quæ à doctiſſimis uiris expectanda fuerant. Quod autem apud ueteres illi herbę nomen fuerit nõdum cognoſcere potui, quantumuis multos diligẽter percõtatus fuerim. Cum itaque nemo eſſet qui mihi ſatisfaceret, cœpi ipſe ſerio de hac re cogitare. Poſt longam ergo & diligentẽ ueterũ ſcriptorũ inquiſitionem in mẽtem mihi uenit, forte hanc herbã Panaces Chironium eſſe, cuius et Dioſc. et Nicander & Theophraſtus meminere. Etſi autem non prorſus in deſcriptione huius herbæ autores conſentiant, (nam Dioſcorides & Nicander in Theriaca, dicunt eam habere folia Amaraci, & breuem radicem, rurſus *Dioſco. lib. 3. cap. 52.*

Theo.

De Amaraco quæri potest, utrum illa uoce Maioranam, an Parthenium. quod Dioscorides lib.3. cap. 146. Amaracum cognominat, intelligant authores.

Theophrastus lib.x. de plant. hist. cap. xij. & Plinius lib. xxv. cap. iiij. Rumicis folia, & longam radicem habere testantur, ut difficile sit tantos authores conciliare) tamen quod ad flores & uires herbæ attinet, non dissentiunt. Iam si Chironium Panaces hæc herba foret, laudandus certe esset Deus, quod nobilissimam plantam nostris quoque regionibus donasset. Olim enim in altissimo monte Pelio, in quo à Chirone Centauro filio Saturni, medico clarissimo, Cytharœdoque & Astrologo celeberrimo primum inuenta fuit, legebatur. Siue igitur Panax, siue aliud quidpiam sit, certe obseruatione digna est herba. Hoc tamen fatendum est, præsertim si quis diligẽter herbam contemplatus fuerit, folia illius minimo Rumici, seu Acetosæ, haud multum dissimilia esse. Serapio Chironium suum dicit folijs uestiri Fœniculi, & hæc eius esse nomina Panax, Caromon, & Cyromon.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Panacum omnium genera omnia unam & eandem facultatem obtinent, nimirum excalfaciendi, & uenenum educendi, uulnera sanandi & alia mala, quemadmodum supra docuimus.

INRINSECVS, ET EXTRINSECVS.

Vires ac iuuamenta eius, sub Angelica & Ligustico require, & age Deo Opt. Max gratias, quod hac quoque planta te donauit, & uti uoluit.

HACTENVS humanissime Lector per aliquot capita de omnibus Panacibus, quæ ut Plinius perhibet, ad omnes faciunt affectiones, disseruimus, nostram sententiam indicantes, non ea sane ratione ut uel in eam ire omnes, uel contentionibus occasionem dari uelim, sed ut diligenter aliquando de his & alijs admoniti, ac meo exemplo instigati uiri doctissimi, cogitarent. Nec inuidebimus suam laudem, ijs qui meliora & certiora in medium attulerint.

De Smyrnio quod uulgo Osteritium uocant. CAP. CXLIIII.

1 *Smyrnion. hortense*

OSTERITIVM, VT VVLGO NOMINANT CVM adhuc recens est, acrimonia recens Piper superat. Ea herba hodie passim in hortis à ueterinarijs plantatur, nam in puluerem redactam radicem eius pecoribus cum sale exhibere solent. Radicem habet

(ut ab

Smyrnion.
Meister wurtz.



(ut ab illa exordium descriptionis sumamus) digitum crassam, nonnunquam etiam crassiorem, in superficie terræ magis sparsam & serpentem, quam intra humum descendentem, ut ea ratione Serpentariam maiorem,

ſeu Colubrinam, & magnum Phu, quod nos Mariæ Magdalenæ radi-dicem nominauimus, imitetur. Cortex radicis foris eſt niger, intus uero ipſa candida, à qua aureus & lentus, odoratiſſimus, & qui fauces guſtatus mordeat, linguamq́; acrimonia ſua uellicet, ſuccus deſtillat. Folia uiridis ſunt caloris, & ſingula tereti inſident coli, ac primum in tres partes, ſeu diuiſuras diſſecantur rotundo & circulari ſe habentes flexu, quarum ſingulæ poſtea, binis aut trinis, ſed dimidiatis inciſuris diuiſæ ſunt, per ambitum uero omnes ſerratæ. Caules emittit rotundos, geniculatos, umbellis multis, candido & numeroſo flore conſpicuis, ueluti Aniſum & Coriandrum, emicantes. Cęterum floſculi in ſemen ſubnigrum, latum, & anetho, aut cimicibus ſimile deſinunt.

2. *Syluestre Osteritium.* Syluestre Osteritij genus, quod hortorum omnium uitium eſt, cuius ſupra ſub Angelica meminimus, non aliter quam Lolium hincinde per terram radicatur, Oſteritio quam Angelicæ ſimilius, niſi quod odore & ſapore eſt imbecillius.

3. *Osteritium montanum.* Eſt & alia quædam herba, quæ in altiſſimis montibus ac ſyluis Tubingæ uicinis naſcitur, ab incolis Meiſterwurtz/hoc eſt Oſteritium quoque appellata. Ea quinque folia diuiſim unico pediculo inſidentia habet, non aliter atque Oſteritium uerum, aut Sanicula.

NOMENCLATVRAE.

Cum bona uenia herbariorum noſtri temporis, qui partim quonam in Galeno et Dioſcoride Oſteritium ſuum referant, in dubio uerſantur, partim uero hanc herbam ſicut & Angelicam ueteribus incognitam fuiſſe affirmare audent, meam quoque ſententiam de Oſteritio proferam. Ea autem ſic ſe habet. Primum enim, an non Dioſcorides Smyrnion folia Apio latiora, ſubpinguia, ad terram infracta, robuſta, ſaporem uero acerrimum, & qui fauces mordeat, & ad myrrham accedat, necnon & umbellas, ut anethum habere dicit? Deinde eodem in libro. cap. cxlviij. ſcribit Dioſcorides Pæoniam fœminam folia habere Smyrnij more diuiſa. Iam ſi his uerbis Dioſcorides uiuas imagines herbarum conferas, nihil aliud colligere poteris, quam nullam in Germania plantam perinde commode ad Smyrnium referri poſſe, atq; hoc ipſum Oſteritium. Quod ſi quis Myrrhæ ſaporem obiecerit, ubi nam ille in Oſteritio appareat, huic reſpondebimus, Myrrham uulgarem nobis nequaquam eam uideri, quam habuere ueteres, quod ſi hodie copia illius ueræ Myrrhæ nobis fieret, dubium mihi non eſt, quin ueritatem elicere poſſemus collatione rerum ipſarum. Interea tamen hoc noſtrũ & uerum Smyrnion, nequaquam contemnemus, ſed cum gratiarum actione illa utemur, Theophraſtus li. x, cap. j. de plant. hiſtoria inter ſuccos plan-

Diosco. lib. 3. cap. 72.

Σμύρνιον.

tarum, Smyrnion Hipposelinum, hoc est, Equapium, quemadmodum Gaza transtulit, Germanice Roßeppich uocauit. Cilices (autore Dioscoride) Smyrnion Petroselinum dicunt. Quid uero proprie sit Hipposelinon, & Petroselinon paulo post dicetur. Appellatum etiam olim Coptium ab Anacreonte, quod refert Marcellus Vergilius. Serapio cap. ccclxxx. dicit tertiũ Apij genus Seniruion appellari, quo loco Smyrnion legendum esse puto. De Smyrnio diligenter scripsit Plinius lib. xxvij. cap. xiij. Postremo non desunt qui cum doctissimo Ruellio tam Angelicam quam Osteritium Silphium seu Laserpitium Dioscoridis esse uelint, cum ijs nequaquam contenderim, posteaquam acrimonia illa saporis, quæ inest nostro Smyrnio, non male respondeat descriptioni Laserpitij. *Diosco. lib. 3. cap. 85.*

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Tota hæc planta naturam habet calidam & acrem, & quæ superet tam piper quam alia eius generis aromata. Radix & semen plus habent acrimoniæ quam caules & herba, nihilominus tamen si moderate usurpentur, utrisque corporis partibus conferunt.

INTRINSECVS.

Primum quidem radix, semen, herba & succus, aut certe aqua distillata Smyrnij nostri, ad quasuis frigidas affectiones febrium & stomachi, aduersus etiam omne uenenum conducunt, moderate & pro ratione ægritudinis, necnon ægrotantis usurpata.

Smyrnion uino decoctum ad frigidum pulmonem, astma, et humidam, ac frigidam tussim, mane ac uesperi potum facit.

Pari ratione sumptum, urinam, renum calculum, menses, emortuos fœtus, secundinas trahit, mitigat Ischiadicos, ac frigidos dolores, sudorem elicit, hydropem educit, & emortuam genituram resuscitat, id quod tutissime credere & experiri certo poteris.

Easdem facultates obtinet aqua distillata, & facilior est ac gratior usu, quam ipsum semen, uel radix. Hæc eadem fere de Laserpitio quoque apud Dioscoridem & alios leguntur.

EXTRINSECVS.


Smyrnion, Angelicam & Ligusticum acrimonia feruore & ui expulsiua antecellit, quod ad alia attinet, in uulneribus & uenenatis ictibus curandis parium sunt facultatum tres eæ plantæ, si foris imponantur, uel succus earum uulneribus instilletur, aut si aqua distillata mundificentur uulnera.

Omnes tumores & collectiones ac duritiæ possunt hac radice aut succo eius, incidi, deprimi, ac sanari.

Succus carnes putrescentes, seu gangrænosas erodit & absumit.

De Branca ursina, & Petroselino Alexandrino. CAP. CXLV.

Petroselinon Alexandrinum.
Peterlin auß Alexandria.



BRANCA VRSINA nomen suum inde sortita est, quod folia illius, quæ habet grãdia, aspera, nigricantia, et dissecta, magnam cum anterioribus vrsorũ pedibus similitudinem habeant. Singula uero folia in quina alia aut septena foliola diuisa sunt, quæ foliũ Lupuli per se repręsentant. Pediculus, qui folia cum suis incisuris sustinet, quandoque digitum crassus est, puniceis uenis conspicuus. Caulem profert hæc planta concauum, longum, teretem, nodosum ac geniculatum, ueluti cicutæ aut Fœniculi, cuius fastigio è tenuissimis quasi pelliculis umbellæ prorumpunt, (quemadmodum fieri solet in Angelica & Osteritio), florum candidorum plenæ, ita tamen ut exteriores flosculi maiores sint illis quæ in medio muscarij constituti sunt, Aceris flori simillimi, nisi quod illo per omnia minores sint. Semẽ gignit latius anetho, quod ex binis seminijs latis tanquam duobus orbiculis coniun-

Branca ursina.

Beren klaw.



coniunctis, constat. Radix non raro cubitalis euadit, ueluti Fœniculum, intus cā dida, luteum stillans liquorem, non aliter atq; Osteritium, odore satis iucundo prædita, sed nō adeo acris saporis, nam quantum Piper a` Gingibere gustu differt, tantum Brancam ursinam ab Osteritio distare arbitror. Floret sub finem Maij mensis. Gaudet locis asperis & saxosis, ac graminosis etiam hortis, & arenosis pratis. Cum verno tempore adhuc tenera fuerit hæc herba, solet a` muliercu lis inter cętera olera, urticę, Ranunculi, Lupuli, & id genus aliarum herbarum, decoqui.

Quod deinde ad peregrinū Petroselini gen⁹ attinet, semen illius a` doctissimo uiro Domino Conrado Gesnero Tigurino, ad me recens allatum seminaui. Semen est magnum & nigrū, quod cum in terram proiectum, emergere cœpit, duo emittit rotunda sed lata & nigricātia folia, instar Maluæ pene Romanæ, post quę alia quoque sequuntur nigricantia, mollia, & serrata folia, Angelicæ simílima, sed nigriora. Altero demum anno, quemadmodum & Angelica, primos suos teretes concauos, & geniculatos caules, florem in umbellis minutissimum et candidum Iunio mense ferentes producit. *Petroselinum Alexandrinum.*

Semine prægnat magno, inflexo & atro, quod gustu amarum & iniucundum deprehenditur.

NOMENCLATVRAE.

Germani priorem plantam Berenklaw/hoc est Brancam vrsinam non ab redicunt, cum forma pedibus ursinis anterioribus satis respondeat. Re ipsa autem Pastinacæ genus aliquod uideretur, nisi in præsentia olus atrū (quod apud Dioscoridem Grielon, Apium agreste, & apud Columellam Smyrnion: Theophrasto uero ἱπποσέλινον, hoc est, Equapium, Germanice Groß Eppich/oder Roß Eppich cognominatur) uocare liberet. Hic uero clamabunt aduersum me Iacobus Manlius & Matheus syluaticus, dicētq; Olus atrum, aut ut ipsi loquuntur Olixatrum esse Petroselinum Macedonicum & Alexandrinum, id quod lubens illis concesserim. Siquidem Petroselinum Alexandrinum à nostra Branca vrsina haud multum differt. Et fieri potest ut hæ & aliæ plantæ in Macedonia, fortiores & perfectiores, necnon efficaciores generentur, nam & fruges hæ, illas quandoque superant, & uinum alterum, alteri bonitate cedit, quid obstaret ergo, quominus idem in pomis & herbis contingeret? Præterea hoc loco non quid Macedonia, uel Arabia ferat disserimus, sed quæ in Germania nostra gignantur herbas exponimus. Quamobrem Brancam nostram vrsinam modo Olus atrum, Hipposelinum Germanicum, aut saltem Pastinacam erraticam nuncupabimus. De Macedonico Petroselino inter Pimpinellas loquemur. Hoc tamen obseruandum censeo, Petroselinum Macedonicum ab Alexandrino multum differre, ita ut Alexandrinum, id sit semen magnum, scilicet & nigrum, quo Seplasiarij hodie utuntur, quod genus ego haud grauatim sub Hipposelino Dioscoridis una cum vrsina branca comprehenderim, est enim magnum sane Apium, sicut nec descriptio quoad utrunq; reclamare uidetur: rursus uero ut Macedonicum minus sit genus, quemadmodum sub Pimpinellis & Apijs fusius docebimus. Theophrastus & Galenus Olus atrum & Smyrnion pro una & eadem habent herba.

Diosco. lib. 3. cap. 71. Columella lib. 12. cap. 3. Theophrast. de plant. hist. li. 10. cap. 1. Equapium Platina lib. 5. de Petrose. super conse. Alexan. Hippo selinum Germanicum.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Folia & radix Brancæ vrsinæ, calidum obtinent temperamentū, ideoq; ad cibum & medicinam accommodata sunt.

INTRINSECVS.

Folia Brancæ vrsinæ in tenera sua ætate, necnon & radix in cibo usurpari possunt cum reliquis oleribus.

Diosco-

Dioscorides in ea est opinione (cui ego quoque subscribo) ut existimet radices muria conditas ad usum quotidianum conseruari posse, ueluti Capparis, nam cient urinam, stranguriæ succurrunt, et dolorem sedant in cibo commanducatæ, quæ quidem omnia de Petroselino Alexandrino intelligi uolumus.

Semen uino decoctum ac bibitum, suppressos menses euocat. Sed & hoc de Petroselino Alexandrino intelligas uelim.

EXTRINSECVS.

Nonnulli radicem Brancæ vrsinæ ueluti Althæam decoctam imponunt ad emolliendos & deprimendos tumores, præsertim uero matricis, epatis, & lienis.

Succus herbæ expressus unguentis emollientibus Chirurgorum admiscetur, id quod de utraque planta intelligi debet.

De Pastinaca. Cap. CXLVI.

QVID DE PASTINACA VLTERIVS SCRIBAM, CVM eam sub Branca vrsina depinxerim. Est quippe Pastinaca Vrsinæ brancæ, quoad radices, caules, folia, semen & saporem denique, per omnia consimilis. Hæc sola inter utramque plantam constituenda est differentia, primum quod Pastinaca in hortis plãtetur, ueluti Raphanus & Rapum, quod Brancæ vrsinæ non contingit, ut quæ sponte sua proueniat, deinde flos Pastinacæ luteus est, instar Anethi, cum vrsina branca can-candidum illum proferat, adhæc folia Pastinacæ non sunt adeo hirsuta, & non perinde nigricant atque vrsinæ brancæ. Cæterum, si odorem, si saporẽ, si formam denique striati caulis, latissimi seminis, prolixæ radicis, & incisorum foliorum spectes, nihil non affine in utraque herba reperies. Quin & semina utriusque adeo sunt consimilia, & forma & sapore, ut ego, qui plurimarum herbarum differentias (Deo laus) noui, id quod citra iactantiam dixerim, illa discernere non ualuerim. 1. *Pastinaca satiua.*

Syluestre Pastinacæ genus, idem cum satiuo semen habet, eundem etiam florem, sed minus est illo, nascitur passim inter cætera uitia herbarum. 2. *Syluestris Pastinaca.*

NOMENCLATVRAE.

Vulgo has herbas Pasticanas Latini uocant, Officinæ Bancias nuncupant, Germani Pestnachen, et nõnulli alij Morellen. Sunt qui Staphylinon, σταφυλῖνος.

Pastinaca.
Pestnachen.



ἐλαφόβοσκον. Dioscor. lib. 3. cap. 73.

& Pastinacam domesticam appellent, quod equidem per me illis licebit, modo non offendantur, si, quod ad me attinet, Pastinacam Elaphoboscum (quod Dioscorides alios Elaphicon, nonnullos Nephrion, alios Ophigenion, quosdã Ophioctonon, aliquos Herpiceen, alios Lymen: Romanos Ceruí ocellum: Ægyptios Chemin: Aphros Ascaucau nominare dicit) appellauerim. Sed si quis miretur quæ sit causa, ob quam Pastinacam Elaphoboscon nuncupare uoluerim, is herbam ipsam cum historia Elaphobosci conferat, & uidebit dubio procul quid me permouerit, ut Pastinacam sic uocarem. Sin uero aliqui sint, qui Pastinacam Sisarum interpretari uelint, non ero illis impedimento, ea tamen lege, ut Rapunculos ab ea appellatione nequaquam excludant. Rursus summe nobis placet, quod Pastinacas exiguas, quæ Germanis Gerlin dicuntur, ad Siser seu Sisarum referant, hoc enim uerum illud hortense est Sisarum, quo Tyberius Cæsar delectatus fuit.

σίσαρον.

Vide Plinium lib. 22. cap. 22.

Ex his quæ diximus facile liquet vrsinam brancam nihil aliud esse quam erraticam Pastinacam, & Apiorum maximum genus, sed in his & talibus

contro-

controuersijs necesse est uiuas herbarum imagines cum ueterum scriptis coniungere, siquidem ueritas inuestigari & deprehendi debeat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pastinacæ dulcem habent radicem, quare inflant & replent uentrem. Hodie culinis magis sunt notæ, quam seplasijs. Nam in cibo usurpantur, præsertim à pauperibus, idq; tempore quadragesimali, tunc enim postquam Rapi & omnes aliæ radices esui aptæ defecerunt, ipsæ è terra prorepunt, ac necessitati hominum inseruiunt. Pastinaca naturam habet calidam & humidam. Semen in medicina quoque usum suum habet.

INTRINSECVS.

Dioscorides scribit Elaphoboscum, seu Pastinacam, ceruos aduersus serpentium ictus uenenosos in pabulo usurpare, qua de causa semen in uino decoctum potui datur aduersus serpentium ictus.

De Staphylino triplici. *Cap.* CXLVII.

DE STAPHYLINIS DEINCEPS AGENDVM CENSEO, quorum mentionem fecit Columel. lib. xi. cap. iij. licet ignorem utrum eo loco intellexerit Pastinacam, an uero ea Raporum genera quæ nunc commemorabimus, initium facientes à seminijs illorum. Ea namq; aspera sunt, hirsuta, echinis quibusdam minutis obducta, magnamq; cum Aniso habent similitudinem. Plantatione & fœlici cura opus habent, non minus atq; Cepæ, Betæ, & Brassicæ, & reliquæ satiuæ ac hortenses herbæ. Mulierculæ nostræ semen quod diximus hirsutum ac asperum, primum quidem ex ijs umbellis desumunt, quæ medium occupant locum, nam illud optimum ac præstantissimum esse affirmant, deinde delectum iam semen panno laneo egregie confricare, & quasi asperitatem eius domare consueuerunt, existimantes ea ratione, rectas, læues, & minus nodosas radices reddi, quæ ex hoc semine enascantur. Proinde hæ ipsæ rapitiæ radices triplici colore distinguuntur, aliæ enim crocei fiunt coloris, aliæ candidi, aliæ postremo purpurei, prolixæ satis longitudinis, ueluti Raphani longiores, inq; medio lignosum quid, uti Fœniculi uel Petroselini radices, habentes. Folia omnibus eadem, nimirum nigricantia, minutim concisa, instar Cumini agrestis, cuius supra in montano Fœniculo mentionem fecimus,

Tria Staphylini genera. 1. 2. 3.

Staphylinus.

Geel/rohte/vnd weisse Rüben.



nisi quod hæc Staphylinorũ folia illis sint asperiora, maiora & nigriora. Altero demum anno in caules concauos, hirsutos & asperos exiliunt, qui umbellis candidis, ueluti Chærefolij, uel Cicutę, interdum etiam roseis flosculis emicantes in cacumine proferunt. Et quod mirum certe uidetur in medio cuiusq; umbellæ purpureus quidam ac capitulatus existit flosculus, Milij seminij magnitudine, qui cum teritur, magis purpurascit. Admiratione autem dignissimum iudico, quod in medio tot candidorum flosculorum, unicus duntaxat, & is purpureus appareat, ac si peculiare quid per hoc natura significare uoluerit.

Miraculum naturæ

In Coloniensi agro hodie nihil frequentius Staphylinis satiuis inuenitur, tametsi & apud nos magni iam dudum usus esse cœperint.

2. Syluestris Staphylinus.

Syluestre harum radicũ genus, herba, caule, flore, purpureo in medio umbellæ constituto flosculo, odore et sapore, satiuos Staphylinos satis exprimit, sola radice, quam habet tenuissimam nec culmo aut ad summum digito, quod tamen rarissime contingit, crassiorem, præterea etiam lignosam prorsus, intus candidam, ab ijsdem differt. Odore & gustu uidebatur mihi fortior, &

magis

magis strenua satiuis. Nascitur sponte suà secus sepes, limites agrorum, ad rupes, & in agris, ac arenosa, siccaq́ꝫ terra inter Pimpinellam.

NOMENCLATVRAE.

Galenus & huius sectator Aegineta, necnon et Auerrhoes, Staphylinum satiuam Pastinacam, Daucum uero erraticum seu syluestre Pastinacæ genus esse dixerunt. Nos in præsentia opinionẽ istorum minime discutiemus, recte ne se habeat, nec ne. Nam possent & aliæ nonnullæ radices his nominibus appellari, quemadmodum & Plinius quatuor generum mentionem facit. Præterea Theophrastus quoque testatur in Patrensi agro Pastinacæ genus nasci, cui sit excalfactoria uis, & radix nigra, quæ duo sane in nulla Pastinaca uel Staphylino animaduertere unquam potui, qui fit ut de Peucedano locum Theophrasti intelligendum existimem, quanquam autem neminem, quominus aliter sentiat scriptis nostris impedire cupiamus, tamen quæ nostra sit de Staphylinis & Daucis sententia paucissimis exponemus. Primum ergo, una cum Dioscoride dicimus Staphylinum tam satiuum quam erraticum cibis accommodatum, & culinis usitatum, id quod in Dauco minime habet locum. Deinde scribit Dioscorides Pastinacam habere asperum caulem, umbellam Anethi, & in medio florum purpureum quiddam. Quæ cum in tribus nostris Staphylinis (quos Germani nostri Geele rüben/ Rohte rüben/ vnnd Weisse rüben uocitant) omnia appareant, maxime uero posterius, quod omnes fateri necesse est, qui eos in flore uiderint, manifestum esse puto nihil cum Daucis, quibus nullæ ex prędictis notis insunt, Pastinacæ esse commune. Atque his de caussis, quod & Dioscorides sentit, Pastinacam erraticam, & Daucũ unius & eiusdem esse generis, iudicare non possum. Interea tamen per nos non stabit, quo minus optimi, doctissimiq́ꝫ uiri, Galenus, Paulus & Plinius Pastinacas suas Daucos nominent. Siquidem & id tolerare cogimur, quod illi ficus Chelidonias, Saluiam Phacon & Tussilaginem (ut plura alia prætereamus, quę nominetenus tantum non autem reipsa apud illos coniungi uidentur) fortasse non sine errore nuncupare solent. Itaque ut tandem concludamus, has plantas & culinarias radices iuxta Dioscoridis doctrinam, Pastinacas, seu Staphylinos hortenses, deinceps appellabimus, quarum mentio proculdubio facta est apud Plinium, cum is scribit Pastinacæ quatuor esse genera, tertiumq́ꝫ ex his Hibiscum, quartum uero Gallinacam Pastinacam, Gręcis Daucon cognominari. Sed appellet quisque has Pastinacas quocunque tandem uelit nomine, nos Dioscoridem secuti Pastinacam a' Daucis (de quibus paulo post) diuellimus.

Plin. li. 19. ca. 5.
Theoph. lib. 10. cap. 15.
1.
2.
Huic descriptioni Apuleius quoque consentit cap. 80.
Pastinaca hortensis triplex.
Diosco. lib. 3. cap. 54.
Hibisci appellatio ad Althæam proprie spectat.

Syluestre

4. *Syluestris seu erratica Pastinaca Theoph. li. 10. cap. 15.* Syluestre Staphylini genus, Dioscorides Cerascomen, Latinis Rusticam Pastinacam, aliquibus Carotam, Ægyptijs Babyrion. Aphris Stic ham, uocitari tradit. Theophrasto Brassica syluestris, Apuleio uero Ceras & Vdonaution, aut ut alijs legendum uidetur, Daucion dicitur. Auerrhoes Pastinacam Halgazar nominat. Habet autem et plura alia nomina, nam quidam Banciam, & cum condita fuerit Algingibel appellant. Iacobus Manlius existimat luteum Staphylinum, qui Germanis Gelb Rüb dicitur, eam esse quæ Chariota, & Lezar, & a` Lombardis Guiffo nuncupatur. Platina candidum & rubrum Staphylinum, Cariotas uocat lib. iiij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Staphylini tam rufus quam luteus, quantum mihi quidem uidetur in cibo utiliores & gratiores sunt ea Pastinaca, cuius historiam præcedenti capite prosecuti sumus. Sunt autem temperamento calidi & humidi, & utrisque corporis partibus aduersus uenenum adhiberi possunt. Inprimis uero erraticus Staphylinus, qui ad sepes sponte sua prouenit, in medicina commendatur.

INTRINSECVS.

Semen Staphylinorum, præsertim autem erratici uino decoctum & potum, suppressos menses trahit, urinam cit, & aquis cutem subire incipientibus, et ijs quos lateralis dolor excruciat, apprime cõducit. Serpentiũ morsibus ictibusq; prodest pari ratione usurpatum. Præsumentes id nulla affici iniuria a` serpentibus traduntur.

Radix in cibo sumpta, fœtui, stillicidio, urinæ venericq; stimulandæ commodare dicitur. Solet autem ea aceto & melle condiri, ut aliæ nonnullæ. Has facultates Staphylinon obtinere Orpheus animaduertit, dicit namq; Staphylino amatorium inesse. Vide Plin. lib. xx. cap. v.

EXTRINSECVS.


Semen herba & radix aqua decocta ac imposita, mortuos fœtus, menses & secundinas eliciunt.

Folia trita & cum melle imposita phagedænas ulcerum purgant. Erratica Pastinaca in omnibus efficacia satiuam excellunt.

De Dauco. Cap. CXLVIII.

1. *Daucus Creticus* DAVCVS FOLIA HABET FOENICVLO ADEO SIMIlia, ut nõ nisi a` peritissimis rei herbariæ discerni ab illo, dignoscique possit,

Daucus.
Berwurtz.



possit, præsertim in ijs locis in quibus luxuriat. Caulis illi rotundus, geniculatus, ueluti & Ranuuculi, aut Anethi, dodrantalis sicut Anethum, vmbella uero Coriandri, flosculis candidis & perexiguis ornata. Semen maturum Petroselinum refert, aut Pimpinellam. Radix longa est & recta, digitum crassa, superiori sua parte hirsutis, hispidisq; pilis capillata, admodum odorata, acrior denique & feruentior radice Pimpinellæ. Daucus hic in altis montibus, præcipue uero in Martianæ syluę quibusdam pratis gignitur. Nam istic primum illum inueni, posteaque in horto meo plantaui.

Alter Daucus foris nigriorem habet radicem, crassiorem, & superne uersus caulem hispidis ac prolixis capillis obductam, feruentiorem & acriorem gustu, denique & odoratiorē primo Dauci genere. Folia illius instar Petroselini uulgaris dissecta sunt, sed maiora illo, nam & cauli crassitudine Petroselinum excedit. Hanc radicem in altissimis montibus ac petrosis desertis, nempe ijs quę sita sunt prope Curiam oppidum Rhœtiæ, & Thermas illas calidas, quas uulgo Pfefferbad/hoc est, Piperina balnea uocant, reperi.

2. *Secundum Dauci genus.*

9. Tertium Dauci genus.

Tertia Dauci species, nondum mihi cognita est, nisi forte ea sit herba: quam supra sub Ligustico Germanice Roßkümmel uocari diximus, quę in nostris regionibus in pratis prouenit. Ea siquidem forma sua, odore & sapore Daucum quadantenus æmulatur. De hoc genere Dauci supra capite cxlij. cum de Fœniculo montano ageremus, mentio facta est. Faxit Deus ut de hac & aliis herbis certiora aliquando cognoscamus.

NOMENCLATVRAE.

Δαῦκος Diosco. lib. 3. cap. 76.

Primum genus Daucus ille est Creticus, quem magni etiam uiri Pastinacis, sed non sine grauissimo errore annumerare non dubitarunt. Nicander in Theriacis δαύκειον uocat, ex quo loco Marcellus Vergilius id emendat, quod male in quibusdam Græcis exemplaribus δίγκειον legebatur. Hieronymus Braunschuueig Porcinum Fœniculum (Germanice Sewfenchel) & Peucedanum uocat, alij Creticum Seseli, quod alias Tordylon, uel ut habet Ægineta Gordylon nuncupatur, esse uolunt. Nostri Rizophori Berwurtz Germanica uoce appellant, uel quod capillata sit, ut diximus, aut quia matricis suo loco motæ dolor, à mulieribus in ore retenta hac radice, quem patria uoce Bermûter nominant, sedari credatur.

Alterius Dauci nomenclaturas nusquam discere potui, unum saltem audiui, qui eam Hirtzwurtz nominabat. Mihi certe uidebatur species esse Peucedani, aut certe Seseli Creticum.

Cyminum equinum.

Tertia species cuius historiam supra cap. cxlij. habes, quibusdam Roßkümmel/aliis Schwartz hirtzwurtz dicitur. Ego certe referrem duas has posteriores herbas, uel inter Daucos, uel inter Tordyla.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Duo Dauci priora genera easdem pene cum Angelica obtinẽt facultates. Sunt enim temperamento calida & sicca, doloribusq́ sedandis utrinq; utilissima.

INTRINESCVS.

Semen utriusq; Dauci aut radix uino decocta ac pota efficacissima sunt aduersus uenenum Cicutæ, Hyoscyami, Opij, aliarumq́ id genus noxiarũ plantarum.

Eadem decoctione, necnon si semen aut radix in puluerem redigatur, & sumatur, dolor uentris uteriq; cohibetur, & tormina sedantur præstantissimo auxilio. Hoc remedio discutiuntur & educuntur frigidi, lentiq; pulmonis & iliorum humores, obstructionibus liberantur iecur & lien, stomachumq; denique & uterum excalfacit,

Radix

Radix Dauci cum ficubus & Fœniculo in uino decocta, remedio est præsentissimo, tussi frigidæ & inueteratæ, astmati, torminibus iliorum. Eodem modo usurpata lentam humiditatem extrahit, a qua hydrops oritur.

Radix & semen Dauci Diuretica sunt, ad uiscosos & crassos humores & aduersus calculos utilissima, menses enim cient, & inprimis conducunt frigidis mulieribus quæ albis mensibus laborant.

EXTRINSECVS.

Semen Dauci in sacculo lineo calidum ceruici impositum, lentas & frigidas fluxiones capitis, unde sæpenumero magna mala in corpore humano creantur, discutit, inhibetq́.

Herba cum radice sua tusa, & calida imposita, tumores, duritias, & collectiones, secundum aures alijsúe corporis partibus subortas disijcit.

De Fœniculo. Cap. CXLIX.

OMNES REI HERBARIAE SCRIPTORES TRIA FOEniculi genera ponunt, unum satiuum, reliqua duo erratica appellantes. Nos in præsentia de satiuo sermonem instituemus, initiũ facturi a radicis descriptione. Eam Fœniculum habet longam, rectam, gustu dulcem, cãdidam & odoratam, in cuius medio lignosum quid existit, quod extrahi consueuit, cum radix desiccanda fuerit. Folijs uestitur Dauco, aut Hippuri exiguæ, quæ in umbrosis ac uliginosis uallibus gignitur, simillimis, ijsq́ quod ad colorem attinet plane nigricantibus. Caulem emittit teretem, concauum, Arundinisq́ instar nodosum, ac plerunq; hominis proceritatem superantem, multis denique adnascentijs & ramulis brachiatum. Is in cacumine muscario emicat luteo, Iulio mẽse florente. Semen Septembri mense plerunque maturescit. Fœniculum non facile hyeme moritur, ut aliæ nonnullæ herbæ, reperias enim fruticem qui denos aut duodenos annos incolumis & illæsus perduret, sicut & Ligusticum, præsertim autem id contingit Fœniculo petrosis & incultis locis prouenienti, quæ eum etiam ab iniuria murium & uermium uindicant, quod mecum testantur Palladius & Platina. *Platina lib. 3. Palla. mense Febru. tit. 24.*

De syluestri Fœniculo cap. cxli. supra disseruimus.

NOMENCLATVRAE.

Μάραθρον Græce, Fœniculum Latine, Fenchel Germanice, ירבוז Iarbus, & קצח Kæzach (de quibus appellationibus uide Aruch Monsteri, & nomenclaturas Eliæ) dicitur. Fœniculum nobilitauere serpentes, gustatu senectam *Diosco. lib. 3. cap. 74.*

Fœniculum.

Fenchel.

pli.lib.20.ca.23.



nectam exuendo, oculorumque aciem succo eius reficiendo. Vnde intellectum est, hominum quoque caliginem præcipue eo releuari. Succus Fœniculi in Iberia laudatissimus colligitur, ut testantur ueteres. Serapioni Fœniculum Raienegi. Auerrhoi Halcasmeg. Auicennæ, Baralinæ, aliis Hazieris dicitur. Semen uero Arabes Bizeri Atasigeniti uocant.

Serap. cap. 214.

Fœniculum erraticum inter ceteras appellationes apud Plinium Myrseneum dicitur. Testatur uero idẽ autor Periclium & Myconem de Hippomarathro scripsisse, ac affirmasse nihil præsentius aduersus serpentium uenenũ inueniri hoc ipso Hippomarathro. Sed & ipse Nicander in Theriacis eam sententiam confirmare uidetur. Non desunt postremo, qui Crithmum, seu Crithamon, quod & Batin uocat Dioscorides, Fœniculum marinum esse putant. Iam quod ad Batin attinet, Plinius duo illius genera describit, uocatque alteram Batin marinam, alteram uero hortensianam, seu Asparagum gallicum. Mihi uidetur hæc posterior genus esse Portulacæ uerum, nobis hodie incognitum, illud nimirum quod Olus cordum uocauit Columella.

Diosco. lib. 2. cap. 118. Plinius lib. 21. cap. 15.

Col. lib. 12. ca. 13

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Magnæ utilitatis est Fœniculum, tum totus ipse frutex, cumprimis uero semẽ eius, quo uix aliud inter omnia semina usitatius reperias. Nam in Germania nostra & pauperibus & diuitibus inseruit, pauperibus quidem illo per se, diuitibus autem Saccharo condito, utentibus. Hoc semen temperamentum obtinet calidum ac modice siccum, utrisq; corporis partibus commodissimum.

INTRINSECVS.

Semen uino decoctum ac bibitum, contra serpentum ictus auxilio est. Venena quoque alia expellit, Menses ciet, ad calculos facit, urinam trahit, & uiscosos humores, lac auget nutricibus.

Semen Fœniculi, aut flos ipse, qui supremum in umbella obtinet locũ, aqua decoctus & potus, nauseam & stomachi feruores sedat. Inprimis uero calidæ & siccæ tussi confert.

Semen per se mansum, aut Saccharo conditum, & continuo sumptitatum, lentam pituitam incidit, & excreabilem facit. Ad caliginosos oculos nihil efficacius hoc semine.

Has uires omnes aqua distillata habere quoque dicitur. In medicina hodie nullum semen adeo frequentis est usus atq; Fœniculi.

EXTRINSECVS.

Aqua Fœniculi distillata mane & uesperi oculis indita, caligines oculorũ discutit, auribus instillata uermes enecat.

Easdem facultates obtinet succus expressus, & lacryma, seu ut uocant Gummi Fœniculi.

Radix cum melle contrita, ac emplastri more imposita, scorpionum & araneorum uenenatis ictibus, & canum rabiosorum morsibus, si prius uulnera illa urina aut aceto lauentur, medetur.

Succus hoc pacto extrahitur, ex radicibus, herba, flore & immaturo semine, quod optimum & laudabilius est, probe contusis exprimitur, soliq; expositus siccatur, posteaq; in medicamenta adijcitur, quæ ad oculorũ aciem excitandam commode temperantur. Debet autem succus hic aqua distillata Fœniculi, aut alterius herbæ, temperatus, oculis instillari,

De Anetho. Cap. CL.

Dyll.



ANETHVM ALSIOſa eſt plãta, quæ Aprili mẽſe binis acutis foliolis, uelu ti Fœniculum (quo tamen, ubi adoleuerit tota ſua ſubſtantia magis exigua & tenuis, aſtrictior atque breuior apparet, niſi quod ſemen habet latius illo) aut Cyminum, è terra proſilit, poſt quæ alia admodum diſſecta, ac in ſtaminis pene modum extenuata ſubſequuntur. Caulem profert geniculatũ, & ſurculoſum, umbellam floribus luteis cõſpicuam, ſuauiterq́ odoratam. Flore decuſſo bina undiq́ & coniunctim poſita ſemina relinquuntur, id quod in omnibus ĥs plantis uidere eſt, quæ florem in muſcariĵs ferunt, tametſi ab his Corianon excipiendũ ſit. Radix illi breuis, candida, & lignoſa. Proinde poſteaquam in terram ſemen deciderit, tota hæc plãta, illico marceſcit, interitq́, ac anno inſequenti ex ſemine deciduo ſubinde repullulaſcit, non aliter atq́ Corianon. Naſcitur paſſim in hortis, nam ſponte ſua & quam facilime prouenit.

De ſylueſtri Anetho, quod Germani Krotendyll, Latini uero Cotulam uocant, ſub Chamomilla dictum eſt.

NOMEN.

NOMENCLATVRAE.

Vno nomine & herba & ſemen Dyll/apud Germanos nuncupatur, Dioſcorid. ἄνηθον, Anethum, quibuſdam uero Polgida, aliis Anicetum, Magis Cynocephali genituram aut capillos, aliis Mercurij ſemen. Aphris Siciriam Ægyptijs Arachu, Dacis Pulpum dici ſcribit. Æginetа ἀνίμιον, & Anemion uocat. Serapio cap. cccxvi. Anethum, Xebeth, & Vebet nominat. Auerrhoes Scenat.

Dioſco. lib. 3. cap. 60.
Aniceti uox Smilaci quoque aſperæ attribuitur.
Dioſco. lib. 4. cap. 139.
Genitura Mercurij ad Buphthalmum refertur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Semen Anethi naturam habet calidiorem ipſa herba. Porro utrunque medicinæ & cibo accommodatum eſt. Anethum condimentum eſt optimum, nam olim cum Serpyllo & Allio contundebatur, feſſiſque meſſoribus proponebatur, quemadmodum in Alexi Vergilius teſtatur, hodie & herba & caule, & ſemine tam in culinis quam ſeplaſiis utimur. Tradunt præterea ſicut Fœniculum caliginoſis oculis unice conferat, ita Anethum caliginem illorum promouere ac creare. Verum enimuero caliginem oculis inducere Anethum dixerim, ſed citra noxam. Nam capiti conducit, & ſomnum conciliat, maxime Anethinum oleum, quamobrem quod dicitur uiſum hebetare aut caliginem oculis inducere, ego de ſomno & quiete intelligerē potius.

Dioſcor. libro 3. cap. 147.
Anemion ad Anemonem proprie pertinet.
Dioſco. lib. 2. cap. 167.
Serap. cap. 316.
Plinius lib. 20. cap. 18.

INTRINSECVS.

Aridi Anethi comæ, ſeminiſque decoctum (ſiue id aqua uinoue fiat) potu lac euocat, inflationes & tormina ſedat, ſingultus lenit, uomitiones ſiſtit, urinas ciet, genituram extinguit aſſidue potum. Eadem præſtare aqua diſtillata dicitur. Quid uero in cibis poſſit culinis non eſt incognitum, quare non eſt opus ut diu hic immoremur. Placet autem in gratiam pauperum, quibus opes non ſuppetunt ad redimenda officinarū ſumptuoſiſſima pharmaca, Theriacam Antiochi, quam ille aduerſus omne uenenum ex Anetho aliiſque conficere docet, ex Plinio aſcribere, cuius lib. xx. capite ult. hæc ſunt uerba.

Sed diſceſſuri ab hortenſibus, unā cōpoſitionem ex his clariſſimam ſubtexemus, aduerſus uenenata animalia, inciſam lapide uerſibus in limine ædis Aeſculapij. Serpylli duū denariorū pondus: opopanacis & milij tantundem ſingulorū, trifolij pondus denarij, Anethi & Fœniculi ſeminis, & Aniſi, & Ammij, & Apij denariorum ſenum ſingulis generibus, Erui farinæ duodecim. Hæc tuſa

Theriacæ Antiochi compoſitio.

cribrataq́ue uino quam possit excellenti, digeruntur in pastillos, uictoriati pondere. Ex his singuli dantur ex uini mixti cyathis ternis. Hac Theriaca magnus Antiochus rex aduersus omnia uenena usus traditur. Hactenus ille.

EXTRINSECVS.

Anethum fœminis uuluæ malo opportunis ad desessiones utile. Condylomata illitus eius cinis tollit.


De Aniso. Cap. CLI.

SI IN CRETA SOLVM INSVLA, AVT AEGYPTO, ANIsum proueniret, quod scriptores quidam, maxime ueteres asserere uidentur, certe Germaniæ nostræ oblitum esse Deum dicere possemus, qui præterita illa, omnem rerum pretiosarũ thesaurum in Ægyptum, Arabiam, Syriam, & Indiam effudisset. Sed benedictus Dominus Deus, cuius bonitate & prouidentia, non una tantum terra, nec una duntaxat natio, sed potius, uniuersum genus humanum, & unaquaq́ue etiam terra, ijs rebus affatim donatur, quæ non solum ad uictum & amictum, sed & medicinam tuendamq́ue ualetudinem pertinent. Inter quas haud postremo loco enumerandum uenit Anisum, quod hodie in tractu Rheni, præsertim in agro Spirensi ac Argentinẽsi magna copia non sine lucro à quibusdam plantatur, et passim in Germaniæ hortis satiuum nascitur. Folia eius prima tenerrimo Ligustico paria uidentur, nisi quod illo sint magis rotunda et exigua, albicantia, ac odorata. Iulio mense caulem profert rotundum, & concauum, cuius fastigio umbella candido flosculo ornata maiori Pimpinellę, aut Coriano similis insidet. Semen quoque, quod minus est semine Cicutę, aliquantulum albicat, odore ac sapore gratissimo melli fere respondens, aduersus uarias affectiones quemadmodum Plinius prolixe testatur lib. xx. cap. xvij. utilissimum, nemini autem perinde commodum atq́ue seplasiarijs, qui illud Saccaro condiunt, sicut & Fœniculum, Cuminum, Corianon, & alia id genus.

NOMENCLATVRAE.

Semen Anisi appetentiam ciborum pręstat, quo nomine à diuitibus Saccharo conditum usurpatur, ideoq́ue Anicetum uocari tradit Plinius. Dioscorides lib. iij. cap. lviij. ἄνισον, Latini Anisum, Germani Anis samen (quod nomen

Anisum.
Anis.



men apud Mediomatrices nonnulli non sine grauissimo errore tribuunt Coriano) appellant. Hieronymus Braunschuueig Fœniculum Romanum dicit. Serapio Anisum uocat, nonnulli alij Cyminum dulce (quod est Germanis Süsser Kümmel) nominant. Obseruandum est semina Anisi, Fœniculi, Cymini, Anethi, & Petroselini, si ultra quadriennium seruentur, vermiculis erodi, aut si hoc non cõtingat, prorsus amara fieri. Quæ quidem ita se habere maxime quod ad Anisum attinet, non tantũ me experientia docuit, sed & ipse Theophrastus lib. vij. de hist. plant. cap. vi. testatum reliquit. *Serapio ca. 242.*

VIRES AC TEMperamentum.

In Germania nostra semen huius plantæ duntaxat in usu est, quod diuites uoluptatis potius quam medicinæ gratia, Saccharo ut meminimus conditũ usurpant. Temperamentũ obtinet calidum & siccum. utriusq; corporis partibus accommodatum.

INTRINSECVS.

Semen Anisi, præsertim si ex illo confectio (ut uocant) paretur, ac conti-

nuo usurpetur, non tantum iucundissimum, sed & utilissimum est, ijs qui fœtidum oris halitum habent, & dormire nequeunt.

Conducit hoc semen & hydropicis, nam iecoris obstructiones certo tollit, urinam ciet, sitim cohibet, ad uentris inflationes facit, uino aquaúe decoctum ac potum, & in lineis calidisq́ sacculis foris impositum. Præcipuũ est ad omnes internas erosiones, stomachi, pulmonis, iocinoris, & matricis, nam confortat, calefacit, & sanat stomachum, aliaq́ interna membra, concoctionem adiuuat, uapores malos in caput ascendentes deprimit, bonosq́ exhalare, & in caput mittere stomachum facit, dolores lenit, tormina sedat, singultus inhibet, & ut paucis dicam omnes dolores, tumores, & inflammationes stomachi, uitiaq́ pulmonis emendat, finitq́, & alba denique mulierum profluuia sistit. Quamobrem non iniuria summis laudibus à Pythagora hoc semen celebratum fuit. Qui plura de illo scire desideret, is legat Plinium lib.xx.cap.xvij. quo loco inter cætera commemoratur Dalionem quendam herbarium parturientibus mulieribus semen Anisi cum Anetho tusum bibendum dedisse. Heraclides uero Anisum manducare iussit, quibus intumesceret stomachus, idq́ singulari experimento.

EXTRINSECVS.

Ad extrahenda si qua in oculos inciderint, herba aut semen Anisi recentis siue aridi tunditur ac emplastri modo imponitur. Idem medicamentũ uenenatis animalium morsibus impositum, uenenum extrahit, uulnusq́ sanat.

Suffitu seminis Anisi & storacis calamitæ naribus excepto capitis dolores finiuntur.

Semen Anisi cum oleo Rosaceo calido tritum instillatumq́ fractis auribus medetur. Idem efficit succus herbæ expressus.

Omnes commemoratas uires, quas utrisq́ in corporis partibus semen habet, aqua è flosculis distillata obtinet.


De Caro. Cap. CLII.

CAROS HELVETIIS, SVEVIS, ET MEDIOMATRICIbus usitatissima planta, in aridis pratis, ac ædito loco sitis, necnon graminosis agrorum limitibus, humo forti gaudens, emicat, eoq́ fœlicius, quo altiores situs occuparit. Radicem habet læuem & rectam, in medio lignosum quid obtinentem, sapore Pimpinellæ quodammodo respondentem, nisi quod illa mitiore sit & gratiore gustu. Herba

Staphy-

Caros.

Wißkymmel.



Staphylinos imitatur, maxime uero cum pingue solum illi obtigerit. Caulem profert teretem, cauum, nodosum seu geniculatum, bicubitalem nonnunquam, & altiorem etiam interdũ Altero demum anno postea quam ex humo emergere cœperit, umbellas gerit in cacumine candido flore ueluti Chærefolium emicantes, idq; Maio mense: Nam Iunio semen maturescere incipit, quo decidente radix, folia & caules protinus pereunt, ac ex semine deinceps deciduo planta hęc repullulascit sponte sua citra hortulani operam.

NOMENCLATVRAE.

Germani hoc semen Wisenkymmel / hoc est, pratense Cyminum, nonnulli etiam Wegkymmel à uijs & itineribus, ad quæ, præsertim si graminosa fuerint, Caros reperitur, nominãt. Estq; hic ipse κάρ⊕ Dioscoridis, quem officinæ semen Carui appellant. Hebræi כמון Kammon, Chaldæi כמונא Kemona uocant, uide Esaiæ cap. xxviij, dubito tamen an ad hoc Cuminũ an uero ad Cyminũ Romanũ hę appellationes pertineant. Ac facile crediderim radicem Cari ueteribus antequam floreret in cibo instar Pastinacæ usurpatam, cum illam gustu satis repræsentet, *Diosco. lib. 3. cap. 59.*

qua de re si libet uide Æginetam libro j. & Athenæum, qui hac ipsa de causa illam Pastinacam maiorem uocauit. Auerrhoes ait Nauoca esse semen Carui, & Ammeos. Serapio Caruia nuncupat. Hoc loco de altero Cumino quod Hippocrates Regium dixit, & alij Germanica uoce Römisch kümmel/ cuius duo tradunt genera, satiuum scilicet & syluestre, necnon de exiguo illo semine Ammeos, quod omni Cumino et Petroselino etiam minutius est, scribendum mihi fuerat. Verum enimuero quod ad Cuminum attinet, libens illius historiam persequerer, si semina illa cum herba recenti uidere mihi cōtigisset, quod quia hactenus mihi negatum fuit, supersedebo in præsentia à descriptione illorum. Ammi autem tametsi in ordinem earum plantarum, quæ umbellas gerunt referendum fuerat, nihil tamen de illo dicere uoluimus, antequam excreuisset à nobis satum, quare alio loco illius mentionem facturi sumus.

Serap. cap. 279.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Cari semen excalfacit, et exiccat, Aniso per omnia par, ideoq; ueluti illud utrinq; corpori adhiberi potest.

INTRINSECVS.

Radix cocta ac præparata ueluti Pastinaca, cibo utilissima est ad excalfaciendum stomachum, ac ciendum urinam. Reliqua in Aniso uide.

Semen Pani adiectum apprime conducit, caseisq́ quoque appositum iucundo illos commendat odore, sicut & omnes alios cibos.

EXTRINSECVS.

Semen in sacculo lineo calidum impositum uentri, flatus discutit, à purgatione in colica passione.

Vsus seminis Cari apud Germanos.

Semen hoc passim in Germania usu frequentissimum, ac quouis etiam Arabico aromate sua ratione præstantius. Hodie apud nos pani ut diximus compinsitur, caseis adijcitur, eoq; iuscula carnium & piscium in culina condiuntur. Officinæ deniq; Sacchario semen istud obducunt, magno sane suo emolumento, nam diuitibus hoc pacto magnopere quæritur.

De Cumino montano, quod Germani Roßkümmel/ hoc est, equinum Cuminum uocitarunt, supra cap. cxlij. disseruimus.

De

De Pyrethro. Cap. CLIII.

Bertram.



PYRETHRVM AD STELLATAS PERTINET PLANtas, nam flores eius per omnia Bellio maiori reſpondent, niſi q̄d

breuiores illa habet caules, flores etiam maiores, ac extrinsecus rubro colore tinctos, non aliter atq; Bellis minor. Porro ex interno flore qui luteus est, semen efficitur, quod cum Iulio mense decussum, terræq; commissum fuerit, haudsecus pullulat atq; Fœnum græcum, tametsi quæ postea sequuntur folia Millefolium adeo referant, ut discerni duo illa genera uix possint. Radicem habet dodrantalem, digitum crassam, rectam, leuem ut Daucus. Floret altero demum anno in fine Maij mensis. Hodie in hortis plantatur.

Dioscor. lib. 3. cap. 78.

NOMENCLATVRAE.

Dorycnij appellatio ad Solanũ referenda est, ut supra docuimus. Mirum autem uidetur qui factum sit quod Pyrethro attributa fuerit.

Serap. cap. 356.

Germani Bertram deflexa à Pyrethro appellatione, & Speichelwurtzel / hoc est, Saliuarem nominãt. Dioscorides πύρεθρον, Dorcynion, Pyrinon, Pyroton, Pyrothron, arnõ Pyriten, & Pyriten uocauit. Latini Saliuarem. Quas quidem uniuersas appellationes à feruenti gustu, quẽ radix obtinet, herba hæc sortita est. Multi putãt Tarcon Auicennæ esse Pyrethrum, quod si ita est, apparet illum bis secundo libro de Pyrethro scripsisse. Serapioni Macharcaraha. Auerrhoi denique Halacarta, Haliabbas, & Harcharach dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pyrethrum apud nos aduersus dolores maxime dentium hodie usurpatur, idq; non sine causa, nam radix eius commanducata, ac in ore retenta, crassos, lentos & frigidos humores, qui ad dentes nonnunq; descendunt, extrahit, disijcitq;. Pari ratione ueteres hac radice usi sunt, ad educendos frigidos cerebri humores, quod Ægineta lib. j. cap. xlvi. & Serenus Poëta cap. vij. hoc uersiculo testatum reliquit.

Purgatur cerebrum mansa radice Pyrethri.

Proinde radix Pyrethri feruentissima, ac in educendo ac trahendo humores efficacissima est, quare ad quasuis frigidas & humidas affectiones adhibere illam utrinq; possumus.

INTRINSECVS.

Semen aut radix uino decocta & pota, lentos ac frigidos humores per urinam & aluum educit, quod ipse certa experientia addidici. Vide Dioclis epistolam ad Antigonum regem.

Experimentum.

EXTRINSECVS.

Radix Pyrethri ad dentium dolores unice facit, quare si quis ijs affectionibus

nibus laboret, is tusam radicem hanc in aceto decoquat, ac ex illo decocto os colluat, quod cum fecerit, releuationem sentiet, nam nō solum collectos frigidos humores extrahit, sed & dolorem sedat hoc medicamentum. Atque hæc sunt præcipua mala aduersus quæ Pyrethrum hodie in usu est.

Radix in ore commanducata idem præstat, & cerebrum humidum purgat.

Radix tusa, ac cum oleo temperata, sudorem elicit illitu, excalfacit neruos, perfrictionibus articulorum maxime utilis.

Pari ratione usurpata, totius corporis calorem recuperat, inprimis uero in diuturnis horroribus febrium, alijsue perfrictionibus membrorum.

Vnguentum ex Pyrethro, & oleo Chamomelino confectum, si eo spinam dorsi inungas, teque in lectum componas, ac probe contegas, ad rigores febrium ne redeant, mirifice conducit. Ad hæc stupidos & resolutos adiuuat, præsertim uero infantes, si quando hoc morbo infestantur. Et ut paucis multa dicam, quæcunque ex frigida intemperie proficiscuntur mala, ea hac radice curari ac excalefieri possunt.

De Petroselino, & Amomo Germanico.
CAP. CLIIII.

INTER OMNIA APIORVM GENERA, VIX ALIVD est usitatius eo, quod officinæ uulgo, sed non sine errore, Petroselinum uocant. Nam nullam in Germania nostra culinam reperias, in qua & herba & radix huius Apij hortensis, suum locum inter præcipua olera, non occupet, ita ut non solum diuitibus, sed & pauperibus, uarijs cibis condiendis magnopere quæratur. Sed quid de Germanis dico, an non & ipse Apicius ac Platina summo loco Petroselinum semper habuerunt? Proinde neminem esse existimo, cui usitatissima planta non sit cognita, qui non etiam uires eius perspectas habeat. Quanquam quod mirari satis non possum, quo notior aliqua herba uulgo fuerit, eo plerunque doctissimis quibusque forma, & nomen illius ignota existunt. Quot enim putas in numero illorum esse, qui Petroselini, Cheræfolij, Cicutæ, & eius quę Germanis Gleiß dicitur, differentias proprias cognitas habeant, aut nomina genuina sciant? Quemadmodum enim, quod ego uidi, Cicutam Chærefolium, rursus uero herbam Germanis Gleiß dictam Petroselinum dicere quidam ex his audent, ita fieri facile possit, ut ijdem Petroselinum Cicutā, rursus autem Cicutam Petroselinum appellare non uereantur. Sed relictis his ad historiam Petroselini nos conferamus. Semen eius quod aliquanto maius est semine Ammios, hortulani nostri primum Aprili mense, aut potius

1. *Petroselinum uulgare hortense.*

tius

Petroſelinum.

Peterlin.

Palladius menſe Maio titulo quinto.



tius appetēte Maio menſe, ſecundum doctrinam Palladij, deinde uero, quo ſequenti anno in Maio tenerum Petroſelinum, quod maxime in cibis expetitur, habere poſſint, circa feſtum Diui Laurentij, & Bartholomei, terræ mandare ſolent, e qua duobus primum foliolis acutis erumpit, non aliter atq; herba ſeu potius uitium Gleiß Germanis dictum. Quæ duæ plantæ cum adoleuerint, (nam cōiunctim, ijſdem locis natalibus gaudentes, proueniunt) tāta affinitate copulantur, ut diſcerni uix poſſint, niſi coloris differentiam probe animaduertas. Petroſelinum namq; diluta & grata uiriditate præditum eſt, alterum uero uitium nigricat magis. Folia utrique diſſecta, ſed profundioribus diuiſuris quam Chærefolium. Caulem etiam rotundum utraq; planta habet, ſed in eo rurſus differunt, quod altero demum anno Petroſelinum excauleſcat & floreat, illud uero primo ſtatim anno caulē, florem in umbellis album, & ſemen Cumino ſimile proferat. Iam & in umbellis quas habet in flore ſubluteas, & ſemine magis exiguo, odorato, guſtuq; aliquantulum acri, a uitio illo diſſidet Petroſelinum, ut interim de radice nihil dicam, quæ uitio illi non ultra dodrantem

longa,

Amomum Germanicum.
Teütscher Amomum.



longa, ac ingrati plane & fœtidi odoris est, huic uero odoratissima, ac prolixa ueluti Fœniculi. Quid quod interdum sponte sua Petroselinum minutim concisa foliola Fœniculo non absimilia sortitur, quod ego culturæ tribuerim. Nam & Theophrastus & Columella uno ore testãtur, herbam Petroselini crispam reddi, si postquam satum fuerit semen in humo deprimatur. *Theoph. li. 2. cap. 5. Col. lib. 12. ca. 3.*

Proinde ea herba cuius semen Seplasiarij uulgo sub nomine Amomi uendere solent, alsiosa est planta, hyemis namq; frigus perferre non potest, quare ex semine quotannis necesse habet plantari, quod primũ quidem binis acutis foliolis, non secus atque Petroselinum pullulat, deinceps uero subsequuntur alia & maiora, & profundioribus incisuris dissecta. Caulem profert geniculatum & surculosum, qui sicut & folia, odoratum paludapium repræsentat. Flore exiguo, albo, & copioso emicat, idq; Iulio mense, semine post florem decussum prægnat, odorato & acri, atq; ita reddito & flore & semine tota ingruente hyeme perit planta, sicuti & Anethum, Quo loco obseruandum est omnia alia Apij genera. *2. Amomum Germanicum.*

genera hyemem ferre posse, hoc uno excepto, qui fit, ut, quod ad me attinet, illud Apijs accensere nullus possim.

NOMENCLATVRAE.

Isidorus & Platina in ea sunt sententia, ut existiment Petroselinum nostrũ uulgare esse Petrapium, seu Apium saxatile, hoc est, si Germanice exprimere uelimus, Stein eppich/aut Stein peterlin. Atqui manifestum est nostrũ uulgare Petroselinum, non in saxis, sed hortis plantatum prouenire, licet quandoque illud uiride in muris reperiatur, id quod uento tribuendũ est, qui plantarum semina hinc inde non raro dispergit, disijcitq́;. Quod si uero eam ob causam Petrapium esset dicendum quod inter petras interdum inueniatur, multa sane haberemus Petrapia, quando luce clarius est multas plantas saxis & petrosis delectari. Sed ut tandem nostram de hac planta proferamus sententiam, eam σέλινον κηπαῖον, Apium hortense, hoc est, Germanis Gartēn epff/Garten/oder zam Peterlin/Dioscoridi uocatam omnino iudicamus. Quod autem uulgare nostrum Petroselinum nihil aliud sit quam Apium hortense, non solum experientia, herbæq́; ipsius apud Dioscoridem historia, uerum etiam Constantinus & Manardus Ferrariensis (lib. nempe vi. Epist. Medic. Epist. viij) Medici excellentissimi testantur. Quare quæ hucusq́; de Petroselino diximus, nequaq́; TEMERE, (sic. n. nonnulli labores nostros interpretantur) sed in gratiam studiosorum rei herbariæ admonitionis gratia dicta sunt. Quid uero per Petroselinum & Petrapium intelligamus suo dicetur loco. Serapio sex genera Apiorum recenset, inter quæ hortense, (hoc est, Petroselinum nostrum uulgare) Karphs, & Karphi nominat. Arabes quidam semen illius Bizeri Alcarasis nuncupant Ex his itaque quæ adduximus satis liquet, nos quoque hodie ueterum habere Apium, quod quocunq́; modo alij uocitent, siue Petroselinum, siue alio nomine, parum sumus solliciti, modo sciamus illud hortense esse Apium.

Diosco. lib. 3. ca. 67. Hoc Apiũ Melissophyllon cognominat, sed hæc uox ad aliã herbã pertinet, ut supra ostendimus. Nicander in Alexiphar. hoc Apij genere uictores Corinthios sese coronare solitos scribit. Serap. cap. 280.

2. σίσων. Quod ad Amomum Germanicum attinet, quod à Germanis Frembder Peterlin/hoc est Peregrinum Petroselinum appellatur, nos illud Sison hortense dicemus, moti & forma & uiribus huius herbę, quę minimum quoddam Apiorum genus esse uidetur. Neq́; hanc nostram sententiam à ueritate tam longe abesse putamus, atq́; eorum qui hactenus pro Amomo semen eius uenditare soliti sunt.

Diosco. lib. 3. cap. 57.

3. Gleiß. Postremo eam plantam cuius supra meminimus, uitium Petroselini esse, aut certe aliqua ratione ad Cicutam pertinere arbitramur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Petroselini herbam & radicem, non solum coqui, sed & seplasiarij hodie

usurpant,

usurpant,magis uero semen,quod calidius est,& ad ciendam urinam efficacius.Porro possunt utiliter omnes partes Petroselini utrinque corpori adhiberi.

INTRINSECVS.

Radix & herba Petroselini ad culinas spectant, utilesque sunt in omni cibo, nam inflationes stomachi deprimunt,contra epotam argenti spumam auxiliantur,urinam & menses cient,iecur & lien obstructionibus liberant, hydropicis & Ictericis conducunt.

Radix & semen omnibus medicamentis aduersus uenena,tussim,& aquã intercutem facientibus misceri possunt.

Sunt qui decoctionem contra aquam intercutem, morbum regium & calculum renum,hoc pacto conficiant.Accipiunt seminis Petroselini,seminis Fœniculi,seminis Anisi,Cari,singul.unciam unam,radicis Petroselini, radicis Pimpinellæ,radicis Cari,sing.unciam unam, aut unciam & semis. Hæc omnia in mensura uini albi per noctem macerant, alteróque die ultra tertias decoquunt,uesperíque ac mane ægris propinant, ita tamen ut à potu ieiunet æger tres horas. Hac decoctione obstructiones iocinoris ac lienis tolluntur,aqua intercutem atque Icteros per urinam expellitur.Eadẽ aquæ distillatæ iuuamenta ascribuntur. *Decoctio utilis.*

EXTRINSECVS.

Herba Petroselini cũ pane recens cocto,tusa ac imposita oculorũ inflammationibus auxiliatur,illorumque tumores detumescere facit. Pari ratione erysipelatis ac sacro igni illinitur, æstuantem stomachum mulcet impositu, id quod non semel experientia comprobauit. *Experimentum certum.*

Mulieres si quando infantes ablactare uelint,herbam Petroselini tusam, mammis imponant,quo facto mammarum duritia ex lacte concreto contracta,intra paucos dies reprimetur. Ad eadem ualere dicitur aqua distillata.


De uulgari Apio, & Sio odorato. CAP. CLV.

VLGARE APIVM QVOD NVSQVAM LAETIVS exurgit,quam humidis & paludosis locis,utpote fossis,umbrosis & uliginosis hortorum angulis,sepibus etiam ac muris, Petroselino hortensi,caule,radice,folijs & umbellis similis apparet,nisi quòd per 1. *Apij uulgaris descriptio.*

omnia

Vulgare Apium.

Gemeiner Epff.



omnia illo grandius, pinguis, odore denique ac gustu uehementius & amarius existit. Flores etiam huius calidi sunt & non lutei sicut Petroselini, semen multo magis exiguum, Ammios sementi haud dissimile, feruido gustu preditum, quo ad pilulas aureas conficiendas utuntur uulgo, ego Petroselini semen in locum eius substituo. De hoc Apij genere uidetur mihi mentionem fecisse Vergilius, cum in Sileno dicit.

Floribus atq; Apio crines ornatus amaro.

2. Sion odoratum.

Nascitur proinde herba quædam in fontibus ac irriguis Petroselino folijs et caule concauo, quadantenus similis, nisi quod illa maiora habet. Vmbellas gerit candido flore emicantes, ueluti Apium uulgare, idq; Iunio mense. Semen maturum Anisum repræsentat, sed rotundius illo est, acre & suauiter odoratum, ut eatenus cum Coriano prope conferri possit.

NOMENCLATVRAE.

Germani priorem plan-
1. tam Baur Epff/oder Wasser Epff. Latini Apium rusticum, aquaticum, aut palustre nuncupant. Estq; illud meo quidem iudicio ἑλειοσέλινον Dioscoridis, quod & πεδεινὸν, & ὑδροσέλινον uocat. Quæ quidem nomina ad aquaticum

Diosco. lib.3. cap.68.

quoq;

Sion odoratum.
Brunnen Peterlin.



quoque Apium, cuius supra cap. xxx. meminimus, referri possunt.

2. Alterum genus Apij quod nonnulli in hyeme una cũ Nasturtio aquatico in acetarijs esitare solent, nos Lauer Plinij esse existimamus. Apud Dioscoridem uero Sisymbrium est secundum, quod ille Cardaminen & σίσυ cognominat. Ea de causa doctissimus uir D. Conradus Gesnerus eam herbam Sion odoratum recte dixit. Serapio Apium Asalis. Auerrhoes Alcharfas, Karphs, Karphi uocauit capite cclxxx. Postremum hoc Apium quidam Selinum, & Germanice Bynen kraut uocant.

Plinius lib. 26. cap. 8.
Diosco. lib. 2. cap. 117.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Omnia Apij aquatici genera, acriora sunt & feruentiora Petroselino, ideoque culinis abdicata, Seplasiarijs, qui ea pro placito cuiusque præparare norunt, relinquuntur. Dioscorides Eleoselinon ad eadem ad quæ Petroselinum efficax esse tradit, quare plura de his scribere superuacaneum mihi uidetur. Alterum uero quod ego Lauer, & Sium nomino inter culinarias herbas locum suũ obtinet, Hyeme namque

cum omnes aliæ herbæ perierunt, hoc Sium cum Nasturtio aquatico acetarijs accersitur.

De Pimpinella. Cap. CLVI.

Bibernel.



a. Pimpinella maior.

2. Secunda Pimpinellæ species.

PIMPINELLA TRIum est generum, una nimirum maior, duæ uero exiguæ, radice gustúq; consimiles. Quę in his maior est, ea in pratis apricis, & arenosis agrorum limitibus erumpit radice recta, læui, candida & longa, Petroselini radici simillima, gustu acri ac gingiber æmulante. Folijs uestitur nigricantibus, ijsq; singulis multifariam ac profundis incisuris dissectis, folia nucis recens enata, aut Pastinacæ herbã referentibus. Aduentante mense Maio caules profert concauos, nodosos & proceros, florem uero in muscarijs candidum, semen denique ubi maturuerit, Petroselino simile, nisi quod acrius feruentiusq; gustu existit.

Altera Pimpinella feruore et acrimonia primum genus superat. Nascitur in arenosis agrorũ limitibus, in asperis montibus ac saxis, radice saxorum rimas angustissimas penetrante triũ quandoq; palmorum longitudine, recta, ac tenui, ut

uermis

uermis rudimentum quasi exprimat. Folia, caules, flores, & ipse color, & forma cum primo genere prorsus conueniunt, nisi quod hæc tota substantia minor est, coliculis interdum & uenis foliorum purpurascentibus. Floret appetente Maio mense. Semen Ammios semini simile habet.

Huic tertia Pimpinella radice, caule, flore, semine, odore & sapore plane similis est, uno hoc nomine ab eadem dissidens, quod foliola habet minutissime dissecta, ac serrata, ita quidem ut à Caro discerni, ac Pimpinella esse credi uix possit, nisi gustata radice. Prouenit autem hæc plerunq; in ijsdem locis, quibus altera gaudet Pimpinella. Estq; hoc crispum Pimpinellæ genus, quale & in Petroselino uidere contingit, quemadmodum supra annotauimus. 5. *Tertia Pimpinella species.*

NOMENCLATVRAE.

Etsi Pimpinella, quæ Germanis Bibernell dicitur, uulgaris est planta, tamen quo nomine ueteribus fuerit appellata, & quid nam illa sit, nemo doctorum uirorum indicauit hactenus, quantumuis multa de illa scripserunt. Sunt enim qui Bibinellam, sunt qui Pimpinellam, Pampinellam, & Pampinulam uocitẽt, nõnulli Bipennulam, & Sanguisorbam nuncupant. Simon Ianuensis Petram findulam, & Saxifragiam appellauit, & rectius quidem meo iudicio alijs omnibus, his enim nominibus non solum historia Pimpinellæ, uerum etiam uires respondent, nam Pimpinellæ nostræ radix saxa penetrat ut diximus, & ad ciendam urinam, ac quemadmodum libro iiij. testatur Platina ad calculos facit unice. Ego, ut & de huius plantæ appellationibus meam dicam sententiam, si cum doctissimo uiro Manardo Ferrariensi essem, ubinam Pimpinella in Dioscoride nascatur, illi indicare non grauarer, cum & ipse quodnam hortense esset Apium, seu Petroselinum, studiosos medicinæ pro singulari suo in illos, & amore & candore edocuerit. Existimo antem alijs quoque bonis uiris operam nostram gratam futuram. Hic ergo optimi uiri Macedonicum πετροσέλινον, cuius ueteres meminere, inprimis uero diligẽtissimus rei herbariæ scriptor Dioscorides, habemus. Is enim lib. iij. cap. lxx. Petroselinum in Macedonia in præruptis locis, semine Ammij, odoratiore, sapore acri, aroma olente, prouenire scribit. Quid uero aptius Pimpinellæ huic nostræ accommodari poterit hoc ipso Dioscoridis capite? An non hoc ipsum ordo, descriptio, & uires, quæ apud illum habentur, satis testantur? Atque hinc uidere licet, præposterum mortalium iudicium, qui magnis sumptibus è peregrinis & longinquis nationibus ea deportari ad se curant, quorum domi copiam magnam habent, qui fit ut non tantum sese ipsi decipiant, uerum etiam alios secum in errorem deducant, aut seducant potius. Id cum in alijs multis rebus medicis, tum uero in hoc Macedonico Petroselino cõtingere uidemus. *Πετροσέλινον Macedonicum.*

Sunt enim qui affirment Germanos nos hoc Petrapium prosus non habere, alij uero semen illud magnum, cuius sub Branca vrsina mentionem fecimus, pro illo exhibẽt, id quod faciunt Seplasiarij nostri temporis omnes, sequentes ea in re Iacobum Manlium, quod cõfirmant compositiones Philantropos, & Aurea Alexandrina Luminaris maioris, ut uel ex his colligere sit quales compositiones conficiantur citra simplicium ueram cognitionem. Sed ut ad Pimpinellam redeam, eam à Theophrasto sub nomine montani Apij describi putamus, cum libro vij. capite vi. in hæc uerba scribit, Τὸ δὲ ὀρεοσέλινον, μέγιστι διαφορὰς ἔχει. τὸ μὲν γὰρ φύλλον ἔοικε κονίῳ, ῥίζα δὲ λεπτή. τὸ δὲ καυλὸν ἔχει καθάπερ ἄνηθον, πλὴν ἐλάττω. Hæc ille. Et hæc quidem de Pimpinellis dicta sufficiant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pimpinella calculo comminuendo & expellendo accommodatissima, temperamento calidior omnibus Apij generibus. Radix siccata loco piperis in cibo usurpari posset, nam gustu & uiribus ita Piperi respondet, ut Piper Germanicum non inepte dici possit. Et meo certe iudicio utilior ac salubrior est omni Pipere, quod ego experientia longa didici.

Germanicum Piper.

INTRINSECVS.

Herba Pimpinellæ, radix & semen, Petroselini facultatibus pollent, sed in expellendo, ac sedando dolore efficacioribus multo. E radicibus pastilli confici possunt stomacho frigida intemperie, crassisq́ ac uiscosis humoribus laboranti, passioni etiam colicæ & matrici, quam utilissimi.

Radix Pimpinellæ quacunque ratione sumatur, siue in puluerem redacta, siue in potionibus, aut in Ecligmatis, aduersus omne uenenũ facit unice, dolorem intestinorum lenit, calculis renum prodest, menses ciet, & si quæ alia per urinam euocanda sunt. Hæc omnia de semine quoque Pimpinellæ intelligenda sunt. Nam & Norimbergenses Seplasiarij Saccharo hoc semen condiunt, quemadmodum Fœniculum & Anisum.

Aqua distillata easdem plane facultates obtinet, diebus aliquot continuis mensura iij aut iiij cochlearium pota.

Castoreum in aqua Pimpinellæ decoctum, ac potum, spasmo laborantibus auxiliatur.

EXTRINSECVS.

Tradunt nonnulli Pimpinellam uulnerariam esse herbam, capitisq́ maxime uulnera quamprimum glutinare, si succus herbæ expressus instilletur uulneri, Id uero Pimpinellam præstare galli gallinacei mortales primum docuerunt.

docuerunt. Nam cranio illorum subula perforato, ita tamen ne cerebrum læderetur, succum herbæ instillabant, ac herbam ipsam tusam foris imponebant, quo facto intra paucos dies sanatum est uulnus, unde coniectura facta est capitis uulneribus eam herbam inprimis conducere. Atq; hæc in gratiã Chirurgorum mihi dicta sunt.

Aqua Pimpinellæ si ex illa per aliquot dies facies abluatur, maculas eius detergit, eamq; claram reddit.

De Pimpinella Italica, quæ Germanis Hergotts bertlin dicitur. CAP. CLVII.

QVANQVAM FORMA RADICIS, FOLIORVM, ET caulium in herba quam modo describendam sumpsimus, Pimpinellæ quadantenus respondeat, tamen si & odorem & gustum spectes, plus illa cum recenti glande, quam cum Pimpinella affinitatis habere certo cognoscitur. His adde quod folia huius ad cæsium quodammodo inclinant colorem, ac molliora, teneriora q; sunt quam Pimpinellę. Caules habet purpurascentes, læues ac tenues, ueluti culmus, modicaq; lanugine hirsutos, qui non umbellis uti in aliis Apiorum generibus uidere est, cõspicui sunt, sed potius gerunt in fastigio capitella rotunda, foraminulenta, ut ea ratione rudimentum faui satis exprimant. Inuenitur porro hæc planta in limitibus agrorum aridioribus ac asperioribus, incultis item agris & campis, maxime uero iis qui aprici existunt. Floret appetente Iunio mense. 1. *Pimpinellæ Italicæ primum genus.*

2. *Pimpinellæ Italicæ secundum genus.* Alterum genus huic per omnia simile est, sed elegantius plane atq; grandius. Flores gerit spadicei coloris. In pratis aridioribus ac graminosis locis nascitur.

Mediomatricibus Megel kraut.

NOMENCLATVRAE.

Quodnam genuinum harum stirpium nomen sit scire nondum potui. In agro Vormatiensi & Spirensi Hergottsbertlin/ hoc est, Barbulam Dei, illas uulgo nuncupant, forsassis à spadiceo colore. Alterum uero genus quod apud Mediomatrices affatim prouenit, Megelkraut mulierculæ uocitant, quo & ad anserum Rheumatismos, quo uitio tum illi cum etiam gallinæ frequenter laborant, Germani den Pfüpffio appellant, uti consueuerunt. Ego in ea aliquando eram sententia, cum Pimpinellæ similis sit, ad Apia referri posse, uerum multa sunt quę repugnant. Nec desunt qui dicant eam esse ueram Italicam seu hortensem Pimpinellam, qui mihi certe neutiquam satisfaciunt, neque enim sententiam illorum probare possum.

Pimpinella Italica.
Bergotsbertlin.



VIRES AC TEMperamentum.


Binæ hæ plantæ ad calidam accedunt temperaturam, quare aduersus quotidiana alui profluuia usurpari forte possint. Quia autem propria ipsarum appellatio nobis minime constat, plura in præsentia de illis scribere consultũ non uidetur. Tradunt tamen nõnulli in supprimendis ac restringendis sanguinis profluuijs, dysenterijs, alijsq; alui fluxionibus, necnon et muliebribus profluuijs, esse efficacissimas stirpes, adeo ut quidam constanter asserant etiam manibus gestatas sanguinem undecunque manantem sistere posse, id quod experiatur quisquis uolet.

Sunt qui has herbas dum teneræ adhuc fuerint, in acetarijs esitare soleant.

De

De Chærefolio. Cap. CLVIII.

Körffel.



CHAEREFOLIVM in initijs Petroselino prope simile est, sed tenuius, pluribusque incisuris dissectum, ut eo nomine cum Cicuta maiorem affinitatem contraxisse uideatur. Radicem habet albam, tenuem, breuioremque omnibus Apij generibus, caulem uero læuem, purpurātem, cauum, surculosum, florem denique quem Maio mense profert, in umbellis candidum ueluti Corianon. Semen à flore generat nigrum ac oblongum aristis auenæ simile, gustu dulce, omnis uero odoris expers, id quod mirari quis possit, cum herba ipsa tota sua substantia satis odorata existat. Chærefoliū alsiosa est herba, nam quotannis satū reuirescit, eodemque statim anno perit. 1. *Chærefolium satiuum.*

Syluestre illius genus in hortis graminosis, ac pomiferis, necnon aridioribus quibusdā pratis sponte sua nascitur, satiuo propemodum consimile, nisi quod caules gignit concauos, geniculatos, asperos, ac multifariam striatos, Pastinacæ respondentes. Cæterum magnitudi- 2. *Syluestre Chærefolium.*

ne totius substantiæ, omniumque partium, odore etiam & gustu satiuum superat. Hæc planta interdum in proceritatem Cicutę assurgit. Radix quotannis nouos emittit asparagos.

NOMENCLATVRAE.

Si Chærefolium Apij genus fuerit, quemadmodum Constantinus & alij multi opinantur, iure equidem post Apia proximum locum occupauit. Germani Körffel/& Körbelkraut nuncupant, uulgo Latinis Cherefolium. Quod uero in Dioscoride habeat nomen, non satis constat, ut sunt uariæ de ea re autorum sententiæ. Ego certe propemodum mihi persuaseram Chærefolium esse Oreoselinon, seu montanum Apium, sed non prorsus cum herba ipsa conuenit historia. Extant autem duo alia apud Dioscoridem capita, quæ satis Chærefolio nostro quadrare uidentur, nimirum quinquagesimũ septimum libri tertij, in quo Sison, seu ut uocauit Hippocrates Sinnon describitur, & centesimum undecimum lib. iiij. in quo de Myrrhide tractatur, quorum posterius Otho Brunfelsius ad Chærefolium retulit, quod mihi nequaquam improbatur. Nam utrunque Chærefolij genus odoratum est, folijsque per omnia excepto odore & sapore Cicutæ simillimum. Quamobrē ego quidem syluestre Chærefolium Cicutariam, quam Dioscorides Myrrhida quoque cognominat, esse iudico: de satiuo enim non facile contenderim, tametsi enim quod ad odorem, formamque attinet herbę descriptio Myrrhidis satis respondeat, tamen radice, quam habet breuiusculam Chærefolium ab eadem Myrrhide discrepat. Sed uti alias semper inculco, sentiat quisque quod uult, nemini enim erroris causam præbere uolumus, nostrã duntaxat indicantes sententiam. Columella Chærefolium, Chærephyllon appellauit lib. xij. de cultura hortorum, cap. iij. Plinius & Apuleius longe aliud describunt Chærefolium. Apuleius namque Chærefolium suũ Boopes, Bootis, Arctophyllon & Pederos nuncupat. Plinius uero lib. xix. cap. viij. in fine, scribit herbam Pederota Cerephyllon nominari. Dominus Conradus Gesnerus in Catologo suo plantarum Chærefolium Gingidium Dioscoridis esse statuit, quæ sententia utique probanda uidetur, assentiente etiam doctissimo uiro Ruellio.

σίσων.

μύῤῥις quæ & Conila dicitur.

Syluius Parrhisiensis aliam quandam Myrrhida commemorat, cuius nos infra lib. 2. cap. 104. mentionem faciemus

Apul. cap. 104.

Acantha Diosc. lib. 3. cap. 17. Pæderotis dicitur.

Plinius. lib 37. cap. 6. & 9. Pæderotas dicit gẽmas esse, sed nihil Chærefolio cum gemmis.

Ruellius de nat. stir. lib. 2. ca. 70.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Chærefolium satiuum officinis & culinis nascitur, nam in cibo usurpatur ueluti Petroselinum, medię inter calidã & frigidam temperaturæ. Inprimis uero ad discutiendos intra corpus concretos sanguinis grumos, efficacissimam esse herbam, certa experientia comprobauit.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Succus herbæ ſicut & aqua diſtillata, ſanguinem ex caſu, contuſione aut plagis concretum diſſoluit. Poſſet fortaſſe non ſine utilitate ad calculum renum, menſesq́ʒ muliebres ciendos in cibo & potu uſurpari.

Si quis in diſcutiendis concreti ſanguinis grumis efficaciorem deſideret medicinam, is oculos cancrorum, & carbones Tiliæ in puluerem redactos in ſucco aut aqua Chærefolij diſtillata imbibat. Porro & ad Pleuriſin ſeu puncturam laterum hocce remedium facit.

Herba Chærefolij adhuc teneri inter olera manſa ſtomacho & capiti conducit, ob odorem quem habet gratiſſimum.

Chærefolium ſylueſtre, ad ducendos mulierum menſes efficacius eſſe, in uino decoctum ac potum, ac aduerſus peſtem, aliaq́ʒ uenena pari ratione uſurpatum facere traditur.

EXTRINSECVS.


Chærefolium tuſum ac emplaſtri modo foris impoſitum, omnes tumores, & intra cutem carnemq́ʒ caſu, contuſione, aut quacunque tandem ratione concretos ſanguinis grumos diſcutit, non aliter atq́ʒ Sigillum ut uocant Salomonium.

De Cicuta. Cap. CLIX.

A THENIENSES MALEFICOS HOMINES CICVTA necare ſoliti ſunt, quemadmodum hiſtorici paſſim teſtantur. Quo pacto uero Cicutam temperare cõſueuerint, ut ſine offenſione morte nequaquam difficili è uita tollerent quos necatos uolebant, ea inquam ratio Thraſiæ Mantinenſi eiusq́ʒ diſcipulo Alexiæ conſtitit. Hodie in Germania noſtra non Cicuta alijsúe uenenatis herbis homines improbi puniuntur, ſed alio quodam pœnæ genere afficiuntur, nimirum Cannabina reſte, quæ Cicuta ipſa celerius uitam quibuſdã eripit. Sed ut relictis his Cicutæ deſcriptionem adoriamur, naſcitur illa ſponte, nulloq́ʒ negotio, incultis & umbroſis locis, propter ſepes, dirutisq́ʒ muris & inter rudera. Caulem profert quandoque tricubitalem, pene inſtar Fœniculi, concauum, geniculatum ac nodoſum, è cuius alis & ſinubus ſurculi alij prodeunt umbellis candido flore Fœniculi modo conſpicuis emicantes. Semen ubi maturuit ſatis Aniſo reſpondet, infeſto odore ac maligno præditum. Folijs ueſtitur magnis nigricantibus, diſſectis multifariam, inſtar ſylueſtris Chærefolij.

Cicuta.

Schirling.



Radicem habet longam, rectam, atque Pastinacæ similem, graueolentem. Appetente Iulio mēse floret. Longo usu obseruatum est herbam hanc omnibus animantibus incommodare præterquam Sturnis, quæ aues remedia ex illa quærunt.

Historia.

NOMENCLATVRAE.

Diosco. lib. 4. cap. 77.

Herba Paralysis plerisque autoribus ea est quam supra cap. 66. descripsimus

Apud Diosc. uero hæc appellatio Cicutæ, Apocyno & Delphinio ascribitur.

Vide lib. 4. cap. 79. & lib. 3. cap. 77.

Germani graueolentem hanc stirpem Schirling / & Wütterich / quasi tyrannū, qui ad insaniam esitatus ab animantibus redigat. Anseres namque quam primum Cicutam degustarint, insanire ac furere occipiunt. Vidi ego honestam quandam mulierem, cum inter Pastinacas Cicutæ radicem decoctam, forte fortuna commedisset, ebriam quasi ac insanam redditam, ut in altum scandere, ac subuolare conaretur, cui haustu aceti subuentum est, ut ad mentem rediret. Cicuta ut apud Dioscoridem legitur, κώνειον, aliquibus Ægynos, aliis Ethusa, aliis Apolegusa, aliis Dolia, aliis Amaurosis, aliis Paralysis, nonnullis Aphron, quibusdam Creidion, aliis Cœten, aliis Cathechomenion, aliis Abioton, aliis Apseudes, Aliis Ageomoron, aliis Timoron, aliis Polyanodynos, aliis Dardanis, aliis Catapsyxis, Osthani babaty.

Ægyptiis

Ægyptijs Apemphi. Romanis Cicuta appellatur. Hæc sane uniuersa fere nomina Cicutæ inde imposita sunt, quod & homines & pecora interficere possit immensa sua frigiditate, quod & experientia & Nicander in Alexipharm. testatur. Cicuta apud Auicennam Succara (quod alij Zucharam, Scicharam, & Sucharam scribunt) dicitur, & non Napellus, qui non est aliud nisi ipsissimum Aconitum, quemadmodum supra cap. cxxxvi. demonstrauimus. Solet autem Auicenna Cicutam seu Succaram suam, alias Euphorbium, alias Helleborum nigrum, interdum uero Alpharphas & Albes uocare. Rursus quarto libro cum de uenenis agit, dicit se existimare Alpharphas, Napellum aut aliud quoddam lætale uenenum esse, ut hinc uidere liceat nullum bono regi inter Napellum & Succaram constitisse discrimen. Vide Auicennam lib. iiij. fen. vi. tractatu j. cap. ij.

Auicenna lib. 2. cap. 671.
Serap. cap. 337.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Cicuta ob insignem quam obtinet frigiditatem intra corpus assumi nō debet. Extrinsecus usum suum habet in multis morbis. Nam & Monachis alijsq; religiosulis, qui castitatem uouerunt, prodesse potest. Quod si quis per imprudentiam lœtale Cicutæ uenenum hausisset, illi confestim uinum meraculum propinetur. Vide Plinium lib. xxv. cap. xi.

EXTRINSECVS.

Ad omnes inflammationes & tumores, qui alijs remedijs curari rennũt Cicutæ uel herba, uel succus aut aqua mediocriter calida imposita unice facit, calorem enim repellit, doloremq; capitis omniumq; membrorũ sedat.

Anaxilaus autor est, referente Plinio, mammas à uirginitate illitas semper staturas, & quod certum sit, lac puerperarum mammis impositam Cicutam extinguere, veneremq; testibus circa pubertatem illitam. Sed pertinent hæc remedia ad castos illos ac religiosos cœnobitas, utriusq; sexus. *Pli. lib. 25. ca. 13.*

Ad erysipelata, ignesq; sacros Cicutæ herba, succus & aqua distillata illigi debent.

Breuiter quibuscunque affectionibus calidis Cicuta medetur, est enim ex his non postrema, quæ uocant Repercussiua, dolorem sedantia, & somnum inducentia, seu Narcotica.

De Millefolio. Cap. CLX.

VERA AC NOBILIS STRATIOTES, QVAM EGO PROpter formam hoc nomine dignam censeo, haudquaquam passim obuia *Vera Stratiotes.*

Nobile Millefolium.

Edel Garb.



obuia est, ueluti altera quæ uulgo nota est, quin potius in optimis quibusdã agris frugiferis, maxime uero in tractu Vormatiensi sitis reperitur, herbula proculdubio non multis ex doctioribus uisa. Ea autem ut ad descriptionem eius accedamus, è capillata radice interdum quinos aut pauciores, lignosos ac teretes coles emittit, eosq; binos palmos æquantes altitudine, non raro etiam proceriores, qui folijs uestiuntur incanis ac cineraceis, incisis, ac Coriani herbæ quam simillimis, sed & nonnullis alijs caulem inferiore sui parte circũdantibus, ac humi procũbentibus. Quod si ulli herbæ alij, hæc nostra Stratiotes conferenda sit, ego certe luteæ Chamomillæ, quæ Buphthalmus alias dicitur, caules & folia illius compararem, quanq; folia huius Stratiotis tenuioribus ac frequentioribus incisuris diuisa sint, odore suauissimo, sapore uero acerbo prædita. Mense Iunio flore candido uulgariq; Millefolio (quod tamẽ suauitate & uehementia odoris saporisq;, ac elegantia formæ omnibus modis antecellit) per omnia simili, emicat. Flos illius in semen forma & sapore Tanaceto consimile, tandem abit.

Vulgare

Vulgare Millefolium.
Schaffrip/oder Gerwel.



Vulgare Millefolium tam ijs herbis quæ florem in umbellis proferunt, quam uulnerarijs plantis accenseri commode potest. Illo enim Chirurgi, in potionibus, ac emplastris uulnerarijs uti consueuerunt, cum longa obseruatione compertum sit, eam herbam ad quæuis uulnera facere unice. Millefolium primo exortu antequam excaulescat folia minutissimis incisuris diuisa profert, odoratæ Chamomillæ eatenus similimum. Porro folia singula Costæ formam repræsentant, gustu subamara. Iunio mense appetente in caulem rotundum, concauum, & sesquicubitalem assurgit, plurimis subasperis folijs ad cacumen usque uestitum, quæ quo uicinio ra umbellis extiterint, eo magis exigua euadunt, ita quidem ut suprema supercíliorum formam satis exprimant. Flores in umbellis radiatos procreat, alios cãdidos, alios subalbidos, nonnullos diluti ruboris, uehementer ac suauiter odoratos. Semen ubi exciderit, uulgari Chamomillæ simile est. Radices omnium Stratiotis generum, nigræ sunt, capillamentis fibratæ intra humum hinc inde serpentes, ueluti Vrticæ, Artemisiæ, & Tanaceti, gustu aliquantulum feruentes, & quæ linguam

2. Vulgare Millefolium.

Vulgaris Millefolij tria genera.

guam uellicent. Nascuntur omnia Millefolij genera in aridioribus sed graminosis hortis, agrorum limitibus, præcipue circa uias ac semitas. Illud uero quod rubente emicat flore, eoq; odoratissimo, in syluis quandoque reperitur.

3. Millefolij tertia species. Tertium Millefolij genus quod acuta obtinet & incisa folia, pinnis auiũ pulli simillima, suprasub Tanaceto depinximus, quod odore cum illo conueniret. Quia uero forma, gustuq; cum Millefolijs multum affinitatis habet, ideo in præsentia mentionem eius facere uoluimus, quo sedem sibi debitam occuparet.

NOMENCLATVRAE.

Si in Thessalia Chironem illum laudatissimum Medicum, necnon & Achillem militem fortissimum uidere mihi contigisset, non dubito quin ex illis primæ nostrę Stratiotis, & nomina & uires addiscere potuissem. Quod cum denegatum mihi sit, nihilominus tamen singula illius herbæ considerans facile dixerim eam uerum esse χιλιόφυλλον, seu μυριόφυλλον, hoc est, Millefolium, cuius in bellis olim sanandis uulneribus magnus fuit usus. Nam & fortissimus ille & decantissimus heros Achilles uulnera sua hac herba sanasse traditur, unde etiamnum hodie ab illo ἀχίλλειος, hoc est, Achillea cognominatur. (Diosco. lib. 4. cap. 34.) Dioscoridi στρατιώτης, & στρατιωτικὴ, hoc est, Herba militaris, Millefoliũ, supercilium ueneris, quod Germanis Jungfrawen augbrawen dicitur. (Verbenaca apud Apuleium ca. 3. Militaris dicitur.) Plinius Panacen Heracleon, quod nomen ad aliam pertinet plantam, & Sideritim, & Millefoliam uocat lib. xxv. cap. v. Apul. ca. lxxxviij. hanc plantam Melophyllon Chrysiten, Ambrosiam, Acorum syluaticum, Vigentianam, Bellicocandium, & Diodelam à quibusdã appellatam tradit. Sunt qui Arabice Relicammolo dictam contendant, & hæc quidem de nomenclaturis primi Stratiotis generis dicta sint.

(Millefolij appellatio, & Chamomillæ & Sanguinali tribuitur.) Vulgare Millefolium nobis Stratiotes est terrestris apud Dioscoridem lib. iiij. cap. xcviij. Germani Millefolium, Garb/gerwel/Schaffripp uocitant.

(Dioscor. lib. 4. cap. 47.) Tertium ac postremo loco positum genus, proximo libenter adnumerarem, nisi quidam Pyrethrum syluestre seu Ptarmicen iamdudum uocassent. Nec desunt qui Tragion Dioscoridis esse sentiant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Bina illa ac priora Millefolij genera, siccę sunt qualitatis, astringendiq; & siccandi obtinent facultatem. Proinde uulgare Millefolium contrarijs & mirandis uiribus præditum est, Nam tusum ac uulneribus manantibus impositum,

positum, sanguinem sistit, rursus naribus inditum foliolum, nõ multo post sanguinem elicit.

INTRINSECVS.

Primum Millefolij genus per se aut cum alijs herbis internis & externis uulneribus medendis in uino decoctũ exiberi potandum debet, nam quæuis uulnera & erosiones sanat, concretum sanguinem dissoluit, lumbricos uentris, & quicquid uenenosum est è corpore profligat, dolorem uentris sedat, pari ratione usurpatum. Atq; hęc experientia certa comprobata sunt.

EXTRINSECVS.

Chirurgis uulgare Millefolium notissimum est, quippe quod emplastris suis & unguentis adijciant, nam sanandi, exiccandi, & mundandi uulnera uim habet.

Herba uiridis adhuc tusa & imposita uulnera ita glutinat, ac si acu consuta fuissent.

Eodem modo imposita, superfluos mulierum menses constringit. Estq; hæc secreta mulierum experientia.

De Anserina. Cap. CLXI.

ANSERES IIS PASCVIS INPRIMIS DELECTANtur, in quibus planta hæc prouenit. Nascitur autem illa in cãpis aquosis, & magna quidem ac fœlici copia luxuriat. Nam ubi semel locum aliquem occuparit, eum hinc inde serpendo ac sese propagando non aliter atq; Fragaria, seu Quinquefolium, breui tempore prorsus obducet, ut sæpe unicus fruticulus, uiginti alios aut plures ex se procreet. Herba folijs quæ pinnis pulli auium similia sunt, ad Eupatorium proxime accedit, nisi quod illo magis exigua & mollior existit. Folia superne uiridia, inferne candicantia habet, caules nullos, uerum in expansis filis luteos producit flosculos quinis foliolis emicantes, Pentaphylli floribus haud dissimiles. Radix illius fibrata est, nonnunquam dodrantalis longitudinis. Herba odoris & saporis omnis pene expers.

NOMENCLATVRAE.

Hanc plantam Germani Grensich/Grenßing/Grenserich/& Genserich, Latini Anserinam nominant. Quod ad formam attinet, non inepte Eupatorium,

Anserina.
Genserich.



torium, seu Tanacetum minus dici posset, cum ab utroq; forma non multum differat. Hodie ad dysenteriam & Lienteriam, omnisq; generis fluxiones maxime recentiores hac herba utuntur. Multi etiam sunt qui credunt

fluxum

fluxum alui cohiberi, si quis herbam in calceo portauerit, id quod nonnulli alij vrticis inertibus tribuunt.

Hactenus aliorum sententias de nomenclaturis & usu huius herbæ recensuimus, nunc quid nobis uideatur exponamus. Posset ergo hæc nostra Anserina Germanice Groß Garb/hoc est, Millefolium maius appellari. Nam singula eius folia instar pinnæ auium pulli, sed maioribus incisuris dissecta apparent, quoad reliqua Millefolio non dissimilia. Millefolium itaque maius Latinis dicetur, nam & hoc nomine à Dioscoride libro iiij. capit. cx. insignitur, tametsi quædam nomina, quæ eo capite commemorantur, ad alterum Millefolium pertineant, cuius præcedenti capite meminimus. Ea sunt Stratiotice, Achillion, Supercilium veneris. Quod si quis quæret, quisnam mihi indicauerit Anserinam Millefolium appellari, cum neq; Pandectarius, neque Simon Ianuensis, nec Gilibertus & alij id scribant, huic respondebimus. Primum quidem Pandectarium suiq; similes perinde multa ignorare atq; me, deinde uero nos semper paratos meliora docentes audire, quisquis ergo sententiã suam scriptis ueterum firmius munierit, ille nobis semper preferetur. Interea tamen dum alij certiora proferent, his nostris Millefolijs fruemur.

Μυριόφυλλον. Melophyllon. Belocandus. Has appellationes Apuleius uulgari Millefolio tribuit cap. 88.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Anserina (quantum mihi uidetur) nequaquam humidum, sed siccum obtinet temperamentum, non aliter atque Millefolium. Astringentia etenim teste Galeno, non humida, sed sicca sint necesse est.

Galen. de simp. med. facult. lib. 4. cap. 6.

INTRINSECVS.

Anserina cum aqua & sale decocta, ac exhibita ijs qui ex alto deciderunt auxiliatur, ut quibusdam uidetur, sanguinem concretum dissoluit. Verum hoc mihi nequaquam probatur.

Herba uino decocta & pota torminibus & dorsi dolore laborãtibus subuenit, mulieribus quæ albis profluuijs uexantur, conducit, nam astringit haud secus atque Pimpinella Italica.


EXTRINSECVS.

Vulgo sentiunt alui profluuia cohibere hanc herbam, si in calceos posita pedibus teratur, aut si illa anus tergatur. Rursus tradunt alij eam uino decoctam, umbilicoq; impositam aluum ciere. Quod cuiq; certius uidebitur id sequatur, ego quod postremo loco dicitur haud facile crediderim.

Aqua Anserinæ distillata rubentibus oculis utilis est, si linteolis in ea

madefactis imponatur. Hac ratione maculas quasuis extergere, fluxiones & dolores sedare dicitur. Mihi certe non omnia experta, & obseruata sunt.

De Perfoliata. Cap. CLXII.



1.
Perfoliata maior

PERFOLIATAE DVO apud nos Mediomatrices genera reperiuntur, quæ ambo in agris zea aut tritico consitis plerumq; proueniunt. Chirurgi & qui ramices incidunt, ij in hortis suis plantare consueuerunt; nam ad ramices sanandos ualent, & prominentijs umbilici auxiliantur. Porro utraq; alsiosa est herba, ex semine enim quotannis plātari necesse habet. Maior & præcipua teretem ac tenuem profert caulem, eumq; surculis multis ramosum, ut eo nomine arbusculam satis exprimat. Atq; is una cum ramulis suis singula folia penetrat, quæ uenis ac costis quibusdam prominentibus distincta, nec omnino rotunda, sed acuminata aliquantū Hederaceisq; non prorsus dissimilia conspiciuntur. In cacuminibus omnium surculorum, capitula emicant, & in ijs flores sublutei Alchimillæ simillimi. Semen habet pullum formam Psyllij præ se ferens.

rens, sed maius illo. Radix illi recta, breuis, instar Anethi.

Altera Perfoliata, semine, radice, caule & folijs huic similis existit. in hoc ab eadem differens, quod folia eius, quæ habet pinguia, quamprimum e terra eruperint, humi in stellæ figuram strata procumbunt, non aliter atq; Primulæ veris. Maio mense in caulem rotundum assurgit hæc herba, qui & ipse multis ramulis brachiatur, per'q; singula folia (quæ crassiora, pinguiora, & magis acuminata existunt, quam sint primi generis, nam linguæ formam non male repræsentant, cineraceoq; colore prædita sunt) penetrat, quemadmodũ & altera. Flosculos profert pallẽtes, qui in oblongas abeunt siliquas, (digiti namq; longitudinem exprimunt) quales in Crambe satiua uidere est. Æstate pereunte perit & ipsa, posteaq; ex semine proprio, ut memi nimus repullulascit. 2. *Altera Perfoliata.*

NOMENCLATVRAE.

Quanquam nemo quod sciam, uel ex ueteribus, uel recentioribus memoriæ prodiderit, quodnam his plantis in Dioscoride nomen sit, ita ut parum nobis de ea re constet, tamen in gratiam studiosorum rei herbariæ, eorum nempe qui ueritatem amant, & a contentionibus abhorrent, sententiã meã de hac nostra. Perfoliata exponere non grauabor, expectans interea, si quis certiora proferat. Primum itaque genus Mediomatrices lingua uernacula, Durchwachs / & Stopsloch / cum reliquis Germaniæ populis appellant. Atque id dubio procul primum est Cotyledon Dioscoridis, quod Marcellus Vergilius Acetabulum interpretatur, qua ratione Germanis recte Löffelkraut / & Nabelkraut dici posset, cum folia eius leuem quandam ac sensum fallentem concauitatem præ se ferant. Reliquæ appellationes apud Dioscoridem hæ sunt. Cymbalion, Scytalion, Hortus veneris, terræ umbilicus, Stœchis, Stergethrõ, Vmbilicus veneris. Altera perfoliata hauddubie secundum Dioscoridis Cotyledon, seu ut Marcellus uocat Acetabulum est, cuius folia latiora aliquanto sunt & pinguiora. Dicitur & hoc quibusdam Cymbalion.

Κοτυληδών. Diosco. lib. 4. cap. 87. De Cotyledone Plinius lib. 25. cap. 13. Apul. cap. 43. Stergethri appellatio Sedo, alijsq; amatorijs herbis quoq; tribuitur. Diosco. lib. 4. cap. 89.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Binæ hæ herbæ vmbilici affectibus, alijsq; rupturis aptæ sunt, & in medicina utiles, temperamento (ut mihi quidem uidetur) calido & sicco præditæ.

INTRINSECVS.

Vtraq; Perfoliata ad internas affectiones ac rupturas uino decocta, aut in puluerem redacta ac pota hodie utuntur.

Ego pueris & infantibus ramice laborantibus, semen in lacteis cibis esitandum exhibeo.

Aqua distillata pari ratione usurpari potest.

EXTRINSECVS.

Perfoliatæ utriusque herba recens tusa, & cum propoli temperata, ut emplastrum fiat, ramices sanat impositu, inflammationibus omnium membrorum, & strumis unice auxiliatur.

Herba aut aqua distillata, sacris ignibus, erysipelatis medetur, stomachi ardorem refrigerat.

Quæ de amore cōciliando huic herbæ ascribuntur, missa facimus, tanquam superstitiosa, ac Christiano homine indigna.

De Cotyledone syluestri. *Cap.* CLXIII.

1. *Cotyledon syluestre.*

CVM PLERIQVE PLVRIBVS ALIIS PLANTIS PERfoliatæ nomen assignent, consentaneum est, ut de illis porro agamus. In syluis Maio mense plantula reperitur, quę ut plurimum unico folio constat, eoq; rotundo, sed ita ut interim in leuissimum & quod sensum fere fallat, acumen desinat, quod in folijs maioribus Hederæ uidemus, quandoque uero foliolum, aliud perexiguum, supra maius hoc quod descripsimus cauli adnascitur. Quanquam non raro reperias eius generis plantulas, quæ tria proferunt folia, id quod naturæ luxurianti & soli fœcunditati ascribi debet, nam idem & in Trifolijs contingit, quæ non raro quatuor aut quinque conspiciuntur prædita foliolis. Sed pergamus in historia. Hæc folia caulis tenuissimus ac plane iunceus, dodrantalis proceritatis penetrat, elegantissimis candidis flosculis Limonio similibus emicans, qui tandem in rubros acinos, in modum coralli, aut Lilij conuallij, ut uulgo uocant (de quo infra cap. cxcvij) abeunt. Radicem habet tenuem, candidam, & fibratam, hinc inde sese propagantem.


2. *Bifolium.*

Proinde in humectis ac uliginosis quibusdā pratis herba prouenit, folio & radice Plantagini simillima, eaq; binis duntaxat folijs aurem mediocriter magnam satis referentibus uestitur, per quæ spica quædam erumpit. Maio mense in altum sese attollens, flore & caule terete ad Satyrion accedente conspicua. Euanescit autem circa festum Ioannis Baptistæ. Quotannis uero (q̄d obseruatione dignum censeo) bina illa folia simul, tanquam gemelli e terra exiliunt.

NOMEN.

Vnifolium, sic enim docendi gratia fingere uocabulum necesse est.

Einblat.



NOMENCLATVRAE.


Germani priorem plantam Einblat/ quasi vnifolium dixerunt. Latine uero Cotyledon syluestre, hoc est, Germanice Wild durchwachs/forte appellari posset, cum caulis eius folium ex parte penetret. Atque hoc nomine utendum censeo, donec certiora quis doceat. Posset etiam ab unico folio Ceratia dici, nisi radicem adeo exiguam haberet.

Alteram Germani Zweiblat/Zweiling nominant, nonnulli Wilden durchwachs / hoc est, Perfoliatā syluestrem, quemadmodū doctissimus uir Otho Brunfelsius piæ memoriæ testatum reliquit, & sane si formam spectes, non adeo male, tametsi ea plus cum Satyrio affinitatis obtineat, quam cum supra descriptis Perfoliatæ generibus. Sunt qui Wasser wegerich/hoc est, Plantaginē palustrem appellent, qui & ipsi à uero nō multum absunt, si folia consideres. Euricius Cordus in ea est sententia, ut omnino statuat eam esse Alisma Dioscoridis, quod tamen mihi

De Alismate supra cap. 53.

Bifolium.
Zweiblatt.

Ruellius lib. 2. cap. 144.



non sit uerisimile. Ruellius herbæ cuiusdã quę bina gerat folia meminit, Ophrin eam uocans, quæ utrũ hæc nostra sit necne, nondum mihi constat.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Nos priorem plantam (nam de altera sub Satyrijs in secundo libro plura dicentur) uulnerariam esse iudicamus, ut quæ recẽtibus uulneribus utrinque adhiberi commode possit, non aliter atq; eæ quas statim sequente capite describemus.

INTRINSECVS.

Hanc herbulam Empirici nonnulli una cum radice magni faciunt, dictitantes aduersus pestiferam luem præstantissimum esse medicamentum, si dimidiæ drachmæ pondere in puluerem redacta in aceto uel uino sumatur, ac postea quis in lectum se ad eliciendum sudorem componat.


EXTRINSECVS.

Herba & radix uulneribus adhibetur, ueluti & aliæ uulnerariæ herbæ.

De

De Solidagine Sarracenica. Cap. CLXIIII.

Solidago Sarracenica.
Heidnisch Wundkraut.



SOLIDAGO SARRA cenica, de qua laudatissimus uir Hierony. Braunschuueig diligenter & copiose scripsit, non ubiq; locorum, sed in umbrosis solum ac uliginosis syluis & minime apricis ad uiri quandoq; proceritatem assurgens, reperitur. Caulem profert teretem, leuiter cauum, alium quidem purpureum, alium uero uiridem, non secus atque Artemisia, folijs per ambitum serratis, Salicisq; similibus uestitum. Æstate luteo cacumina emicant flore, coq; radiato ac in pappos tandem uelut Lactucæ euanescente. Radix huius fruticis modice fibrata conspicitur & geniculata, quæ per hyemem intra humum salua ac incolumis manet, quotannis Maio mense rubescentes asparagos emittens. Herba fortis & uirosi ac syluestris odoris ac saporis est, quare à nonnullis herba fortis dicitur. 1. *Solidago Sarracenica.*

Aliud proinde quoddam Sarracenicæ genus Bernardinus de Kentzingen supe- 2. *Alia Sarracenicæ Solidaginis species.*

Herba uulneraria ad fluuium die Pfrim uocatum nascens.

Wundkraut auff der Pfriemen.



rioribus annis mihi indicauit, quod mirifice sanandis uulneribus si ex decocto herbæ colluantur, prodesse astruebat, addens insuper, se id expertũ esse, cum namq; equum haberet, à lupo uehementer læsum, curasse se hac herba uulnera illius. Nascitur autem illa in apricis collibus ad ripas aquarum sitis, acutis et angustis folijs ex pallido uiridibus, uestita, florem ferens in cacumine caulis qui sesquicubitalis, aliquando euadit, purpureum ac stipatum.

3. *Tertia Solidaginis Sarracenicæ species.*

Tertia Solidaginis Sarracenicæ species in asperis ac lapidosis agrorum limitibus prosilit, inprimis uero ad fluuium illum quem Germani die Pfriem uocant prope Wachenheim/ et ad montẽ tonitrui Germani den Durstberg uocãt, copiose prouenit. Ea herba, radice, caule, & folijs quæ habet cineracea, Balsaminę acutæ per omnia similis esse uidetur, floret Iulio et Augusto mensibus. Flosculi lutei, qui multi cõiunctim è rotũdis ac orbiculatis uasculis erumpunt, primo Solidaginis Sarracenicæ generi conferri possunt, nã sicut illius, ita & huius flores in auras euanescũt. Herba

est

est gustu amaro prædita, unde conijcere possumus eam esse siccæ qualitatis, uimq; penetrantem obtinere.

NOMENCLATVRAE.

Dabimus in præsentia alijs quoque locum, auscultaturi quo nam laudatissimam nobilissimamq; plantam relaturi sint. Vtut tamen appellare uoluerint, inter uulnerarias herbas facile primum locum occupat, tametsi ea uox Wundtkraut, hoc est, uulneraria herba, late se extendat. Namquemadmodum uariæ uulnera curandi rationes extant, ita non unum tantum, sed uaria herbarum genera ad id perficiendum usurpantur, quæ omnes uno nomine Vulnerariæ herbæ ab imperitis dicuntur, nimirum hæc ipsa nostra Solidago Sarracenica aut Herba fortis, quam Germani Heidnisch Wundtkraut nominant, Alsine, Aristolochia longa, Verbascum, Plantagines, Millefolium, Prunella, Satyrion, Anagallis, Althæa, & Veronica, quas omnes & singulas supra descripsimus. Proinde quæcunque herba certo apud doctos destituitur nomine, ea a Rizotomis, Iudæis, Agyrtis & aniculis, Vulneraria herba, Wundtkraut appellatur. Cum itaq; quæ huic herbæ genuina competat appellatio nobis nō constet, rogamus doctissimos quosq; rei herbariæ studiosos, ut nomenclaturam Herbæ fortis propriam in scriptis ueterum diligenter inquirant, pro quo beneficio immortalem consequentur dubio procul gloriam.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Solidago Sarracenica apud nos Germanos inter uulnerarias herbas primas tenet, licet plures aliæ & præstantiores reperiantur. Verum quod cuique placet, id inprimis commendat. Habet autem ea Solidago temperaturam siccam, & ad sananda uulnera usurpatur, ueluti Sanicula.

INTRINSECVS.

Herba hæc uino prius macerata ac postea distillata, erosiones sanat stomachi, iecoris, matricis, totius denique corporis, tormina sedat, & prorsus ad eadem ad quæ Sanicula adhiberi potest.

Quanquam, uires, & usum herbarum uulnerariarum iampridē sub Consolida maiore, Verbasco, Auricula muris, & Millefolio satis indicauerimus, pauca tamen quædam Solidaginis nostræ iuuamenta perstringemus, idq; in gratiam studiosorum medicinæ.

Aqua distillata utilis est mundandis & extergendis uulneribus recenti-

bus ac ueteribus, præcipuæ uero erosionibus ex confrictu in locis muliebribus & uirilibus ortis mirifice efficax est: si ex ea uulnera colluantur, ac linteolis etiam in ea madefactis ac impositis.

Eadem aqua distillata aphtas & ulcera oris sanat, collutu & gargarissatu.

Eadem potest tertia species præsertim quando sicca, uino decocta fuerit.

De Herba ut uulgo uocant S. Kunigundis. CAP. CLXV.

HERBA S. KVNIGVNDIS QVAM OFFICINAE HActenus pro Eupatorio non sine errore usurparunt, in proceritatem Cannabini caulis assurgit, caule terete, candidaq; medulla referto, folio nigricante, serrato, instar pene Ebuli, umbellis in cacumine satis magnis, flore quem Iulio mense profert, perexiguo, Valerianæ simili, in candido purpurascente, tandemq; in pappos in modum Endiuiæ, sed magis tenues euanescente. Radicem obtinet uillosam, multisq; capillamentis fibratam, perq; terram hinc inde serpentem, sicut & Ebulus & Tanacetum, ea quotannis nouos emittit caules. Nascitur hæc herba in ripis fluminum, aliisq; humidis & aquis uicinis locis, gustu amaro prædita, quo nomine calidis & siccis plantis accenseri potest. Vide Galen. de simp. medi. facult. lib. iiii. cap. xvii.

NOMENCLATVRAE.

Quia frutex iste grandis florē copiosum, ac in umbellis residentem gerit, uolui illius in ordine earum quæ umbellas habent herbarum mentionem facere, tametsi autem multæ aliæ eius extent generis, quarum historias alias persequemur, tamen in præsentia hæc nobis tractanda occurrit, licet hodie nihil nobis de nomine eius apud Dioscoridem constet.

In agro Vormatiensi Germanica lingua Hirtzklee / hoc est, Trifolium ceruinum uulgo nuncupant, asserentes eam esse uulnerariam herbam, & talem ex qua Philtra conficiantur, de quibus & Vergilius in Pharmaceutria & Iuuenalis his uersiculis commeminit.

Thessala uendit
Philtra quibus ualeat mentem uexare mariti.

Alii Kunigundskraut / hoc est, herbam S. Kunigundis, Wasserdost / id est, Origanum aquaticum, & Albkraut uocant, Marcus Platearius putat

Herba S. Kunigundis.
Kunigundt kraut.



eam esse quæ Marum apud Dioscoridem appellatur, cuius sententia mihi minime probatur.

VIRES AC TEMPE-*ramentum.*

Hic frutex præsertim in flore uulnera & ulcera sanandi uires obtinet. Apud nos in pecoribus tantum curandis usurpatur. Cum namq; nomen eius incognitum nobis sit, haud magnum usum habere potest. certum tamē est uino decoctam herbam, aut aquam distillatam, uitijs internorum membrorum utilissimam, quod quia non omnibus palam factū est, ideo plerioq; ab usu eius abstinent. Ac posset quidem fieri, ut progressu temporis, in medicina notior euaderet.

EXTRINSECVS.

Suffitu herbæ siccatæ uenenata animalia fugantur. Aiunt ceruos telis læsos remedia ex hac herba petere.

Reliqua quæ illam nonnulli posse affirmant, missa facimus.

De

De Gallio. Cap. CLXVI.

Megerkraut/Wälstro.



QVEMADMODVM plurimæ plantæ radiatis emicant floribus, ita non paucæ herbæ extant, quarũ folia stellatim decussantur, de quibus porro nobis agendum est, initium facturis à Gallio, cuius duo aut tria ad minus inueniuntur genera.

1. Primum Gallij genus.

Primum Gallij genus caulem profert tenuem, teretem & iunceum, quem in modum rotulæ seu stellę folia angusta, acuta & nigricantia, ex ordine ab imo usque ad summum æquali distantia posita circumdant. Florem fert in cacumine luteum, densum, odoratum copiosum, quemadmodũ Pycnocomon, qui Maio mense potissimum omnibus numeris absolutus cõspiciendum se præbet. Eo decusso semina bina, nigra, instar gemellorum coniunctim posita, magnitudine Papauer haudquaquam excedentia, singulos flosculos consequuntur. Radix huius capillamentis fibrata existit, seq́ serpendo hinc inde intra humum propagat, quod & Lolio familiare esse uidemus. Gaudet aridioribus agrorum limitibus, pratis & semitis.

Secundum

Secundum uero Gallij genus, quod itidem luteo emicat flore in humectis fossis & pratis, necnon uliginosis quibusdam hortis prouenit, caule quadrangulo, geniculato, cubitali interdum, folio radiato, sed maiore, geniculos stellatim ambiente, è quorum medio flosculi perexigui, densi, ac non perinde frequentes, Maio mense prorumpunt. Radix illi hinc inde serpens. 2. *Secundum Gallij genus.*

Tertium Gallion flore exultat candido, primo generi per omnia simile, nisi quod caulem habet quadratum, & folia latiora. E geniculis ramuli alij prosiliunt, radiatis seu stellatis æquali interuallo discretis, uestiti. Florem habet densum, & copiosum, exiguum & pene innumerabilem, radicem tenuem et serpentem. Nascitur in humectis senticetis, cœmiterijs, secus muros & sepes, ad binum quandoq; aut trium cubitorum altitudinem assurgens. Floret Maio mense. Semen huius primo generi simile est. 3. *Tertium Gallion*

NOMENCLATVRAE.

Istas plantas ego ad Gallion Dioscoridis, quod ille Galerion, & Galation cognominari tradit, referēdas censeo, cum tota Gallij descriptio in universum illis competat. Siue ergo à flore cādido, siue à lacte, quod iniectum spissare ac coagulare dicitur, nomen Gallij ortum sit, parum refert, utraq; enim ratio satis probabilis est. Primū eius genus (nam de secūdo nihil rescire certi potui) Germani Wälstro / aut Unser lieben frawen Betstro / nonnulli Aspergulam nuncupant. Tertium Gallion quod candidos gerit flores Megerkraut Germanis nominatur, quo in sananda scabie infantum arida, quę Megerey Germanica appellatione uocatur, uti solent mulierculæ. Obseruandum est hoc loco Plinium à Dioscoride dissidere, in eo quod Galeopsin suam Gallion cognominat. De satiuo Gallio statim dicetur. *Diosco. lib. 4. cap. 91.* *γάλλιον, γαλλίριον, γαλάτιον.* *Plin. li. 27. ca. 9.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vires & facultates istarum herbarum in descriptione annotatæ sunt, hodie apud nos extrinsecus plerunque adhibentur corpori, temperatura sua siccæ.

EXTRINSECVS.

Dioscorides Gallion nomen ex eo traxisse asserit, quod in contrahendo lacte, coaguli uicem impleat, id quod opiliones proculdubio prodiderunt.

Gallion quod luteum fert florem tusum ac impositum, sacris ignibus, ambustis igni medetur.

Naribus inditum, sanguinis profluuia sistit.

In lauacro pedum decoctum, lassitudines reficit, quidam cerato admiscent

ſcent Gallion, itidem aduerſus laſſitudines. Mulierculæ in aqua Gallion decoquunt, eaq; infantes arida ac exigua illa ſcabie, quam Mågerey appellatam diximus, laborantes abluunt: aſſerentes ſingulare id eſſe aduerſus illam experimentum.

De Aparina. Cap. CLXVII.

Kleberkraut.



APARINA, QVAM nonnulli Aſpergulam, ſeu ut Ruellius cenſet legendũ, Aſperulam ab aſperitate qua attingentium ueſtimentis pertinaciter adhæret, in agris frumento & Lino cõſitis prouenit, idq; non ſine magno frugum incommodo quas in terram detrahit, quo nomine olitoribus & hortulanis inuiſa eſt. Neq; enim ſine adminiculo aut ut uerius loquar, detrimento aliarum plantarum, quibus quaſi nititur, in altum ſeſe attollere poteſt. Spectatur pluribus ramis, exilibus, quadrangulis, aſperis, ſurculoſis ac brachiatis, per interualla orbiculato foliorum ſtellatorum ambitu, ut in Gallio tertio, flore candido, ſemine rotundo, à medio umbilici modo, leuiter concauo, duro & aſpero, ac ueſtium tenaci ſicut et caulis, & tota plantæ ſubſtantia, Radice tenui, breui, & capillata. Reperitur per totum annum, præſertim uero Maio menſe.

NOMEN-

NOMENCLATVRAE.

Aparina tam Lappis quam Hederis accenseri poterat, uerum à nobis ob foliorum, quæ in ea stellatim decussantur, figuram, hoc loco tractatur. Dioscoridi ἀπαρίνη, ὀμφαλόκαρπος, (unde Germanica uoce semen Aparinæ ab umbilici figura Nabelsamen non inepte dici posset) & Viscus dicitur. Plinio φιλάνθρωπος. Manlio Purpurea & Lappago. Germanis Klebkraut nominatur.

Aparinæ nomen Xanthio & Personatiæ quoque tribuitur, uide Diosco. lib. 4. cap. 102. & 133.
Diosco. lib. 3. cap. 95.
Plinius. lib. 27. cap. 5.
Visci appellatio ad eam proprie pertinet, quam cap. 94. lib. 3. describit Dioscorides.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Ἀπαρίνη plurimum ueteribus commendatur, apud nos haud magni usus herba, licet fieri possit, ut ob insignes suas facultates aliquando pristinæ dignitati restituatur. Calidæ & siccæ temperaturæ est, sed mediocriter.

INTRINSECVS.

Seminis caulium ac foliorum succus cum uino potus contra uiperarum & phalangiorum morsus uenenatos, ne uenenum cor occupet, auxiliatur.

Eadem efficit aqua distillata, necnon decoctum seminis & foliorum, si uino decoquatur.

Aquam distillatam bis in die mensura iij ligularum potam, aiunt aluum cohibere, efficacissimamq; esse aduersus morbum regium.

EXTRINSECVS.

Vtebantur olim, ut tradit Dioscorides, herba & semine Aparinæ pastores in lacte coli uice excipiendis, si qui substiterint, pilis. Quod si ita est opilionibus, & qui lacti operam dant, hæc herba inseruire poterit.

Infusu aurium dolori medetur succus Aparinæ.

Herba cum axungia trita, strumas, aliaq; id genus uitia, quę sponte oboriuntur, discutit.

De ea quam uulgo Syluæ matrem nominant.
CAP. CLXVIII.

ATRISYLVAM QVOD AD SEMEN ATTINET, Lappaceum, quod itidem uestibus adhærescit, Aparinæ genus facile quis dixerit. Ea quadrangulos, dodrantalesq; coliculos gignit, stellatis folijs, orbiculato ambitu per interualla uestitos, non aliter

a. Matrisylua.

atq;

Matrisylua.
Waldtmeister.



atq; Gallion cãdidum, Flores in fastigio caulium profert lacteos numerosos, frequentes & racematim coactos, odoratos, Maio mense emicantes. Matrisylua ubi semel plantata fuerit, intra terram candidis ac teneris radiculis late se propagat, alioquin in altissimis syluis plerunque reperitur. Hanc herbam dum in flore est, nostri uino imponunt, bibuntq;, pollicentes sibi inde nescio quam lætitiam cordis, epatisq; prosperam ualetudinem.

2. Asperula.

Est & alia quædam huic cognata herba, sed procerior & pinguior, quæ in altissimis syluis Vogesi, atq; ea quam den Ydar nominant prouenit, terete caule & iunceo, folijs stellatis per interualla caulem ambientibus, flore candido, Maio mense conspicua.

NOMENCLATVRAE.

Priorem plantam Germani Hertzfreudt / hoc est, cordis lætitiam, & Leberkraut/Epaticam, ob prædictas causas nominant. Et quia in syluis maxime reperitur, ideo uulgatiore nomine Waldtmeister/ ab illis nuncupatur. Herbarijs uulgo Matrisylua (quod nomen quidam Periclimeno attribuunt) Hepatica, & Cordialis dicitur. Nobis Galatij genus, & tertium quidem esse uidetur.

Hepaticæ plura sunt genera, quemadmodum post dicetur.

Alteram

Alteram herbam, recentiorum Asperulam esse existimamus, licet id nominis Aparinæ quoque assignetur, uti supra audiuimus. 2. *Asperula.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vires ac iuuamenta Matrisyluæ in descriptione annotatæ sunt, deinde etiam sub Gallijs, nimirum quod cor exhilaret, uitijsque epatis auxilietur.

Asperulam uero tradunt ob insignem quam obtinet caliditatem, duros abscessus tusam ac extrinsecus impositam, emollire atque discutere.

De Rubia tinctorum. Cap. CLXIX.

QVEMADMODVM OPTIMI QVIQVE AGRI AD Aquisgranum & Duram siti, Isatide hodie quæstus gratia conseruntur, ita in aruis Argentoratensibus & Spirensibus loco tritici Rubia ista radix plantatur, propter emolumentum quod ex ea sentitur quæstuosissimum. Ante hæc tempora in Gallia & Italia colebatur Rubia, nunc in Germaniam quoque commigrauit, ita ut plerique agricolæ, de coloribus quam de frumentis magis sint solliciti. Sed ut ad descriptionem deueniamus, Rubia caule anguloso, geniculato, asperoque, folijs uirentibus, contractioribus per interualla ex singulis articulis emicantibus, & rotatim in stellæ modum radiatis, ut in Aparina, quam & uestium tenacitate imitatur, radice rubia, rotunda & quæ tertio anno binos cubitos per humum hinc inde se extendat, colore intus Minij. Effoditur illa tertio anno, uenumque exponitur. Proinde è semine nequaquam hæc herba plantatur, sed surculis seu asparagis tenellis abscisis, opportunoque tempore in æstate terræ insertis, unde nouæ progressu subnascuntur radices. Atque hæc de satiua seu domestica Rubia, nunc & syluestrem persequamur: Ea satiuæ simillima, depræhenditur, quæ cum agris inclusa, sepes ac senticeta attigerit, in altum prorsus se attollit, interque spinas uiri quandoque proceritatem æquans emergit. Proinde cum inter sentes & spinas hęc Rubia degat non multum à mortalibus curatur. Theophrastus lib. x. cap. xiiij. Rubiam folia habere Hederæ similia dicit, quod si interpretandum sit, dicam in eo Rubiæ folia Hederę conuenire, quod facile ut illa, adhærescant, alioquin cum Dioscoride, Theophrasto non satis conueniet.

1. *Rubia satiua.*

2. *Rubia erratica.*


NOMENCLATVRAE.

Germani Rubiam Rödt nuncupant. Vulgo Rubea tinctorum, Vena

Auicen. ca. 580. *Iacobus Manlius*

Rubia.
Röde.

Plinius lib.24. cap. 11.
Dioscor. libro 3. cap. 151.
Euthrion apud Marcellum dicitur Teuthrion, quæ uox Polio montano competit proprie.



tinctorum, Spargula, nonnullis Crocus Vasicus, Roxa, Roxani, Falma, Rodia, & Ena dicitur. Sed utcunque his quidem uocitetur, certe apud Dioscoridem hæc sequentia habet nomina ἐρυθρόδανον, ἐρευθέδανον, Euthrion, Dracanon, Cinnabaris, Lappa minor, & Sophobi. Marcellus Florentinus commentator Dioscoridis à uulgo, radicem & manũ picceãtem, quod asperitate sua tractata manibus picis modo hæreat, uocatam tradit. Serapio Paue. Galenus Rhodiam Rhizam. Atque hæc de Rubiæ tinctorũ appellationibus.

Serap. cap. 60.
Galen. de simp. medi. lib. 8.
Aegin. lib. 7.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Rubia licet aqud ueteres frequentis fuerit usus, tamẽ infectores nostri temporis effecere ut prope in uniuersum ab officinis exulet. Est autem Rubia natura sua calida & sicca, aduersus uenena, scabieque & maculis extergendis maximi momenti.

INTRINSECVS.

Radix uino decocta ac pota, ijs opitulatur qui à serpentibus alijsue uenenatis

natis animalibus præmorsi fuerint. Idem præstat succus radicis & herbæ expressus, ac in uino usurpatus, sicq; ex illo abluantur ictus & læsæ partes.

Pari modo urina potenter mouetur, mensesq; aliquandiu suppressi trahuntur. Ad eadem radix in puluerem redacta dimidiæ drachmæ pondere sumi potest.

Radix hydromelite decocta, perq; dies bis bibita obstructiones iecoris, lienis, renum, & matricis soluit, qua de causa regio morbo inprimis opitulatur, id quod experientia testatum fecit.

Semen tusum ac cum Oximelite, seu cum aceto et melle potum lienem absumit, melancoliam diminuit.

EXTRINSECVS.

Radix & herba, fomentis, balneis & pessis, aut quacunque alia ratione usurpata, mulieribus apprime cōmodat, trahit enim partus, menses, secundasq;, & emortuos fœtus.

Herba & radix tusa, & ex aceto illita, albæ uitiligini, papulis, serpentibusq; maculis cutis, & scabiei medetur.

De Fragaria. *Cap.* CLXX.

FRAGARIA IN NOSTRIS REGIONIBVS TERNA duntaxat, uno pediculo foliola per ambitum instar Betonicę herbæ serrata, quaq; terram spectant parte cineracea & mirum in modum uenosa profert. Ea cum Martio mense è radice fusca, intus uero sublutea, multo fibrata capillitio, gustuq; Tormentillam referente, prorepunt, rugosa, & non aliter atq; Trifolium complicata, conspiciuntur. Nascitur sponte sua, quod & Plinius testatur, in dumetis, hortis, apricis agrorum limitibus, inprimis uero in syluis, maxime cæduis, quorum ligna ante biennium aut triennium combusta fuere. Germani Rödter/seu Reudten uocant. Solet autem hæc herba ita sese hinc inde serpendo propagare, ut iuxta folia longa fila eaq; geniculata emittat, quæ terræ undiquaq; adhærescūt, nouasq; subinde è nodis suis progignunt Fragariæ soboles. Floret uero Fragaria plerunq; Aprili mense, demumq; ad Autumnum usq;. Flores illius nihil aliud sunt quam uiolæ albæ, intus luteæ, quorum quina foliola ubi deciderint, è medio quod relinquitur, fructus ęditur pulchre rubens, intus multis perexiguis seminijs refertus, gustu dulcis, & odore suauissimus.

Pli. lib. 21. ca. 15.


1. Fraga rubra.

Inueniuntur huius generis Fraga, quæ prorsus candida euadunt, à maturitate, eaq; non ita pridem à bonis amicis mihi communicata fuere.

2. Fraga candida.

Fragaria.

Erdbeer.



3. Tertium Fragariæ genus superiori consimile est, sed herba hispidior, utrinque cineracei coloris. Fructum gerit partim rubrum, partim candidum, gustu dulcem, odore gratissimum. Nascitur in aridioribus & graminosis agrorum limitibus, necnon & dumetis.

Fraga partim rubra, partim candida.

Alia

Alia proinde Fragariæ species in humectis pratis reperitur, ea uno pediculo septena folia gerit, florem uero stellatum, spadicei coloris, cætera Fragariæ flori non dissimilem, quem fructus subsequitur similiter phœniceus, iniucundi saporis. Radix illi ex fusco rubra, longa, geniculata & nodosa, & quæ intra terram serpit, instar Lolij. 4. *Quarta Fragariæ species.*

NOMENCLATVRAE.

Germani herbam Erdbeerkraut/fructum uero Erdbeer nominant. Latinis Fraga dicuntur teste Vergilio, & ipsa planta, Fragaria, & herba fragi. Quo pacto ueteribus appellata fuerit nondum constat, tametsi si quid iudico, à foliorum triade recte dicetur τρίφυλλον. Nec obstat huic nostræ sententiæ, quod Triphyllon peculiaris apud Dioscoridem & Nicandrum sit herba. Nam id nominis alijs quoque plantis apud eundem autorem, nimirum Staphidi agriæ, Medio, & Satyrioni alteri attributum legimus. Et hæc quidem de nomenclaturis priorum duum generum dicta sint. Tertij generis fructus Spirensis ager uernacula lingua ab hispiditate foliorum Harbeer/ & Hüttelbeer uocat, tametsi posterior appellatio alio referenda sit, quemadmodum suo dicetur loco. Postremum genus quia septenis constat folijs, quod & alij unamecum animaduerterunt, fortasse ἑπτάφυλλον, Germanice uero Sibenfingerkraut appellari poterit. *Diosco. lib. 3. cap. 114. Diosco. lib. 3. cap. 124. lib. 4. cap. 20. lib. 4. cap. 150.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Herba & radix Fragariæ calidæ & siccæ sunt temperaturæ, quare aduersus pleurisin, & calculum renum decoqui in uino consueuerunt. Rursus fructus ipse humidam obtinet naturam, tam cibis quam medicinæ accommodus.

INTRINSECVS.

Coqui ex Fragis pulticulas utilissimas conficiunt, quę ob refrigeratoriam uim, inflammatione laborantibus, rectius quam sanis exhibentur.

Aqua è Fragis distillata præstantissimo est remedio internis quibusuis iecoris & pulmonis, alijsq́ue totius corporis inflammationibus, sitiq́ue restinguendæ. Ad eadem Fraga ipsa faciunt.

Leprosi quibus nimium calet sanguis, faciesq́ue plurimum rubet, aqua fragorum distillata longo tempore uitam ac ualetudinem tueri possunt, si bis aut ter quotidie illam bibant mensura trium ligularum.

Aqua Fragorum distillata pari ratione bibita, cor confortat, uitia thoracis expurgat, morbum arquatum discutit, sanguinem purgat & emendat.

EXTRINSECVS.

Herbę Fragariæ tusæ succus malignis & calidioribus uulneribus appri-

me conducit, nam glutinat ea & ad sanationem perducit.

Aqua Fragorum ulceribus oris, & anginæ auxiliatur gargarissatu.

Eadem faciei ruborem & maculas tollit collutu.

Vlcera tibiarum hac aqua ablui & purgari debent, linteolisq́ in ea madefactis semper illis imponi.

Nonnulli ad oculos collyria ex Fragis conficiunt, nam sal illis admiscet, posteaque distillant. Alij Fraga cum sale æneo uase recondunt, ac per octiduum cellæ uinariæ committunt, quoad in uiridem aquam mutetur. Ea postea ad oculorum suffusiones utuntur.

De Tormentilla. Cap. CLXXI.

TORMENTILLA PLERVNQVE IN AGRORVM LImitibus & syluis, præsertim uero cæduis, ubi & arbusta rursus succreuerunt, & terra aliquantulum arenosa extiterit, nascitur. Radicem habet ex puniceo ruffescentem, forma Amygdalum referentem, multo capillitio fibratam uti Valeriana, quę cum resiccata fuerit foris ex puniceo nigricantem obtinet colorē, gustu glandē repręsentans. Ex unica radice quotannis Aprili mense quaternæ aut quinę, tenues, teretes & iunceę ferulæ exeunt, non ultra dodrantem longæ, quæ ab imo ad summum usq; per æqualia spacia folijs per ambitum serratis, ijsq́ ut plurimum quinis maioribus incisuris, nonnunquam & septenis, diuisis, uestiuntur. Tormentilla Maio mense appetente florem profert luteum, forma Fragariam aut uulgare Quinquefolium æmulantem.

NOMENCLATVRAE.

Germani hanc plantam Tormentill a latina uoce deriuato nomine nuncupant, alij Birckwurtz a Betula, quod in ijs syluis quę magna copia Betulas producunt, & hæc luxuriet, nonnulli Blůtwurtzel/aut Rotwurtzel/hoc est, Sanguinariā radicē, aut rubram radicē uocant, eo q̃d ad dysenterias, & uitia intestinorum, necnon uenena per sudorem expellenda apprime cōducat. vulgo ab Herbolarijs Tormentilla, & Bistorta, a nodis nimirū radicis, (nam est proculdubio prima Pandectarij Bistortæ species) a plerisq; etiam Ferula dicitur. Hermolaus Babarus in ea est sententia ut putet Tormentillam, Septifolium, ἑπτάφυλλον, appellandam, eo quod interdū septena inueniatur habere folia. Quod tametsi ut diximus interdū contingit, tamen apud Mediomatrices nostros maior pars Tormentillæ quinq; folia habere deprehenditur.

Tormentilla.
Tormentill.



prehenditur. Sed non est quod hæc nobis scrupulũ aliquem injiciant, posteaq̃ luce clarius est, uulgare Quinquefolium, septena aliquando uno pediculo sustinere folia, sicut & Trifolium quaterna aliquando & quina ac sena etiam non raro profert folia. Ita siquidem natura quandoq̃ luxuriat, ac quid possit ostentat. Quisquis itaque ea naturæ misteria, seu ut rectius dicam miracula considerat, eum certe diligentem hominem dixerim. Ex his quæ hactenus diximus facile liquere puto Tormentillam nostram Pentaphylli nomine merito insigniendã. Si cui uero hæc minus arrideat sententia, is uulgare potius Quinquefoliũ, de quo statim sequenti capite amplectatur, Dioscoridisq̃ Pentaphyllon nominet.

πεντάφυλλον. *Dioscor. lib. 3. cap. 40.*

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Tormentillæ radix nobilissima ac præstantissima est, quę et utrinq̃ ad omnis generis fluxiones cohibendas adhiberi potest. Temperamentũ namq̃ siccum obtinet.

INTRINSECVS.

Succus radicis & herbæ recentis expressus ac potus, ueneno omni siue

in cibo siue potu hausto resistit, sicut & pesti, nam per sudorem uenenum expellit. Si quis uiridem radicem habere non possit, is siccam in puluerem redigat, singulisque uicibus aduersus supra commemoratas affectiones drachmæ pondere exhibeat. Potest etiam manipulus herbæ & radicis uino decoqui, quod decoctum ad eadem calidum bibas. Radix cum herba uino per noctem macerata, inque balneo Mariæ postea distillata, ad prædicta uitia utilissime bibitur, quod experientia certa obseruatum est.

Herba, radix, succus, puluisque eiusdem, meatus iecoris & pulmonis aperiunt, morbumque regium breui tempore incidunt & expellunt, præcipue uero succus potu id præstat.

Si quem horror aliquis subito occuparit, & nesciat quis sit futurus morbus, is accipiat Theriacæ drachmam unam, ac cum aqua Tormentillæ distillata (cuius iam fecimus mentionem) bibat, seque in lectum ad sudorem eliciendum componat, quod si fecerit, omni ueneno, febri & pestilentia (Dei auxilio) liberabitur. Hæc ita se habere non semel experientia docuit.

Est & hæc comunis regula obseruanda. In omnibus medicamentis quæ aduersus uenena & pestem componuntur, Tormentillam adhibendam esse.

Nec inuenias aliam radicem quæ dysenterijs & lienterijs, alijsque quibuscunque alui fluxionibus coercendis aptior sit. Nam ad eas affectiones ex illa pastilli, pulueres, electuaria, potiones, & sacculi, conficiuntur, quibus quilibet pro libito suo uti potest.

Opiliones etiam hac radice ægrotantibus ouibus subueniunt.

Radix Tormentillæ in puluerem redacta ac ex uino rubro pota, dysentericis succurrit. Verum obseruandum est, si febris dysenteriæ coniuncta fuerit, ut puluerem illum ex aqua in qua candens chalybs immersus fuerit, aut ex aqua Tormentillæ distillata, drachmæ podere exhibeas, idque bis per diem.

Sunt qui Tormentillæ radicem cum albo oui, admixta dimidia nuce Myristica, & tantundem farinæ auenæ, subigant, ac in ferreo cochleari super carbones lente decoquant, subinde uertentes placentulam illam.

Fluxiones mirifice cohiberi aiunt, si quis quotidie unam talem placentulam deuorauerit.

Alia proinde ratio cōficiendi has placentulas, & quæ ijs quibus cholera fastidia & uomitus excitat, profuerit, hæc est. Accipe puluerem radicis Tormentillæ, & cum albo oui subige, deinde uero super laterem candentem decoque & reconde. Quod si quis prædicto morbo laborauerit, ei huius placentulæ partem drachmæ pondere contusam, ex aqua Balsaminæ bibendam propina.

Ex his quæ diximus plura colligi possunt.

EXTRINSECVS.

Tormentilla uulneraria quoque eſt herba, debetq; omnibus uulnerarijs potionibus, emplaſtris & unguentis adiungi, nam uetera & putrida ſanat uulnera, & abſceſſus, uino uel aqua decocta, collutione & inſperſu. Chirurgi ergo emplaſtra ſua & unguenta ſucco Tormentillæ conficere merito debent.

Aqua Tormentillæ cum Tutia præparata, uel Succino albo oculis inſtillata, deſtillationibus illorum medetur.

Herba & radix ſimul tuſa ac impoſita, ſanant duritias & tumores & collectiones iuxta aures ſubnatas, ſtrumas diſcutiunt, coxendicum dolores ſedant, cuiuis fluenti ſeu mananti ſcabiei medentur, necnon et mariſcis, alijsq; id genus affectionibus, maxime uero hoc efficiunt cum ex aceto imponuntur.

Aqua & ſuccus Tormentillæ ſecreta mulierum medicina eſt, ad ſiſtendos menſes.

De Quinquefolijs. Cap. CLXXII.

CVM DE FRAGARIA AGEREMVS, DIXIMVS MVLtas reperiri plantas quæ unico pediculo quina proferent folia, inter quas præcipue Pentaphyllon quod nunc tractamus connumerandum uenit. Illud in tria aut quatuor ſecatur genera, quæ ſingula quinquepartitis unico pediculo folijs dependentibus ueſtiuntur, tametſi reperias quæ ſeptena etiam proferant.

Minimum itaq; Pentaphylli genus ſub initia Aprilis floret, naſcitur in 1.
arenoſis locis, ſine caule, folijs per terram ſparſis, flore luteo inſtar Anſeri- *Minimum Quin*
næ, qui ſi deciderit medium quod in illo erat capitellum, magnitudine exi- *quefolij genus:*
gua Fraga referens, durum, modice purpuraſcens, eſui minime aptum ſicut & radix, acre, & quod linguam commeſtum uellicet, non aliter atq; Galla, relinquitur.

Huic ſimile aliud quoddam cernitur, folia habens cineracea, inciſa pla- 2.
ne & profundioribus quidem diuiſuris quam ulla Pentaphylli ſpecies. Pro *Alterum exiguũ*
uenit illud ſimiliter in arenoſis & incultis agris, flore itidem luteo, radice ni- *Pentaphyllon.*
gra, longa, guſtu glandem repræſentante.

Maius autem & uulgatiſſimum quinquefolium, quod & ſeptenis non ra 3.
ro folijs ueſtitur, late ſe propagat ſerpendo, nam non ſecus atq; Fragaria te- *Vulgare Penta-*
nuiſſima ex ſe mittit fila, quæ humo quamprimum adhæreſcunt, nouasq; *phyllon,*

Quinquefolium exiguum.
Fünff finger kraut.



4. Verum ac nobile Pentaphyllon.

progignunt subinde soboles. Sub finem Maij mensis violis luteis, Anserinæq; per omnia similibus emicat. Radicem habet longã, tenuem, puniceam, serpentem, gustu eodem cum superioribus præditam. Gaudet sepib⁹, muris, alijsq; incultis sed graminosis locis.

Præter has iam commemoratas Pentaphylli species, aliam mihi uidere contigit. Cum namq; deserta & syluas Vuasgoię perlustrarem, reperi Pentaphyllon elegantissimum, non procul ab oppido Cæsareo Luthra, radice breui ac Fragariæ in modum capillata, folijs multis, sed singulis suo pediculo coq; rotundo insidentibus, quinis incisuris diuisis, ut eo nomine rudimentum manus explicatæ satis exprimerent, sed non crenatis per ambitum sicut in reliquis Pentaphylli generibus uidere est, colore uiridi præditis, & qua terram spectabant plane cineraceis. Augusto mense apperente, violas fert niuei cãdoris, quinquefolias, iunceisq; ac tenuissimis pediculis, nitentes.

NOMENCLATVRAE.

Germani has plantas omnes uno nomine à quinis folijs Fünff finger kraut

Quinquefolium Tragi.
Des Bocks fünff finger kraut.



kraut/ Latini Quinquefolium. Græci πεντάφυλλον nominant. Et ut seorsim de singulis aliquid dicamus, uidetur sane nobis primũ, Tormentillæ genus dici posse maxime si gustũ eius consulas. Quod ad formam attinet uitium Fragariæ facile dixerim. Alterum quod cineracea habet folia, cum superiori idem habet temperamentum in nostris regionibus nondum peculiarem sortitum est appellationem. Tertium, uulgatissimum, nempe officinæ hodie uerum πεντάφυλλον dicunt esse. Et licet hæc ipsa planta suum quoque usum habeat, tamẽ ego Tormentillam nobilissimum Pentaphyllon Theophrasti & Dioscoridis esse statuo, nã ut ita sentiam Theophrasti me mouet descriptio, quam in gratiam studiosorũ ascribere placet.

Sententia Tragi de Pentaphyllo.

Theoph. lib. 10. de hist. plant. cap. 14.

Ἡ δὲ τοῦ πενταφύλλου, ἢ πενταπέτου, (καλοῦσι γὰρ ἀμφοτέρως) ὀρυττομένη μὲν ἐρυθρὰ, ξηραινομένη δὲ μέλαινα γίνεται καὶ τετράγωνος. ἔχει δὲ τὸ μὲν φύλλον ὥσπερ οἴναρον, μικρὸν δὲ, καὶ τὴν χρόαν ὅμοιον, καὶ αὐξάνεται καὶ φθίνει ἅμα τῇ ἀμπέλῳ. πάντα δὲ πέντε τὰ φύλλα, διὸ καὶ ἡ προσηγορία. καυλὸς δὲ ἐπὶ γῆς ἐστὶ λεπτὸς, καὶ κνήμας ἔχει πυκνάς. Hoc est, Radix autem Pentaphylli, seu Quinquepetæ (nam utroq; appellatur nomine) cum effoditur rubra existit, siccata uero nigra & quadrangula euadit.

Folium

Folium habet Pampino simile, quod ad colorem attinet, sed minus. Equidem augetur & desinit cum vite. Folia omnia quina, unde illi nomen natum. Caules supra terram mittit tenues, crebris constantes internodiis.

Hæc ille.

Quartum genus Quinquefolij, cuius nomen nullibi cognoscere potui meum esto Pentaphyllon, quod ὠχρόλευκον Dioscorides, hoc est, florem in candido pallidum habere testatur. Atque hæc de Pentaphyllis dicta sufficiant. Vnum est cuius lectorem admonitum uelim. Nam Dioscorides cum de Pentaphyllo loqueretur, inter alia tradit teneræ radicis succum, contra iocineris, pulmonisque uitia prodesse, item aduersus uenena. Contra scribit Auicenna, Quinquefolij radicem noxiam esse. Quis non uel hinc Arabum errores uidet? Sed mirum certe uideri non debet, tam turpiter aliquando illos impingere, cum de nomenclaturis stirpium in plerisque nihil certi habeant. Nam (ut de præsenti nostra planta loquamur) Quinquefolium illorum interdum hoc ipsum nostrum Pentaphyllon existit, aliquando uero Esulæ genus traditur, id quod in Serapione animaduertere licet, qui Ricinum Pentadactylon cognominauit. Sed pergamus ad reliqua.

Auicen. cap. 554.

Serap. cap. 212.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia quæ recensuimus Pentaphylli genera, siccæ sunt temperaturæ, quare utrinque corpori prosunt, maxime contra alui fluxiones omnes, sicut & de Tormentilla audiuisti.

INTRINSECVS.

Radix Pentaphylli, succus eius, & aqua distillata, eundem habent usum cum Tormentilla, quare non est quod illa repetamus.

EXTRINSECVS.

Herba Pentaphylli cum melle & aqua decocta, ulcera oris sanat, gingiuis medetur, arteriæque scabritias gargarissatu, & collutione læuigat.

Aqua distillata iisdem pollet uiribus.

Cocta in aceto & illita serpentia ulcera cohibet, fistularum inquam & cancri, aliaque manantia & putrida ulcera.

Aqua distillata Pentaphylli maximi, tremulas manus iuuare traditur, si ex illa sæpe abluantur, ita tamen ut per se rursus siccentur, non enim panno siccare oportet, quod aliàs in ablutione manuum facimus.

Reliqua in historia Tormentillæ reperias.

De Sanicula. Cap. CLXXIII.

Sanickel.



CVM SANICVLAE FOLIA QVINIS AVT SEPTENIS incisuris diuisa sint, uoluimus historiam illius Pentaphyllo subiungere.

iungere. Radix eius foris nigra, multoq; capillitio fibrata, veratro nigro pene similis, intus candida, gustu astringenti & amaro prædita. Ex illa multa exeunt folia, forma Ranunculum, uel Acerem imitantia, utpote quæ purpureo insidentia pediculo in quinas aut senas partes findantur, quæ & ipsæ singulæ in duas rursus partes leniter dissecantur, id quod in supra dictis Pentaphyllis non animaduerti potest. Sanicula tametsi in humidis syluis & uallibus per hyemem illæsa, natiuaq; sua uiriditate conseruata perdurat, tamen quotannis in initijs Aprilis mensis noua emittit folia, eaq; eleganter uiridia, ac lęuia, solet etiam ex semine proprio subinde repullulascere, hoc pacto. E medio stirpis tenuis iunceusq; erumpit caulis, omni nodo & geniculo destitutus, & quandoque cubitalis, in cuius fastigio exigui, copiosi, & candidi flosculi, ex ordine in circulum coronæ instar acti, uisuntur, qui cum deciderint capitella relinquuntur, uestibus more Lapparũ adhęrescentia, seminiq; Aparinæ, uel Eupatorij similia, ex quibus Sanicula seri potest. Hoc semen si terræ mandaueris, primum binis exit folijs, non aliter atque Asarum. Atq; hoc pacto è radice, & semine suo Sanicula subinde rursus emergit, cum filis expansis per terram Pentaphyllon repullulascat.

2. *Sanicula fœmina adulterina.*

Herba, quam quidam non sine errore Saniculam fœminam dicunt, supra in historia Osteritij descripta est.

NOMENCLATVRAE.

Diosco. lib. 4. cap. 10. Plin. li. 27. ca. 6. & Apuleius ca. 59. Symphyton Petræum Alum uocant, cuius rei supra cap. 79. à nobis facta est mentio.

Habemus & hic uulnerariam herbam, eamq; laudatissimam, nam non solum uulnera sanat & conglutinat, uerumetiam in puluerem redacta, & decocta, interna quęuis & externa purgat uulnera, quare merito Consolida, et (ut multis placet) Consolida minor dici potest. Mihi certe uidetur uerum esse σύμφυτον πετραῖον Dioscoridis. Vulgo Sanicula, Sennicula, Diapensia, Ferraria minor. Germanis uero Sanickel dicitur. Neque prætereunda est doctorum super hac herba contentio. Quidã enim Peplin esse statuunt, alij Pentaphylli genus esse contendunt, qui mihi rogandi sunt ne ægre ferant, quod Saniculam Symphyton Petręum dixerim, nõ tantum enim ut hoc facerem formæ delineatio, sed etiam uires ac iuuamenta me permouerunt, tametsi nostra non ita proponimus, quin meliora edocti, cuiuscunque sententiæ facile simus cessuri.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Sanicula Chirurgis familiarissima, siccum obtinet temperamentum, & utrinque commode usurpari potest.

INTRINESCVS.

Sanicula ijsdem pene cum Tormentilla pollet uiribus. Nam radix & herba

herba in aqua mulsa decocta ac bibita pulmonis uitia purgat, rupturis ac uulneribus internis medetur, uino uel aqua decocta & pota.

Pari ratione sanguinem reijcientibus, renum uitijs, torminibus uentris opitulatur, sanguinisq; profluuia in utroque sexu cohibet. Proinde ad omnes interna uitia herbam hanc cum radice sicut & Tormentillam adhibere possumus utiliter.

EXTRINSECVS.

Sanicula mira sanandi ui prædita est, (unde & nomen traxisse uulgo constat) nam recentia uulnera ualide glutinat. Quare cum cæteris id genus herbis, uulnerarijs potionibus recte addetur.

Ad omnia genera ramicum Sanicula uti, eamq; emplastri ritu affectis locis imponere possumus, non aliter atque Consolidam maiorem, quemadmodum in historia illius fusius declarauimus.

Sanicula tanta ui glutinandi pollet, ut carnes cum radice illius decoctæ coalescant.

De Alchimilla. Cap. CLXXIIII.

IN CENSV VVLNERARIARVM HERBARVM Alchimilla haud postrema habetur, non enim tantum uulnera glutinandi sanandiq;, sed & calidos illorum tumores deprimendi uim obtinet. Herba est uiridis coloris, in hortis graminosis, limitibus agrorum apricis, nonnullisq́ syluestribus & ædito in loco sitis pratis proueniens. Radicem habet digitum longam, foris nigram, fibratam & lignosam, Tormentillæ pene similem, gustu subamaram & astringentem. Folia rotunda, complicata, per ambitum serrata, sed non profundis serraturis, forma stellam nouem aut decem diuisuris distinctam, aut pedem leoninum apertum imitantia, inter quæ tenues, breues & rotundi enascuntur coliculi, exiguis foliolis ad summum usque uestiti, in cacumine uero flore exiguo, copioso, luteoq́ emicantes. Illo decusso in folliculis uiridibus semen Papaueris non maius, & subluteum relinquitur. Maio mense floret, Iulio autem semine prægnat.

NOMENCLATVRAE.


Hanc herbam Germani Sinnaw / appellant, nonnulli Omkraut / dicunt, eo quod inflammationes uulnerum & tumorum sedet. Alijs Unser frawen mantel / quibusdam Lewenfüß / hoc est, Leonis pes uocatur,

Atque

Alchimilla.
Sinnaw.

λεοντοπόδιον Diosco, lib. 4. cap. 126.

Dioscolib. 3. cap. 14.



Atque hi existimant eam esse Leontopodion Dioscoridis, quod si uerum est bene se res habet, sin minus, faxit Deus, ut Mercurius aliquis hanc plantam in Dioscoride nobis monstret. Marcellus Vergilius caput de Leontopodio integrum esse negat, aitq; uidisse se antiquissimos codices, in quibus titulus huius capitis, non Leontopodion, sed Camos capitis, fuisset scriptus, unde si Alchimilla nostra Leontopodium sit, posset Germanice Zaumkraut & Hafftkraut dici. Inter cæteras appellationes quæ memorato capite recensentur, Aëtonichæ quoque extat, quod nomẽ Lithospermo nõnulli tribuunt. Sed ut tandem è nomenclaturis huius herbæ, nos extricemus, dicitur illa Hieroni. Braunschuueig, Alchimilla, & Planta leonis, cui nos in præsentia subscribimus. Quid uero de Leontopetalo sentiamus, secundo ab hinc capite aperiemus.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Alchimilla rupturas internas & ramices sanandi uim habet, temperamento suo ad refrigerationem inclinans.

INTRINSECVS.

Alchimilla uino decocta (ut idem de aqua distillata tibi pollicearis) ac pota, internis uitijs & rupturis sanandis mirifice conducit, eodem plane modo quo & Tormentilla & Sanicula, de quibus cum copiose satis dixerimus, non est operæpretium, diutius hic immorari.

EXTRINSECVS.

Alchimillæ folia tumoribus, & uulneribus imposita, dolorem sedãt, inflammationemq; tollunt. Idem efficit aqua distillata.

Herba & radix Alchimillæ cum cæteris huius generis herbis, uulnerarijs potionibus, pulueribus, emplastris & unguentis adiunguntur.

De Eupatorio, uulgo Agrimonia.
CAP. CLXXV.

QVEMADMODVM BENEDICTAE HERBAE RADIX, Martio mense suauissimo commendatur odore, ita Maio mense Eupatorij herba dum adhuc tenera est, odoratissima esse deprehenditur. Quod cum ita se habeat nõ usq; adeo male Auicennã sentire fatendum est, cum scribit Eupatoriũ Aromaticarũ, hoc est, maxime odoratarũ herbarum genus esse. Proinde (ut ad descriptionem eius ueniamus) tota sua substantia aspera & hirsuta est herba Eupatorij, folijs cineraceis, & plurifariam, quam Benedictæ, scissis, nam singula utrinque in quinas aut senas incisuras finduntur, easq; per ambitum serratas, instar Cannabis, aut quemadmodum Serapio tradit, in modum Pentaphylli. In fine Maij in caulem se erigit Eupatorium, longum, lignosum, hispidum, & asperum, quem lutei ac stellati & frequentes flosculi ex ordine undiquaque ad fastigium usque, circumdant. Post florem apparent exigua & lappacea capitella, uestibusq; & quicquid attigerint adhærentia. Hoc Eupatorij semen existit, nam in medio granula quædam alba, gustuq; dulcia reperiuntur, è quibus Eupatorium seritur. Radix illi nigra, inodorata, amara gustu & astringens. Nascitur in dumetis, locis umbrosis, secus itinera, maxime uero aspera & lapidosa.

Auicenna lib. 2. cap. 244.

1. Eupatorium uulgare.

Cæterum aliud quoddam Eupatorij genus, è Norimberga ad me missum est iam pridem, duos aut tres palmos haudquaquam excedens, coliculo terete, folio angusto, sed maiori Centaurea uulgari, minori autem Amarantho luteo, tenuissimis crenis & serraturis inciso, flore in cacumine capi-

2. Eupatoriũ Mesue.

Eupatorium.

Odermeng.



tulato, subluteo, & Amarantho per omnia cõsimili, odore Absinthium, gustu uero Santonicum repręsentans.

NOMENCLATVRAE.


εὐπατώριον. Diosco. lib. 3. cap. 39.

Serap. cap. 77.

Auicenna lib. 2. cap. 244.

Herbam, quæ Germanis Odermeng/uulgo uero officinis Agrimonia dicitur, uerum esse Eupatorion ueterum, nemo ueritatis amans inficiabitur. Hæc nimirum ea est planta, de qua tot & tam uarię, ueterum, pręsertim uero Arabum extant sententiæ. Quidam enim ex his asserunt Eupatorium habere folia similia Cannabinis, aut Pentaphylli, quorum quidem sententia maxime probanda uidetur. Alij (inter quos præcipuus est Auicenna) dicunt, folia habere Cannabis, odoratum esse, floreḿq; ferre Nympheæ similem. atq; in hac sane descriptione, nihil desideratur, nisi q̃d ad florem attinet. Habet enim Eupatorion nostrum (ut uulgo constat) florem multo magis exiguũ quam Nymphæa. Quod si uero colorem citreum utriusque plantæ, non totam substantiam contulisse Auicennam dicamus, tolerari utiq; sententia eius potest. Nam altera Nymphęæ species luteum profert florem, sed Eupatorio longe maiorem. Tertius Arabs, Mesu as nimirũ Eupatorium

Eupatorium Mesuæ.



torium suum ita describit, ut statuat illud folia habere Centaureæ minoris. Est autem posterior hęc sentẽtia, manifesto cum errore coniuncta, nisi tu uerba Mesuæ aliter interpreteris, nempe ut hoc pacto dicatur, Eupatorion serrata habere folia instar Centaureæ maioris, aut, flosculos illius substantia & forma cũ Centaurea minori conuenire. Hoc igitur pacto descriptiones Arabũ admitti possent, non aliter. Sed rem deploratam. Nostri sæculi medici scientia sua omnes autores superant, quorum nulli cum subscribant, incertis interim nitentes fluctuant. Vident etenim Arabes in descriptione Eupatorij dissentire, quod & in alijs plerisq; contingit, nihilominus tamen illos optimis autoribus præponunt, cum sępenumero rerum notæ et plantarum uiuæ imagines maxime ab illis diuersæ sint. Verum quid dico, ne ipsos quidem Arabes scioli isti & imperiti seplasiarij, (ad doctiores enim & ueritatis studiosos, hæc nostra minime pertinet oratio) sequuntur. Nullus enim ex his unquam Arabum Eupatorium ostendere potuit, quin, quod praui est ingenij, uno consensu peculiare quoddam & adulterinum mortalibus spectandum exhibent Eupa-

torium, quod perinde illis incognitum est atq; Arabum. Nam quam nos supra cap. iiij. Nepetam montanam (& recte quidem) nominauimus, eam isti pro Eupatorio suo uenditare non erubescunt, & ut errorem errore resarciant, dicunt eam Germanis proprie Wild Salbey / hoc est, Saluiam syluestrem dici debere. Ex his itaq; candido lectori errores tam Arabum quam officinarum facile constare puto. Reliquum est, ut quoties Eupatorij in autoribus fit mentio, Agrimoniam hanc nostram intelligamus (nam q̃d Agrimonia uulgo uocata uerum sit Eupatorium, descriptiones Plinij & Dioscoridis luce clarius ostendunt) rursus uero adulterinum illud & officinis hactenus usurpatum Eupatorium, quod & Saluiam syluestrem uocant, Nepetam montanam esse statuamus. Quod uero Barbari hanc herbam Agrimoniam, Ferrariam minorem, Concordiam, Marmorellam & Scelam uocant, quæ nomina partim Saniculæ tribuenda uidentur, nihil nobis impedimento fuerit, præsertim scientibus eam herbam uerum esse Eupatorion, quod inuentorem habet Eupatorem regem, à Dioscoride Hepatorium & Hepatitis, & in uolucrum maius cognominatũ. Quid uero Argemone sit, supra cap. xxxviij. disseruimus. Serapio Eupatorium suum Cafat uel Gafit. Auerrhoes Olibarda uocat. Nec desunt (ut & hoc annotemus) qui Eupatorij uocem Marrubio tribuant, & alij quidam Conizæ. De Eupatorio meminit etiam Manlius super confect. Eupato. uerum nec ipse quodnam uerũ esset Eupatorium assecutus est.

Error officinarum.

Plinius lib. 25. cap. 6.

Altera herbula cuius fecimus mentionem, tradunt Eupatorium esse Mesuæ. Ego Amaranthi genus esse iudico, nimirum id quod ἑλίχρυσον uocauit Dioscorides, aut certe Santonici genus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Eupatorium mediocriter calidum & siccum est, potestq; utrinq; commode usurpari, præsertim ad luxatos neruos restituendos suoq; loco reponendos.

Alterum quod Mesuæ Eupatorium uocant, calidius est, & ad Absinthiũ accedit.

INTRINSECVS.

Eupatorium ad epatis obstructiones soluendas à ueteribus præcipue fuit usurpatum, uino decoctum & potum, qua ratione etiam colicis medetur.

Aqua distillata potu tussim emollit, pituitam crassam incidit, morbum arquatum expellit, febri laborantibus conducit, tineas uentris enecat. Eadẽ

potest

poteſt & Eupatorium minus, poteſtq́ pro Abſinthio uſurpari, quemadmodum Meſuas teſtatur.

EXTRINSECVS.

Folia Eupatorij contrita, & cum ſuillo adipe impoſita, ulceribus quæ ægre cicatricem trahunt, & quæ ſecus quam oportebat ſuta & ſanata fuerint, medentur.

Hodie Eupatorio frequentiſſime ad reſtituenda membra luxata, uulgo utuntur, non ſine magno certe commodo. Accipiunt enim herbam eam recentem uel aridam, & furfurem triticeum, ſimulq́ in vappa decoquunt, quoad inſtar pulmenti ſpiſſa reddantur, tumq́ calida imponunt. Sunt qui prædictam herbam cum furfure, cum butiro & aceto ad eadem mala decoquant.

Aqua diſtillata exulcerationibus oris, aliiſq́ ulceribus & uulneribus ſi ex illa colluantur, & purgentur, ſuccurrit.

De Benedicta ſylueſtri. Cap. CLXXVI.

SVPRA CAPITE XXI. ODORATAM ILLAM CARYOphyllatam deſcripſimus. Nunc uero præ manibus habemus ſylueſtrem Benedictam, quæ non niſi in altiſſimis ſyluis reperitur. Nam è ſylua Gengenbacenſi, quod oppidum ſupra Offenburgũ unum miliare ſitum eſt, ad me primum allata fuit. Cæterum caule, folijs, & ſemine Caryophyllatæ adeo ſimilis eſt, ut ab ea uix diſcerni dignoſciq́ poſſit. Sola autem radice inter ſe differunt binæ hæ plantæ. Nam ſylueſtris radicem habet fere dodrantalem, rectam, nullo fibratam capillitio, ſubruffeſcentem, digitum craſſam, guſtu amaram, omni denique odore deſtitutam. Cuiuſmodi uero Caryophyllatæ radix ſit, iam antea diximus, cum de illa ſeorſim ageremus. Florem fert hæc ſylueſtris Benedicta Maio Menſe, eumq́ forma ſua ad Cymbala accedentem, colore tinctum roſeo aut purpuraſcente, quo decuſſo caput extuberat circinatis acinulis cumulate ſtipatũ, per omnia Caryophyllatæ ſimile.

NOMENCLATVRAE.

Cum Benedictę herbæ genus ſit iſta quam modo deſcribimus, operęprecium fuerat, ut hiſtoriam eius ſub capite xxi. primi noſtrorum commentariorum libri abſoluiſſemus. Sed quoniam tum quidem nobis hauddum uiſa fuit, & longo demum poſt tempore ad manus noſtras uenit, reiecimus

tractationem eius in hunc locum. Qui hanc plantam nobis exhibuerunt, uocabant illam Germanica uoce Wild Benedicten wurtzel/hoc est, Syluestrem Benedictam, quod sane nomen ut retineat in posterum, quoad uerã ipsius in Dioscoride appellationem didicerimus, per nos licebit. Fecimus supra cum de Alchimilla nobis esset sermo, mentionem cuiusdam herbæ quam Dioscorides lib. iij. cap. ci. λεοντοπέταλον nominat, quod nomen, & caput, ob floris & seminis figuram lubens ad nostram hanc syluestrem Benedictam referrem, si sine offensione quorundam id fieri posse putarem. Sed quid obstat, quo minus sentẽtiam nostram indicemus, quam non ideo proponimus, ut quenquam illi subscribere cogamus, sed ut alijs de his rebus cogitandi ansam præbeamus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Si hæc syluestris Benedicta Leontopetalon sit Dioscoridis, certe utrinq; sine offensa usurpari potest.

INTRINSECVS.


Leontopetalo Dioscorides duo inprimis tribuit, primum enim dicit radicem eius serpentium ictibus auxiliari ex uino potam, deinde uero celerrime dolorem finire, ischiadicorumq; clysteribus misceri. Si quæ uero sunt alia, quæ de hac radice dicuntur, mihi nondum sunt comperta, possent tamen progressu temporis melius innotescere.

De Trifolio magno, seu aureo, quam & nobilem Hepaticam uulgo uocant. CAP. CLXXVII.

NOBILIS HEPATICA MARTIO PRIMVM MENSE plicata emittit folia, in initijs Oxytriphyllo similia, sed maiora, ubi uero adoleuerint, cum Asaro conferri possint, nisi quod Trifolij formam referunt. Porro tam flores singuli (de quibus paulo post) quam singula etiam folia, singulis ijsq; lanuginosis insident pediculis. Florem ergo mense Martio profert hæc Hepatica, in albo cœruleum, non maiorem Oxytriphyllo, qui in capitulũ postea abit, quod est seminum ex ordine positorum receptaculum echinatum. Porro semen itidem cœruleum oblongum, ac Aquilegię consimile existit. Hęc planta non ubiuis locorum obuia est, tametsi hodie passim in hortis, locis umbrosis, quibus gaudet, plantari cœpta sit. Nascitur autem sponte sua in syluis Vuasgoiæ, è regione

ne

Nobilis Hepatica.
Edel Leberkraut.



ne montis Tonitrui, in ditione Dominorum de Falckenstein.

NOMENCLATVRAE.

Qui hanc herbam Lichen esse statuunt, ijs assentiri nõ possum, posteaquam descriptio Lichenis nostræ Hepaticæ minime respondeat. Quæ uero planta Lichen dicatur proprie, statim explicabitur, secundo ab hinc capite. Nolumus autem hoc loco in controuersiam uocare, ac inquirere, faciatne ad Hepatis uitia, an minus, nam omnes Emperici eam Hepaticam esse statuunt, qua ratione Germanis Edel Leberkraut/hoc est, nobilis Hepatica dicitur. Hieronymus Braunschuueig ait Germanica lingua der Gulden klee/hoc est aureum Trifolium uocari, id quod à uero non multum abest, si foliorum figuram perpendas. Vt uero in Dioscoride appelletur, & an Trifolij genus sit, necne, definire non ausim, quin potius in medio hanc disputationem relinquens aliorum sententias audiam, intereaq; Trifolium aureum seu magnum cum cæteris appellabo.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Optandũ ſane eſſet, ut ex ipſo Dioſcoride ratio nominis nobis cõſtaret, quod ſi contingeret nobis, certius de uiribus illius diſputare poſſemus. Sed cum id nobis hodie negatum ſit, ut experientia contenti ſimus neceſſe eſt.

INTRINSECVS.

Herba uino decocta & pota, obſtructione liberat iecur, præſertim in his qui ueneri nimium indulſere, pari ratione urinam trahit, renes & ueſicam omnibusq́; internis uitijs apprime conducit. Eadem præſtare dicitur aqua diſtillata.

EXTRINSECVS.

Hæc herba (quod & de aqua eius diſtillata intelligas) inflammationes impoſita tollit, doloresq́; finit.

Alia quæ ex hac herba peti poſſent remedia, quotidiana experientia docebit.

De Oxytriphyllo. Cap. CLXXVIII.


OXYS, SEV TRIFOLIVM ACIDVM IN FINE MARtij complicatis folijs pro more omnium Trifoliorum è terra prorepit. In initio uero Aprilis tripartito diſtincta folia integra & abſoluta, coloris herbacei conſpiciuntur, eaq́; ſingula peculiari ſuo pediculo, qui exiguus, breuis, digito haud temere longior, tenuiſſimusq́; exiſtit, inſident, numeroſa & frequentia è radice geniculata ſubruffa, Saxifragæq́; albæ pene conſimili, ſed minori, proſilientia. Inter folia flores candidi, Cymbalaris figuræ, ſinguli in ſimplici ſcapo, uenisq́; qua terram ſpectãt purpureis præditi, forma deniq́; Saxifragam albam repræſentantes prorumpunt, qui Maio menſe in lunatas ſiliquas ruffo ſemine, quod Cardami ſemini conferre poſſis, refertas abeunt, quas ſi à maturitate tetigeris, protinus diſſilient, ſicut & uaſcula illa ſeminiorum in Cataputia minori. Hoc Trifolij genus plerunque in ſyluis, è radicibus magnarum arborum, & in petris aliquando naſcitur.

NOMENCLATVRAE.

Germani Bůchampffer / Saurklee / Guckgauchsklee nominant, poteſtq́; fieri

Oxytriphyllon.

Bůchampfer.



fieri ut sit ὀξύς, seu ὀξυτρίφυλλον, apud Dioscoridem. Quod nam autem uerum & odoratum Trifoliũ sit, & quot genera Trifolij apud nos extent, suo loco dicetur, nã in præsentia de acido Trifolio loquimur, quod si saporẽ spectes, Waldt saurampffer / hoc est, syluestris Acetosa seu Oxalis dici posset, nam non minus quam illa in acetarijs expetitur. Sunt qui hoc Trifolium, Panem cuculi", Germanice Gauchbrot / Alleluia, Luyula, Bachael, Trifoliũ acetosum nuncupent. Vide Mesuen, Math. Syluaticũ, Leonardum Gilibertum, & Iacobum Manlium super vng. Marciaton.

" vel q. cuculus avis eo vescatur, vel quod eo tempore, cuculus primum vocem suam emittat.

[illegible] est hic plantula tempestatis [illegible] Germaniae, siquidem appropinquante aliqua tempestate [illegible] tempestati [illegible]

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Oxytriphyllon calidũ & siccum est, uulgari Oxalidi per omnia respondens, quare etiã loco illius usurpari commode potest.

INTRINSECVS.

Oxys, seu aqua eius distillata pota, refrigerat iecur, confortat cor, sitim sedat, utilisq́ꝫ est in omnibus calidis morbis, & inflammationibus, non aliter atq; Malo granata.

EXTRINSECVS.

Succus refrigerantibus quibusdam unguentis miscetur, ob mitem quam in sanando obtinet facultatem.

Aqua distillata cum alumine temperata, uulneribus, ulceribus, & fistulis potissimum autem oris uitijs, collutu medetur.

Reliquas Oxytriphylli uires in historia Oxalidis comperies.

De Pulmonaria, & Hepatica fontana, seu Lichene. CAP. CLXXIX.

1. Iecoraria, seu Hepatica fontana.

LICHEN, SOLIS AESTVI INIMICVS, VMBROSIS SImulque humidis locis gaudet, ideoque in fontibus profundioribus ac frigidioribus, necnon rorulentis petris duntaxat nascitur, folio copioso, succi pleno, squamarum instar stipato, & contexto, & quod hinc inde serpit, non aliter atque Lichene seu Impetigo in cute se longe lateque diffundit. Radix Lichenis nihil aliud est quam tenuissima, tomentosa, & mollis lanugo, qua saxis hæret, quibus si detraxeris herbam, altera sui parte plane uiridis illa conspicitur, folio multiplici & pingui uestita, altera uero & qua petræ cōiungitur, emplastri modo lita uidetur. Maio mense appetente super maiora quæ diximus folia, alia quædam perexigua, & musco palustri similia nascuntur foliola, quæ in cauliculos pingues, breues, pediculorum forma, capitula stellata Maio mense proferentes, sese attollunt. Lichen gustu subamarus est.

2. Pulmonaria.

Herba, quæ uulgo pulmonaria dicitur in muscosis quercubus & fagis prouenit, nonnunquam etiam in muscosis petris, & umbrosis syluis, prædictæ Iecorariæ consimilis, sed maior per omnia. Folia habet rugosa, inuicem incumbentia, uiridia, lentiora & ficciora præcedenti, ea qua arboribus adhærescit parte albida, lanuginosa, similiterque aspera & lenta instar corij.

NOMENCLATVRAE.

Multæ sane existunt plantæ, quæ a iocinore appellationes suas traxerunt, nimirum Trifolium aureum, Matrisylua, Eupatorium, & hic quem in præsentia tractamus Lichen. Verum enimuero Eupatorium uera est Hepatica, quo nomine si uires spectes, fortasse & hæ duæ plantæ, appellari poterunt. Si autem ueterum scripta consideres, nihil aliud sunt quam serpentes herbæ, quæ uno nomine a Dioscoride λειχῆν appellantur, qui simul Lichena


Diosco. lib. 4. cap. 51.

saxis

Iecoraria, seu Hepatica fontana.

Brunnen leberkraut.

λειχὴν πετραῖος.



saxis familiarē esse tradit, quod idem Serapio testatur, apud quem Arabica lingua Hazezalsacher dicitur. Iam ut locorum natalium ratione differunt hæ plantæ, ita eodē pacto nominibus facile secernentur, ut altera quæ Germanis Brunnenleberkraut / hoc est, Hepatica fontana uocatur, λειχὴν πετραῖος, seu aquaticus, altera uero quę Germanis Lungenkraut / hoc est, ut uulgo loquuntur Pulmonaria nuncupatur, Lichen syluestris, seu arboreus uocitetur. Vterq; Lichen teste Plinio impetigines sanat, unde & nomen obtinent, præsertim prior, nam alter ad uitia pulmonis à veterinarijs præcipue usurpatur. *Serap. cap. 113.*


Est & Musci quoddam genus, quod fibris quibusdam instar Polipodij adhærescendo, & serpēdo supra terram se propagat. Sed de illo suo dicemus loco. *Muscus syluestris.*

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Hepatica fontana, frigida & humida est, Pulmonaria uero frigida & sicca, potest utraque utrinque adhiberi commode.

INTRIN-

Pulmonaria.
Lungenkraut.



INTRINSECVS.

Lichen uino decoctus, aut præter decoctionem è uino potus uitijs pulmonis iocinorisq́ medetur, inflammationes ſedat, fluxiones capitis cohibet. Ad multas preterea calidas affectiones efficacior eſt Lichen, quam uulgo exiſtimetur.

Tragea ex eo ſiccato cōfecta, Saccharo, alijsq́ aromatibus & ſpeciebus admixtis, ijſdem ſuccurrit uitijs.

Pulmonaria herba uulgo ad pulmonis affectiones, aſtma, ſuſpiria, & tuſſim utuntur, confecto ex ea puluere, aut aqua diſtillata. Puluerem ex ea ſic conficies. Accipe Pulmonariam herbam ſiccam, Aniſi ſemen, pulmonem vulpis in aēre ſiccatum, ſemen Fœniculi, glycyrrhizam, radicem Enulę, gingiber, æqualis ponderis, eaq; ſingula ſeorſim accurate contunde, poſteaq; cribro purga, ut tenuiſſimus fiat puluis. Demum accipe optimum Saccharum, tanti ponderis, quanti reliqua omnia extiterint, & miſce omnia ſimul, utereq; in modum Trageæ mane & ueſperi. Hoc puluere aſtma ſoluitur, obſtructione liberantur pulmo & iecur, aſpera denique tuſſis iuuatur.

Magiſtri pecorum & veterinarij pulmonariæ herbam ſeu puluerem ſale mixtū, pecori aduerſus ſpirandi difficultatē, & tuſſim, ſingulari experimento exhibent.

EXTRINSECVS.

Lichen ſaxis rorulentis familiaris omnes inflammationes arcet, impetigini medetur, impoſitus.

De Saxifraga alba, ſeu magna.
CAP. CLXXX.

QVEMADMODVM CALCVLIS COMMINVENDIS VAria adhibentur remedia, ita non una Saxifragæ (Germanis

Saxifraga alba.
Weiß Steinbrech.



Steinbrech) species reperitur, quin, quod mirum uidetur, quæque regio propriũ & peculiare sibi ostẽdit Saxifragum, quemadmodũ & rei herbariæ scriptores in delineanda Saxifraga, non consentiunt. Plinius namque suam Saxifragam, Polytrichon, Trichomanes, & Saxifragum nominat. Marcellus Vergilius Tragopogona, hoc est, Hirci barbulam (cuius supra cap. xcv. historiam habes) in Hetruria Saxifragũ passim dici tradit. Barbarus existimat Tormentilã Saxifragam esse. Simon Ianuensis Pimpinellam, pro Saxifraga Dioscoridis uenditat. Pręter has iam commemoratas Saxifragę species, aliæ quoque emergunt, nimirum, Halicacabum, Milium solis, et quod statim describemus Empetron, ita ut nihil certi de Saxifrago Dioscoridis statuere liceat. Nam caput illud omnino uel nõ integrum, aut certe Empetro coniungendum uidetur, quod & doctissimus uir Marcellus Vergilius, mecum suspicatur. Sed relictis his, nostram Germanicam Saxifragam, uulgoque officinis usitatam tandem delineemus. Ea igitur Maio mense, in aridioribus, asperis, saxosis, & arenosis agrorum limitibus reperitur, folijs, quæ plerunque humi

Plinius. lib. 22. cap. 21.

Diosco. lib. 4. cap. 17.

Diosco. lib. 4. cap. 174.

Quid de his duobus capitibus sentiat Marcellus, uide in annotationibus ipsius in 174. caput li. 4. &c.

humi procumbunt, rotundis, ac parum ſerratis, viti, ſeu Hederæ terreſtri ſimilibus, at pinguioribus, mollioribusq́;, è quorum medio, nudus, iunceus, lanuginoſus, & rotundus proſilit caulis, cubitalis, in cacumine albis floſculis, ĳsq́; frequentibus violarum formam referentibus, emicans. Hi cum menſe Iunio deciderint, nullum poſt ſe necuaſculũ, nec ſemen relinquunt, unde ſunt qui dicunt ſeminis loco radicem huic herbæ datam. Ea multis granulis coaceruatis, teretibus & purpureis, nec Coriandro maioribus, ac apprime amaris conſtat, quæ cum, ſeminaſſem ſequenti anno è ſingulis granulis, ſingulæq́; ſtirpes proruperunt.

NOMENCLATVRAE.

Hæc herba Germanis Weiß Steinbrech / Latinis Saxifraga à radice & facultate quam obtinet, dicitur. An uero illa ſit Dioſc. Saxifraga, alĳs diſcutiendum relinquo. Non enim contendimus, ſed docendi gratia iſta ſcribimus. Quod ſi ergo Saxifragon Dioſcoridis, ad hanc noſtram herbam pertinere uidebitur, poterimus illam cum Dioſcoride Empetron album nominare, nam de altero Empetro ſtatim dicetur. Platearius ſuſpicatur Saxifragam hanc ὀρνιθόγαλον Dioſco. lib. ĳ. cap. cxxxiĳ. eſſe. Collinutius Saxifragam ſuam, Sampetram, Baſichiam, Baticulam, Batin marinam, & Rumpi ſaxũ nuncupat, quæ ſane nomina non inepte huic noſtræ Saxifragæ tribui poſſe exiſtimo.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Inter omnes Saxifragæ ſpecies, quæ albos fert flores præcipue commendatur, magni uſus herba aduerſus calculum & ſtranguriam, excalfacientem & expellentem uim obtinens.

INTRINSECVS.

Saxifraga una cum radice ſua in uino decocta et pota, urinam ciet, expurgat renes, expellit calculum renum & ueſicæ.

Semen huius, quod in radice cõſiſtere diximus in puluerem redactum, & in modum Trageæ, aut Eclig matis præparatum, ad eadem efficax eſt.

Aqua in Maio menſe è floribus & radice diſtillata, uſu gratior & iucũdior exiſtit, & ad ſupra commemoratas affectiones uſurpari poteſt, ita ut ſingulis uicibus menſura trium aut quatuor coclearium eam bibas, poſteaq́; in ſolium calidum in quo ſit Maluæ decoctum, deſcendas, modo nulla prædictis morbis coniuncta ſit febris.

De

De Empetro, & Polytrichi Apuleiani uarijs generibus CAP. CLXXXI.

Empetron.
Harnkraut.



QVAM NOS EMPETRON uocamus herbam, ea exigua est plantula, uirgis, aut filis potius tenuissimis, humi procumbentibus, quæ folijs perexiguis uestiuntur lenticulæ similibus, semine inter folia copioso, ac mirum in modum stipato, non aliter atq; Atriplex simaria minor. Nascitur hęc arenosis in locis, interdum etiam prope ripas fluuiorum humecta in terra. Nam Argentinæ in campo lanionum, non procul à ponte Rheni, in arenosis fossis, deinde etiã in Vuasgoia ad Luthram fluuium, è regione pagi quem ab illo Lutereckẽ nominant, præterea ad oppidulum Reichshofen / in colle nõ procul à flumine, illam reperi. Circa festum Bartholomei spectandam se præbet integram, omnibusq; numeris absolutam. *Empetron.*

Iam ut ad Polytrichon ueniamus, quod Germani Jungfrawenhar appellãt, & Widertodt / quod & ad Magicas nonnulli artes adhibent, est illud trium generum, *Varia Polytrichi genera.*

rum,

Polytrichum primum.
Polytrichum secundum.
Polytrichum tertium.
Jungfrawhar/oder Widertodt.

1. Polytrichon nobile.



2. Polytrichon maius.



3. Polytrichon minus.

rum, quæ tamen omnia è musco tanquam natali suo loco prodeunt.

Elegantissimũ, præstantissimumq́ue ex his, in muscosis semperq́ue humectis & inter montes sitis pratis, Iulio mense prouenit, capillo potius quam caule, læui, eóq́ue purpureo aureo, digitum longo, capitulo in summo, quod grano tritici conferri possit, protuberante, foliis ruffescentibus ternis aut quaternis magnitudine Lenticulam palustrem æquantibus, sed longioribus, & acutioribus, humi sparsis.

Alterum Polytrichon, maius, nimirum quod Circulatores inter radices & Theriacas suas uenale circumferunt, aureos de illo pollicentes montes, primo aliquanto procerius est, & ad purpureum magis accedit colorem. Hoc in altissimis syluis è muscosis & antiquis, quæ corruerunt arboribus prosilit, sine folio, solo caule in altum sese attollens, sicut flos Hepaticæ fontanæ.

Tertium, iam dicto simile est, nisi quod breuius euadit, ac magis exiguo protuberat capitulo. Plerunq́ue è

rorulen-

rorulentis saxis prodit. Et ut paucis rem absoluam, tria hæc genera Polytrichi, necnon & pediculi fontanæ Hepaticæ florem stellatum sustinentes, reuera nihil aliud sunt, quam coliculi florentes musci, in suo tamen quodq; genere.

NOMENCLATVRAE.

Priorem plantam quæ folium habet Lenticulę, Germani Barnkraut uocant, potestq; fieri ut sit ἔμπετρον, quod & φακοειδὲς quidam dixerunt, Galeno Prasoides appellatum. Reliqua tria Polytrichi Apuleiani (ut uulgo nominant) genera, Germanice Jungfrawen har/ & Widertod/ appellantur. Nos ea ad Empetron quoque referimus, tametsi illorum mentionem ueteres non fecerint, nisi forte quis sub capillo veneris, seu Adianto descriptas putet, cui sane nullus repugnarim. *Diosco. lib. 4. cap. 174. Apul. cap. 47.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quatuor hæ plantæ meo quidem iudicio siccæ sunt temperaturæ, ac calculum comminuendi & educendi, urinamq; trahendi uim obtinent. Quapropter non aliter atq; Saxifraga ad calculos usurpari poterunt.

INTRINSECVS.


Empetron in hydromelite decoctum ac potum, non tantum calculos, sed & bilem, pituitam, & aquam trahit, hydropicis commodissima herba.

De Polytrichi uiribus nihil nunc dicimus, cum hodie ad phyltra, amatoria, ueneficia, & Magicas artes potius, quam ad tuendam uel instaurandam corporis sanitatem, in usu sit. Proinde si quid de eo dicendum sit, uidetur nobis quidē facultatibus Capilli veneris, de quo proximo capite, pollere.

De Adianto, eiusq; uarijs speciebus. CAP. CLXXXII.

RVTA MVRARIA E' SCISSVRIS ET IVNCTVRIS MVrorum antiquorum prosilit, caule breuiusculo, non enim digitū excedit longitudine, frequenti, nam è radice unica nigra & capillata sæpenumero, quadraginta aut quinquaginta coliculi prodeunt, foliolis copiosis, & quincunciali ordine inuicem coniunctis incisuris suis instar teneri Coriani diuisis, cęterū forma Rutę prorsus similibus, qua terram spectant, aureis punctulis Iulio mense notatis, quod & in Polypodio ui- *Capillus Veneris*

Trichomanes, officinis Polytrichon.
Roter Steinbrech.



Capillus Veneris, seu Ruta muraria.
Mauraauten.

deas, uestiti. Hæc plantula nullum alium, quam eum quem diximus sortitur caulem, nec florem etiam profert, & quod admiratione dignum existimo, cum perexiguus sit fruticulus, nihilominus tamen æstatis, hyemisq́ tẽpestates quasq; illęsa trãsit, nec prius emarcescit, quam noua incœperint emergere foliola, quæ quotannis Aprili mense appetente inter veterea prodire conspiciuntur, inflexa quodammodo, cuiusmodi & prima Hernionitidis folia, cum è terra prorũpunt, apparent. Neq; uero hoc Rutæ genus plantationem admittit, sicut pleræq; plantæ, sed sponte sua natura sua cooperante è saxis ut diximus enascitur, culturam refugiens.

Quod uero nunc diximus de Ruta muraria, idẽ de Trichomane intelligi uolo, Nam & ipsum ex antiquis emergit muris, sed plerunq; in umbrosis & humidis locis, interdum etiã in arenosis & sabulosis saxis, interdum etiam specubus, ut plurimum autem tene-

Adianton magnum,
Frawenhar.



tenebrosis ut diximus, & humidioribus reperitur. Habet uero similiter radicem capillatam & superuacuam, coliculos tenuissimos, digitum longos, et eo ampliores, puniceos, ex utraq; parte ordine quodã, foliolis rotundis Lenticulæ palustri consimilibus uestitos, ut rudimentũ pennæ satis exprimant. Porro coles folijs nudati Polytrichо maiori, quod proximo descripsimus capite, similes euadunt, sed nigricantiores. Cæterum gustu utraq; hæc herba cum Henioniti de satis conuenit, nisi quod in his austerior paulo & asperior deprehenditur.

NOMENCLATVRAE.

Priorem plantam Germani Maurrauten/hoc est Rutam murariam, alteram Roten Steinbrech.i. Saxifragam rubeam nominãt. Vulgus Herbariorum Capillũ veneris, & Cincinnalem herbam nominat prædictam Rutam, estq; ea Adiantum album, cuius meminere ueteres, inprimis uero ipse Dios. Nolo aũt quid in eo capite Diosc. desiderẽ dissimulare. Nã cum Marcello Verg. uiro doctissimo suspicor aliquid deesse loco. Principio siquidẽ ibi dicitur, Adiantum folia habere Coriandro similia, exigua, &c, non multo post subiungitur, fo-

Ἀδίαντον.
Diosco. lib. 4. cap. 131.

lia Filici similia, è quibus sane uerbis satis conijci potest deesse potius, quam superuacanea reperiri eo in loco uerba. Credibile est etenim Adiantum à Dioscoride in sua quoque genera distributum fuisse, posteaquam & ipse Theophrastus lib. vij. de hist. plantarum cap. xiij. idem fecisse cognoscitur, cuius hæc sunt de Adianto uerba, γίνη δ' ἀυτο δύο, τὸ μὲν λευκὸν, τὸ δὲ μέλαν. hoc est, genera ipsius duo, album & nigrum. Iam si hisce Dioscoridis uerba hoc pacto adiungas, ut dicas. Duo sunt Adianti genera, album, quod folia habet incisuris diuisa, Coriandro similia: nigrum uero, quod folia habet Filici similia. Si inquam ita scripta ueterum conciliauerimus, possemus forte defectum Dioscoridis non solum resarcire, sed & cognoscere quodnam uerum & præcipuum ueterum fuerit Ἀδίαντον, alioquin certe nunquam eo cognitionis peruenturi. Sunt enim qui uulgarem Capillum ueneris uiridi coliculo præditum, quod Theophrastus album dixit, uerum esse Adiantum contendãt, alijs id negantibus, aliamq; in locum eius substituentibus. Quapropter quamdiu contentiones uigent, ueritas latebit oppressa, quę tum procul dubio emerget, cum dicemus Rutam murariam album esse Adiantum, aut certe genus illius (nam uerum & maius Adiantum, cuius imaginem iuxta apposuimus, & quæ Germanis **Frawen har** / appellatur, non ita pridem è peregrinis terris ad mẽ aridum delatũ est) rursus uero Trichomanes illud Adiantum nigrum statuamus. Hinc facile liquere puto, duo illa apud Dioscoridem capita, Adianti scilicet & Trichomanis, ad unum redigenda, nec separanda in posterum, cum de Adianti generibus loquantur, & ab autore ipso dubio procul utraq; planta uno capite tractata fuerit, id quod uel ex Ægineta colligere licet, qui Trichomanis sub Adianto mentionem fecit, nec in proprium illud & peculiare caput coniecit. Qui fit ut plane mihi persuadeam, caput de Trichomane ab alio quodam super additum pręcedenti, quemadmodum & Apuleio id contigisse uidemus, apud quem cap. xlvij. hęc leguntur nomina, Gręci (inquit) Callitrichon uocant, ijdem Adianton, ijdem Polytrichon, ijdem Trichomanes, ijdem Trichophyes, alij Selinophyllon, alij Dyphyes, alij Heracleos pogon, alij Hippomanes, item Scolopendrion, Asplenon, Scolibrochon, alij Amianton. Latini Capillum ueneris, ijdẽ herbam capillarem, Crinitam, Saxifragã, Punici Nesso essesade. Rursus capite. xcvij. ita scribit: à Græcis dicitur Adiantos, alijs scolopendrion, quibusdam Scolymos, nonnullis Scoliprochos, Asplenon, & Prochos agrios. Ægyptijs Phepere. Itali Saxifragam, alij Vitem canam, alij Apruco, alij Lampago uocant. Iam quemadmodum in his duobus capitibus nomina aliquantulum uariant, ita descriptio herbę in utroq; plane conuenit, nisi quod in priore dicitur, locis aquosis, cum in posteriori sit, nascitur in montibus, locis saxosis, quæ quidem uariatio facile scriptorum uitio cõtingere potuit. Quis igitur non uidet unam & eandem plantam bis in Apu

Adiantum uerũ.

leio

lelo descriptam? Sed ut ad Dioscoridem reuertamur, nosq; ab his tandem expediamus, recensebimus, pro more nostro, appellationes præsentiũ plantarum apud Diosco. extantes. Sunt autem istæ, ἀδίαντον, πολύτριχον, καλλίτριχον, Trichomanes, Ebenotrichon, Argiõ, Corion enydron, hoc est, Coriandrũ aquaticum (quod Germanis Wasser Coriander diceretur) Epier Ægyptijs quidem, Cincinnalis, Terræ capillus, Supercilium terræ Latinis, Phithophthethela Dacis. Atque has uniuersas nomenclaturas ad Trichomanes, quod uulgo Saxifragam rubeam, & officinæ Polytrichon appellant, pertinere putamus, nam sub Trichomane in sequenti capite fere repetuntur, in quo ita legitur, Trichomanes, alioqui Pterion, alij Opteron, Romani Capillarem, alij Pinulam, alij Fidiculam, nonnulli & eam Adianton appellant. Serapio Capillum veneris, Coriandrum putei, Capillum algol, Capillum porcinum, & Berscegnascen. Auerrhoes Custaralber uocat. Cæterum cum exacte Adianti descriptiones pensito, uideo sane Polytrichi Apuleiani primum genus, recte ipsi coniungi, præsertim cum rorulentis saxis & fontibus plerunque reperiatur, quod equidem ex Theophrasto colligere licet, qui Adianti genera locis humidis prouenire scripsit. Hæc fere sunt quæ de Adianti generibus dicere habebam, in quibus ideo prolixior fui, quo exactius discerni possent a studiosis Adianti genera.

Quædam exemplaria habent Filiculam.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Contrarias duæ hæ plantæ facultates obtinẽt, astringendi, digerendi, ac educendi: temperatura frigidæ & siccæ, tametsi Rutam murariam nonnulli calidam & siccam statuant.

INTRINSECVS.

Binæ hæ herbæ uel simul, uel singulæ uino aut hydromelite decoctæ, perq; aliquot ex ordine dies potæ, obstructiones iocinoris soluunt, morbũ regium expellunt, pulmonis uitia purgant, spirandi difficultati prosunt, melancoliam per urinam ducunt, tumores lienis duros emolliunt, calculos trahunt, necnon uenenum haustum: mulierumq; menses expellunt.

Rursus prædicta decoctio, pulueres herbæ utriusq;, necnon ex ipsis confecta Ecligmata, syrupi, aqua denique distillata, quasuis alui fluxiones inhibent, inflammationesq; iocineris refrigerant. Eadem efficere posse Polytrichum Apuleianum, de quo præcedenti capite, tradunt.

Pastores quidam Trichomanes in medendis porcorum affectionibus utuntur, singulari experimento.

Omittimus autem prudentes hoc loco ueneficia & phyltra, aliasq; im-

pias artes & superstitiones muliercularum, ad quas Adianti & Polytrichi genera adhibent, utpote Christianis hominibus indignas.

EXTRINSECVS.

Ruta muraria in lixiuio decocta, si ex illo caput abluatur, defluentes capillos continet, ictibus serpentum medetur, alijsq; uenenatorum animalium morsibus.

Easdem Polytricho facultates, si pari ratione decoquatur, tribuunt.

De Milio Solis. Cap. CLXXXIII.

1. *Milium solis satiuum.*

ANTEQVAM AD FILICES ACCEDAMVS OPERAE pretium duxi, remedia calculorum, quæ ab herbis quibusdam petuntur, absoluere, inter quas Milium solis haud postremum occupat locũ. Quanquam autem una tantum illi herbę tribuatur facultas, nimirũ q̃d semine cum uino albo poto calculos frangat, pellatq; urinam, tamen tanta diligentia historiam ipsius persecutus est Dioscorides, ut uel cæcus Milium solis solo tactu agnoscere posse uideatur. Plinius lib. xxvij. ca. xi. semen ipsius Ciceri confert, & recte quidẽ quantum ad figuram attinet, at si magnitudinem spectes non item, quod omnes ij mecum fatebuntur, quibus hoc Milij genus cognitum fuerit. Nam nostrum Milium solis non multo maius est Milio satiuo, quod inter fruges & legaria refertur. Quapropter pro magnitudine Ciceris, ut nunc habet lectio Pliniana, forte similitudine Ciceris, legendum fuerit, aut certe aliud quoddam semen Plinius intellexit, nimirum id quod Lachrymam Christi nominant. Sed in his nihil affirmamus, ne temeritatis notam incurramus. Folia (ut ad descriptionem herbæ accedamus) habet acuminata, angusta, Oleæ similima, sed multo asperiora, acutiora & magis nigricantia. Caulem teretem & rectum, superiori sua parte quandoq; ramulis brachiatum, instar arbusculæ. Radicem uero nigram, longam, rectam & lignosam. Inter surculos & folia, granula dura, læuia, & candida Margaritæ instar prosiliunt, numero quandoque terna, interim & plura, prout plures aut pauciores, præcesserunt flosculi. Atque hoc illius semen est, gustu dulce cum recens fuerit, mense Iulio legitur. Cæterum sesquicubitalem plerunq; attingit proceritatem. Nascitur autem in incultis agris, secus itinera, magna copia in tractu Rheni inter Basileam & Bingium luxurians.

2. *Syluestre Lithospermon.*

Syluestre huius ac plane asperum genus, in quibusdam hortis apud Mediomatrices reperi, folio, caule, flosculo & semine iam dicto per omnia simile,

Passerina.
Wilder Meerhirß.



mile, nisi quod semen profert, non adeo læue & glabrum, sed rugosum aliquãtulum, ad uulgarem Buglossam eatenus prope accedens. Semen huius similiter Iulio mense maturum conspicitur.

Aliud denique Lithospermi genus inter oppidum Altzeim / & montem tonitrui, post messem in agris frumentarijs deprehendi, unico eoque tenuissimo coliculo, dodrantali, folio Lini, semine inter folia nigro, læui, forma uulgari Lithospermo similimo, præditũ. 3. *Passerina.*

NOMENCLATVRAE.

Priorem herbam quæ meo iudicio recte der Weiß Steinbrech / hoc est, Saxifragum album diceretur. Germani Meer hirsen. Officinę Milium solis, Granum solis, Semen lapideũ, & lapidosum uocant, Dioscorides λιθόσπερμον, Ægonychon, Leontion, Leoninũ lapidem, Gorgonion, Tantalitin, Diospyron, Columbam, Gonoletam, & Heracliam appellat, quæ omnes *Diosco. lib. 3. cap. 149.* fere nomenclaturæ à seminis duritie, herbæ fuere inditæ. Sunt & qui Aëtonichon, hoc est, vnguem aquilinum dictam uelint. Serapioni cap. lxvij. semen, Kulb, herba uero, Astonchos dicitur. Phrisius in Synonimis suis inter

Milium solis.

Meerhirsen.



cæteras eius appellationes Hebræum, deinde & Chaldæum nomen recenset דוחן Dochan (quod alias Milium significat) & ארמיל Armel nuncupans.

Duo reliqua huius herbæ genera, una uoce Germanice Wilden Meerhirsen/dicere possumus, quorum prius ego Cacaliam Plinij, posterius uero, quod à quibusdam Lingua passerina uocitatur, Dyospyron Theophrasti esse existimo.

Plinius lib. 25. cap. 11.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Dioscorides Lithospermo suo nullas alias, quemadmodum supra quoque diximus tribuit facultates quam quod calculum uesicæ comminuat, perq; urinam educat. Hinc semen istud calidum & siccum esse colligimus. Omnia siquidem urinam cientia, Galeno lib. v. de simpl. medic. facult. capite xij. teste, calida & sicca sunt.

INTRINSECVS.

Semen in puluerem contritum, ac è uino potum, calculum uesicæ frangit, ac potenter expellit.


EXTRINSECVS.

Herba quoq; in solio calido decoqui potest, ad leniendum dolorem calculi.

culi. Sed & obseruandum est Lithospermon inter medicinas quas calculo adhibemus haudquaquam postremam, cumq́ expellente ui magna sit præditum prudenter & sobrie illo utendum.

De Filice arborea, & saxatili. CAP. CLXXXIIII.

Filix arborea. **Steinfarn.**



POSTEAQVAM igitur calculo destinatas herbas, earumq́ descriptiones & usum, absoluimus, consequenter deinceps ad Filices exponendas progrediemur, a minimis illarum generibus exorsi. Primum itaq́ duo Filicis exiguæ genera reperiuntur, non quidem forma, sed loco natali differentia, nam hoc ex arenosis saxis & rupibus prosilit, illud uero in ueterum & cæsorum roborum caudicibus nascitur, Folio utrunq́ Filici simili, multo tamen minore incisura diuisum, caule non altiore Polypodio, sed multo tenuiore. Cęterum non ubique locorũ duæ hæ plantæ inueniuntur, nec passim occurrunt, sed in altissimis montibus, quales sunt der Ydar / Hercinia sylua, Vuasgoia, & mons tonitrui. *Duo Filicis exigua genera.*

Reperitur porro alia quędam Filix, folio nudata, caulem proferens, digitum longum, multiplicem & copiosum, una e radice eaq́ca- *Filix nuda, seu saxatilis.*

Filix arborea.

Eichelfarn/Baumfarn.



pillata, sicut & Ruta muraria in cacumine binis uel ternis corniculis, aut si mauis incuruis quasi setis, quę purpureis aliquando notantur punctis, conspicuũ. Gustu, & odore cum Filice uulgari conuenit. Hoc genus Filicis e saxis quibusdam prodire uidi, in viculo Ernßweiler/ prope Bipontium sito, deinde & in sylua Bidiscensi non procul a Walßborn/ ubi sunt Thermæ, non quidem natura calidæ, nihilominus tamen salubres, si calefiant.

NOMENCLATVRAE.

Dioscorides primo fruticulo quẽ Germani Eichelfarn, & Baumfarn dicunt, proprium dicauit caput, in quo illũ uocat Dryopterim, eo quod cæsarum quercuum caudicibus plerunque proueniat. Alterũ cum natali tantum loco a præcedenti differat, Pterin & Pterion dici posset. Itaq; uterunq; ab illo eodem fere nomine appellatur, præterea & Nymphæam Pterin dici tradit.

Dĭosco. lib. 4. cap. 181. δρυοπτερίς.

Tertium Filicis genus, quod e saxis prorumpit, quodq; Germanice Steinfarn appellamus, Capilli veneris, seu Politrychi Apuleij genus esse existimamus, nempe eius quod ramusculos habet quasi seta porcina.

Apul. cap. 51.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Priores binæ plantulæ, nõ multis ut opinor cognitæ sunt. Ego temperatura uulgari Filici multicauli respondere puto.

Saxatilis autem Filix eiusdem cum Capillo veneris, pro quo usurpari posset, temperamenti est.

EXTRINSECVS.

Dioscorides Dryopterin Psilotrũ esse cum radicibus tritam scribit, illiniri enim primum usque dum sudorem euocet, mox sudorem ablui, & recens imponi.

Ego sane puto posse has herbulas pro Filice, cui gustu satis respondent, usurpari.

De Polypodio. Cap. CLXXXV.

POLYPODIVM FOLIA HABET NON PERINDE TEnui incisura, atq; Filix, eaq; singula singulis pediculis teretibus & tenuissimis subnixa, parte auersa fuluis & rotundis maculis notata, copiosa ac frequentia ex una & eadem radice, quæ ipsi est pilosa, serpens, rotunda, nodosa, instar corallij, & nigra. Derasa hæc intus coloris est herbacei, austera aliquantulum, & gustu subdulcis. Polypodium caule, semine & flore caret, quemadmodum & Ruta muraria, & Filix saxatilis. Nascitur in syluis, radice in muscosis petris serpente, necnon radicibus arborum, præsertim uero quercuum, & ornorum. Non raro autem in umbrosis & uliginosis uallibus, è musco iam memoratis arboribus adhærente, Polypodium prosilire uideas. Adde his quod eam radicem in Alsatia in capitibus antiquarum & cæduarum salicum affatim luxuriare uidi, gustu amariorem altera quæ syluatica censetur, qua & præstantiorem nonnulli iudicant.

NOMENCLATVRAE.

Polypodium Germani Engelsüß/nonnulli Steinfarn/hoc est Filicem saxatilem, sed perperam nuncupant, sicut & Trichomanes quidam ea uoce insigniunt, unde satis colligere licet, illos Filicem Saxatilem nunquam uidisse, ideoque nihil certi de illa statuere posse. Quidam inter Germanos Polypodium Dropffwurtz/à maculis quibus notatur, plus quam aliud quodcunque Filicis genus, nonnulli Süßwurtzel/ hoc est, Glycyrrizam syluestrem, à gustu denominant. Dioscorides [illegible], à similitudine Diosco. lib. 4. cap. 180.

nimirum

Polypodium.
Engelsüß.



nimirum & affinitate quam habet cum Scolopendrio, licet illo multo minus sit, Polyrrhizon hoc est, Multiradicem, Pterita, Filiculam, & Filicularē herbam uocatum prodidit, Serapioni cap. ccxlviij. Bisberg. Manlio uero Besgeg.

Cato Feliculam uocauit.

Besgeg. Auicennæ deniq; Desbers, & Budeig dicitur. Phrisius in suis Synonymis plura alia recenset nomina, quæ hic omittimus. Quis enim tot barbaras appellationes enumerare possit?

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Polypodium temperatura sicca est præditum, & modice calida. Radix eius purgandi uim obtinet, in hominibus & pecoribus bilem, & pituitam trahens. Hodie internis frequentius, quam externis adhibetur corporis partibus.

INTRINSECVS.

Radix Polypodij, maxime eius quod quercubus & salicibus adnascitur, cum gallina decocta, admixto semine Anisi, & gingibere, flauam & atram bilem, necnon & pituitam detrahit, si à ieiuno iusculum illud calidum bibatur.

Quidam cum Beta, alij cum Malua decoquunt Polypodium.

Alij nonnulli Cumini Romani, seu satiui Fœniculi, Anisi, semina cum radice Polypodij & Gingibere in minutas particulas conscisis, æquali pondere cum uetulo gallo gallinaceo decoquunt, posteaq; iusculum hoc colica passione laborantibus exhibent. Estq; decoctio hæc medicamentum certe perquam utilissimum torminibus uentris.

Radix Polypodij in puluerem redacta, drachmæ pondere ad minus, ex aqua mulsa pota, ita tamen ut post tribus aut quatuor horis ieiunes, ijsdem pollet uiribus, quibus & decoctio iam dicta.

Aqua distillata Polypodij ad febrim quartanam, tussim, astma, & pulmonis affectiones, aduersus melancoliam, & grauia & molesta somnia, aliquot dies continuos bibita facit.

Cum pestis inter sues grassatur, hæc radix in uino illis exhiberi potest, sic enim purgabuntur, & à pestifera lue conseruabuntur. Nam ita usurpari cōsueuit hodie, nulla alia proculdubio de causa, quam quod constet eam choleram trahere, quæ multum etiam suibus negotij facessit. Quanquam non ignorem, Serapioni, pituitam & melancoliam extrahere. In summa purgandi uim maximam habet, quemadmodum Cato de re rustica capite clviij. testatum reliquit.

EXTRINSECVS.

Radix Polypodij cum melle trita, aduersus rimas quæ inter digitos & pedes hiant, efficaciter illinitur.

De

De Filice maiore. Cap. CLXXXVI.

Filicis maioris primum genus.
Groß farn kraut.


1. Filix agrestis Vergil. Neglectis urenda Filix innascitur agris.



QVANQVAM FILIcis multa sint genera, quemadmodum antea quoque indicauimus, omnium tamē usitatissima Filix ea est, quę in arenosis agris prouenit, unico, purpureo, rotundo, longo & læui caule, quem multifida, lateribusque pinnata, & uiridia folia uestiunt. Radix huic longa, læuis, foris nigrans, longe lateque intra humum sese propagans, quo nomine magno est nocumento agricolis. Quemadmodum enim arundines in pratis herbæ & gramini impedimento sunt, ita Filices frumenta in agris remorantur, atque ita quidem, ut non facile extirpari queant. Quamobrē ad superstitiones quidam confugiunt, persuasi, si frumentarius ager, quem Filix obsedit, in die Ioannis Baptistæ sacro aratro uertatur, perituram Filicem, nec unquam eo in agro locum habituram. Theophrastus lib. ix. cap. viij. certiorem perdendi Filices rationem demonstrat, asserens id fieri

Filicis maioris alterum genus.

Der zweit groß Farn.



ri posse fimo, qui cum omnibus frumentis tum herbis gratissimus sit, soli Filici inimicus existat, ad eiusq; pernitiem spectet.

Altera maior Filix, quæ & forma & colore reliquas omnes antecellit, huic

2. *Filicis maioris alterum genus.*

huic fere consimilis est. Habet namque caules longos, uiri proceritatem attingentes, uirides plane, radicem crassam, nigram & pilosam, Folia in utroque caulis latere, pinnata, & incisuris distincta, instar foliorum Polypodij. Florem fert in uertice candidum, copiosum, Pycnocomo similem, qui circa festum Ioannis Baptistæ nullo post se relicto semine decidit. Raro equidem hoc Filicis genus reperitur, nec multis cognitum est. In Vuasgoiæ altissimis syluis, prope Circulum arcem Ducis Bipontini, prouenit. Atque has duas Filices quas hoc capite descripsimus, masculas, & maxima genera Filicum esse statuimus. Antequam uero ad nomenclaturas & uires Filicis transeamus, de semine eius nonihil dicendum erit. Tametsi namque omnes qui de herbis scripsere, Filicem neque florem, neque semen proferre asserant, tamen rem aliter se habere non semel ipse comperi, quod hoc loco in gratiam studiosorum herbariæ rei commemorandum duxi. Nam cum quaternis annis ex ordine in vigilia, ut uocant, festi Ioannis Baptistæ, noctu id semen indagare constituissem, inueni summo mane, antequam illucesceret, nigrum, exiguum, Papauerique haud absimile semen, quod ut colligi posset, expanderam prius sub Filicibus pannos, & Verbasci folia. Multæ autem Filices nullum semen reddebant, cum sub alijs uicissim singulis, centena liceret seminia legere. Cæterum id negotij, nullis characteribus, nullis coniurationibus, nullis preculis, nulla denique superstitione usus sum, sed citra huiusmodi Magicas uanitates semen hoc duobus aut tribus comitibus stipatus, igne per viciniam eam incenso, totaque nocte flagrante, quæsiui, quæsitumque nonnunquam inueni, aliquando non inueni, nunc multum, nunc parum colligens. Quare uero hæc diuersitas contingat, aut quid sibi in ea re natura uelit, mihi sane non constat.

Semen Filicis. Farn samen.

NOMENCLATVRAE.

Germani Filicem maiorem, Grossen Farn/ oder Farnkraut appellant. Dioscoridi πτέρις, & πτέριον dicitur. Alij ut idem autor scribit, Pterineon, alij Dasyclonon, alij Anasphoron, alij Blechnon, alij Polyrrhizon uocant, Magi Hermubain. Romani Filicem, alij Iaculam, alij Filis fanariam. Ægyptij Asini sanguinem. Nicandro in Theriaca Bletrum, seu Blethrus, Serapioni Sarax. Auicennæ, Childarum, uel Kildarum appellatur. Obseruandum hoc loco, subscripta nomina, Pteris scil. Pterion, Filix, Filicula, Polyrhizon, omnibus fere Filicũ generibus attribui. Mirari autẽ satis non possum, quo pacto Filiculæ appellatio, ad Catanancen, de qua Dioscorides lib. iiij. cap. cxxix. agit, peruenerit, ut uel hinc uidere sit, exemplaria Dioscoridis undique fere erroribus scatere, maxime quod ad nomenclationes attinet.

Diosco. lib. 4. cap. 178.

Serap. cap. 56.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Filices apud nos raro in medicina locum habent, quanquam enecandis latis uentris tineis conducant, natura sua siccæ temperaturæ.

INTRINSECVS.

Radix in puluerem redacta, ac pondere semunciæ ex aqua mulsa sumpta, latas tineas uentris excutit. Quod si Scammoneam aut Veratrum nigrum adieceris, eo efficacius euadet medicamentum. Sed qui sumunt allia prægustare debent.

Radix uino decocta ac per aliquot dies pota, laborantes lienis incremento recreat.

EXTRINSECVS.

Radix & potu & illitu cum axungia uulneribus sagitta arundinea est auxilio, nam impactas carni arundinis particulas extrahit.

Mirum & utilissimum experimentum.

Ad ambusta uel igne, uel feruida aqua aut oleo, singulari experimento radicis succus expressus facit, si ei miscueris aquam rosaceam, aquam è fimo vaccino, aut è flore tiliæ distillatam, uel si harum nulla suppetat fontanam, posteaq; percolaueris, tum enim lentus quidam succus ex his cõficietur, qui mirifice ambustis ubi reliqua omnia medicamenta negauerint auxilium, medebitur.

De Filice syluestri, seu uulgari. CAP. CLXXXVII.

VLGARIS ALTERA FILIX PASSIM IN VMBROsis, uliginosis, & arenosis uallibus, limitibus etiam quibusdam agrorum, & arenosis saxis, fœlicissime autem in syluis prouenit, radice compacta, pilosa, & inuicem contexta, cespitis instar, radicem Scolopendriæ referente, è qua Aprili mense multi exeunt asparagi, primo exortu inflexi, cano capillitio obducti, nõ aliter atq; Scolopendriæ primæ folia, atq; ĩj progressu temporis in magna tandem folia abeunt, instar reliquarum Filicum lateribus pinnata, pediculo purpureo & hirsuto suffulta. Cæterum incisuræ horum parte auersa Maio mense quamplurimis exiguis, rotundis, & excrementis bruchorum simillimis punctulis notantur, quæ cum maturuerint, ac nigra euaserint, id quod circa festum Ioannis fieri solet, prorsus decidunt, & à mulierculis quibusdam colliguntur, proq; Filicis

Filix uulgaris.
Waldtfarn.



semine deinceps uenditantur. Nolo enim recensere quas uanitates & superstitiones eiusmodi semine exerceant. Hoc genus Filicis saporem prae se fert subamarum, ac talem prorsus qualem glandes habent, quem neoterici medici Ponticum nominant.

NOMEN-

NOMENCLATVRAE.

Cum ista Filix plerunque in syluis, locisq́ saxosis moretur, à Germanis Waldtfarn/ à Dioscoride uero θηλύπτερις, Fœmella Filix, & Nymphæa Pteris dicitur. Diosco. lib. 4. cap. 179. De Nymphea suo loco dicetur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Hanc Filicem fœmellam esse tradunt, temperamentum pene idem, easdemq́ cum præcedenti facultates obtinentem.

INTRINSECVS.

Radix in puluerem redacta, & pondere iij drachmarum ex aqua mulsa latos lumbricos, ex uino uero sumpta, longas & teretes tineas pellit.

Radix isthæc mulieribus inimica, sterilitatem enim facit, conceptionem impedit, aliaq́ efficit, quæ honestatis gratia omittimus.

Quod si equus conciderit, nesciaturq́ qua ægritudine laboret, particula huius radicis, linguæ eius subijciatur, quo facto equus confestim utrinque deijciet recrementa, rursusq́ consurget, id quod ipse ita se habere comperi.

Folia Filicis tenera adhuc decocta & comesta, uentrem emolliunt.

EXTRINSECVS.

Radix in puluerem redacta humidis ulceribus, & cicatrici repugnantibus inspargitur. Pari ratione iumentis adhibetur.

Filices siccatæ, uice straminis asseruantur pro pecoribus, maxime in ijs locis, quæ à culta terra lōgius absunt, ut sunt pagi in Hercinia sylua, alijsq́ similibus siti.

Hæc fere habui, quæ de Filicibus dicerem, superest ut explicatis syluestribus nōnullis plantis ad hortos nostros, qui multis & elegantissimis scatent flosculis nos recipiamus. Sed antequam ad Scolopendriæ, nam de illa proximo capite agere statuimus, uaria deueniamus genera, uice coronidis de Filicibus quædam proferemus, non iniucunda cognitu. Primum itaq́ scribunt ueteres Filicem arundinis familiaritatem plane refugere, ita quidē ut perituram dicant Filicem, quam per ambitum sata copiosior arundo coronet, & contra euanescentem abituram arundinem, quam obsepiens multa Filix in orbem cinxerit: hoc est, quantum ego quidem intelligo, quemadmodum arundo nusquam lætius prouenit, nulloq́ alio genitali loco gaudet, quam fossis, uliginosis & humectis pratis ac campis, ita Filix syluis, rorulentis saxis, arenosis agris & limitibus inprimis gaudet, ita ut binæ Cornelius Celsus lib. 5.

hæ plantæ, ob diuersitatem natalis loci, simul habitare non possint. Deinde uero, quam contrarijs polleant uiribus, & quemadmodum altera alterā expellat, breuibus uerbis declarauit Plinius, cum lib. xxiiij. cap. xi. in hunc modum scribit.

Siquidem harundinis radix contrita et imposita, Filicis stirpem corpore extrahit, item harundinem Filicis radix. Hæc ille.

Postremo & hoc admiratione dignum censeo, quod Filicis maxime uero masculæ radix incisa, utraque in parte aquilam nigram duo habentem capita ex albo ostendit, quæ nihil aliud reipsa est, quam congeries uenarum quæ per uniuersam radicem sparsæ sunt. Quæ cum ita se habeant, non semel cum amicis deposui, me uno ductu seu una incisione insignia Imperatoris Romani posse depingere. Atq; hæc hactenus, nunc ad Scolopendriam accedamus.

De Scolopendria. *Cap.* CLXXXVIII.

1. *Vulgaris Scolopendria.*


VVLGARIS SCOLOPENDRIA SEV VT VOCANT Lingua ceruina, nullo ex semine sed sponte sua in umbrosis & uliginosis montibus, uallibusq;, necnon quibusdam fontibus, & humectis muris nascitur, præsertim uero in montanis Heluetiæ, & sylua ea quam vulgo den Westerwaldt nominant, e regione Mosellæ, & in ijs montibus qui ad Comitatum Valentię pertingunt. Quanquam hodie passim in hortis plantari consueuerit. Hęc si uires & odorem spectes, Filicis genus facile fuerit. Habet enim uillosam radicem, compactam, nigram & capillatam, non aliter atque postrema quam descripsimus Filix. Folia profert longa, linguæ aut lieni non dissimilia, lunæ corniculantis instar falcata, caule uidua, nisi quod fusca, rotunda & lanuginosa per folium procedens uena uicem illius obire uidetur. Singula folia parte auersa multis subluteis lineolis, quæ uermiculos repræsentant, notantur. Cæterum ea appetente Maio mense recurua & lanuginosa prodeunt primum, quemadmodum & Filix. Hanc Scolopendriam nonnunquam in fontibus & antiquis ac humectis muris, admodum exiguam inueni, ita ut digitum uix excederet, nec binis aut ternis plura haberet folia, quæ cum in hortos meos translata fuisset, maior deinde euasit.

2. *Asplenon syluestre.*

Alterum Scolopendrion seu Asplenon similiter in tenebrosis, & humidioribus syluis, uidelicet in sylua Hercinia, & ea quam den Ydar nominãt, Vuasgoia, & monte tonitrui inueni, radice præditum, nigra, uillosa, compacta, ac inuicem cespitis instar contexta, e qua supra sexaginta aliquando

folia,

Scolopendria uulgaris,
Hirtzzung.




folia, primo exortu linguæ ceruinæ modo recurua, postea cum se explicuerint, nõ tam lata quam illius, sed astrictiora apparent, utrinq; profundis, mediamq; uenã quę punicei est coloris, et uicẽ caulis tenet, attingentibus incisu

Asplenon syluestre.
Waldt Asplenon.



ris diuisa, nequaquam in altum erecta, sed humi procumbentia, uermemq; per omnia longum imitantia exeunt. Iunio mense appetente alia multa & longe angustiora prioribus folijs subnascuntur, Polypodij instar incisa, in altum

Scolopendria uera.
Das recht Scolopendrion.



altum sese attollentia, longissimis gallorũ gallinaceorum pennis simillima, altera sui parte exiguis & luteis punctulis notata, sicut & Polypodij, proinde uena ea quæ per mediũ folij transit, puniceí est coloris. Autumno accedente hæc quæ iam diximus folia, protinus pereunt, reliqua uero quæ subinde noua erumpunt, humi per totam hyemem illæsa procumbunt. Elegantissima sane planta, sed quæ non passim occurrit. Vbi tamen inuenitur, ibi magna copia prouenire solet.

Tertia, eademq; uera ac minima Scolopendria, quam Dominus Georgius Ollinger Norimbergensis ciuis, ad me è Norimberga misit, in asperrimis mõtibus è scissuris petrarum prosilit, non aliter atq; Ruta muraria, folio haud temere supra digitũ longo, incisuris ueluti Polypodiũ diuiso, sed breuiori, & angustiori, superne uiridi, inferne uero aspero, subluteo, ac puluerulento quasi, densique & frequenti. Nam ex unica nigra, uillosa, & capillata radice, quadraginta nonnunquam, interdum & pauciora, proueniunt. 3. *Vera Scolopendria.*

NOMENCLATVRAE.

De uulgari nostra Scolopendria, quam Germani Hirtzzung / hoc est, Linguam ceruinam, appellant, magna apud scriptores rei herbariæ controuersia uiget, quam qui cognoscere uolet, is Manardum, Nicolaum Leonicenum, & Cordum legat. Nos in præsentia quædam, quæ ad rem facere
Diosco. lib. 3. uidebuntur, in medium afferemus. Sunt ergo qui putent eã esse Asplenon
cap. 142. Dioscoridis, alij Hemionitim, alij Phyllitim, esse iudicant. Atq; horum quidem sententiam approbo, tam eorum qui Phyllitim, quam qui Hemionitim eam statuunt. Nam quemadmodum & in Dioscoride, & in alijs scriptoribus unam eandemq; plantam binis & diuersis capitibus & nominibus descriptam uidemus, unde non raro contentiones ortæ sunt inter doctos, ita dubium mihi non est Phyllitim & Hemionitim unam & eandem esse stir-
φυλλῖτις. pem, sed gemina appellatione appellatam, diuersisq; capitibus explicatam.
Diosco. lib. 3. Phyllitim Dioscorides φύλλιδα, ἄκαυλον, hoc est, caule uiduam, & λάπαθον ἄγριον,
cap. 112. Rumicem agrestem, & Pyrgitin a` turribus, quod ad radices earum nasca-
ἡμιωνῖτις. tur. Hemionitim uero & σπλήνιον, Splenion (quod si Germanice interpreteris
Dioscor. lib. 3. Miltzkraut significabit) uocari tradit. Splenij autem uox controuersiæ cu-
cap. 143. ius supra meminimus, occasionem dedit. Cum plerique sentiant uulgarem suam Scolopendriam, non tantum Splenion, sed & Scolopendrion uocandam, ita ut ad Asplenon siue Scolopendrion Dioscoridis referatur illa. Proinde in eo uersatur error, quod Splenion duarum plantarum commune nomen est, & isti sane non nisi unam illam & uulgarem Scolpendriam cognitam habent. Quod si hi inter Nymphas, in syluis inquam & montibus herbarum cognitionem consequi studuissent, dubium mihi non est, quin multæ controuersiæ, quæ in rem herbariam inciderunt, iamdudum sublatæ fuissent. Sed omissis his quid de memoratis plantis sentiamus tandem explicemus, nequaquam enim scriptis nostris alios offendere, sed ueritatem inuestigare propositum nobis est. Vulgata itaque nostra lingua Ceruina, Hemionitis, & Phyllitis Dioscoridis nobis creditur, ita ut ea bis ab autore ut in alijs quoque stirpibus non semel contigit, descripta uideatur, possetq; Splenetica & Lunata, Germanis Miltzkraut / seu Monkraut / a` foliorum forma appellari. Nicandro Petalites dicta. Huic nostræ sententiæ doctissimus uir Manardus Ferrariensis lib. xviij. epist iij. subscribit. Seplasiarij Serapionem secuti Scolopendriã uocant, necnon & Ceterach (tametsi Aspleno de quo statim dicemus, id nominis a`nonnullis tribuatur.) & herbam doratam, & Calcifragam, Spicantum, & Filicem petream. Atque hic uidere est, quam perniciosæ sint contentiones in his rebus, ut quæ errores nõ leues, rerumq; ipsarum obscurationem pariant, quanquam quod cuiq; maxime placuerit id sentire ipsi per nos liberum esto. Nos (ut pergamus) secun-
dam.

dam a` nobis in hoc capite descriptam herbam uerum Dioscoridis ἄσπληνον, quod ille & Scolopendrion, & Splenion, & Heminonium, Pterygo, Lonchitim, Aturion, Phrygiam, Phrygitim, Philtrodoten, Mustelæ sanguinem cognominari tradit, esse censemus. Equidem Lonchitis appellatio, quæ capite cliij. lib. iij. a` Dioscoride describitur, non male quadrat ad hoc nostrũ Asplenon, quod & Simoni Ianuensi, teste Manardo, olim cognitum, & Citrium appellatũ fuit. Iam ut Splenij uox Apuleio Cynoglossæ quoq; ascribitur, ita, eadem a` Plinio Hemionium insignitur, quod & Teucrium a` rege Teucro nuncupat, quo in loco hoc nostrum secundum Asplenon seu Scolopendrion intellexisse mihi uidetur.

Verum Scolopendrion, seu Asplenon.

Aspleni nomen apud Apul. & Callitricho, & Saxifragæ attribuitur, uide caput. 47. & 97. Apul. cap. 96. Plinius lib. 25. cap. 5.

Tertia Scolopendriæ species a` nobis posita, Filix petræa, Germanice Steinfarn/ non inepte dici posse, ac uerum Scolopendrion ueterum esse, ideoque ad caput cxliij. lib. iij. apud Dioscoridem referendum, arbitramur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Tres istæ Spleneticæ herbæ naturam habent siccam, et aliquantulum calidam, possuntq; utrinq; corpori adhiberi. Posteriorem tamen efficaciorem iudico, cæterisq; præferendam.

INTRINSECVS.

Herba uulgaris Scolopendriæ uino decocta & pota, serpentium morsibus aduersatur, quadrupedibus per os infusa auxilio sunt.

Prædicta decoctio potui datur calida, si dysenteria, aut resoluta aluus & diarrhoea exercet.

Folia aceto decocta, perq; dies aliquot pota lienem absumunt.

Alterius Scolopendrij uim hanc habent folia in aceto ferue facta, ut per dies quadraginta pota lienem absumant, quibus etiam contritis lienem ex uino illini oportet.

Hoc Scolopendrion siue syluestre Asplenon uino decoctum, & potum, morbo regio prodest, meatus iocinoris & lienis aperit, calculos renum & uesicæ pellit, febri quartanæ auxilio est, nam atram bilem discutit, sanguinẽ ex casu aut contusione concretum a` corde submouet, stranguriæq; medetur. Quæ hic recensuimus uulgatæ Scolopendriæ a` nonnullis ascribuntur. Quia uero experientia id nondum confirmauit, ideo præcipue ad Scolopendrion uerum quod tertio loco posuimus, pertinere uidentur.

Vtriusque Scolopendriæ, uulgatæ inquam & ueræ, aqua distillata pota, cor confortat, singultumq; sedat.

EXTRINSECVS.

Vtriusque Scolopendriæ aqua columellæ supra modum humectæ, gargarissatu prodest.

Eadem stupa Cannabina imposita ardorem epatis & stomachi extrahit, malignaq; ac aperta ulcera & uulnera collutu mundificat. Quidam (q̃d corollarij uice adijcere placuit) has herbas aut mane ante ortũ solis, aut uesperi antequam Luna appareat, colligunt, persuadẽtes sibi ipsis hac ratione uulsas efficaciores euadere.

De Musco terrestri, & Sauina syluestri.

CAP. CLXXXIX.

1. *Muscus terrestris.* ANTEQVAM AD HORTENSES STIRPES ACCEDAmus, expediemus nos prius à binis istis plantis syluestribus. Earum prior caule & semine caret, & nihil aliud est, quam siccus, & serpens quidam muscus, qui multifariam dilatatus tenuissimis quasi filis, quibus radicis uice utitur, petris adhærescit, seq; serpendo uulgari syluestri & saxatili musco admiscet, per omnia vermi admodum longo (nam interdum nouem cubitos lõgitudine ęquat) & hirsuto simillimus. Mense Iunio iulos non aliter atque Corylus emittit digitum longos & luteos, qui farina aspersi uidentur. Atq; hic illius flos esse uidetur, qui & protinus sine fructu decidit. Reperitur in syluis ac desertis, cuiusmodi sunt, Hercinia sylua, & ea quam den Odenwaldt/den Speßhart/den Westerwaldt/& Ydar appellant, item & in Vuasgoiæ plerisque locis. Virgines, & serta & cingula ex hoc musco conficiunt.


2. *Sauina syluestris* Cęterum in arenosis altissimorum nemorum locis dodrantalis nascitur herbula, æstate & hyeme uirens, per omnia Sauinã satiuam referens, odore omni destituta, gustu plane amara, quæ Musci terrestris instar luteos in cacumine fert iulos, qui & ipsi nullo post se relicto fructu, protinus pereunt.

NOMENCLATVRAE.

Germani uarijs nominibus priorem plantam donauere Beerlappen/ Teuffelsklawen/ Seil/ oder Gürtel kraut / Weinhcyl / Weingleych/ Harschar/& Gürtelkraut illam appellantes, Latine Muscus terrestris non male dicetur. Dioscorides lib. iiij. cap. xciiij. plantam quandam βρύον θαλάσσιον. Muscum marinum uocat, quod de corallio interpretatus est Manardus lib. xi. epist. iiij. Quoniam uero hic noster Muscus forma sua corallium imitatur,

Muscus terrestris.


Beerlap.



tur, ideo Muscum terrestrem in præstantia appellare uolui, alias enim cum nonnullis alijs herbarijs Soldanam, & Soldanellam appellare solebam, quam Serapio cap. lxv. Chalkile & Solabar uocat. Hic uero aliqui clama-

bunt

Sauina syluestris.
Wald Seuenbaum.



bunt Soldanam esse Brassicam marinam, quibus nequaquam repugnamus, quocunque tandem nomine illam uocare uoluerint. Neque enim de illa nunc agimus, sed de ea potius, qua hodie ad calculos utuntur, & restituendum uinũ.

Altera herbula quod ad formam attinet Sauina syluestris, seu sterilis, Germanice Waldtseuenbaum nuncupabitur.

VIRES AC TEMPEramentum.

Muscus terrestris siccam, Sauina syluestris calidam & siccam qualitatem obtinet.

INTRINSECVS.

Muscus terrestris uino decoctus ac potus, calculos comminuit & educit, experimento, ut plerique testantur, certissimo. Nonnulli etiam aquam ex eo distillant, ad eandem affectionem.

EXTRINSECVS.

Muscus terrestris contusus, aut in uino decoctus, dolorem & inflammationem sedandi uim obtinet, idcirco podagræ calidæ impositus prodest.

Muscus

Muscus terrestris uino pendulo impositus, intra paucos dies illud restituet. Tantum autem Musci accipiendum erit, quantum vas ipsum, siue paruum siue magnum postulare uidebitur. Hinc quidam apud Germanos Muscum terrestrem Weingrein nominant.

De Viola nigra seu purpurea. Cap. CXC.

SYLVIS AD HORTOS NOSTROS TANDEM ACCEdimus, in quibus odoratissima & speciosissima sese primum omnium offert uiola, quam purpuream seu nigram uocauere. Eius duo sunt genera, quorum alterum & præstantissimum quidem purpureo seu nigricante potius, interdum etiam, at rarissime, candido flore, simulq; odorato: alterum uero cœruleo, & inodoro flore conspicuum apparet, ideoq; syluestre hoc, illud satiuum censebitur. Folium utrique idem, rotundum nimirum, forma Asaro aut Chamæcisso, uel certe Hederæ respondēs. Hoc humi procumbit, sine caule, & sese non aliter atque Fragaria serpendo propagat. Violæ ipsæ nudis suffulciuntur pediculis, fila referentibus, digitum longis, singulis singulæ quinis ut plurimum distinctæ foliolis, quorū mediū pileolo quodam opertum uidetur, intrinsecus luteo puncto notatū. Folijs decidentibus capitula rotunda pisis similia, seminis quod cum milio conferri possit, plena relinquuntur. Violæ postquam defloruerunt duplici ratione repullulascunt, ex semine deciduo, deinde filis suis quæ Fragariæ instar, longe lateq; per terram extenduntur, qui fit ut ex uno fruticulo deni, aut duodeni alij procreentur, quos subinde alio transferre & plantare possis. Atque hac de causa non iniuria violæ inter Serpentarias herbas, & Hederas connumerari queant.

B

1. Viola odorata, purpureis, aliquando et candidis prædita foliolis.

2. Viola purpurea syluestris.

NOMENCLATVRAE.

Nobilissimi hi flosculi, qui Martio primum mense prosiliunt, nouumq; ver annunciant, Germanica lingua Violen/ & Mertzen violen. Latine violæ purpureæ seu nigræ dicuntur. Græci ἰον πορφυροῦν uocant, à virgine Io in Vaccam à Ioue conuersa, qua de causa latine fortasse Vitulina pro Viola appellari possit. Syluestris Viola, canina cognominatur, Germanice Hundts violen.

Viola Martia, quadragesimalis quibusdam.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Violæ frigidæ sunt & humidæ naturę, ardentibus febribus intro sumptæ, & foris impositæ quam utilissimæ.

INTRIN-

Viola Martia.
Mertzen violen.



Viola canina, seu syluestris.
Hundts violen.



INTRINSECVS.

E violis nigris seu purpureis, acetum, oleum, conseruæ ut uocant, Zulapia, & Serapia conficiuntur. Quibus Saccharum per uitæ rationes emere non

non licet, ij violas in aqua decoquant, & ad quasuis calidas affectiones adhibeant, præsertim uero pueris, qui morbo comitiali, & ardentibus febribus nõ raro infestantur. Quo pacto violas uero decoquere oporteat pauperes præcipue, quibus sumptus non suppetunt, docebimus. Accipiant ergo illi violas Martias cum adhuc odoratæ sunt & in flore, ac in cantarum iniectas, aqua feruenti super infusa per horas sex aut octo macerent: deinde expressis flosculis aquam eam rursus feruefactam alijs & recentibus violis super infundant, perq; sex aut octo horas violas ea aqua macerent, postea q; exprimant; quod cum ter aut quater prædicto ritu fecerint, aquæ toties violis super infusę & expressę Sacchari optimi tantũ admisceant, quantũ aquæ quantitas postulare uidebitur: & demum aquam cum Saccharo super carbones ardentes paulatim decoquant, donec spissetur mellis instar despumati: atque tũ decoctio illa ubi refrixerit, uitro angustiori & diligenter obturato ad usus conseruetur. Ista ratione Serapia è rosis alijsq; recentibus herbis & floribus confici possunt.

Serapium violarum, mensura duùm aut trium coclearium sumptum ardores febrium acutarũ tollit, laxam aluũ conseruat, emollit apostemata, roborat cor, pleuritidi medetur, breuiter omnibus calidis affectionibus summe conducit. Sunt qui Serapium violarum aqua fontana misceant, sitiq; restinguendæ exhibeant, quæ sane potio ægrotantibus non potest non grata esse.

Id quod in medio residet violæ luteum punctum, negligi non debet, sed diligenter asseruari, nam decoctum in aqua & potum Anginæ auxilio est, & comitialibus maxime in pueris, uti tradit Dioscorides.

EXTRINSECVS.

Violarum oleum, aqua distillata, & acetum, dolorem capitis sedandi uim habent illitu, necnon inflammationibus epatis foris impositu, opitulantur.

De Leucoij uarijs generibus. Cap. CXCI.

MVLTIS SANE FLORVM GENERIBVS, VIOLAE nomen communicatur, præsertim uero ijs, quæ forma sua ad violas Martias accedunt, cuiusmodi sunt Peruincæ, Herbæ trinitatis & Gamandreæ, alijq; id genus flores. Dioscorides lib. iij. cap. cxxix. Luteas violas inprimis commendat, quæ & ipsæ Germanis cognitæ esse cœperunt, *Viola lutea.*

Viola lutea.

Gäl violen.



cœperunt. Nam ubicunque plantatæ fuerint, ibi nullo negotio proueniunt, maxime uero in muris & antiquis ædificijs. Coloniæ certe passim in muris reperiuntur, nusquam autem maiori copia quam in muris cathedralis (ut uocant) Ecclesiæ, quo in loco è juncturis saxorum, procul dubio citra sationem & culturam, quod admiratione dignum censeo, prosiliunt. Frutex euadit arbusculæ comparandus, ramosis, folijs oblongis & angustis herbacei coloris uestitus, in cuius cacuminibus quamplurimæ erumpunt violæ, quadrifoliæ, nonnunquam & quinquefoliæ, odoratissimæ, idq; dum adhuc recentes fuerint, alias enim inodoratæ sunt, quæ cum deciderint siliquas post se relinquunt quincunciales, semine lato & luteo refertas. Floret bis in anno, nimirū vere appetente Maio mense, & Autumno appropinquante. Nonnunquam & per hyemem illæsi hi frutices perdurant.

2. Syluestres Violæ luteæ.

Syluestre huius genus, herba, caule, radice, & flore satiuo simile existit, nisi quod flores habet perexiguos, & prorsus inodoros. Nascitur inter cætera hortorum uicia, sed non ubique locorum.

Sunt

Viola purpurea, cœrulea, rosea, candida.

Braun/rot/leibfarb rc. Violaten.



Sunt uero & aliæ violæ quæ per hyemem quandoque florent, in quadragesima interdum incipientes, flore aliæ albo, aliæ roseo, nonnullæ rubro, quædam etiam purpureo conspicuæ, quod ad culturam attinet teneriores, nam has antequam hyemis frigora ingruant in figulina transplantare, cellisq; uinarijs alijsue calidioribus locis committere solemus. Hęc omnia violarum genera, caule, ramis, folijs, seminumq; receptaculis maiora sunt luteis, substantia teneriora, folijs latioribus, pallidioribusq;, & ad cinereum colorem magis accedentibus, ornata. Flores istorum recentes, admodũ odorati sunt. Primo anno cum è semine nati fuerint hi frutices florem non ferunt, sicut & luteæ violæ, sed altero demum. 3. *Violæ albæ, roseæ, rubræ.*

Rursus in hortis puellarum violæ aliæ primo anno ex semine exortæ florem ferunt, idq; Iunio & Iulio mensibus, aliæ album, aliæ roseum, nonnullæ rubrum, quædam purpureũ. Porro uniuersæ hæ violæ odoratæ, ijsdemq; folijs, caulibus, siliquis, & seminibus, superioribus violis prope consimilibus, sed magis exiguis, tenerioribus, & angustioribus præditæ sunt, frigoris impatientissimæ. 4. *Violæ diuersicolores, alsiosæ.*

Quamobrem ubi primum semen in siliquis suis maturuerit, prorsus pereunt ipsi frutices, ideoque antequam hyemis frigora adueniant, semen legere, posteaque verno tempore rursus terræ committere consentaneum est. Cæterum semen hoc terræ mandatum, non aliter atque Basilicon, binis folijs primum emergit.

NOMENCLATVRAE.

Quotquot de violis scripserunt, ij, omnes violas cuiuscunque sint coloris, uno nomine Leucoia nominant, unde Hippocrates ipse nigra Leucoia, hoc est, Martias violas quærere iubet. Cæterum Leucoij uox, nihil aliud significat, quam violam albam. Sed utcunque se hæc habeant, parum forte referret, quo nomine plantas appellaremus, modo de ipsis plantis certi essemus, cum & ipse Dioscorides, omnis generis violas Leucoia nuncupat, adijciens insuper alijs hoc violarum genus, Basilion, Latinis violam albã, aliquibus Augustiam, nonnullis violam matronalem, aut Passarinam, aut Polyphuram, dici. Hermolaus Barbarus testimonio fretus Columellæ, Ligustriam Romanis, hanc violam uocatam tradit. Serapio bina habet capita quæ an ambo ad has nostras pertineant violas, nunc definire nolo, quin in præsentia sub priori, hoc est, clxxvi. Herbam Trinitatis, de qua sequenti statim capite, sub posteriori uero, hoc est, ccx. in quo Keirici describitur, ista nostra Leucoia comprehendam. Diuersæ porro hæ violæ, à diuersitate colorum apud Germanos nomina sua sortitæ sunt,

Dioſco. lib.3. cap.129. λευκόϊον.

nam	luteæ albæ purpureæ roseæ rubræ	apud illos	gäl weiß braun leibfarb rot	Violaten / dicuntur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Inter omnia violarum genera, luteæ in medicina commendantur, calido fere temperamento præditæ, præsertim aridæ.

INTRINSECVS.

Viola lutea in uino decocta sicut & aqua distillata, uitijs epatis & renum apprime conducit, venerem stimulat, per diem bis pota, quatuor aut quinque coclearium mensura.

Semen eiusdem & succus, si è uino bibantur, non solum menses, sed & secun-

secundas & emortuos partus extrahunt. Neque debent exhiberi nisi summa in necessitate constitutis.

Flosculi recentes in aqua decocti, & poti, contra uuluæ inflammationes ualent.

Aquam violæ luteæ distillatam, per aliquot dies continuo usurpatam, omnia interna membra roborare, sanguinem & mentem exhilarare, dolorem sedare, & quietem inducere tradunt.

EXTRINSECUS.

Succus omnium violarum oculis inditus, purgat illos, omnesque maculas & caligines discutit.

Aqua distillata cum melle, oris ulcera sanat.

Radix luteę violæ aceto decocta & imposita, lienem & podagram sedat, teste Plinio.

De Herba Trinitatis. Cap. CXCII.

HERBA TRINITATIS DUUM QUOQUE EST GENERUM, alia enim satiua, alia syluestris dicitur. Satiua incolumis per hyemem in hortis interdum conseruari potest. Ea flores habet diuersicolores, inodoratos, singulos singulis pediculis nitentes, instar violę Martiæ, quinquefolios, quorum bina superiora folia plerunque plane purpureo sunt prędita colore, reliqua tria cœruleo. Non raro autem bina quæ purpureis coniunguntur foliola alba sunt, tertium luteum cernitur. Rursus tria illa quæ purpureis subsunt foliolis, quandoque cęsij existunt coloris. In horum omnium medio stella emicat lutea, quinis aut septenis nigris lineolis ueluti radijs quibusdam distincta. Folia huius plantę serrata uisuntur, Nasturtio aquatico tenero adhuc fere similia, aut Grossulari ut uulgo nominant, nigricantia. A flore capitula conclusa gerit, quæ cum maturuerint, rumpuntur protinus, atque tunc semen apparet exile aurei coloris, Chelidonio minus. Radix illius breuis, multoque capillitio fibrata. Floret per totam æstatem. 1. *Herba Trinitatis satiua.* *Florum Trinitatis tria genera.*

At syluestris quæ sponte in hortis & frumentis nascitur, uitium frugum & hortorum merito censebitur, satiuæ per omnia similis, nisi quod flosculos magis exiguos procreat, candidos & luteos, interdum etiam cœruleos, & luteos. Semen idem cum satiua habet. 2. *Herba Trinitatis syluestris.*

NOMENCLATURAE.

Quantum mihi quidem uidetur, hę ipsę violę, proculdubio eę sunt, quas

Herba Trinitatis.

Freissam / oder Dreifaltigkeit.



φλὸξ.
φλόγιον.
διὸς ἄνθος.
Sunt qui Rosam Marianam, Iouis florem, et Tageten (ut quidã uocant) Indicũ, Violam flammeam, seu Phlogion esse dicant, quæ sententia nõ usq; adeo mihi improbatur.

Columella Sarranas nominat, nec dubito quin per Flammeam & Phlogen, herbam Trinitatis intellexerit Plinius lib. xxi. ca. xi. ita ut Phlogion dicatur satiua, Phlox uero syluestris. Si quis uero Iouis flammã & Iouis florem hanc violã appellare uoluerit, cum eo non multum digladiarim. Ego sane ut & hoc addam, hanc plantam ad caput clxxvi. Serapionis refero, ubi Iesemin describitur, cuius Dioscorides lib. j. cap. lxviij. meminisse uidetur, cum docet Iasmini olei confectionem. Nostri herbarij & seplasiarij Herbam Trinitatis, & Iaceam, forte nõ sine errore, cum potius Iasme dicenda erat, nonnulli & violam Albeset, Germani Dreifaltigkeit / & qui Rheni tractum incolunt, Vnnütz sorg nuncupant.

VIRES AC TEMPE-*ramentum.*

Herba Trinitatis necnon flores eius, mediam obtinent temperaturam, internis corporis partibus medendis, quam externis usitatiores.

INTRINSECVS.

Aqua distillata puerorum inflammationibus, & torminibus uentris auxilio

auxilio esse quandoque pota traditur. Hodie apud mulieres in usu est.

Eadem (uti testantur pleriq;) pus in pulmone & thorace collectum purgat, si continuo bibatur, eaq; uinum misceatur.

Herba Trinitatis anginæ suum medetur.

EXTRINSECVS.

Virginum sertulis hæ & aliæ plæræq; violæ natæ sunt præcipue.

De Baptisecula. Cap. CXCIII.

BAPTISECVLA (VT VVLGO VOCANT) CINERAcea habet folia, angusta, & acuminata, quorum nonnulla auriculas binas obtinent, ueluti Saluia minor. Frutex est surculosus, multisq; ramis brachiatus, flore (quem in initijs Iunij mensis fert) alias candido, alias purpureo, alias cœruleo conspicuus, nonnunquam etiam cœruleo candidus interspersus color cernitur. Hi flores e calyce paruulo, rotundo, & squaroso prosiliunt, cumq; deciderint, uascula seu capitula illa, albo, & capillato semine referta relinquuntur. Posset hęc planta Scabiosæ generibus accenseri. Puellæ hodie in hortis hos flores plantant, præsertim uero niueos, purpureos, et mixtos, nam cœrulei passim in frumentis reperiuntur. *Baptisecula[...]ria genera.*

NOMENCLATVRAE.

Sunt qui & hunc florem Flammeam violam, Rosam Græcam, & Matronalem dictum uelint, quę appellationes partim ad herbam Trinitatis pertinere superiori docuimus capite. Hermolaus Barbarus Cyanum uocat, & Alysum in patria sua dici testatur. Nobis sane uidetur esse λυχνὶς στεφανωτικὴ Dioscoridis, quam ille Athanaton, hoc est, immortalem, Acylonium, Ballaryon, Gruis pedem, Corymbion, Taurion, Sceptrum, Maloion, Semeon Sanguinem Apocathemenes, Genicularem, & Ballariam, cognominat. Inter has uniuersas nomenclaturas nulla est, quæ aptius respondeat huic plantæ, quam Gruis pes. Folia namq; illius antequam excaulescat, pedibus auicularum admodum similes sunt, inprimis uero eius quæ in frumentis nascitur, quod & ea de causa recte Hieracopodium appellari posset. Vnde caput cvi. lib. iij. in quo Lychnis ἀγρία una cum subscriptis nominibus describitur (Tragonaton, Atocion, Hieracopodion, Lāpas, Semura, Apocathemenes taurus, Agrestē Intubū, & Seris, quę duo posteriora nomina a folio rū forma obtinet) syluestri Baptiseculæ (sic .n. a multis uocitatur) tribuo. *κύανος. Diosco. lib. 3. cap. 105. γερανοπόδιον. ἱερακοπόδιον.*

Baptisecula.
Kornblům.



Hermolaus Lychnida quandam describit, quam ait Venetijs in littore maris inuenire de qua, cum nobis hauddum uisa fuerit, nihil in præsentia statuere possumus. Germani hanc plantam à frumentis Kornblůmen uocant.

VIRES AC TEMPE- *ramentum.*

Lychnides coronariæ puerorum & puellarũ præcipue lusibus natæ sunt, tametsi in medicina suum quoque usum habeant, natura frigidæ.

INTRINSECVS.

Flos Baptiseculæ una cum semine uino decoctus, & potus contra araneorũ & scorpionum ictus auxiliatur.

Semen in puluerem redactum, ac pondere dimidiæ drachmæ sumptum bilem per aluum detrahit.

EXTRINSECVS.

Aquam Baptiseculæ distillatam rubẽtibus oculis, instillatu, inflammationibusq́ue oculorum præcipue, impositu linteolis in ea madefactis, prodesse nonnulli tradunt.

De Persica, seu Parthica uiola Barbari. CAP. CXCIIII.

Viola alba, Persica Hermolai Barbari.

Weiß winter Violen.



PUELLAE IN HORtulis suis aliud quoddã violæ niueæ genus plantare cõsueuerunt, quod hyemis frigora minime abhorret, flore partim candido, partim dilutæ purpureę, alio denique roseo, suauissimi odoris præditum. Huius flores, seu violæ reliquis Leucoÿ generibus forma sua similes sunt, sed in foliÿs manifesta deprehenditur differentia. Nam huius quam modo tractamus violæ folia in uiridi nigricãt, aspera tactu, forma Verbasci herbam ęmulantia, sed magis angusta & exigua. Postquam defloruit semen luteum in angustis, rotundis & oblongis siliquis reperitur, uti & in Brassica. 1. Viola alba Barbari.

Cęterum viola alia in dumetis, & agrorum limitibus quibusdam prouenit caule geniculato, instar Rosę Marianæ, quam Glidweich a' geniculis & articulis quibus medetur, nominant. Porro e' singulis geniculis bina folia acuminata prodeunt, Oliuæ similia, 2. Viola agrestis.

è regione inuicem opposita, inter quæ bina alia, sed longe minora spectantur. In cacumine caulis multæ rosei coloris violæ quadrifoliæ satisq; odoratæ emicant. Radix eius subpallida, hinc inde serpit intra humum.

NOMENCLATVRAE.

Viola hyemalis. Viola magna. Viola Persica, Parthica, Peregrina.

Priores violæ Germanica lingua Winter Violen / eo quod hyemem ferre possint, aut ad discrimen aliarum groß Violen appellari possunt. Hermolaus Barbarus cum in confectionem Iasmini unguenti commentaretur, Persicam, Parthicam, & Peregrinam uocauit. Quod si hæc viola radicem haberet nigram, & instar cornu duram, facile dixerim Æthiopida esse Dioscoridis, quam ille lib. iiij. cap. c. describit. Verum cum & in Ida monte Arcadiæ Æthiopis nascatur, tanquam peregrina planta, nihil statuere possum.

λευκόιον ἄγριον.

Syluestris viola ut dicatur, scire nondum potui. Ego ne nomine prorsus careret, agreste λευκόιον, Germanice Weiß acker viol nominaui. Videtur autem genus esse eius quam supra Glydweich Germanica uoce appellauimus cap. xl. nonnullis species Saponariæ seu Struthij putatur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Persicæ seu Parthicę violæ puellarum corollis inseruntur. Nec dum hodie constat quis earum in medicina sit usus.

Leucoion agreste calidum & siccũ est, uiribus luteæ violæ fere respondet. Hodie Chirurgi nonnulli ad emolliendos induratos articulos & neruos, herbam cum floribus & axungia contritam, calidam, uicibus iteratis imponunt.

De Consolida regia. *Cap.* CXCV.

SVPEREST PVRPVREA, SIMVLQVE ELEGANTISsima viola, quam uulgo Consolidam regalem uocant. Ea Iunio mense in frumentarijs agris nascitur, unico caule, uti & Cyanus, eoq; multis tenuissimis uirgis ac ramulis brachiato, folio admodum serrato, perq; omnia Nigellæ seu Melanthio simili, viola purpurea, Martiã ęmulante, nisi quod maior hæc est, & quod unum ex foliolis oblongum, acutũ, & concauum habet, modiceq; inflexum instar Lycoctoni, quod Germani Eisenhût uocant. Flore decidente semina in corniculata siliqua inclusa profert bina aut terna, rotunda, incana, exigua, Gith similia, commanducata gustum Erui repræsentantia.

NOMEN-

Consolida regia.
Ritter Sporn.



NOMENCLATVRAE.

Germani hanc violam Ritter sporen / hoc est, Calcar equitis, quod forma calcar referre uideatur, uocauere. Sunt qui Hyacinthum, sunt qui Vaccinium appellent, plerique Consolidam regalem nominant. Otho Brunfelsius suspicatus est hanc Ægylopa esse Dioscoridis. Cęterū Vaccinia posse has violas dici, purpureus color earum indicat, unde in Gallo Vergilij versiculus ille his suffragari uidetur, *Dioſco. lib. 4. cap. 134.*

Et nigræ Violæ sunt & Vaccinia nigra. & alias. *Vaccinia nigra leguntur.*

Non autem una & idē planta esse potest, Vacciniū inquam, & Hyacinthus, habet namq; hic Bulbosam radicem, illud uero longe aliam. Quare libens admittam ut Consolida regia, Vaccinij nomine insigniatur, Hyacinthus uero ueterum alia sit planta, de qua suo quoque dicemus loco, Ego, ut quod sentio ingenue fatear, Cosolidam regiam θάλικτρον Dioscoridis & Plinij esse existimo, quod alij ad Cotulam fœtidam referunt. Ruellius et Gesnerus Cuminum syluestre, maxime posterius *Dioſco. lib. 4. cap. 93. Plinius lib. 27. cap. 13. θάλικτρον, in quibusdam exemplaribus Thalictrum legitur. κύμινον ἄγριον Dioſcor. libro 3. cap. 62.*

huic Consolidæ attribuunt, Platearius censet eam esse quæ aqud Plinium Alectorolophos dicitur lib.xxvij.cap.v.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Flores Consolidæ regiæ sicut & aqua eius distillata, ad caliginem oculorum fere adhibentur. Tradunt etiam aquam quasuis inflammationes internas & externas iuuare potu, & impositu. Quod si illa Thalictron fuerit, uti mea fert sententia, certe testimonio Dioscoridis trita illitu, antiqua ulcera ad cicatricem perducit.

Sin Cuminum syluestre sit, quemadmodum quidam existimant, si uel e uino uel decoctum uino potetur, omnium serpentium morsibus præsidio est, calculosis & ijs qui urinę stillicidio uexantur, aut concretum sanguinem cum lotio reddunt, auxiliatur.

De Polygalo. *Cap.* CXCVI.

SVB INITIA IVNII CIRCA FESTVM PENTECOstes, in aridioribus quibusdam campis fruticulus reperitur dodrantalis, humi procumbens, cauliculis seu uirgis potius tenuibus & lignosis, folijs lenticulæ, sed longioribus, & magis acuminatis, ac solidioribus, planeq; Satureiæ similibus. In cacumine uirgarum seu coliculorum flosculi frequentes prosiliunt, forma & magnitudine ad flores Fumariæ accedentes, coloris diuersi. Nam alij sunt niuei, alij Bersilici, alij cœrulei conspiciuntur. Omnium uero generibus idem folium, idem caulis, eadem denique radix, nimirum lignosa. Flosculi hi non magnopere odorati sunt, decora potius elegantia arridere possunt hominibus. Semina in exiguis uulgis, lenticulaq; haud maioribus profert, quæ & aduersus iniuriam cœli, alis binis ijsq; pendulis munitæ sunt, qua in re mirabilis Dei Opt. Max. prouidentiam uidere est, cui etiam minima quæq; curæ sunt, ita quidem, ut non minus illa, quam uel nobilissimas creaturas defendat, tueaturq;.

Polygali tria genera

NOMENCLATVRAE.

Germani hanc plantam **Creützblůmen** uocant, quod eo tempore, quo Vexilla ecclesiastica hinc inde, prout Romana fert religio, circumferuntur, isti flores prodeant, quibus puellę ut eiusmodi festis ornatiores intersint, sese coronare solent. Alij nonnulli **Ramsel** nuncupant. Ego illam Polygalon Dioscoridis esse conijcio, maxime eam quæ candidos fert flores, nam quæ purpu

πολύγαλον Diosco. lib.4. cap.137. Plinius lib.27, cap. 12.

Polygalon.

Creütz blümlin/ oder Ramsel.



purpureo & coeruleo emicat, eam ad Glaucen refero, quam Plinius ab abundantia lactis quam facere ait Eugalacton nominat. γλαύξ. Diosco.lib.4. cap.136. Plin.li.27. ca.

VIRES AC TEMPE-
ramentum.

Et hi flores puellis praecipue dicati sunt, quanquam in medicina non contemnendi usus.

INTRINSECVS.

Glauce seu Polygalon uino decoctum & potum extincti lactis ubertatem reuocat. Veteres hos flores cum ordeacea farina, sale et oleo in sorbitione decoquebant, & ad praedicta usurpabant.


EXTRINSECVS.

Polygalon aduersus tumores & inflammationes tusum imponi potest. Eadem potest & aqua distillata.

De

De Lilio conuallio. Cap. CXCVII.

Meienblůmlin.



LILIVM CONVALlium, licet inter Nymphas locum natalem sibi delegerit, tamen nemini ignotum est. Aprili mense è tenui & fibrata, Lolioq; simili (nam quemadmodum illa, ita & hæc intra humum longe lateq; serpendo sese propagat) radice, germina noua uiridi colore prædita, asparagis haud dissimilia profiliũt, quę nihil aliud sunt, q̃ gemina folia, unico pediculo suffulta, quæ in initijs compacta ac complicata apparent. Vbi uero primũ ab se inuicem discedere folijsq; Lilij albi similia esse cœperint, tum è medio illorum pediculus triangularis figuræ, emergit, quinis aut senis ex ordine globulis magnitudine cicer arietinũ æquantibus, ornatus, qui Maio mẽse appetente panduntur in modum Cymbali, euaduntq; in flosculos niueos, rotundos, cauos, inferioreq; sui parte serratos, in medio uero internæ partis purpureo punctulo notatos, odoratissimos, gustu uero amaros. His pereuntibus Iulio mense appropinquante fructum profert rubrum, corallis rubris, aut fructui Asparagi non dissimilem.

NOMEN.

NOMENCLATVRAE.

Doctissimus piæ memoriæ uir Otho Brunfelsius Lilium conuallium Hemerocallida Dioscoridis esse putauit. Quia uero illa bulbosam radicem habere traditur, nõ uideo quo pacto Hemerocallis ad nostrum Lilium conuallium, quod serpentem hincinde habet radicem faciat. Germani Meienblümlin/hoc est, Maij flosculum; uulgus herbariorum, Lilium conuallium uocat. Ego hoc ipsum secundum Lilium Theophrasti/quod vere duntaxat apparere tradit, cum dicit, Vere nonnunquam cum Leucoio, hoc est, Viola alba, aut paulo post Lilium exit. Quæ sane uerba de Lilio albo (cuius suo quoque loco mentionem faciemus) intelligi non possunt. Quanquam quod semper addimus nihil affirmamus, sed nostram sententiam doctioribus dijudicandam proponimus. Sunt qui Lilium conuallium Ephemeron esse statuant, quod nobis plane probari non potest, cum nihil sit in descriptione Ephemeri, quod huic nostro Lilio conuenire uideatur. *Dioscor. lib. 3. cap. 128.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Lilij conuallij flores dum adhuc genuinum odorem spirant magni usus existunt. Ex illis etenim aqua distillatur, quæ ad uarias affectiones adhiberi solet. Cæterum gustu animaduertitur flosculos hos calida qualitate præditos esse.

INTRINSECVS.

Flores Lilij conuallij uino generoso & forti macerati, ac aliquoties distillati, loquelam amissam restituunt, syncopa correptis auxilio sunt, tormina sedant, ueneno aduersantur, cor & cerebrum roborant, attonitos et phreneticos mentis compotes reddunt, mensura coclearis poti.

EXTRINSECVS.

Aqua Lilij conuallij oculorum inflammationibus apprime conducit imposita.

Eadem capiti inprimis utilis, nam amissam memoriam recuperandi, uim obtinet, multis modis salubris & experita aqua.

De Garyophyllea. Cap. CXCVIII.

GARYOPHYLLEAE VARIA SVNT GENERA. ALIA enim syluestris, alia altilis, de qua primo agemus loco, censetur. 1. *Garyophyllea altilis.*

Rursus

Garyophyllea.

Graßblům.



Rurſus quædam ſimplici foliorum in floribus ordine contenta eſt, alia multiplici prædita. Iam uix in omni genere ſtirpium ullam exiſtere arbitror, quæ tanta colorum uarietate flores ſuos commendet, atq; altilis Garyophyllea.

Superba.

Nütwillen.



phyllea. Alij namque niuei prorsus existunt, alij diluta purpura ex candido emicant, alij cocco rutilãt, alij uersicolore uariãt commistu, idq; non una sed uaria ratione. Inuenias siquidem in quibus candidus et cocceus color ita misceatur, ut in alio candida, in alio uero rubra foliola numero superiora euadant. Quid? quod nonnullos uideas ita candidos, ut interim minutissimis rubris punctulis, contra qui rubent lacteis notis aspersi uideantur. Postremo ex uno & eodem caule non raro duo florũ genera quod ad colorem attinet, hoc est, partim cãdidi rubrisq; maculis notati, partim uero coccei, prosiliunt, & quod mirum magis uideri possit, sæpe uno pediculo diuersicolores flores suffultos deprehendas, quod ipse non semel uidi. Omnibus eadem folia, nimirum allij pene teneri, at breuiora, magisq; exigua, cineracea. Quanq; illius quæ candidos fert flores, herba plerunque grandior existit, quam eius quæ coccineum profert florem. Caules illis teretes, nodosi, cubitales, in quorum fastigijs longiusculis spectantur calyces, quibus Iunio mensibus hiscentibus paulatim diuersa apparent florũ genera, simplicia scilicet, multiplicia, candida, rosea, coccinea, nigricantia,

Garyophyllea ſylueſtris.
Sonder Negelin.



gricantia,uermiculata, di- uerſoq; colore uariegata. Si flores non decerpantur Autumno apperēte, in his calycibus nigrum & la- tum ſemen cæpe ſimile reperitur, unde Garyohyl- lea repullulaſcit, ſed demū̃ tertio anno flore cōſpicua. Hæc hyemis præſertim du rioris impatientiſſima eſt, qua de cauſa in figulinis vi narijs cellis committi,ibiq; a` frigoris iniuria a` puellis conſeruari conſueuit.In flo ribus Garyophylleæ cuius herba,caules & radices,in- odoræ prorſus exiſtunt, ue luti & alia graminis gene- ra,hoc unum deſiderari ui- detur,quod non niſi recen- tes et uirides odorem ſuum gratiſſimum ſpirant. Et hæc quidem de satiua, quæ & paſſim cognita eſt, dicta ſint,nunc de ea quoque diſ- ſeramus quam Superbam nominant.Hæc,herba, cau le,calycibus & flore longe inferior eſt altili.Florem ha bet ſimplicem, odoratum, ex candido leuiter purpure um, cuius foliola ſingula ſerraturis profundis inciſa ſunt illi quam Germani Gauchblūm uocant (cuius ſupra cap.cxxxiiij.meminimus) ſimilima. In hortis qui illam quoq; hodie receperunt nullo negotio prouenit,raroq; hyæmis frigoribus læditur. Na- ſcitur & ſponte in quibuſdam incultorum agrorū̃ & uinearum limitibus,

2. Superba.

præſertim

præsertim uero in tractu Rheni in mõtibus ijs, qui è regione oppidorũ quę uulgo uocãt die Newenstatt/ & Diedeßheym siti sunt. Radix illi capillata, è qua quotannis noua germina iuxta caules florentes prorumpunt, quæ & ipsa sequenti anno suos ferunt flores.

Garyophyllea uero syluestris in syluis cæduis, deinde & arenosis aridis & incultis campis cuiusmodi sunt Vuasgoiæ & Bidiscenses, gignitur, flosculis, radiculis, colyculis, calycibus, Garyophylleæ, sed longe minutissimis. Caules enim habet teretes, nudos, tenuiores quàm scirpis, in quorum uertice seni aut octeni interdum nascuntur flosculi, rubore nigricante quasi, nonnunquam & dilucidiore tincti. Caules quandoque cubitales euadunt, quo uero prouceriores extiterint, eo exiliores apparebunt flores, quibus pereuntibus, semen in oblongis purpureis Papauerique similibus uasculis inclusum reperitur. 3. *Garyophyllea. syluestris.*

NOMENCLATVRAE.

Nullum ex his Garyophylleæ generibus meo iudicio ad Betonicam pertinet, id quod cuiuis animaduertere licet, qui utrasque uiderit. Sed parum sum sollicitus, quo quisque nomine plantas suas appellauerit. Ego prius genus Garyophylleam & Narcissum Germanicum uocabo, quoad certiora alij docuerint. Germani Graßblůmen/ & Negelin/ ab odore Garyophyllorum nominant.

Alteram Můtwillen dicunt, Latinis uulgo Superbam nuncupatam.

Posterius genus, hoc est Garyophylleam syluestrem, seu campestrem, Germani Wild negelin blůmen/ Feld negelin/ Heiden blůmlin uocant. Officinę in lumine suo Garyophylleam, Herbam Tunicam nuncupant, quod nominis Veronicæ herbæ alias tribuunt, ut uel hinc appareat nihil illas fere certi in cognitione stirpium habere.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Garyophylleæ flores diuitum deliciæ sunt, non solum forma grati, sed & odore suauissimi, ad multa utiles, temperatura media præditi.

INTRINSECVS.

Sunt qui ex floribus Garyophylleæ conseruas ut uocant conficiant, quemadmodum & Rosæ, Buglossa, & Violæ Saccharo condiri consueuerunt. Eiusmodi confectio imbecillitati cordis præsertim in ardentibus febribus apprime conducit.

Alij aceto imponunt flores Garyophylleæ rubros, quod iucundo odore commendant. Hoc acetum doloribus capitis olfactu & illitu tēporibus, opitulatur.

Flores Garyophylleæ campestris qui natura cæteris calidiores existunt, distillantur. Ea aqua singulari experimento ad pellendum calculum mensura duum aut trium cochlearium bibitur.

De Circæa. Cap. CXCIX.

PVELLAE ALIVM QVENDAM PRAETER COMMEmorata florum genera in figulinis & hortulis suis florē plantare consueuerunt, quē q̃d nihil illo gratius aspectu cernatur Tausentschon/& Floromoꝛ lingua germanica uocant. Atque is perpetuo uirere uidetur, non aliter atque Amaranthus luteus, quo nomine à puellis ad hyemales corollas reseruatur, reliquis enim omnibus pereuntibus purpurea hæc spica virgines coronat. Cæterum planta ipsa quæ hos fert flores alsiosa est, hyemis impatiens, quotannis enim è semine suo repullulascit. Iulio men se in caulem teretem, pinguem, purpureum, surculosum, folijs Strychno & uulgari etiam Solano similibus uestitum exit. Florem profert purpura saturata tinctum, spiceum ad Ligustrum cuius lib. iij. cap. xxvij. nostrorū commentariorum historiam habes, accedentem forma. Semine dum floret, nigro, læui, exiguis quasi corniculis incluso, aliquanto minori Portulaca, per omnia uero agrestis Atriplicis semen referente prægnat. Radix illi candida, recta, quandoq; & fibrata, inodora, sicut & tota planta. Sapor idem qui & cæteris culinarijs herbis.

NOMENCLATVRAE.


Quanquam hodie plantę huius nomen nobis minime cognitum sit, adduci tamen non possum, ut credam ueteres eius nullam fecisse mentionem. Ego sane posteaquam diu multumq; de nomine ipsius cogitassem, tandem super ea re Circen consului, quæ respondit Circæam, aut ut alij uocant Dircæam, in ueterum scriptis inuestigandam. Sumpsi itaq; Dioscoridem in manus, qui de Circæa lib. iij. cap. cxxv. ita scripsit.

„ Circæa, quam & Dircæam aliqui uocant, folijs est hortensis
„ Solani, agnatis crebris: flore nigro, pusillo, copioso, semine Milij,
„ nascente in quibusdam ueluti corniculis: dodrantali radice, triplici
„ ferme aut quadruplici, candida, odorata, excalfaciente. Nascitur
„ in apricis, saxis, & uento perflatis. Radicis tusæ pondo quatuor, in

sextarijs

Circæa.

Hausentschon.



sextarijs tribus uini dul « cis, per diem & noctem « macerantur, potuq́; tri- « duo uuluas expurgant. « Semen in sorbitioni- « bus datum, lacte mam- « mas nutricum explet. «

Hactenus Dioscorides, postquem ad Plinium me conuerti, qui naturalis historiæ libro xxvij. capite octauo ita scriptũ reliquit.

Circæa Strichno sati- « uo similis est, flore ni- « gro, pusillo, paruo semi « ne ut Milij, nascente in « quibusdam corniculis, « radice semipedali, tri- « plici ferme aut quadru « plici, alba, odorata, gu- « stus calidi. Nascitur in « apricis saxis. Diluitur « in uino, bibiturq́; ad do « lorem uuluæ, & uitia. « Macerari oportet in « sextarij tribus quadran « tem radicis tusæ, noctẽ « & diem. Trahit eadem « potio & secundas, semi « ne lac minuitur, in uino « aut aqua mulsa poto. «

Hæc ille. Vbi primum ergo scripta duorum perlegissem, uidebatur mihi hanc plantam non inepte ad Circæam referri posse, nisi quod radix non usq; adeo quadrabat, in illa namque nullum singularem odorem deprehendere licuit. Nihilominus

Κιρκαία. tamen Circæam illam appellare placuit quoad alij certiora proferant. Neque Theophrastus lib. vi. cap. ultimo de hist. plant hanc præterijsse uidetur, tametsi ubi inter violas ipsius nascatur mihi incognitum sit. Arbitrabar olim Vitifloram esse. Quisquis Amaranthi genus esse dixerit, cum eo non magnopere digladiabor, habeo enim & ego meum Amaranthum.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Flores, folia, & radices huius plantæ ad sicciorem accedunt temperaturam. Hodie in corollis puellarum texendis duntaxat usurpantur. Tametsi enim ad medicamenta non sit inutilis Circæa, tamen propter ignotum nomen, ignotus quoque in medicina usus illius existit.

INTRINSECVS.

Quod si Circæa sit quemadmodum conijcimus, ad ea efficax erit, quæ ex uerbis Dioscoridis recensuimus, sin minus, quid possit, ignorare nos fateri oportet.

EXTRINSECVS.

Ruellius de natu. stir. lib. 2. ca. 120. Mirum cum defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hybernas coronas nectit. Qua doteiam in fictilibus seritur, ut ab Augusto floreat in Octobrem, quo tempore gestit frequenter carpi. Collectum & furni tepore siccatum, puellæ ad coronarios hyemis usus recondunt.

De Pæonia. Cap. CC.

SI IN DIEBVS VITAE NOSTRAE VEL SEMEL PAEONEM illum antiquum artis medicinę peritissimum audire nobis contigisset, certiora forsan de rosa Pęonia scribere possemus. Sed utcunq; hæc quidem sese habeant, conabimur nihilominus quædam non prorsus inutilia de illa proferre in medium. Nam in Germania nostra uix elegantiorem reperias rosam, ipsa Pæonia. Eius duo apud nostros Mediomatrices genera reperiuntur, adeo consimilia, ut discerni uix possint, nisi accurata adhibita diligentia. Vtraque radicem habet longā, torosam, nodis glandi similibus, & crebris distinctam, quæ quo antiquior euaserit, eo nodosior magisq; glandosa efficitur. Nam primaria radix nisi lædatur alios quotannis gignit ocellos, e`quibus noui subinde fruticant stolones, ita ut in processu temporis pluribus illa nodis augeatur. Verno tempore accedente

quæq;

Pæonia.

Peonien Rosen.



quæq; radicula primariæ ut diximus agnata rubentes suos asparagos emit-tit, qui Aprili mense in caules attolluntur, totidem sane, quot discriminibus radix ipsa diuisa fuerit, cosq; cubitaels. Folia quæ Xerampelino in initijs

Vulgaris pæoniæ descriptio. 2.

colore tincta fuerant, paulatim in uiridem abeunt, tandemq́ cineracei apparent. Forma iuglandis herbam recens natam Dioscoridi, mihi uero Veratri nigri potius præ se ferentia. In fastigijs caulium capitula rotũda instar exigui mali Persici protuberant, eaq́ mense Maio appetente rumpuntur, tumq́ protinus rosa rubra, satis lata, staminibus luteis ueluti Rosæ syluestres rubræ, conspiciendam se præbet. Hic flos ubi post triduum aut quadriduum folia sua excusserit, in medio sui tres aut quatuor hirtos crassosq́ folliculos mox resupinandos inuicem coniunctos, Amygdalis similes ostẽdit, qui si illæsi Augustum mensem attigerint, fatiscunt, conspiciturq́ intus semen purpureum, magnitudine pisi, oblongum, intus candidum, quod orbiculorum precatoriorum more corda colligere, auroq́ & argento includere solemus.

2. *Pæoniæ nobilioris historia.*

Elegantior uero, simulq́ odoratior ea est, quæ primo exortu herbam & caulem, floremq́ admodum rubentes fundit, quæ omnia etiam in hac maiora sunt, quam in uulgari, cuius rosæ diluti ruboris apparent, & folia caulesq́ cito in uiridem uergunt colorem, nec tam profundis incisuris cum primum è terra proruperint, diuiduntur, quod discerniculum doctissimum Marcellum obseruasse puto, cum scribit utramq́ Pæoniam sibi uisam. In nostris regionibus non nisi sata proueniunt bina hæc Pæoniæ genera, nostris procul dubio Germanis non ita pridem cognita, nam posterior hodie etiamnum satis peregrina existit, quam præstantissimus uir Dominus Georgius Ollingerus è Norimberga amoris ergo superioribus annis ad me transmisit.

NOMENCLATVRAE.

Germani Peonien rosen/ Benedicten rosen/ Pfingst rosen/ Künigsblůmen/ Gichtwurtz. Latini Pæoniam & Hastam regiam nuncupant. Atq́ hãc ego fœminam Pæoniam Dioscoridis esse existimo, quam ille lib. iij. capite cxlviij. sequentibus nomenclaturis describit. Tradit enim illã Glycysidem, Pentoboton, Orobelion, Orobaca, Hæmagogon, Pæsæden, Monogenion, Menion, Pæonion, Panthiceraton, Ideos dactylos, Aglaophotin, Theodonion, Selenion, Selenogonon, Phthisin. Romanis postremo Castã cognominari. Quibus addit Apuleius cap. lxiiij. Dichomenion, Gludim, & Rosam fatuinam. Et hæc quidem de Pæonia fœmina dicta sunt: nunc & masculam Pæoniam inuestigemus. Hic uero tristes illi ac malesani lemures, Fauníq́ qui ludibrijs suis homines uexare ac oculos perstringere solent, timendi mihi rursus sunt, si à sententia ipsorum discessero, qua radicem illam candidã, quæ in altissimis montibus magno negotio effoditur, folijs recenti iuglandi, aut ut supra diximus cap. vij. Fraxino, uel potius Glycyrrhizæ similibus, pro Dictamno uenditant. Aduersus hos Pæonia mea munitus, auda-

ctev

cter pronuncio eam non esse Dictamnum, sed potius ipsissimam masculã omnium ueterum scriptorum Pæoniam, quæ in montibus tanta difficulta te effoditur, nullam sane aliam ob causam, quam quod illa intra scissuras sa xorum se abdit. Hinc proculdubio ueteres agyrtarum & Rizotomorum imposturis decepti crediderunt uana superstitione Pæoniam interdiu effo- di non posse, quia Picus Martius facere in oculos impetum dicatur, ideoq; noctu colligendam radicem. Pari impostura mortalibus hactenus illusum fuit, ut sentirent eum oportere fortissimũ esse periculorum contemptorem, Satanamq; coercere posse, qui Filicis semen colligere uelit. Quæ quidem omnia astu Satanæ ipsiusq; membrorum, qui diuinam herbarum cognitio nem & usum hominibus inuidẽt, excogitata fuere, ne scilicet homines ipsi has herbas suo tempore colligerent, usuiq; reponerent, & ne hoc pacto aua ritiæ & imposturis circumforaneorum nebulonum male consuleretur. Vt autem tandem ab his nos absoluamus, sciat optimus lector, eam radicem quam Rizotomi & Seplasiarij, pro Dictamno uenditant, Dictamnum nõ esse, sed potius Pæoniam siue Pioniam ueram, id quod quidquid alij dicant affirmare non dubito. Neque etiam curo insulsam illam sciolorum quorun dam distinctĕion, qui Pæoniam, uulgarem illam Germanis Benedicten ro sen uocatam, Pioniam uero Lapathum Germanis Mengelwurtz esse statu- unt, tametsi apud Dioscoridem Chelidonio quoque Pæoniæ nomenclatu ra tribuatur. Pæonia Serapioni cap. lxi. & Auicennæ lib. ij. cap. 562. Feo- nia. Auerrhoi Rosa asinorum, quibusdam alijs Harabdes, Pinuser, & A- glaphrois dicitur. De illa Manlius super confect. Epilent. Auicenna canone v. & Ioannes Arculanus cap. de Melancolia egerunt.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtraque Pæonia ad uarias utrinq; corporis affectiones, unicę facit, plan ta nunquam satis laudata.

INTRINSECVS.

Radix Pæoniæ rubrę siccata & in puluerem redacta, fœminis à partu nõ purgatis datur, in uino magnitudine Amygdali. Hoc medicamento pur- gantur mulieres, menses cientur, calculi renum & uesicę pelluntur, morbo regio succurritur, uentrisq; doloribus, aluum sistit radix uino decocta, perq; dies aliquot pota.

Grana Pæoniæ duodecim tusa & pota rubentes menses sistunt, eructatio nes & uomitiones coercent, pueris initia calculorum eximunt.

Grana Pæoniæ quindecim numero trita eq; uino exhibita, fœminas rur- sus excitat, quæ aliquando propter uuluæ strangulationes & matricis do- lores quasi mortuæ concidunt.

Aqua è radicibus & floribus distillata, cor roborat, pueris comitiali morbo laborantibus auxilio est, interdum mensura duum aut trium coclearium pota.

Candida Pæonia quam nostri pro Dictamno uenditant, ijsdem pollet uiribus, uenenis omnibus aduersatur.

EXTRINSECVS.

Radices & grana Pæoniæ aduersus lemurum & Faunorum ludibria, inprimis uero contra morbum comitialem è collo suspendi debent, quod Galenus primus animaduertit, quod & multi comprobarunt, & ipse non semel salutare esse expertus sum.

Atq; hic esto nostrorum de stirpibus maxime Germaniæ nostræ cognitis, commentariorum libri primi finis, quem una cum sequentibus duobus iudicio candidi lectoris subiectum esse uolumus. Domino Deo optimo Maximo soli in perpetuum sit gloria.

AMEN.

):(

HIERONYMI TRAGI DE STIRPIBVS COMMENT. LIB. I. FINIS.

HIERONYMI TRAGI DE STIRPIVM, MAXIME EARVM, QVAE IN GERMANIA NOSTRA nascuntur, usitatis nomenclaturis, proprijsq́ue differentijs, necnon temperaturis ac facultatibus commentariorum Liber Secundus, Interprete Dauide Kybero Argentinensi.

):(

De Trifolio pratensi. Cap. I.



RIFOLIVM PRATENSE, INTER OMNIA TRIfoliorum genera, quæ sane multa sunt, non solum forma, sed & usu notissimum uulgo habetur; nam pabulis pecorum accommodatissimum est. Eius duo existunt genera, colore duntaxat florum, & magnitudine differentia: hoc enim album, illud purpureum fert florem, hoc maius illud exiguum censetur. Maius itaque è capillata radice, teretes, iunceosq́ue emittit coliculos, cubitales interdum, adnascente circa eos propagine. Folia in singulis germinibus terna habet, florē in cacumine mediarum uirgarum purpureum, rotundum, Stœchadi pene consimilem. Iulio mense appetente cum flos emarcuerit, semen in uasculis aceruatim coactis, reperitur, gustu Orobo fere respondens. Trifolij pratensis quotannis Aprili mense complicata exeunt folia, eaq́ue terna unico pediculo suffulta, quanquam non raro quaterna aut quina appareant. Ego sane non sine magna admiratione uidi pratense Trifolium, quod sena protulerat folia. Sed sunt hæc naturæ miracula, quæ sæpenumero etiam in uulgatissimis plantis animaduertuntur. Nam & hoc nostrum Trifolium, sicut aliæ plæræq́ue plantæ, præsagia tempestatum habet, inhorrescit enim & subrigitur contra eas.

1. Trifolium pratense, purpureũ, siue maius.

Miraculum naturæ.


Exiguum pratensis trifolij genus, præcedenti per omnia est simile, nisi q̄d candidum profert florem.

2. Trifolij pratensis alterum genus.

NOMENCLATVRAE.

Trifolij nomenclatura apud Latinos multis plantis familiaris est, sicut & uox Germanica Klee/nam quæcunque herba ternis in germinationibus gaudet folijs, ea Latinis Trifolium, Germanis Klee dicitur, qui fit ut multa

Trifolium pratense.
Wysenklee/ Fleischblůmen.



Diosco. lib. 3. cap. 114. Idem lib. 4. cap. 108.

& uaria passim reperiantur Trifolij genera. Cæterum apud doctos nondum constat quo nomine uulgare hoc & pratense Trifolium apud ueteres appellatũ fuerit. Sunt enim qui τρίφυλλον Dioscoridis esse statuant, nec desunt qui Cytisum interpretentur. Verum utraque repudianda est sententia. Tametsi enim Trifolio pratensi Dioscorides propriũ caput non dicauerit, nullã aliã forte ob causam, quam quod notissima ubique terrarum sit planta, tamẽ lib. iiij. cap. cvij. sub Loto syluestri mentionem illius facit, cum scribit Lotum syluestrem habere φύλλα ὅμοια λωτῷ τριφύλλῳ τῷ ἐν χερτονοπεδίοις γινομένῳ, hoc est, folijs esse præditam Trifolij pratensis. Nos itaque una cum Dioscoride hoc Trifolij genus, pratense nuncupabimus. Germanis Wysenklee/ alij Braunfleischblůmen/ hoc est, purpureum Trifolium pratense, & Weißfleischblůmen/ hoc est Trifolium pratense candidum.

τρίφυλλον τὸ ἐν χερτονοπεδίοις γινόμενον.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Trifolium pratense in medicina non contemnendi est usus, siquidem

utrinque

utrinque usurpatum, emolliendi uim obtinet. Flos maturus, & semen inprimis commendantur.

INTRINSECVS.

Flores Trifolij pratensis cum semine aqua mulsa aut uino decocti, & poti, aut in clystere exhibiti uiscosos & lentos humores in intestinis incidunt, erosiones & dolores eorundem sedant, sanantq;. Apes de floribus Trifolij pratensis uti & de Thymo mellificant. Nec teneris uitulis agnisq; utilius est pabulum, quam Trifolij pratensis tenera herba.

EXTRINSECVS.

Flores Trifolij pratensis cum semine aqua & oleo decocti ac impositi ad maturationem perducunt inflammationes & duritias.

Easdem pene obtinet facultates hoc Trifolium, quas Fœnum græcum, sed non perinde usitatum.

Atq; hæc de Trifolio uulgari seu pratensi dicta sufficiant, nunc ad alia eius genera nos conferamus.


De Trifolio, Dioscoridi simpliciter τρίφυλλον *dicto.* CAP. II.

SCRIBONIVS LARGVS ANTIQVVS AVTOR breuissimis uerbis plantam hanc graphice depinxit, tametsi à paucis ea hactenus animaduersa fuerint. Germani Siben gezeit appellant, propterea quod singulis diebus septies odorem suum habeat, & toties etiam amittat, quamdiu in horto creuerit. Decerptum autem & exiccatum odorem suum perpetuo retinet, qui certe pluuiosa temporis constitutione & tempestate imminente multo uehementior est, sic sane ut totas ædes in quibus hæc herba reposita est odore suo compleat, quo nomine tempestatum nuncia, Germanis uero Wetterkraut haud iniuria dici posset. Nostræ mulierculæ supra mensas & lectos suspendunt, aduersus ludibria Satanæ, & uenena. Nam & ueteres Trifolij semen ad Theriacam conficiendam usurparunt, nempe eam quæ olim incisa fuit lapide in limine ædis Æsculapij. Proinde ut ad descriptionem tandem accedamus, hoc Trifolij genus, de quo nunc agimus in nostris regionibus haudquaquam campos ornat, sed in hortis plantatur, qua de causa in censu peregrinarum herbarũ mihi habetur. Planta est alsiosa, quippe quæ quotannis ineunte vere ex fuluo & exiguo semine non aliter atq; Corianon pullulare soleat, primo exortu Tri-

Nuncia tempestatum.

Plinius lib. 20. cap. 24.

Τρίφυλλον.
Sibengezeit.



tu Trifolio uulgari quam simillima, nam terna folia singulis insident pediculis, sed magis accuminata, & cineracea. Iulio mense appropinquante in caulẽ sese attollit, teretem, cauum, læuem & candicantem, multis tenuissimis uirgis brachiatum, folijsq; Trifolij acutis uestitum. Adnata uero singula flore emicant ex purpura cœruleo, stipato, multoq; magis exiguo Trifolio uulgari. Flos quisq; in aculeatum echinum ueluti & Garyophyllatæ desinit, in quo semen teres, fuluum, Milioq; fere par concluditur. Radicem habet rectam, breuem, & albam ueluti Anethum. Tota planta (radice excepta) odorẽ habet picem odoratam referentem, saporem uero amarum.

NOMENCLATVRAE.

Sunt qui preter omnem rationem huic nostro Trifolio Nardi nomen tribuant. Quæ uero Nardus uera sit, satis ex scriptis Dioscoridis, & Hieronymi Braunschuueig liquet, tametsi nobis nondum uisa sit. Hoc autem Trifolium licet & ipsum peregrinum existat, tamen in magno honore apud mulierculas nostras habetur, a quibus Sibengezeit / propter expositas causas nominatur. Latine aliter appellari non potest quam

Trifolium

Trifolium acutum & odoratum, quod est Germanis Spitziger / vnd wolriechender Klee / quo de Dioscorides lib. iiij. cap. cxiiij. Cognominatur autẽ à Nicandro in Theriacis Menianthes & Tripetalon, à Dioscoride uero Cnicion, Aspaltion, Oxytriphillon. Columellæ denique Trifoliũ Symonianũ. In his nomenclaturis primũ omniũ Oxytriphylli uox non ad hoc Trifolium, sed ad id proprie pertinet quod libro primo ca. clxxviij. descripsimus. Deinde Trifolij, seu τὸ τριφύλλον nomenclatura late admodum patet, quemadmodum in Onomastico suo diligenter annotauit Brunfelsius. Nam Trifolij nomine apud Dioscoridem uocatur non tantum præsens herba, sed & Maiorana lib. iij. cap. xlij. & Medion lib. iiij. cap. xx. & Satyrion quoniam tria fert folia ad terram infracta. lib. iij. cap. cxxxiiij. & Lotus utraque lib. iiij. cap. cvi. & cvij. & Cytisus lib. iiij. cap. cviij. & Staphis agria lib. iiij. cap. cl. Est & hoc obseruandũ quoties in Galeno, Plinio, Rhase, & Nicolao Trifolij mentio habetur; toties Trifolium odoratum quod modo tractamus intelligendum, quemadmodum Manlius super confect. Theria. ad mor. Ruel. & super Syrup. contra quarta. ex descriptione Francisci recte docet. Et ut breuiter nos ab his expediamus, sciendum est hoc Trifolium Menianthes esse ueterum, quod & Asphaltion nominant. Alterum uero quod superiori capite explicuimus, pratense censeri, Tertium uero ueteribus usitatum Oxytriphyllon est, id nimirum quod lib. j. ca. clxxviij. a nobis descriptum est. Postremo de odorato Trifolio scripsere & Arabes, Sarapio scil. ca. vi. & Auicenna li. ij. ca. cccxliij. apud quos hæc illius nomina leguntur, Handachocha, Lythos, Garch, & Thuff. Quod si scripta horum examinauerimus, deprehendemus Trifolium odoratum domesticam illis esse Handachochan, pratense uero syluestrem.

Coll. de re rusti. lib. 6. cap. 16.

Tria usitati apud ueteres Trifolij genera. Plinius. lib. 21. cap. 9.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Trifolium odoratum in medicinam recipi, & Antidotis misceri debet, quoniam ueneno intro sumpto aduersatur, uenenatisque morsibus & uulneribus extrinsecus medetur, natura sua calidum & siccum.

INTRINSECVS.

Semen, flores & folia Trifolij odorati in aceto & melle decoqui, & aduersus uenenum, siquidẽ illo se infectum quis suspicetur, exhiberi possunt. Ea propter semen præcipue Theriacæ, alijsque quæ aduersus uenenum dantur antidotis miscere conuenit.

Flores, semen & folia, si uel singula, uel uniuersa simul uino aut aqua mulsa decoquantur, & bibantur pleuriticum morbum discutiunt; urinam

ciunt,

ciunt, stillicidio & difficultati urinæ subueniunt, comitialibus, inprimis uero mulieribus quæ ob uuluæ affectiones quasi mortuæ concidunt, ijs qui aquæ inter cutem principia sentiunt, auxiliantur. Eadem decoctio febres tertianas & quartanas impedire potest.

Ternæ drachmæ seminis, aut quaternæ foliorum tusorum datæ, menses ciunt.

EXTRINSECVS.

Tradunt aliqui serpentium, aliorumq; uenenatorum animalium ictibus si decocto totius fruticis, radicis, foliorumq;, seminis & floris foueantur, ex eo continuo collutis, succurri. Eadem præstat aqua distillata.


Galenus lib. primo de Theria. scribit decocto huius fruticis dolores eorum finiri, quos aranei aut serpentes percusserint, si uero sana quis parte hac aqua foueatur, ea dolorem excitari.

De Meliloti uarijs generibus. Cap. III.

QVANQVAM INNVMERABILES FERE TRIFOLIOrum reperiantur species, tamen singulę ad sua genera referri possunt, ita ut multitudo ea nullam pariat confusionem. Hoc pacto Fragaria suo ascribetur generi, Oxytriphillon Acetosæ adnumerabitur, Trifolium ut uocant aureum, ad Iecorarias herbas pertinebit. De reliquis idem esto iudicium. Pari ratione Melilotus, Trifolium pratense, odoratū, et Lagopus sub uno comprehendentur genere, licet uiribus & forma, necnon magnitudine inter se multum differant. Nam inter omnia Trifoliorum genera, odoratum longe præstantissimum est. Meliloti cuius historiam hoc capite tractandam suscepimus nouem in uniuersum describemus genera, quorum quinque maiorem repræsentabunt Melilotum, quatuor uero exiguam.

1. *Vulgaris maior Melilotus.* Vulgaris itaque & maior Melilotus primum obtinet locum. Ea florem profert spiceum, lutei coloris. Huius alterum genus reperitur, flore comans
2. *Melilotus maior candida.* itidem spiceo, sed candidi coloris, cæterum caule, radice & folijs superiori per omnia simile. Nascuntur binæ hæ Meliloti in agris frumentarijs, & lapidosis agrorum limitibus. Florent ante messem, & in ipsa quoque messe. Radix utrique longa & tenuis, ueluti Pimpinellæ, caulis teres, uiri proceritatem interdum attingens, ramulis frequentibus brachiatus, folijs Trifolij nigricantibus & acutis uestitus, semine fere in singulis, ijsq; perexiguis siliquis unico contento a flore prægnans.

Vulgaris Melilotus.
Gemeiner Steinklee.




Alia deinde Meliloti spe cies passim extat, quæ florem fert rotundum, coactũ ac stipatum, luteum, prateñ si Trifolio similem. Eo decusso, semẽ in siliquis, quas habet multas inuicem incumbentes, singulasq́ cornu capri, aut semicirculum exprimentes, forma & gustu Genistas æmulans, reperitur. 3. *Meliloti maioris species tertia.*

Quarta Melilotus licet folijs tenuissimisq; uirgis, & adnascentijs, necnon lõga radice, floreq́ luteo & multiplici iam descriptæ respondeat, tamen flores huius maiores, & magis crocei apparent, quo nomine à superiori differre uidetur. Est & aliud discerniculum, et certius quidem, quo inuicem binæ hæ Meliloti species discerni queant, nimirum forma siliquarum, quas posterior hæc Melilotus gignit, ex uno flore plerunque ternas duntaxat aut quaternas, digitum longas, unguibus auicularum similes, terete seminio Orobo haud dissimili refertas. 4. *Meliloti maioris quarta species.*

Restat postrema Meliloti maioris species, ea in asperis & salebrosis agrorum limitibus, flore Trifolij pratensis multiplici, ex roseo, simulq́ subpurpureo, candicante, folio Orobis prope consimili. Et hæc quidem de grandi Meliloto, nunc ad exiguam nos conuertamus. 5. *Meliloti maioris quinta species.*

Ea

Melilotus maior.
Grosser Steinklee.



6. Meliloti exiguæ species prima.

Ea in agris quoque frumentarijs & hortis ex semine deciduo quotannis vere pullulat, est enim alsiosa herba. Folijs uestitur rotundis, non aliter atque Triphyllon pratense album. Florem gignit messe appetente, luteum, teretem, Ciceris arietini instar. Is ubi defloruerit in capitula desinit nigra, nam talem formam semen in uasculis suis recuruum ac inflexum præ se fert. Cæterum semen è siliquis suis nequaquam exilit, uti alia faciunt legumina, sed in illis manet usque ad sationis, eruptionis, & fruticationis tempus.


7. Meliloti exiguæ species altera.

Nascitur & in agrorum limitibus, & secus itinera, aliud quoddam Meliloti genus, aureo emicans flore, qui forma quintam maiorem Melilotum repræsentare uidetur. Eo decusso siliquæ ternæ aut quaternæ unguiculos auicularũ imitantes, seminio rotundo, copioso, Oroboq; minori simili refertæ, singulos sequuntur flosculos. Radix huius longa est, lignosa, hyemem minime reformidans, siquidem quotannis regerminat, uirgasq; tenuissimas humi sparsas emittit. Huius plantæ supra in primo quoque libro mentionem fecimus.

8. Lotus cãpestris.

Postremo in segetibus & aruis tempore messis duo Trifolij genera reperiuntur,

Melilotus minor.
Kleiner Steinklee.



perluntur, tum enim florent. Fruticuli sunt surculosi, breuissimis radiculis praediti, folijs uestiti cineraceis. Horum alterum florē fert luteum, stipatum, multoq́ꝫ copiosorem exigua Meliloto, quam sexto descripsimꝰ loco.

9. *Lagopus.* Alterū uero albidū, oblōgum et lanuginosum, paniculis salicū quę verno tēpore prosiliunt, aut pedi leporino similimum. Vtrunq́ꝫ horum Trifoliorū semen luteum, rotundumq́ꝫ, quod Milio magnitudine, Orobis uero gustu respondet, in paniculis muscosis, lanuginosisq́ꝫ conclusum gerit.

NOMENCLATVRAE.

Germani uniuersas Trifolij species, a nobis nunc descriptas (nam uera & odorata Melilotus nobis hauddū uisa in Campania nascitur, teste Dioscoride, preterea de Germanicis Lotis nobis est sermo) Steinklee/Vogelswicken/vnnd Hasenpfötlin/ appellant, quas si diligenter examinaverimus, deprehendemus nihil aliud eas esse quam Lotos. Cæterum seorsim singularum nomenclaturas discutiemus, quo rectius discerni queant. Priora ergo duo maiora genera (quæ non nisi florum colore differunt) ad Melilotum Dioscoridis referentur, quam ille Zoode-

1. 2. *Dioscor. libro 3. cap. 43.* Μελίλωτος.

Melilotus nobilis.
Edeler Steinklee.



ten & Orthanon cognominat. Marcellus & Manardus Sertulam Campanam uocant, Cato Sertam Campanicam, Auerrhoes Alchelilamelech, hoc est, Coronam regiam appellat. Quibusdam Trifoliũ vrsinum, Germanice Berenklee dicitur.

3. 4. Serap. cap. 18. Sequentia duo Germanis Vogelwicken dicta, forte Serapionis Meliloti sunt, nã descriptio satis quadrat.

5. Quintum Trifoliũ Germanis Steinwicken appellatum, Lotus est campestris, quemadmodum altero ab hinc capite fusius explicabitur.

6. Sextum quod Germani Gulden/ oder klein Steinklee nominant, mihi Medica est herba Dioscoridis li. ij. cap. cxxxvi. Auicennæ Cot, Alistiscat, Alfas, Asat, quibusdã alijs Codab nuncupata. Olim in hortis plantabatur quemadmodũ ex Columella lib. ij. cap. xi. patet, nunc uicijs hortorũ accensetur & negligitur. Quę enim à ueteribus frugalitatis studiosis magnifiebant, ea hodie prorsus contemnuntur.

7. Diosco. lib. 3. cap. 137. Mecapip. Septimum similiter Melilotis Serapionis accenseri poterit. Tametsi meo quidem iudicio non male ad Hedysari alias Securidacę & Pelecinus frutex dicti, caput referri posset. Nostri herbam flauam, & Leporinam, Germani

Lotus campestris.

Katzen klee.



mani Vnserfrawen schůchlin nuncupant.

Postrema duo Trifolij genera, Germani propter paniculas lanuginosas Katzen klee / & Hasenpfötlin appellant. Suntq; illa mea quidē sententia Loti campestres. Nostræ mulierculæ duas has posteriores plantas ad cohibendas alui fluxiones usurpant singulari experimento. Ego certe tam florem quam semen earum, easdem cum Fœno græco uires habere deprehendi. Nam ad emolliendum, & dolores sedandos non parui sunt momenti. 8. 9.

VIRES AC TEMPEramentum.

Omnia Meliloti genera in hoc capite a` nobis descripta, calidam & siccam obtinent temperaturam, quapropter abscessus emolliendi ac maturandi, & dolores sedandi facultate prædita sunt, id quod & de seminibus & de floribus eorum intelligi uolumus.

INTRINSECVS.

Meliloti duo priora genera, necnon Melilotus exigua prima, primo exortu dum adhuc tenera est herba, cum aceto et sale in cibo usurpari possunt, non secus atq; aliæ herbæ in acetarijs eduntur, Nam stomacho admodum conducunt.

Hæ ipsæ Meliloti species in uino decoctæ, & ex melle potæ emolliunt omnia interna apostemata, dolores sedant. E' uino Cretico decoctæ potu tumoribus matricis auxiliantur.

Loti campestres Germanis Hasenpfötlin dictę cum semine Malue uino dulci decoctæ & potæ, uitijs uesicæ medentur, eiusq; dolores mitigant.

Loti campestres uino rubro decocti & poti, continuo alui profluuio haud parum auxilij adferunt.

EXTRINSECVS.

Meliloti omnes fere ad omnes externos dolores mitigandos, præsertim uero ad inflammationes oculorum, tusæ adhibentur, non secus atque Chamomilla.

Ad eadem aqua distillata linteolis in ea madefactis ac impositis facit.

Succus e' floribus expressus caliginosis oculis prodest, argemata namq; ipsorum & nubeculas discutit. Auribus instillatus dolores illorum finit.

Meliloti quatuor priora genera singula per se, uel omnia simul uino dulci decocta, additis capitulis Papaueris, Lini semine, aut Fœni græci farina, fotu, & impositu tumoribus matricis, sedis, & pudendorum unice prosunt. Sunt qui admisceant oui luteum, & oleum.

Lixiuium in quo Meliloti dictæ decoctæ fuerint, recentes meliceridas, & ulcera capitis manantia sanat, si ex illo caput abluatur. Herbæ sunt sudoribus eliciendis accommodatissimæ.

Loti uero campestres quę in segetibus nascuntur aqua decoctæ, uitia cutis in facie maculasq; cum melle illitæ expurgant.


Vetulæ nostræ in ea sunt opinione, ut credant Lotum campestrem, profluuium alui mensesq; mulierũ albos sistere, insessionibus & potu, id quod mihi nondum experientia manifestum fecit. Dies fortasse & usus docebit.

De Fœno græco. Cap. IIII.

CVM IN TRIFOLIORVM HISTORIA ADHVC VERsemur, operæpretiũ fuerit & Fœni græci meminisse, posteaquam iampridem apud Argentoratenses & Mediomatrices uulgo innotescere cœpit. Hoc e' semine luteo & quadrangulo, quod in vere cum Coriano & Aniso terræ mandatur, binis statim a' satione pinguiusculis folijs prouenit, non aliter atq; Linum. Deinde uero non multo post folia acuta, terna unico pediculo pro more Trifoliorum aliorum, prorumpunt. Iunio mense caules subnascuntur teretes, proceri (nam quandoq; tres cubitos

æquant

Fœnum græcum.
Bockshorn.



æquant) surculosi, multisque ac frequentibus iisque (ut diximus) ternis uestiti foliolis. Florem fert candidum, seu pallidum potius, multoque magis exiguum Lupino, qui in siliquas lunatas & incuruas, necnõ mucronatas, luteoque semine refertas protinus abit. Cęterũ binæ siliquæ coniunctim uno pediculo enatæ formã cornuũ hirci repręsentãt, unde proculdubio Ægoceros illi nomen factum est. Planta est alsiosa, hyemisque impatientissima, quamobrem non nisi cultura diligenti adhibita in Germania nostra prouenit.

NOMENCLATVRAE.

Semen apud nos Germanos in medicina usum suum habet. In cæteris nationibus pabulo pecorum nascitur, ideoque ab incolis earum regionum bis in anno plantatur, vere nimirũ & autumno, quod testatũ reliquit Columella. lib. ii. cap. xi. quo loco siliquam rusticis dici annotauit, quod Varro Siliculam, Plinius Siliciam nuncupat. Diosco- *Plinius lib. 24. cap. 19.* ridi lib. ii. cap. xciii. τῆλις, κεράτιτις, αἰγόκερως, βούκερας, (Germanice Kühorn/Bockshorn/λώτος, κάρφας seu κάρφος, & Italis nominatur. Serapioni Olba, nonnullis *Serap. cap. 174.*

Theophr. lib. 8. de plant. hist. cap. 8.

alijs Helba, & Astulba. Fœnum græcum habet suum quoque hostem, qui illi subnascitur, τὸ αἱμόδωρον Theophrasto dictum.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Semen Fœnogræci utile est ad emolliendum & maturandum ulcera & abscessus, & ad mitigandum dolores, quæ omnia utrinque in corpore humano efficit. Natura sua ad caliditatem & siccitatem accedit.

INTRINSECVS.

Semen in aqua mulsa decoctum & potum internas collectiones emollit, ustia, doloremq; internorum membrorum sanat & mitigat.

Decoctum farinæ Fœnogræci exulcerato pectori & longæ tussi mederi, testatur Plinius.

EXTRINSECVS.

Fœnogræci semen maiorem in externis corporis partibus medendis obtinet usum, nam cremore seminis in aqua decocti expresso, manantia capitis ulcera, & furfures sanat, pilos capitis crescere facit, locos dilatat & emollit, si cum anserino adipe pessi uice subijciatur. Est & semen decoctum indesessionibus ac fomentis ad easdem affectiones muliebres utile. Ad eadem facit herba recens eodem quo diximus modo usurpata.

Decoctum hoc aduersus tenesmon, fœtidamq; dysenteriorum proluuiem prodest.

Hoc semen clysteribus adijcere conuenit, quæ aduersus tormina ab exulceratione orta usurpantur. Ad tumores uero quosuis, unice conducit.


Spleni addito nitro & aceto emplastri uice imponitur, illud deprimens, & imminuens.

Farina porrigines, furfuresq; cum uino & nitro celerrime tolli scribit Plinius.

De Fœnogræco syluestri. Cap. V.

QVANQVAM NON TERNA SED DVODENA INTERIM & plura, quandoque etiam pauciora folia uno gerit pediculo hæc herba, tamen in ordinem Trifoliorum ideo referri posse uidetur, quod singula ipsius folia rotunda sunt oboli instar aut Trifolij. Pari nimirum ratione & Maioranam Trifolium uocitatam legimus, ab affinitate

Fœnogræcum syluestre.
Wild Foenum Grecum.



affinitate quam habent singula ipsius foliola seorsim spectata cum Trifolijs. Sed haud multum forte refert quo loco quæq; planta recēseatur, ideo ad descriptionem herbę properabimus. Hæc planta radicem habet sesquicubitalem nonnunquam, quæ quotannis denas aut duodenas tenuissimas ac rotundas uirgas emittit, humi procumbentes, utrinq; rotundis foliolis (ex ordine collocatis, ut mutuo sese respiciant, instar pene Orobi maioris) uestitas, flore albicante ex pallido, copioso, sed cõiunctim posito, ut moris est cæteris leguminibus, idq; in fastigijs, emicantes. Hoc decusso siliquæ relinquuntur oblongæ recuruæ, sed magis exiguæ Fœnogræco satiuo, semine prægnantes anguloso, sed per omnia minori quam satiui sit seminium. Gustu Orobos repręsentat. Nascitur in montibus inter arbusta, in syluis cęduis, agrorum limitibus secus itinera.

NOMENCLATVRAE

Quemadmodum multa sunt Trifolij genera, ita Loti non una, sed plures reperiuntur species. Primum quidem Lotus arbor est, cuius Dioscorides meminit libro primo cap. cxxxix. Plinio & Theophrasto Faba Græca & *Λωτὸς.* *Vide Manardũ lib. epist. medi. 9. epist. 3.*

Syriaca, & Anacacabea dicta est. Deinde & Fœnogræcum Loti nomen obtinet, sicut & Cytisus, & hęc nostra planta quam Fœnogræcum syluestre nominauimus. Eam itaq; Lotum syluestrem esse iudicamus lib. iiij. cap. cvij. a Dioscoride descriptam, quam & Trifolium minus, & Lybicam nuncupat. Quod uero ad id caput referri debeat, non solum forma ipsa & descriptio, sed & facultates ac uires huius herbæ satis conuincunt. Huc uero & illa pertinet planta quam quinto loco sub Melilotis descripsimus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Trifolij flores & semina, Lini semen, & Fœnogræcum tam satiuum q syluestre dolores finiendi & mitigãdi, tumores discutiendi, deprimẽdi & emolliendi uim obtinent, ita ut si unum desit, altero uti possis. Quamobrem non est operæpretium ut hic repetamus quę iampridem a nobis dicta sunt.

De Cytiso. Cap. VI.

CYTISVS, AD QVEM NOS LOTORVM MENTIO deducit, nihil aliud est quam procerus & nodosus caulis, multis adnascentijs ijsq; geniculatis brachiatus, folijs uestitus Trifolij, Fœnogræco quadantenus similibus, at maioribus, firmioribus, acutioribus & prolixioribus per ambitum leuiter serratis, incanis, gustu Trifolium referentibus. Hanc plantam Marcus Platearius Morinus natione, aridam ad me transmisit, unde & semen propediem me accepturum spero. Cytisus agro stercorato minime opus habet, ut qui macri terra fœliciter prouenia. Non æstus, non frigorum, non grandinum aut niuis expauescit iniuriam. Mirum autem uideri potest, quod & in Italia, præsertim in ijs locis ubi pecuarius quęstus uel maxime uiget, hoc papuli genus ignotum sit. Cytisus duplex Columellæ, satiuus scilicet & alter suæ spontis, cuius generis hunc qui ad me peruenit Cytisum esse opinor, nam inuentus dicebatur in agris sponte sua enatus. *Cytisus agrestis.*

NOMENCLATVRAE.

Propterea quod Cytisus caprinũ pecus optime pascat, quodq; illo capræ plurimũ gaudeãt, ideo Germanica lingua ad differentiã aliorũ Trifoliorũ Grossen geißklee / id est Caprinum Trifolium maius uocare libuit. Dioscorides Telinen, Lotum magnum, Triphyllon, Trifolium maius cognominari tradit. Huius & Vergilius meminit Ægloga I. *Diosco. lib. 4. cap. 108. κύτισος*

Florentem Cytisum, & Salices carpetis amaras.

VIRES

Cytisus.
Grosser Geißklee.



VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Dioscoridi folia refrigerant, id quod fortasse de recentibus intelligit. Æginetæ uero Cytisus temperaturã sua cum Malua communicat. Potestq; utrinque corpori utiliter adhiberi.

INTRINSECVS.

Decoctum põtu urinam ciet, ut inquit Dioscorides. Inter omnes uero herbas quę lactis copiam pariunt, tam pecoribus quam mulieribus, uix prẽstantiorem reperias ipso Cytiso. Siquidem mulieres si lactis inopia premuntur, Cytisum aridum in aqua per noctẽ macerare, posteaq; expresso succo modicum uini admiscere debẽt, & bibere, quod si fecerint, lactis copiam ilico habebunt. *Vide Columellam lib. 5. cap. 12. & Plinium lib. 13. cap. 24.*

Cytisus, gallinis, apibus, capris, bubus quoque & omni pecudum generi utilissimus pabulo.

EXTRINSECVS.

Folia & semen Cytisi trita & illita tumores inter initia discutiunt, quemadmodum & alia Lotorum genera.

De Chamæspartio. Cap. VII.

Erdpfrymmen.



MAIO MENSE CVM Genistæ florent, in aridioribus & incultis campis quæ plerunque ouibus pàscua præbent, fruticulus quidam reperitur, tota sua substantia haud temere dodrantem excedens, radice lignosa, coliculis multis herbaceis, angulosis, folijs Lenticulæ, seu Genistæ, flore luteo, stipato, spiceo, Orobo simili conspicuus, semine atro, tereti, instar exigui Orobi, in siliquis nigris rotundis (quæ Iulio mense apparent, & Genistæ modo rumpuntur ubi ad maturitatem peruenerint) contento præditus. Cæterum coliculi ipsi usque ad sequentem annum illæsi frigora hyemis sustinēt, tum enim noui regerminant. Planta tota omni prorsus odore destituitur.

NOMENCLATVRAE

Pauci sunt quibus hæc planta cognita sit. Nonnullæ tamen mulierculæ, klein Streichblůmen/ hoc est, paruos tinctorios flores uocant. Sunt qui Erdpfrimmen/hoc est, terrestrem, seu humilem Genistam nuncupent.

Tinctorius flos exiguus.

cupent. Græce forte licebit χαμαισπαρτίον dicere, quemadmodum & Chamædrym, & Chamæcyparissum dicimus. Si quis ad Lotos syluestres hanc herbam referendam putet, cum eo non magnopere contenderim, nam & seminis odor, & floris forma Lotis satis respondent.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Hi flores puerorum quoque crepundijs & lusibus inseruiunt. Et quantũ mihi quidem uidetur, temperamentum Orobi & Fœnogræci obtinent. Præter hæc quæ adduximus, nihil de hac herba mihi constat.

De Ferula. Cap. VIII.

HAEC HERBA E' LIGNOSA RADICE] QVINQVAginta fere, interim et plures tenuissimas emittit uirgas, cubitales, nigricantibus ab imo ad summum usq; uestitas folijs, ad Hyssopi fere formam accedentibus. Florem fert in fastigijs uirgarum luteum, copiosum & frequentem, Genistæ similem, sed minorem, semen in siliquis rotundis & nigris Orobo haud dissimile, idq; Augusto mense. Iulio namque floret. Nascitur in aridis & incultis agris, ouiumq; pascuis, nonnullisq; agrorum limitibus. Hoc flore lineæ uestes simul & laneæ optime tinguntur, quo nomine Tinctorius flos quibusdam dicitur.

NOMENCLATVRAE.

Veteres Romani multas herbas quotannis sale conditas in usum quotidianum reponebant, ad quæ salsamenta & Ferulæ herbæ asparagi usurpati semper fuere. An uero præsens hæc herba (quam Germani Gälferbblůmen/ & Heiden schmuck uocant) Ferula ueterum sit, in præsentia quidẽ nec asserere neque negare conabor. Certum tamen est duas plantas ueteribus hoc nomine insignitas, quarum altera libro tertio cap. lxxxij. à Dioscoride descripta est: altera uero cuius & Nicander in Theriacis meminit, lib. iiij. cap. cli. de qua uide Plinium lib. xiij. cap. xxij. & Onomasticon Brunfelsij. Thapsiam Dioscorides Hypopicon, Pancranon, Scammonion, Thelyterin, Ferulaginem, Ferulam syluestrem, & Bæden. Arabes Thesific cognominant. Iacobus Manlius Piperiam nuncupauit. Sed ut ad nostram Ferulam reuertamur, uidetur illam significasse Columella lib. x. cum scribit,

1. Νάρθηξ Ferula. Θαψία


Auicenna lib. x. cap. 710.

Capparis, & tristes inulæ, ferulæq; minaces
Plantantur.

Et ut

Ferula.

Gälferdblůmen/Heidenschmuck.



Et ut ita sentiam forma me mouet, sin aliter statuendum sit, dicant nobis herbarij qui omnia se scire putant, quamnam herbam intellexerit Columella. Nos nostram hanc herbam Ferulam nuncupabimus, Ferulæ doctorum ut uulgo dicitur nos subijcientes, quoad certiorem aliquam appellationem cognoscamus, tametsi non male ad σπάρτιον referri posse uidetur. De illo tamen lib. iij. cap. viij plura dicemus.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Quod si herba hæc sub Ferula Dioscoridis descripta sit, certe utriusque corporis partibus adhiberi potest.

INTRINSECVS.

Ferula recēs uino & aqua decocta & pota, ad cruentas excreationes, & cœliacos affectus utilis est, contra etiam viperarum morsus eodem modo conducit. Semen tusum & potū torminosis prodest, ac ad acidos ructus certo experimēto unice conducit.

EXTRINSECVS.

Semen naribus inditum erumpentem sanguinem sistit.

Semen in farinam redactum oleoq́ mixtum, si ex eo corpus inungas sudores ciet.

De Cicere arietino, quod uulgo Pisum nominant. CAP. IX.

Erweyssen.



ABSOLVIMUS UTcunque Trifoliorum & Lotorum historiam, superest ut ad culinarias herbas nos recipiamus, quæ ueteres Legaria, recentiores Legumina nuncupant; utraq; dicta à legendo, quod ea non secantur, sed uellendo legantur, quemadmodum testatum reliquit Marcus Varro. Cæterum uaria leguminum sunt genera, pauci tamen inueniuntur, qui ea discernere queant; quantumuis plurimis sæpe uerbis rem tractent; aut potius obscurent. Nos distincte singulorũ genera proponemus, nostræ quidem Germaniæ cognita, à Pisorũ (sic enim uulgo uocant, sed perperam, ut docebimus) cognitione auspicaturi. Eorum in Germania tria satiua extant genera, quæ nos Feldt erweissen/ Klotz erweissen/ vnd pfal/ oder groß garten erweissen patria lingua uocitare solemus. Quæ Klotz erweissen nobis dicuntur prima maturescunt, caule primario uiri proceritatem attingente, striato, digitum crasso, fistuloso, foliis magnis

M. Varro de re rust. lib. 1. ca. 32.

1. Primum Pisorũ genus.

gnis ipsum rotatim ambientibus, è cuius alis prætenues surculi prodeunt, Triphylli folijs tenerrimis pinguiusculis, & rotundis utrinque uestiti, in fastigijs uero capreolos habẽtes quibus se palis alligat. Inter has adnascẽtias è caule primario nudi & perexigui prorumpũt pediculi, floribus albis, ad Genistã fere accedentibus, ijsq́ binis emicantes, qui in binas quoque & oblongas desinunt siliquas, pisis inter cętera genera præstantioribus, Julioq́ mense maturescentibus refertas.

2. Alterum Pisorũ genus.

Quæ uero groß garten Erweyssen nuncupantur, caulibus, folijs, strijs, uenisq́, clauiculis, floribus, & siliquis superiori generi respõdent, nisi quod caules habent proceriores, magisq́ tenues & rotundiores, geniculis deniq́ longioribus interuallo distantibus, è quibus haud temere plures duabus siliquis prorepunt, interstinctos. Hæc Augusto mense maturescunt, inter quæ nonnulla ex cæsio uiriditatem quandam præ se ferunt, coctu ut multis placet faciliora. Illis caduca est natura, nisi enim fulciantur, fœliciter prouenire non possunt.

3. Agrestia Pisa.

Pisa agrestia Germanis Feldt Erweyssen dicta, ea nimirum quæ in aruis citra præsidium palorum crescunt, tota sua substantia magis sunt exigua hortensibus, & breuiora, flore prædita candido, qui in gemellas utplurimum siliquas abit, clauiculis & filamentis mutuo sese complectentia. Ex his nonnulla reperiuntur, quæ subrubicant ubi decocta fuerint, floribus diluti rosei coloris, comantia. Inter omnia leguminum genera uix ullum uulgo usitatius est Pisis, præsertim uero agrestibus, quæ ut dixi nullo adminiculo fulcita humi serpunt, nam reliqua palis quibus incumbant, uenti tempestatumq́ secura, coniungere oportet. Cæterum omnia Pisorum genera alsiosa sunt, hyemisq́ impatientissima.

4. Agrestis Pisi alterum genus.

NOMENCLATVRAE.

Quanquam nihil Pisis ut diximus uspiam locorum magis in usu sit, tamen quo nomine ueteribus appellata fuerint, uel doctissimi quiq́ pronunciare dubitant, quin post longa certamina, multasq́ contentiones, uulgare Pisi nomen huic legumini tandem uno consensu imponunt omnes. Manardus Ferrariensis Medicus, ætatis nostræ excellentissimus inter cætera & Pisorum meminit, statuens ea Phasiolum & Dolichum esse Theophrasti & Dioclis, aliorumq́ ueterum rei herbariæ scriptorum, Latinis Eruilia dicta, seu Rouilia, quibusdam Rodionos, Venetis uero Pisarelos. His addit Phasiolum Galeni de alio legumine, nempe eo quod Theophrastus Siliquam nuncupat intelligendum. Proinde censet Hermolaus Phaseolum Galeni, seu Siliquam Theophrasti, Lobum esse Arabum, Græcis Smilaca appellatum. Atq́ hoc pacto tres plantas Phaseoli nomine nuncupatas audimus,

nimirum

nimirum Lobum Arabum, Pisa uulgaria, necnon id legumen cuius altero abhinc capite mentionem faciemus. Atque hæc est Manardi, & Barbari sententia, à qua nos longe dissidemus, non quod autoritatem doctissimorum uirorũ (qui, quod in gratiam studiosorũ tot, tantosq́ labores suscipere non grauati sunt, laudẽ suam & memoriã nunq̃ intermorituram apud omnes bonos habebunt semper) imminuere cupiamus, sed ut & nos pro uirili nostra herbariã cognitionem iuuemus. Hęc inquam est causa cur nostrã tam in hac quam alijs plantis sententiã proponamus. Ac sentiant alij q̃d lubet, nos nostra in medium adferimus doctioribus, ueritatisq́ studiosis dijudicanda. Si cui uero hęc non satisfecerint, eum rogamus ne in malam capiat partem, quod à nobis bono animo scribitur, ipseq́ si potest meliora & certiora pro ferat, nec enim suam cuiquam laudem inuidebimus. Sed ut tãdem quod entio aperiam, quod uulgo Pisum appellant, ego Cicer arietinũ Diosc. esse iudico, quod ille libro secundo cap. lix. sub Erebintho describit, quæ uox cum Germanica appellatione Erweissen/ siue Erbsen satis conuenit. Tametsi uero huic Dioscoridis de Cicere capiti ab initio nonnihil deesse uideatur, tamen nihil impediet, quominus Pisum, Cicer arietinum certis de causis nuncupem. Si namq; Pisa, siue hortensia, siue agrestia inspexeris, deprehendes ualuulas illorum effigiem cornu arietini exprimere. Cum itaq; natura hoc legumen eiusmodi inscriptionem repræsentare uoluerit, amabo te quanam commodiore appellatione nominabitur, præsertim cum Dioscorides Ciceris duplicis, adeo manifestam differentiam proponat, inquiens, Est & alterum Cicer arietinum appellatum. Hæc fere sunt quæ de appellatione huius uulgatissimi leguminis breuibus dicere uolui. Quid uero de appellatione Pisi sentiam suo quoque dicetur loco. Hebræi (ut & hoc annotemus) seu Thalmudistæ potius, Pisum פרקדן Parkedan uocant, teste Aruch Monsteri.

ipsius, & c. nego [illegible]

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

In Germania nullum in culinis frequentius legumen habetur Pisis, tam diuitibus quam pauperibus familiare. Hæc magna saturandi, alendi, nutriendiq́ ui pollent, si Galeno credimus. Habent & in medicina laudem suam.

Galenus in libro de cibis boni & malisucci.

INTRINSECVS.

Coqui uarijs modis Cicer arietinum decoquere & præparare norunt, quam artem ipsis relinquemus.

Cicer arietinum cum radice Petroselini decoctum, in cibo puerperis utilissimum est, nam eo iure per urinam superflua multa purgantur, præsertim si

tim si decoctioni Macis & Rosmarinus adijciatur. Adfert ea quoque lactis copiam, unde facile colligi potest Pisa boni ut uocant nutrimenti esse.

Iusculum Ciceris arietini regio morbo laborantibus, & incipientibus hydropicis subuenit, per aliquot dies usurpatum.

Breuiter citra periculum in omnibus fere morbis iure Ciceris arietini decocti uti possumus, neque hic curo quid alij assentiant, uel negent.

EXTRINSECVS.

Cicer arietinum aqua & lixiuio decocto, manantia capitis ulcera sanat, singulari experimento.

Idem decoctũ maculas faciei, & cutis uitia emendat collutu.

Hoc decocto si & mel & farina ordeacea misceatur putrida & manantia ulcera cicatrici alioquin repugnantia, curantur.

Cicer arietinum cum Orobo in aqua decoctum, ac emplastri ritu impositum, locorum tumores detumescere facit, doloremq; sedat. Eadem possunt & Fabæ.

Diosco. lib. 2. cap. 95. In uerrucarum formicantium pensiliumq; genere, prima luna singulis granis singulas tangunt, eaq; grana linteolo deligata abijci post se præcipiunt, ita decidere eas arbitrantur.


De altera Ciceris specie. Cap. X.

CICER MEDICINAE POTIVS QVAM CVLINAE apud nos inseruit. Eius tria existunt genera, album, nigrum, & ruffum. Cicer Phasiolis simile est, sed acutius, flore aliud comans purpureo seu roseo, aliud candido, nam hoc potissimum differunt uniuersa Ciceris genera, odore & forma alioquin cõsimilia. Etenim ijsdem caulibus & folijs prædita sunt, nec clauiculas quibus palis se alligare possent, ut cætera legumina obtinent. Vsitatius nobis ruffum. Cicer legumen surculosum est arbusculæ instar, folijs pinnatis, Orobo maioribus, Glycyrrhizæ haud absimilibus, nigricantibus, uestitum. Siliquas gerit rotundas, quemadmodum & Theophrastus & Plinius testati sunt, articulum longas, inflatas quasi, terno ut plurimum seminio prægnantes. Radix ei breuis, utpote quæ digitum non excedat, quod & in reliquis æstiuis frugibus uidere est. Cicer delicatissima est planta, raro fœliciter prouenit, præsertim ubi annus fuerit humidior. Præterea tum alba in ruffa Cicera transire consueuerunt.

Theoph. lib. 9. cap. 5.
Plin. li. 18. ca. 12.

NOMEN-

Cicer.
Zysern Erweyssen.



NOMENCLATVRAE.

Cicer Græcis ἐρέβινθος, Germanis Zyser Erweissen dicitur. Differt colore ut diximus, unde & uarium illi nomen, nam aliud ruffum Germanice Roht Zysern/ aliud nigrum, hoc est, schwartz Zysern / aliud postremo album, Germanis weiß Zysern nuncupatur. Auicenna lib ij. cap. cxxxij. nigri meminit Ciceris, quod è Norimberga ad me transmissum uidi. Cæterum omnes Ciceris species ad Pisa referenda nobis uidentur, à ueteribus tametsi suis differentijs notata, nihilominus tamē sub una & eadem Erebinthi appellatione (meo iudicio) à Dioscoride comprehensa lib. ij. ca. xcv. Cicer à colore & forma alias atq; alias in scriptis ueterum appelationes sortitum est, ut dicatur, Arietinum, Columbinum, Venerium', Punicum, album & nigrum, ruffum. Est & quæ Cicercula, nuucupetur, sicut & Orobę, & Crij, hoc est, Arietini mentio apud Æginetam extat. Serapio Cicera, Chemps, alba Karsennæ, nigra uero Chubes nominat.

Plinius. lib. 18. cap. 12.
Galen. lib. 6. de simp. & lib. 1. de alimentis.
Aegin. lib. 7.
Serap. cap. 80.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Cicera coquis non perinde atque Seplasiarijs familiaria, hodie aduersus calculum fere usurpantur. Quamobrem ut calidæ & siccæ sint temperaturæ necesse est.

INTRINSECVS.

Ciceris in aqua decocti ius secundum, nam quo primum decoquitur effundi debet, a` ieiuno potum, urinam ciet, calculum pellit, incipientibus hydropicis utile est.

Qui continuum cum dolore ex renibus profluuium patiuntur, aut exulceratam habent uesicam, ij Ciceribus non crebro utantur, propterea quod ob insignem pellendi uim hoc pacto affectos facile lædant.

Cicere ad pulmonem sustentandum uix quicquam commodius reperias teste Auicenna lib. ij.

EXTRINSECVS.

Vires Ciceris, quas in externis corporis partibus medendis obtinet precedenti capite, cum de Pisis ageremus explicatæ sunt. Obseruandum tamen Cicera Pisis in omnibus efficaciora esse.

De Phasiolis. Cap. XI.

PHASIOLI ROTVNDIS, LONGIS, FISTVLOSIS SVIS & geniculatis caulibus, necnon folijs, surculis, capreolis & siliquis per omnia maiori hortensi Piso, quo de altero ab hinc capite egimus, respondent, nisi quod proceriores ac grandiores euadunt. Differentia utrorunque in geniculis, qui inter folia et ramulos uisuntur, maxime cõsistit, nã in Phasiolis quidẽ plane purpurei aut punicei apparent, q̃d in nullo Pisorũ genere deprehendas. His adde quod & flores Phasiolorum non albi sunt, ut in Pisis uidere est, sed in anteriore quidem sui parte rosei coloris, in posteriore uero purpuræ saturatæ. Phasioli cum maturitatem suam affecuti fuerint, id quod eodem fit tempore, quo & Cicer arietinum maturescit, non rotundam figuram, sed rotundos angulos præ se ferunt, alij quidem spadicei (nam plura eorum sunt genera) per omnia Pisis, siue ut nos uocauimus Cicere arietino maiores. Atque hoc primum est Phasiolorũ genus.

1. Primum Phasiolorum genus.

Alteri in nostris regionibus, nulla fere cultura adhibetur, prosilit autem illud sponte sua inter Pisa agrestia, quibus, caule, herba, & siliquis similis existit. Rursus flore purpureo ad Phasiolos maiores, quos in hortis plantamus accedit.

2. Phasiolorum secundum genus.

Phasioli.

Phasioli.
Fäselen.



Phasioli uero peregrini albi sunt, nigris punctulis, uti uulgares Fabæ notati. 9. *Tertium Phasiolorum genus.*

NOMENCLATVRAE.

Paulus Ægineta libro primo ca. lxxxix. Phaselos Dolichos cognominat. Rursus quæ de Dolichis dicuntur Piso magis cõgruere censet Marcellus Vergilius, conaturq́ ex Theophrasti libro octauo cap. iij. sententiæ suæ patrocinari. Is enim scribit Dolichos si ligna lõga affixeris, ascendere, & frugiferos fieri, sin aliter, uitiosos & eruginosos. Iam cum Pisa nostra sine prę sidio palorum uix in altum sese attollere, & ad frugem peruenire possint, putat Marcellus ea Dolichi appellatione insignienda, præsertim cum Dolichon longum Græcis dicatur. Hæc fere Marcellus, cui duplici ratione responderi posse intelligo. Primum ut dicamus, & Phasiolos, qui in hortis plantantur, palorum quibus nitantur usu indigere, cum proceritate Pisa superent. Deinde uero manifestum est, non tantũ Pisa, sed & Phasiolos quibus agri conseruntur, nullo adminiculo egere, sed mutuo sibi incumbere, quod nemo negabit, qui uel Pisa uel Phasiolos in aruis uiderit. Quamobrem nos de Phasiolis simpliciter id sentiemus, quod

Dioſcorides, qui de illis libro ſecundo capite xcix. ita ſcriptum reliquit
„ Phaſioli inflant, ſpiritus cient, ęgre coquuntur, uirides cibo aluum
„ emolliunt, ad uomitiones idonei. Hæc ille. Quod ſi Dioſcorides cognouiſſet Phaſiolos, Dolichos quoque Græcis cognominari, ex Theophraſto utique & alijs id indicare potuiſſet. Hæc uero eo nobis dicuntur, ut quæ hactenus obſcuræ fuerunt plantæ, rurſus in poſterum cognitæ fieri incipiant. Exiſtimamus ergo Phaſiolos, eſſe eos, quos Germani Fäſelen / aut certe quos Bonen uocant, hoc eſt, Fabas. Nam ſi quis Fäſelen Germanorũ, ad Cicera, Bonen uero hoc eſt fabas, ad Phaſiolos Dioſcoridis referat, cum eo minime contenderim. Dolichos autem qui Galeno & Æginetæ Phaſioli cognominantur, Siliquam Theophraſti, & Smilacem hortenſem Dioſcoridis eſſe reor. Equidem uidetur mihi Galenus ipſe de Dolichis dubitaſſe, tametſi primo de alimentis libro, Phaſelum tribus ſyllabis pronunciat, Lathyrum eſſe, aut aliam quandam eius ſpeciem, Phaſiolos uero quos quatuor proferunt ſyllabis Dolychos, ſeu Siliquam Theophraſti, ſtatuat. Ab hac ſententia nos nõ longe abſumus, nam Phaſiolos Dioſcoridis, Germanis Fäſelen / ſeu Bonen / hoc eſt, Fabas dictas intelligimus. Phaſiolos uero Galeni, Siliquam Theophraſti, & Smilacem hortenſem Dioſcoridis pronunciamus. Arabes quod ſciam Phaſiolorũ haud meminere, niſi forte Mes ipſorum ad eos pertineat. De illo tamen paulo poſt, nolumus enim quenquam in noſtram ſententiam pertrahere. Nos quid ſentiamus ſcribimus, ſequatur quiſque quod ipſi maxime arriſerit.

φασίολος. Germanis Fäſelen ſeu Bonen. δόλιχος. Dioſco. lib. 2. cap. 135. Theop. lib. 8. cap. 3. Serapio ca. 116.

Peregrinos Phaſiolos poſtremo loco à nobis deſcriptos Mes Arabum ſeu Rouilias eſſe iudicamus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Fabæ & Phaſioli, ſicut & Cicer arietinum Sinapi perfuſum, tempore quadrageſimali pauperibus in cibo uſurpantur, legumina paſſim in Rheni tractu uſitatiſſima. Naturam obtinent calidam & humidam.

INTRINSECVS.

Phaſioli & fabæ inflant, ægre coquuntur, ad laborantes & operarios maxime pertinẽt. Nam qui in ocio degunt, aut alioquin imbeciliores ſunt, eiuſmodi cibos uitent. Virides tamen Fabæ & Phaſioli æſtate commedi poſſunt, emolliunt enim aluum.

Phaſioli uirides ad uomitiones excitandas idonei ſunt.

EXTRINSECVS.


Phaſioli, Fabæ, Orobi, Cicera arietina, iiſdem fere pollent facultatibus,

ſedandi

sedandi nimirum dolores & tumores, locorum præcipue, possuntq; indifferenter usurpari ad prædictos affectus. Sed de his supra cap. x. plura.

De Piso Græcorum. Cap. XII.

Kechern.



MAGNO SANE LAbore Phasioli, Orobi, & Pisa, necnon Cicera arietina maxime agrestia secernuntur. Atqui hodie ea est agricolarum socordia, ea negligentia, ut quævis legumina mixtim serant, id quod ab illis fieri consueuit, propterea quod differentiam Ciceris arietini, Phasiolorum, & Pisorum, parum aut nihil attendant. Cæterum ut relictis his ad Pisa nostra nos conferamus, solent ea nō ubiq; locorum plantari, licet inter legumina haud postremum occupēt locum, nam & optimi saporis et coloris iuscula decoctorum sunt, longeq; præstantiora ipso Cicere arietino. In agro Vangionum inter Spiram & Vormatiam magnus eorum & frequens usus, ita quidem ut prouerbio illis hominibus uulgatissimo occasionem dederint, quo dicitur, Wir haben stehts Kechern vñ Lemmerteschē. Hoc legumen longe aliis foliis & caulibus præditum

1. Pisum Græcorū satiuum.

est,quam uel Cicera arietina uel Phasioli. Habet namque oblonga & mucronata folia,capreolos etiam quibus sese ad proxima quæq; alligat, caules uero tenues,angulosos,& humi procumbentes, non aliter atque Cicer arietinum agreste. Floribus comat candidis instar Ciceris iam dicti,qui fere singuli singulis nituntur petiolis. Siliquas gerit incuruas, pisis refertas, non rotundis,sed cōpressis simulq; triangularibus,aut quadrangularibus.

2. Pisum Græcorū syluestre. Syluestre eius genus in quibusdam dumetis reperitur, folio prælongo, acuto,clauiculis tenuissimis,quibus more cęterorum leguminum hinc inde reptat,flore quandoque luteo,semine pullo.

NOMENCLATVRAE.

In nostris regionibus satiuum legumen quod primo loco posuimus, Kechern/siue Kichern nominant. Sunt qui Cicer arietinum, sunt & qui Columbinum uocatum uelint. Sed utcunque hi quidem appellauerint præsens legumen,nos πίσον Græcorum esse affirmamus Plinij uerbis adducti, qui scribit Cicerculam esse minuti Ciceris, inæqualis angulosi,ueluti Pisum. Quis uero non uidet hoc nostrum legumen angulis reliqua superare? Non desunt autem qui Arabum Mes,siue Almes, aut ut Auicenna habet Meisce,Pisum esse contendāt. Serapio quidem Mes,& fructum eius Robilias nigras habere maculas scribit, uideturq; mihi aut exiguum illud agreste & fuscum Ciceris arietini genus, aut certe quod & uerisimilius mihi sit, Fabas nostras Germanicas intellexisse. Eæ namq; nigris magisq; conspicuis maculis notati sunt,quam uel dictum Ciceris arietini, uel Phasiolorum tertium & peregrinum, quod non ita pridem ad nos Germanos uenit, genus.

Plinius lib. 18. cap. 12. Auicenna lib. 2. cap. 492. Serap. cap. 116.

Syluestre pręsentis nostri leguminis genus Germani Wild kichern/et Vogelswicken/ propterea quod non perinde sit cognitum uocant. Recentiores hoc legumen quod nos Pisum Græcorum interpretati sumus, Eruum & Orobum non sine errore nuncupant. De Eruis suo quoque dicetur loco.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pisum Græcorum in medicina & cibis non aliter atque Cicer arietinum usurpari potest. Vrinā ciet efficacius Cicere arietino, in cibo gratius, per omnia uero ei quod uulgo Cicer uocant,quo de altero ab hinc capite egimus,respondens,natura quippe calidum & siccum.

De Smilace hortensi, seu Siliqua Theophrasti.
CAP. XIII.

Smilax hortensis.
Welsch Bonen.



SCRIPSIT MARCELlus Vergilius, parũ sibi uerisimile uideri, ad eam altitudinẽ & frondium copiã posse legumen aliquod augeri, ut scenas & tabernacula uestiens inumbret. Quod si is Smilacem hortensem uiridem uidisset, dubio procul longe aliter pronunciaturus erat. Sed imperitia rerum eo nos quandoque deducit, ut incognita nobis aut negemus prorsus, aut damnemus. Eadem certe ratione nemo inter Germanos, antequam ad nos commigraret Smilax hortensis, facile credidisset, legumen aliquod in tantum excrescere posse. Qui fit ut uenia mihi dignus uideatur Vergilius, qui & ipse cum plerarumq; plantarum uiuas imagines haudquaq; uiderit, facile dubitare de nonnullis potuit. Manifestum est ergo Smilacẽ hortensianam proceritatem pedamenti prælõgi, ad quod Lupulus in altum scandere solet, cultura nimirum inuitatus, quod in Saxonia

aliísq; locis uidere est, ubi non aliter atque uineæ palis & ridicis Lupulus adiungitur, Germani ein hopffen stangen uocant, æquare, & non raro etiam superare, clauiculis ac flagellis uicinis fruticibus parietibus & palis affixis circumuolutam. Foliis uestitur ab imo usq; ad summum asperis, Hederæ similibus, sed latioribus & tenerioribus, iisq; ut plurimum ternis crucis & Trifolii, aut vitis albę de qua infra cap. xciiii. formam imitantibus, unicoq; pediculo nitentibus. Inter hæc flos erumpit petiolis tenerrimis suffultus, alius candidulus, alius pallidus, postremus denique rubicans, formam in uniuersum Ciceris aut Phasiolorum æmulans. Flosculi in prælongas siliquas latitudine & longitudine quæuis legumina excedentes abeunt, in quibus fructus diuersicolores, renunculisq; simillimi reperiuntur. Sunt enim nonnulli rubri, alii ex albo purpurascunt, orbibus atris uariegati, quidam spadicei, simulq; nigris maculis aspersi, alii candidi, nonnulli incani, atro colore, uel partim uel utrinque notati, plerique etiam protinus fului. Smilax hortensiana semina sua in siliquis Augusto mense & circiter Autumnum ad maturitatem perducit. Estq; alsiosum plane legumen, ut quod nec pruinam ferre queat. Nam in frigidis regionibus, si primo uere ante debitum suum tempus terræ committitur, pruina aliquantulum duriore superuenientes facilime enecatur. Similiter ubi Autumno præsente, siliquæ maturitatẽ suam hauddum consecutæ fuerint, frigoribus non possunt resistere, quin tota sua substantia protinus decidunt, ac quasi semicoctæ apparent. Hinc mihi uerisimile fit hoc leguminis genus è calidissimis regionibus ad nos peruenisse. Opus habet pingui solo, & aprico, aliter nunquam fœlices progressus faciet.

Varia Smilacis hortensianæ secundum fructuũ diuersitatem genera.

NOMENCLATVRAE.

Leonard. Fuch. 1. Paradox. cap. 38.

Dioſco. lib. 2. cap. 135.

Germani Smilacis hortensianæ semina Welsch Bonen & Welsche Fäselen/hoc est, Italicas Fabas, seu Phasiolos Italicos uocant. Siue uero Fabæ siue Phasioli dicantur parum refert, modo non intelligantur iis Phasiolis congeneres esse, de quibus altero ab hinc capite diximus. Omnibus namq; constat eos diu Germaniæ cognitos fuisse, hanc uero plantam, quæ nobis σμίλαξ κηπαία dicitur, non ita pridem Germanis innotuisse. Fructus huius λόβια Grecis, Lubia Arabibus appellatur, à magnis nimirum et longis siliquis quas obtinet. Dicuntur autem & reliquorum leguminum siliquæ Lobi, ut sunt Fabarum, Pisorum, Phasiolorum, Lentis & Oroborum. Quid de Lobis senserint Barbarus, Manardus, & alii, ex commentariis ipsorum patet. Ego peregrinas istas Fabas haud aliter nuncupabo, quam Smilacem hortensianam, quemadmodum & ante annos aliquot piæ memoriæ uiro D. Othoni Brunfelsio, à me in Dioscoride indicatæ fuere. Neque puto quenquam, qui mentis suæ compos extiterit, sententiæ meæ reclamaturum. Hic uero

uideant

uideant docti nunquid non hæc planta Theophrasti Dolichus, seu Siliqua fit, quam Galenus Phasiolum, seu Phaselum nominauit, quę uerba magnę inter doctos contentionis occasio fuere. De Phaseolis Auicenna libro secundo cap.ccliij. Serapio cap.lxxxij. scripsere. Auerrhoes eorum sub uoce Leuquibi meminit cap.xxxix. Plinius Lobas frugibus accenset, omniumq́ fertilissimum ait esse, ex uno enim grano ternos sextarios gigni, cuius quidem sententia nostrę minime detrahet, præsertim cum uix fertilius legumen hac nostra Smilace hortensi norim. Siquidem uno in anno ex una rubra Italica Faba, modium, quem nostra lingua ein Sümmere uocat, legi. *Theoph. lib. 8. Galenus lib. 1. de aliment. Plinius lib. 18. cap. 7.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Fabæ Italicæ nostris quoque coquis familiares esse cœperunt, nam eas uarijs modis decoquunt, præsertim uero niueas, nam illas in iure gallinaceo coquere solent. Sunt qui recentes cum siliquis præparent, non aliter atque Cicer arietinum cum siliquis decoquitur, vrinam cient. In cibo melancoliam augent, sanguinem atrum faciunt, & tumultuosa somnia, præsertim recentes adhuc, quemadmodum Dioscorides testatum reliquit. Galenus diligenter & exacte siccatas ac repositas, tutioris esse usus tradit, & ut Pisa usurpari posse.

De Faba Germanica, necnon ea quam Inuersam uocant. CAP. XIIII.

IN GERMANIA NOSTRA DIVERSA FABARVM GEnera proueniunt, magnitudine, & colore differentia. Sunt enim quæ magnæ, sunt quæ exiguæ nuncupantur, & ex his quidem aliæ ruffæ, aliæ candidæ existunt. Vulgares agrestes fabæ tres, aut quatuor, quæ uero maiores sunt maxime ruffæ plerunque binæ, drachmæ pondus æquant. Fabæ nostrates omnes eandem herbā, eosdem caules, flores & folliculos habent. Faba scapum obtinet unicum, minime surculosum, erectū, quadratum & concauum, capreolis uiduum, quod in nullo alio legumine uideas, folijs uestitum rotundis, pinguibus, per æqualia interualla ex ordine collocatis. Inter folia uero & scapum, flores palliduli prorepunt, maculis intus atris notati, in modum pene vrticæ candidæ, nempe eius quam Galiopsin uocant. Folliculi eius seu siliquæ teretes, cum ad maturitatem iustam peruenerint, nigri euadunt, quinq; aut sex ad summum Fabis referti. Porro omnes Fabæ cuiuscunque tandem sint generis, nigram quandam & oblongam maculam ostendunt, uermiculi rudimentum satis exprimētes. Cæ *1. Faba uulgaris.*

Faba Germanica.
Teütschbonen.



terum fabæ ipsæ non sunt teretes, sed oblongę, latæq́ꝫ, & uidentur quasi compressæ. Serũtur cum Cicere arietino verno tempore, intra sex dies in folia exeunt. Radix Fabæ recta, breuiuscula, paucisq́ꝫ capillamentis fibrata.

2. Fabæ inuersæ.


Fabæ quas Latini Inuersas, Germani uero Baumbonen/siue Gewantbonen/ nominant, ferulaceos ac lignosos caules obtinent, qui ab imo ad summum usque Triphylli folijs uestiuntur, altero demum anno frutificantes.

NOMENCLATVRAE.

Fabas Germani Bonen dicunt. Quam uero Fabæ appellatio nostratibus respondeat, ex sequentibus quas subijciemus rationibus facile colligent ueritatis studiosi. Nam descriptio nostræ Fabæ, ei minime competit cuius ueteres rei herbariæ scriptores meminere. Primum etenim testatur non solum Theophrastus, sed & Plinius, Fabam tardissime, nempe a' decimo quinto, usque ad uicesimum diem erumpere, contra quam alia soleant legumina, quæ quarto exeunt. Deinde omnia legumina singulas habere radices præter Fabam, autor est Plinius lib. xviij. cap. vij. qui & decimo eiusdem libri capite miram Fabę fertilita-

Plinius lib. 18. cap. 7.
Theoph. lib. 9. cap. 1.
κύαμος δὲ, καὶ τῶν σιτωδῶν ὀψιλέουσιν. ἐνιαχοῦ δὲ καὶ πεντεκαιδεκαταῖος, ὅτε δὲ καὶ εἰκοσταῖος.

Faba inuersa
Baumbonen.



fertilitatem prædicans, scapum inuentũ esse tradit centum Fabis onustum. Iam uero nostras Fabas conferamus his de quibus ueteres scripsere. Eæ namque quinto ut diximus aut sexto die erumpunt, radices habens rectas & breuiores cæteris leguminibus, ac uno denique folliculo rarissime sex fabæ reperiuntur, ita ut nihil ex his quæ fabis ab antiquis adscribuntur, in nostris reperias. Præterea scripsit Cornelius Celsus pustulam eam, quæ, quod noctu oriatur, Græcis ἐπινυκτὶς dicitur, Faba non esse maiorẽ. Quisquis igitur epinyctidas unquam uiderit, uel in se uel in aliis ortas, is iudicabit proculdubio, illas cũ Cicere arietino, aut Orobo plus affinitatis habere, quam cum Faba, maxime quod ad figuram attinet. Adhęc dicuntur Galeno teste κυάμοι (quod nomen Fabis quoque commune est) aselli, animalcula in hydriis nata (quæ Germani Esel uocant) idq́ꝫ a Fabæ similitudine, quam præ se ferunt, cum læsa globuli uel Orobi instar, conuoluuntur. Quid uero hæc ad nostras Fabas momẽti habent? His adde, quod idem Galenus cum de ponderibus ageret, Fabam Ægyptiam (quę magnitudine reliquas

Cornelius Celsus lib. 5. cap. 28.

quas

quas superat) dimidium obolum æquare scribit. Nouem autem oboli Galeni, drachmæ respondent. Quod cum ita se habeat, facile colligere est, quot Fabæ ueterum drachmæ pondus obtineant, nimirum duodeuiginti. Rursus nostratium Fabarum binæ aut ad summum ternæ, ut supra diximus drachmam constituunt. Nonne uel hinc, quid in historia Fabarum desideremus, nimirum nominis cognitionem apparet? Sed et alteram ex Iuniperis fructum ferre Fabę similem, testatur Dioscorides lib. primo cap. lxxxviij. ut interim taceam Xyrin, (de qua Dioscorides lib. iiij. cap. xxiiij. & nos infra cap. xlix. huius secundi nostrorum commentariorum libri) cui semen in folliculis simile Fabæ, & rotundum attribuitur. Quid igitur dubitamus nostras diuersas esse à ueterum fabis? Qui fit ut mirari satis non possim, quod doctissimi uiri Barbarus inquam & Manardus & alij plerique, à Fabis quod prouerbio uulgari dicitur adeo abstinuerint. Sed ut à Fabis tandem nos expediamus, nullum sane (Cicere arietino excepto) in nostris regionibus, præsertim uero Coloniæ, Metis, Spiræ & Argentorati, usitatius extat legumen, nam & hominibus & pecoribus in cibo & medicina usurpari frequenter solet. Quapropter nos quidem Pythagorico prouerbio, quo dicitur, Abstine à Fabis, minime obtemperabimus, siquidem nostrę (quas ego Phasiolos potius quam Fabas siue Cyamos apud Dioscoridem uocatas sentio) ueterum Fabis nihil respondere uideantur. Fabæ apud Auicennam Narbathio, Serapioni uero Hachille dicuntur, Hebræis פול Pol. Ezech. iiij. Hęc fere habui quæ de Fabis dicerem, quæ si arridere possint rei herbariæ studiosis, utantur his mecum, sin cui certior & probabilior constet sententia, candidus eam nobis impertiat.

Marcellus Vergilius eo capite κύαμος πονταξ... legendum censet, Serapionem secutus, qui Iuniperum ait reperiri, cuius fructus sit paruus sicut Faba, nisi quia ipse est rotundus. Sed hæc posteriora uerba fortasse Marcelli sententiæ aduersari uideri possunt. Alij tamen aliter sentiunt. Vide translationẽ Ruellij. Diosco. lib. 2. cap. 99. Auicen. lib. 2. cap. 245.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Temperamentum, necnon facultates Fabarum, supra, cum Phasiolorũ historiam tractaremus, exposuimus. Possunt autem Fabæ & Medico & coquo inseruire, & utrinque corpori humano adhiberi, naturam enim obtinent calidam & humidam.

INTRINSECVS.

Fabæ recentes (ut mea fert opinio) innoxię sunt in cibo, ijs ergo utemur, siccas operarijs relinquentes.

Sunt qui ex farina Fabarum placentas mellitas conficiant. Alij ut Alsatæ ea in saginandis porcis utuntur, ad quam rem accommodatissima est, siquidem breui tempore ea saginantur porci, non aliter atque armenta Cytiso.

EXTRIN-

EXTRINSECVS.

Chirurgi collectiones & tumores locorum, fabacea farina in aceto, & uappa decocta, oleoq; admixto discutere ac sanare consueuerunt.

Breuiter ea farina uino decocta ac calida imposita omnibus tumoribus, inprimis conducit, siue ij in mammis mulierum, siue in locis genitalibus, aut quibuscunque alijs oriantur.

De Lupino. Cap. XV.

LEGVMINIBVS CVLINARIISQVE PLANTIS, ET Lupinus tristis accensetur, cuius in nostris quidē regionibus in Medicina q̃ cibo frequentior usus est, licet Apicij nostri qui delicias in omnibus sequuntur, Lupinos ut dulcescant, palatoq; grati fiant, preparare norint. Lupini albi sunt, lati, & compressi instar Ciceris arietini conquassati. Hi verno tempore cum cæteris æstiuis frugibus terræ committuntur, e' qua sexto die erumpunt, folijs primo exortu Triphyllo similibus, ubi uero adolcuerint rotatim seu stellatim in quinas, senas, aut septenas partes dissectis. Circumaguntur illa cum sole, tempestateq; imminente haudquaquam ut alias eriguntur, sed demissa & quasi marcida pendent. Lupinus unicaulis euadit, uiri proceritatem quandoque attingens, surculosus, multisq; in summitate ramis (qui omnes stellatis ornantur folijs) brachiatus. Radicem habet breuem sicut & aliæ Fabæ, quæ siue ferro succisa est, seu uulnerata, totus emoritur frutex, quemadmodum Columella scripsit, quod & ego ita se habere reipsa comperi. Flores candidos instar Ciceris arietini profert Lupinus, copiosos, & frequentes, qui in teretes & hirsutas siliquas abeunt. Ter in anno Lupinum florere Plinius testis est, id quod ego hoc pacto deprehendi. Nam Iunio mense flores alij e' medio caule prorumpunt, atq; ij Augusto plerunque mense maturantur. Hos cum maturari incoeperint, excipiunt alij, e' surculis & adnascentijs exeuntes, qui raro maturitatē consequuntur. Postremus flos Augusto mense apparet in fastigijs plantæ, qui frigoribus occupatus nunquam maturatur. Inter omnia namq; legumina primum seritur, nouissimum tollitur. Gaudet sabulosa & calidiore terra.

Auicenna lib. 2. cap. 451. Plinius lib. 18. cap. 7. & 14.

Columella lib. 3. cap. 12.

NOMENCLATVRAE.

Auicenna Lupinos (qui Germanica lingua Feigbonen dicuntur) eleganter depinxit, nisi quod falso illos fabam esse Ægyptiam affirmauit, id quàm à ueritate absit nemini obscurum esse potest. Serapio tria Lupini genera

Serap. cap. 74.

comme-

Lupinus.
Feigbonen.



Apul.cap 110.
Diosco. lib.2. cap.101.

commemorat, unum scilicet satiuum, & duo syluestria, uocatq; Tarinus, & primum genus Regales. Auerrhoes Tormos uocat. Apuleio Lupinus Thermos orinos, Lupinus mõtanus, Dioscoridi uero θέρμος ἥμερος, & Brechon appellatur. De Lupino scripsere Theophrastus libro nono cap. ult. Platina libro septimo, Galenus libro sexto Simpl. & libro primo de alimentis: ubi πολύχρηστος dicitur, ob uarias quibus pollet utilitates. Lupinus apud Hebræos תלתן Taltan uocatur, uide Aruch Monsteri.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Vtut amari sint Lupini, nihilominus tamẽ mitescere illos docuit solers luxuria, aqua dulci infusa, ac subinde renouata. Sunt autem Lupini calidi, & sicci temperamenti, habentq; uim aperiendi, discutiendiq;, quo nomine utrisque corporis partibus mire commodant.

INTRINSECVS.

Lupinus aqua maceratus quoad amaritudinem agnatam exuat, deinde uero siccatus, & in puluerem redactus, ac ex aceto potus, fastidium detrahit & cibi auiditatem facit.

Potest

Poteſt uero Lupinus more aliorum leguminum cibo præparari.

Lupini in puluerem redacti, & ex melle ſiue aceto eſitati, uentris animalia pellunt, non aliter atq; Lumbricorum (ut uulgo uocant) ſemen. Idem efficit aqua, in qua Lupini decocti fuerint, pota.

Decoctum eorum idem munus præſtat, ſed efficacius, cum Ruta & pipere potum, at pro ratione affecti, medicamentum id exhibendum erit. Hoc decoctum obſtructiones iocinoris aperit, necnon lienis.

Lupinus cum melle & myrrha temperatus, urinam cit, menſes & partus extrahit.

EXTRINSECVS.

Aqua in qua Lupini decocta fuerint, omnis generis ſcabies, gangrænæ, eruptiones puſtularum, papulæ maculæq; faciei, necnon manantia capitis ulcera, ſanantur mirifice, ſi ex illa aliquoties affectæ partes abluantur.

Eodem modo cutis nitida redditur, liuores corriguntur, inprimis uero facies abſtergitur Lupinis cœleſti aqua decoctis.

Farina lupini in aceto decocta & impoſita, ſtrumas diſſipat, tubercula, collectiones & duritias diſcutit, coxendicum cruciatus lenit, & inflamationes mitigat.

Lupini cum radice nigri Chamæleonis in vappa, aut aqua decocti, ſcabiei pecorum, præſertim ouium medentur, ita ut tepente decocto per aliquot dies abluantur.

De Orobo, ſeu Vicia. Cap. XVI.


VICIA IN GENERE LEGVMINVM HABETVR, LIcet culinis repudiata, ut quæ pabulis duntaxat, præcipue autem equorum, & columbarum nata ſit. Eius uaria reperiuntur genera, quædam enim maiores, aliæ mediocres, nonnullæ exiguæ cenſentur.

Maior ſatiua æſtimatur. Hæc bicubitalis fere aſſurgit, folijs utrinque pinnatis, & æquis interuallis a ſe mutuo poſitis (quæ in ſedecim plerunq; foliola Rutæ ſimilia diſſecantur) ueſtita, capreolis tenuiſſimis more cæterorũ leguminum, ſurſum uerſus ſerpens, flore purpureo Terreſtri glandi (cuius hiſtoriam tertio abhinc capite proſequemur) per omnia ſimili, comans. Porro bini ſingulis fere folijs adhęrẽt floſculi, qui in ſiliquas abeunt rotũdas, digitum longas, ſenis aut ſeptenis ſeminibus, quorum alia nigricant, alia cinereum obtinent colorem, prægnantes. 1. *Vicia maior.*

Alterum maioris Viciæ genus, ſponte ſua in ſyluis & dumetis profilit, 2. *Vicia maior ſyluestris.*

ſemine

Vicia.
Wicken.



semine magis atro, & grandiori quam satiua proferat, cætera superiori generi similis. Cæterum singulari ac minime fallaci experimento, terna, aut quaterna huius Viciæ semina esitata, acidos stomachi ructus sedant.

Experimentum.

3. Vicia minor.

In frugibus uero Viciæ genus reperitur prædictis multo magis exigua, folijs item acutioribus & longioribus. Hoc clauiculis suis fruges cõprehendens nonnunquam deprimit.

4. Vicia minima.

Omnium uero minima Vicia, capreolorum uehementiore reptatu fruges grauius stringit, cæteris generibus. Siliquas gerit breuissimas, multisq́ incanis, ac subalbidis seminijs refertas. Hoc genus Viciæ ubi superius numero & copia euaserit, hordeũ & auenam, necnon alias fruges strangulat.

5. Vicia syluestris altera.

In dumetis postremo, alia quædam Vicia inuenitur, quæ admodum procera in altum sese attollit, colliculis tenuissimis, pinnatis folijs, capreolis quibus se uicinis fruticibus alligat, floribus, forma Melilotum maiorem referentibus, sed cœruleis, purpura modica admixta. Quotannis noui caules è radice oblonga regerminant, nec enim hyemis frigoribus læditur hæc posterior Vicia. Porro siliquæ tam huius quam reliquarum

Viciarum

Viciarum atræ fiunt, & postquam maturatæ fuerint, dissiliunt, semine in terram proiecto, quod & in Genistis contingere solet.

NOMENCLATVRAE.

Serap. cap. 33. Auicenna lib. 2. cap. 353. Diosco. lib. 2. cap. 100.

Vicia Latine, Germanice Wicken/ Hebraice זנין Sanin, Arabice, Herbũ, Heisene, Kesne. Græce ὄροβος, dicitur. Huic nostræ sententiæ aduersari uidetur Manardus libro nono epist. iij. cum scribit se Florentiæ Orobos albos & ruffos uidisse. Sed nos putamus illum de Cicere arietino agresti, quod alias ruffum, alias nigrũ esse supra docuimus, scribere itaq; ut hęc missa faciamus, nostro iudicio Orobus Grȩcorum, Eruum Latinorum, Almelic Arabum, nulla alia planta fuerit, quam ea quæ Vicia uulgo dicitur.

Proinde primum genus Viciæ à nobis descriptum, quod pabulis pecorum & columbarum seritur, Orobus satiuus, Germanice uero Roßwicken/ Großwicken/ Zam/ oder feldtwicken/ nuncupatur, alterum uero Orobus syluestris, Germanis waldwicken.

Tertium & quartum, neque apud Latinos, neque Germanos peculiaria habent nomina, nisi quod Viciæ, hoc est Wicken dicuntur, tametsi sub Orobanchis Dioscoridis & Theophrasti comprehendi possint. Non autẽ ignoro Orobancham Dioscoridis & Plinij aliam esse, cum alijs quoque sit prædita apud illos nominibus, sed de illo suo loco dicemus. At postrema Vicia quæ in dumetis nascitur ἀφάκη est Dioscoridis, Latinis Osmundi, Germanis uero S. Cristoffels kraut/ alias Schwartz linsen nuncupata.

ὀροβάγχη Dioscor. libro 2. cap. 131. Theophr. lib. 9. cap. 8. Plinius lib. 18. cap. 17. & li. 23. cap. 25. Diosco. lib. 2. cap. 137.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quanquam plerique Orobos pecorum duntaxat pabulis serant, tamen ad medendi usus utrinque conuenientes sunt, præsertim uero farina ipsorũ, quæ hoc pacto parari consueuit. Vberiora grana, candidaq; deliguntur, permiscendoq; aqua resperguntur, donec sufficienter combibant, postea torrentur, usque dum hians cortex disrumpatur, molitaq;, farinario cribro incernuntur, postremo farina reconditur. Est autem hæc farina qualitatis mediocriter calidæ & siccæ.

INTRINSECVS.

Farina Orobi urinam ciet, aluo utilis est, at si immoderate aut continuo usurpetur, uesicæ & intestinis officit, ob insignem quam in expellendo obtinet facultatem.

Orobus tabidis, qui alimentum non sentiunt, tostus, & ad nucis magnitudinem melle exceptus, ieiunoq; stomacho sumptus conuenit.

EXTRINSECVS.

Farina Orobi cum uino subacta illitu uel impositu, morsibus uiperarũ, canum, hominumq; medetur, ita tamen ut priusquam imponatur, loca affecta purgentur.

Melle & uino temperata mammarum duritias emollit, ulcera manantia purgat, maculas quasuis extergit, quemadmodum & de Lupino proditum est, ideoque Lupinus & Orobus uicissim sibi succedere possunt.

Orobus urinæ difficultates, tenesmosq; ex aceto mitigat.

Orobus quem Aphacam, seu Os mundi appellari diximus, alui profluuia sistit, ructuiq; acido prodest, si quemadmodum lenticula decoquatur.

Reliqua Orobi genera pecorum pabulis, & columbarum escis nascuntur.

De Candido Eruo, quod nos Fabam ueterum esse conijcimus. CAP. XVII.

INTER CICERIS ARIETINI ALIQVOT GENERA, REperitur Eruum quoddam, uulgari Piso tota sua substantia aliquantulum minus, omni uero alio Orobo maius, coloris pallidi, non teres plane, sed compressum nonnihil, deniq; nec maculis nigris, nec cornibus arietinis preditum. Sapor huic idem qui & Pisis. Vbi decoctus fuerit, Phasioli uulgaris colorem repræsentat.

NOMENCLATVRAE.

Hoc genus Erui (quod Germani Weiß wicken uocant) Pisum esse procliui errore quis iudicare posset, nisi diligenter formam ipsius attendat. Vbi uero exactius examinauerit singula, facile deprehendet hoc genus Erui, neque ad Pisa, neq; ad Orobos commode referri posse. Ego ut & hoc loco cogitationes meas aperiam, suspicor (nolo enim quicquam statuere, ne rursus nos mordaces illi Zoili temeritatis insimulent) hoc Eruum fabas esse eas quarum ueteres seorsim sub Cyami appellatione mentionem fecere. Nam ut supra quoque docuimus, Fabæ Iuniperi baccas magnitudine ueteribus haud excedunt. Præterea quia & rotunda sint, id quod inde patet, quod Galenus semina Aphacæ & Viciæ non perinde rotunda atque Fabæ esse testatur. Ex quibus sane rationibus rursus colligere possumus nostrates, a ueterum fabis diuersas esse. Sed cum citra præsidium doctorum uirorũ, quorum maxime interreat in his laborare, in hanc arenam descendimus. noluimus.

mus in præsentia quicquam decernere, posteris hęc & alia discutienda relinquentes, ut & ipsi habeant quod inuestigent. Itaque prædictæ plantæ fructum Weyß wicken/hoc est, candidum Eruum appellare uoluimus, tantisper dum alij certiora proferant. Deplorandum sane est, quod studio peregrinarum rerum adeo excæcati sumus, ut præ illis domestica nobis sordeant, qui fit ut etiam uulgatissimorũ simplicium cognitionem aspernemur, estq́ hic non minimus in medicina abusus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quod si hoc Eruum, Faba ueterum fuerit, uarijs equidem usibus in medicina scatet. Vtilius tamen externis quam internis corporis partibus adhibetur.

INTRINSECVS.

Hæc Erua in cibo usurpata, crassum generant sanguinem, multosq́ uapores & inflationem excitant, tumultuosa faciunt somnia. Ideoq́ haud temere in cibo assumi debent, nisi necessitas id expostulare uideatur, hoc est, ubi dysenteriæ & cœliacorum profluuia urgent. His enim & qui uomitiones continuas patiuntur, uino rubro uel aceto, aut alio acido uino decocta exhiberi debent.

EXTRINSECVS.

Aliæ huius leguminis, siue Orobi facultates supra sub Lupinis & uulgari Vicia commemoratæ sunt, cutis namq́ uitia emendat, furunculos, suggillata & turpes maculas discutit, necnon parotidas, & strumas, turgentes grumoso lacte mammas, quæ & inflammatione tenẽtur, adiuuat, tumores, & collectiones locorum genitalium dissipat, uino decoctum et impositum. Farina illius cum rosa, thure & oui candido, procidentes oculos, eorumq́ fluxiones reprimit, si emplastri modo fronti adalligetur.

Emplastrum ex cortice huius Erui, admixto melle confectum, capillos generat.

Eruum dempto cortice in illas partes diuisum, in quas suapte natura scinditur, uenæ adalligari solet, ad sanguinis defluxiones, præsertim ad hirudines excitatas, reprimenda. Hoc pacto & Fabæ Germanicæ ad prædictas defluxiones usurpantur.

De Lente. Cap. XVIII.

L ENS INTER LEGVMINA FERE MINIMVM EXIstit, sed & omnium fertilissimum teste Theophrasto, qui libro

Lens.
Linſen.



nono.cap. iiij.in hunc modum de Lente ſcribit, ὅλως δὲ, πολυκαρπότερα, καὶ πολυχούστερα τὰ χεδροπά. τούτων δὲ ἔτι μᾶλλον τὰ θερινά, κέγχρος καὶ σήσαμον. αὐτῶν δὲ τῶν χεδροπῶν μάλιστα φακός. hoc eſt, In totum uero genus leguminum fructu copioſius, fœcundiusq́ profecto ſentitur. Sed his feraciora ſunt æſtiua, ut Milium, Seſamum. Leguminum uero maxime fertilis eſt Lens. Hæc ille. Hoc tamen cum aliis Leguminibus, utpote Piſo, & Cicere arietino, uitij commune habent Lentes, ut coctu pertinaces ſint, Inuenias enim qui molleſcere renuant, niſi aqua cœleſti diſcoquantur. Huius rei rationem reddit lib. ix. cap. ix Theophraſtus, affirmans Lentem & Fabã maxime coctu difficiles, idq; efficere cœli conditionem, quæ in his duobus leguminibus maiorem mutationẽ parere poſſit. Quo loco ſi uerba attendimus, rurſus uidere eſt Fabas ueterum diuerſas à noſtratibus eſſe. Sed cum de Lentibus ſermo nobis inſtitutus ſit, miſſa hæc faciemus. Lentem in præſentia in duo ſecabimus genera, aliumq́ uulgarem, alium maiorem & ſatiuum appellabimus. Lens uulgaris ſeu agreſtis ſolo gaudet mediocriter pingui, ſoletq; in noſtris regionibus appe-

Primum genus Lenticulæ.

tente.

lente verno tempore seri. Erumpit uero è terra instar Viciæ, sed caule magis exiguo, cubitali, utrinque pinnatis foliolis uestito. Est & capreolis suis donatus hic frutex, quibus uicina quæque apprehendit, non aliter atque Cicer arietinum, quod uulgo Pisum nominant. Florem fert in candido purpurascentem, flosculis Glycyrrhizæ similem, & qui frequens ab imis coliculi partibus ex alis foliorum ad summum usque prorepit, ita quidem ut cum imi flores siliquas maturauerint, superiores uix dum in siliquas abierint, id quod cæteris pene omnibus leguminibus usu uenire solet, præsertim si nouilunij tempore terræ committantur. Siliquas gerit exiguas, & quæ haud temere supra quatuor granula contineant, quorum alia subruffa, alia ex luteo pallida, nonnulla ex cano nigricantia apparent. Vbi uero postrema quæ diximus Lenticulæ grana humida cœli tempestate in agris diutius relicta fuerint, prorsus nigra euadunt. Lentes non sunt rotundi uti Cicer arietinum, sed lati, ac si conquassati forent, constantque singuli binis partibus, in quas cortice dempto suapte natura scinduntur, id quod multis alijs fructibus & seminibus familiare est, nimirum Amygdalis, glandibus & auellanis, alijsque id genus innumeris.

Satiuus Lens non ita pridem è Lotharingia ad me allatus fuit, uulgari per omnia similis, sed formosior, maior & latior. Nam unum ex eo genere granum, ternis uulgaribus lentibus respondet. Plantatur hodie in hortis ueluti Cicer arietinum. 2. *Lenticulæ alterum genus.*

Quæ Lenticulis, Orobis, Ciceri arietino, necnon Fabæ plerunque nocere consueuerunt, hæc apud autores rei herbariæ fere leguntur. Primum quidem infestat illa vermiculus κάμπη Græcis dictus, qui in ipsis gignitur, cum secutis imbribus calor repentinus humorem incluserit. Vide Theoph. lib. ix. cap. x. Deinde uero Phalangion illis molestum est, cuius loco iam citato meminit Theophrastus. Sed & non uulgare Lentium uitium, hoc est, quod in Viciam nonnunquam degenerant, sicut hordeum & Triticum in Loliũ mutari consueuit. Huius rei testis est Galenus lib. primo de alimentis in fine cum de peregrinis ageret seminibus. Cæterum lentem strangulari, appa, testatur Theophrastus libro ix. cap. viij. Sunt autem hæc fere tum lentis, tum aliorum quoque leguminum & frumentorum impedimenta, Lappæ, Cardui syluestres, sentes, Orobi, Triticum vaccinum, Argemone, Cyani, Pseudomelanthion ut uulgo uocant, Germanice Raden, & Cotula fœtida. Atque hæc quidem alias copiosiora, alias rariora frugibus adsunt, pro culturæ agrorũ, seminisque & anni ratione. Quę cum ita se habeant, prudens agricola facile aliqua ex his impedire poterit impedimenta, nam omnia in uniuersum arcere impossibile. *Leguminibus quæ noceant.* *Frugum impedimenta.*

NOMENCLATVRAE.

Germanice Linsen/ Latine Lens & Lenticula (unde Lentulorum apud *Diosco. lib. 2. cap. 98.*

Serap. cap. 9. Romanos cognomen) Græce φακὸς, ἢ φακῆ dicitur. Serapioni Hades. Hebræis עדש Adasch, quod Chaldæi ימא Iamma, alias טלופחא Thelufcha dicunt. Vide Gen. xxv. & Ezechielis iiij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quemadmodum Fabæ & Orobi, ita & Lenticula crassum generat sanguinem, tumultuosa facit somnia, & inflationes uentriculi parit. Præterea frequenti cibo aciem oculorum obtundit, ægre concoquitur. Nihilominus tamen in medicina usum suum habent Lentes, si necessitati duntaxat inseruiant. Media enim natura præditi sunt, nec manifestæ calidi, nec abundanter frigidi, magis tamen ad siccitatem uergit illorum temperatura.

INTRINSECVS.

Lens decoctus prima aqua, si cum ea sumatur aluum resoluit, ubi uero illa effūditur, ac in altera decoctus esitetur fluxiones uentris cohibebit. Atque ea de causa permittitur Lentis usus, nimirum si aluus sistenda sit. Sunt qui aceto perfundant decoctum illud. Veteres Portulacam, Cotonetum aut fructum Mespili, & id genus alia, una cum Lenticula decoquebant, quo efficacius uentrem astringerent. Primum decocti lentis ius potum lumbricos puerorum (hoc enim per Rodlen uocem Germanicam authorem intelligere puto. Cum enim Bipontini & Vuasgoienses in plerisque uocibus ab Argentinensium lingua dissideant, ut cum hæc æderentur, autor à nobis longius abesset, quam ut super hac uoce consuli posset, oportuit Germanicam adscribere, boni consulat æquus lector) expellit, ut cito conualescant. Estque hoc singulare experimentum.

EXTRINSECVS.

Lentes sicut & Orobi, Fabæ, & omnia pene legumina, ulceribus manantibus, & scabiei fluenti prosunt, tumores, collectiones, duritiasque colli, & mammarum lacte concreto turgentium, parotidasque discutiunt, dolorem sedant cocti in muria aut aqua marina & illitu.

Lentis grana in aqua decocta & illita, podagras leniunt.

Reliquæ uires Lentis sub Orobis & Lupinis explicatæ sunt.

De herba, quæ Græcis Ἄπιος nuncupatur.
CAP. XIX.

CVM PRAESENS ISTA PLANTA FOLIIS, CAVLE flore, & capreolis à leguminibus nihil differre uideatur, uoluimus historiam leguminum illa concludere. Tametsi si radices spectes, quas habet mediocriter crassas, & instar Rapi exigui, aut Pyri syl-

uestris

Απιος. Erdtnuß.



uestris oblongas, foris pullas, intus uero candidas, gustu denique castaneas æmulantes, inter bulbosas forte plantas connumerari queat. Sed ut descriptionem persequamur, dependent eiusmodi radiculæ, siue nuces, quæ per omnia oblongos ficos repræsentant, ternæ aut quaternæ filo tenuissi-

mo, intra humum profundissime latentes, quæ si vomeris iniuriam illæsæ effugerint, nouos quotannis fructus ædunt, primo anno teneros & prorsus candidos, quos sues magna ipsorum cupiditate ductæ, agros etiam totos euertendo inquirere consueuerunt. Iunio mense flosculi punicei, odoratissimi, aspectuq; iucundissimi gratissimiq; erumpunt, Phasiolis haud multum absimiles, nisi quod illis, & odoris & formæ gratia antecellunt. Folia (quæ syluestri Viciæ consimilia esse deprehenduntur) capreolis non aliter atque cætera legumina, cespiti adhærent. Prouenit in frumentarijs agris, hordeaceis, potissimũ uero tritici & zeæ. Cæterũ ex una radice terni aut quaterni quandoq;, rotundi, & prope radicem purpurei coliculi prosiliunt, foliolis angustis, non aliter atq; Hyperici altera species uestiti.

NOMENCLATVRAE.

Agricolæ hanc plantam Germanice Erdnuß/ hoc est, nucem terrestrem, & Sewbrot/ id est, panem porcinum, uocant. Posset & Ficus terræ, Germanice uero Erdtfeigen/ seu Erdtmandelen dici. Sunt qui Harthanitam Auicennæ, Buchormarien Serapionis, & Cyclaminum Dioscoridis, ad hunc nostrum panem porcinum referant. At quisquis panem porcinum unquam uiderit, cumq; Cyclami in historia cõtulerit, is facile intelliget, quam recte ista affirmentur, uidebitq; nihil ad panem porcinum, Cyclamini historiam quadrare, sed errare eos quotquot ita senserint, id quod non una sed pluribus rationibus confirmare licet. Primum enim & Dioscorides, & post hunc Serapio Cyclaminum folia Hederæ obtinere ait, deinde uero tanta illum purgandi ui præditum esse, ut multi tradant, si prægnans radicem transgrediatur, abortum fieri. Adhæc in umbrosis, maxime sub arboribus illum nasci. Quæ omnia cum in pane porcino non sit reperire, manifestus error eorum fit, qui duas has plantas confundunt. Nos potius panem porcinum esse plantam dicimus, quę Theophrasto ἰσχὰς, alijs Raphanus syluestris, & Dioscoridi ἄπιος dicitur. Quod uero ita uocare uoluerimus præsentem plantam, non solum Dioscoridis, sed & ipsius Theophrasti descriptio, quam subijciemus nos monet, quæ ita huic plantæ respondet, ut nulla penitus nota reclamare uideatur. Neque hic curamus quod nonnulli clamant Apion hodie ignotum esse, id quod nos facile credimus, nam plerisq; uel notissimæ plantæ ignotæ sunt, quæ dubio procul paulatim notiores euaderent, si id studium ornandę rei herbariæ impenderent Medici, quod sane requirebatur. Sed ut relinquamus ista, nuces istas, quas Chamæbalanos, hoc est, Terrestres glandes, Germanice Acker/ oder Grundt eichelen dicere possemus, τὸ ἄπιε appellatione donabimus. Theophrasti descriptio ita se habet. ἡ δὲ ἰσχὰς ἢ ἄπιος, φύλλον μὲν ἔχει πηγανῶδες βραχὺ, καυλὰς δ' ἐπιγείους τρεῖς ἢ τέτταρας. ῥίζαν [illegible] ἀσφόδελος.

Auicen. lib. 2. cap. 62.
Serap. cap. 249.
Diosco. lib. 2. cap. 153.
Theoph. lib. 10. cap. 10.
Diosco. lib. 4. cap. 170.
χαμαιβάλανοι.

εὐφόρτιλος, πλὴν λεπυριώδης. φιλεῖ δὲ ὀρεινὰ χωρία, καὶ κοχλακιώδη. τίλλεται δὲ τὸν ἦρα. Hactenus Theophrastus, cuius uerba adducere ideo uolui, ut uel ex illis pateat Panem porcinum recte Apion dici.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Nuces τὸ ἄπιν sicut & glandes suibus medicinam præbent, natura sua calidæ & siccæ, uim per inferna & superiora purgandi obtinentes.

INTRINSECVS.

Dioscorides succum eximere docet, nimirum ut radix tusa fictili mergatur, & agitata aqua quod supernatat pinna selectum exiccetur, hunc utrasque partes citra periculum purgare tradit, sesquiobolo potum. *Diosco. lib. & cap. ut supra.*

Pastores quandoque his nucibus uescuntur, cæterum experientia didici nauseas & uomitiones illas ciere, alias meo iudicio plane innoxiæ sunt.

De Tritico. Cap. XX.

EXPOSVIMVS HACTENVS QVAE DE LEGVMINVM generibus dicenda uidebantur: nunc ad frumenta quæ Cerealia Latini uocant transibimus, auspicaturi à spiciferis cuiusmodi sunt, Triticum, Zea, Hordeum, & Siligo, quæ decimo quinto die posteaquam defloruere maturantur, quemadmodum Marcus Varro obseruauit. Spiciferas fruges multas ac uarias Germania nostra gignit, non minus atque exteræ terræ. Sophoclem, Italiam à frugum præstantia & copia celebrasse ac beatam pronunciasse legimus. Quod si quis Germaniam à fertilitate et rerũ copia cõmendare cuperet, eum materia laudis minime deficeret. Non est .n. obscurũ Germaniæ præcipuas gentes, Alsatas inquam, & qui Rheni tractũ incolunt, Thuringos, Pannonas, & Mediomatrices, frumẽtis nõ minus claros esse cęteris nationibus, quæ ex terræ dũtaxat prouẽtibus uictitant. Quid enim à mortalibus ad usum quotidianũ, & uitę sustentationem, necnon uoluptatem, expeti solet, quod non & in Germania reperias? Frumenta scilicet, vina, aromata, radices, herbæ, animalia, tam syluestria, quam domestica, vestitus, gemmæ, & multa alia, quorum historiam peculiari libro aliquando persequemur. An non de his Germani quoque gloriari possunt, haud aliter quam Italia, India, aut Arabia? Deinde quæ apud exteras nationes reperiuntur, quibus Germania destituitur, eiusmodi fere sunt, ut illis citra damnum facile carere possimus. Adhæc adeo obsequiosa est humus Germanica, ut iam plurimas peregrinas plantas proferat, quæ

Plini. 18. ca. 7. Et fortunatam Italiam frumẽto carere candido.

Triticum.

Weyssen.



1. Tritici primum genus.

ante paucos annos in nostris terris, ne uisæ quidem, aut auditæ fuerant. Manifestum est namque intra paucissimos annos quamplurimas exteras stirpes, ita nostro solo cicuratas, ut non solum cultura ipsarum plerisque constet, sed etiam non infœliciter proueniant, Quin & quotidie nouę & incognitæ ab exteris deferuntur stirpes, quas singulari studio conquirimus, domesticarum interim, quarum usus proculdubio nobis longe commodissimus erat, obliti. Quot enim putas in Germania reperientur, qui Triticum, à Zea, Hordeo, et Trimestri discernere queant, cum tamen peregrina multa frumenta, legumina, vina, & aromata, perspecta habeant. Sed ut redeamus eo, unde sermo noster digressus est, Tritici in Germania tria extãt genera, quorum primum & præcipuum quidem hybernum censetur, eo quod, ante hyemem satum, frigora postquam è terra erupit sustinere possit. Exit autem granum quodq; à satione gramine unico teneriore multo quam Siligo, quod postea processu temporis instar graminis supra terram multiplicatur, augescitq; Aprili mense appetente, conspiciendam se præbet uiridis sementis, tum enim in culmum & spicam assurgit. Quisq;

autem

autē culmus ternis distinguitur geniculis, stipulisq; seu folijs angustissimis uestitur, ita ut per gramineas stipulas concauus calamus in spicatu se extollat. Caeterum spicae, circa festum Diui Ioannis Baptistae florent, postquam uero defloruere, ex omni parte luteis seminibus, ijsq; sexaginta, aut septuaginta, interdum paucioribus saepe frequentioribus, & ex ordine positis, refertę cōspiciuntur. Exteritur hoc frumenti genus in area ut Siligo, nec opus habet decorticatione, quemadmodum Spelta.

Aterum Tritici genus aestiuum dicitur, herba, stipulis, geniculis, culmis & semine uulgari iam descripto consimile, nisi quod aristas habet multo longiores, ita ut ad Hordeum eatenus accedat. Huius singulae spicae duos obtinent granorum ordines. Semen folliculis quibusdam includitur, uti & in Spelta, uidere est, quamobrem decorticationem requirit, non minus quam Spelta. 2. *Secundum Tritici genus.*

Tertium Triticum, non quidem uulgare, nec ubique notum est, tamen culturae nostri soli non omnino repugnat, sed in nostris quoque regionibus prouenit, praesertim uero in montanis Alsatiae. Nam cum ijs in locis propter uicinos saltus & montes, ab apris aestate fruges fere uastentur & perdantur, solent agricolae hoc Tritici genus serere. Apri namq; syluestres, licet a' nullis fere frugibus abstineant, raro tamen hoc Triticum degustant, idq; propter praelongas quas habet, & asperas aristas, quibus si immoderatius Triticum hoc deuorare uelint, facilime laeduntur, ita quidem ut nonnunquam strangulentur. Spicae huius generis rotundiores & pleniores apparent, caeteris. Estq; sane hoc Triticum, frumentum longe pulcherrimum. 3. *Tertium Tritici genus.*

NOMENCLATVRAE.

Haec itaque Tritici genera nostrae Germaniae cognita & usitata sunt, his contenti uiuimus. Reliquae gentes suas habent fruges, apud quas aliud ab alio bonitate superatur Triticum, quod uino quoq; contingit & metallis. Sed ut paucissimis rem absoluamus, constat Triticū omniū frugum fertilissimum esse, siquidē cultura sua minime destituatur. Legimus .n. uno ex grano Tritici triginta aut quadraginta quandoq; spicatos culmos exiuisse. Sed hanc feracitatem terrae bonitati & culturae diligenti ego ascripserim. Huc nimirum respexit Seruator noster IESVS CHRISTVS, cum in parabola ad populum, sementem quae in bonam terram cecidisset, aliam, quidem centuplum, aliam uero sexagecuplum, aliam denique trigecuplum fecisse fructum dicit. Tritici genera Theoph. multa indicauit lib. ix. cap. iiij. cum scribit Tritici genera plura esse, cognomina ex locis sortita ut Aphricum, Pōticum, Thraciū, Assyrium, Aegyptium, Siculum, Chachyridias, Stleggys, & Alexandrinum. De Thracio Tritico Plinius peculiariter *Matth. 13. Lucae. 8. Mar. 4.*

meminit,

meminit, quod illud à satione quadragesimo die maturetur. Hæc Plinius ipse non uidit, sed legit potius in ueterum scriptis, tum aliorum, cum uero Theophrasti, qui libro nono. hist. plantarum cap. iij. in Mela sata intra triginta, aut quadraginta dies meti, rursus uero in Chalcia Rhodiorum Insula locum quendam esse adeo præcoquem & fertilem, ut hordeum satiuum in eo, cum in alijs sereretur locis, metere, rursusque serere, qui iampridem seminauerāt, identidem metere. Hæc uero quæ tam à Plinio quam Theophrasto prædicantur, credere, quam experiri malumus. Nostrum certe triticum hybernum, nouem mensibus in agris moratur, quod non solum omnes norunt agricolæ, sed & Plinius & Varro testati sunt. Ægyptij septimo à satione mense fruges suas horreis committunt, unde frumenta illorum iure Septimestria dici possent, atqui talis fertilitas nostro solo negata est. Idē de Sitanio quod nostri Ammelkorn nuncupant iudicium est. Hoc quia tertio postquam satum fuerat mense, horreis apud alias nationes recondi fertur Trimestre Dioscoridi nominatur. Apud nos quinto demum mense maturatur, ut omnes norunt. Tanto interuallo fruges alio atque alio solo procreatæ inter se distant, ut uel hinc appareat, suum cuique frumento tempus in singulis regionibus deputatum, frugesque pro diuersitate terræ alio atque alio gaudere coelo. Sed missa hæc facientes, nomenclaturas explicemus.

Dioscor. lib. 2. cap. 77. Triticū igitur, Hebræis חטה Chittah Psal. lxxxi. uel חנטה Chintah, ut habetur Esdræ vi. Græcis πυρὸς, Columellæ Robus. Germanis Weissen/ Alsatis Korn/ apud quos usitatissimum est & præstantissimū frumentum. Deinde quod Germani Ammelkorn dicunt, Latinam proculdubio seu Græcam uocem secuti, ex quo amylum confici solet optimum, Dioscorides Sitanion, & Trimestre nuncupat. Diosco. lib. 2. cap. 92.

Porro Triticum id, quod aristas longiores & asperiores profert, quidā Germani Weissenkolben/ quasi Triticum paniculatum, si ita liceret dicere uocant, alij Welschen weissen/ hoc est, Italicum Triticum, uulgata phrasi Germanorum, qua peregrina, & minus nota Italica cognominare solent, posset & Tipha cognominari, hoc Tritici genus, sed de hac appellatione suo dicetur loco.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Inter omnia frumenta Triticum tanquam præstantissimum celebratur, non solum propter insignem qua præditum est, alendi nutriendique uim, sed & quia aduersus multos morbos utrinque utiliter usurpatur. Triticum mediocriter calefacit, & resiccat.

INTRINSECVS.

In nostris regionibus præstantissimus, delicatissimusque panis è Tritico pinsitur.

pinsitur. Ex pane Triticeo & farina gratissimi infantibus cibi parantur, cum lacte temperati, aut sine illo parati, prout usus expostulare uidetur.

Quid uero passim in omnibus culinis Tritico et Amylo usitatius? nemo sane facile usus eorum coquinis duntaxat notos exposuerit, arbitror. Notum est enim ægros, omnisq; ætatis homines, iusculis in quibus uel Triticum, uel Amylum decoctum fuerint, refici & sustentari.

Nec obscurum est Seplasiarios confectiones, ut uulgo uocant non contemnendæ utilitatis ex Amylo parare, præterquam quod illo ad exprimendas effigies uti consueuerunt. Sed quis omnes Tritici facultates enumerare poterit? Quid enim in medicina possit ex sequentibus quæ obiter referemus satis patebit.

Farina Triticea in aqua uel lacte cum butyro probe decocta, contra tussim, & exasperatas arterias, cruentas excreationes & pectoris uitia, efficax est.

Eadem ex aqua mulsa decocta omnem discutit inflammationem.

Vetus panis Triticeus in cibo ab illis qui citam habent aluum, usurpari debent.

Hoc unum in Tritico parum laudabile est, quod crudum commestum, tineas teretes gignit, quod Dioscorides & post hunc Serapio cap. xxix testati sunt.

EXTRINSECVS.

Sextum Pompeium Podagram in Tritico ad genua usque sedendo curasse legimus.

Furfures Triticei in externis corporis partibus medendis frequentius usurpantur, ad multa & ipsi efficacissimi.

Primum namq; decocti in aqua cum melle, exulcerationes colli mirifice sanant, tonsillas discutiunt gargarissati.

Deinde in aceto decoctis his furfuribus utilissimum fomentum præbent membris neruisq; luxatis. Nostri Chirurgi ad eas affectiones Agrimoniam uulgo uocatam adhibent.


Hoc decocto serpigines, papulæ, inflammationes tumentium, præsertim locorum & mammarum persanantur. Quod si huic decocto Ruta adijciatur, eo efficacius euadet.

Hoc idem decoctum ictibus viperarum efficaciter mederi traditur, si ex eo colluantur.

Fermentum ex farina Tritici factum calfaciendi extrahendiq; uim habet, & maturandi, priuatim callos pedum clauosq; extenuat, & cætera tubercula furunculosq; ex sale concoquit & aperit.

De Hordeo. Cap. XXI.

Hordeum maius, & minus.
Groß vnd klein Gersten.



QVIS VERO Hordei multiplicem & uariam utilitatem sermone explicare satis poterit, cum ad alendum nutriendumq́ corpus præcipui usus sit, cæterisq́ præferatur frugibus? Ac si ijs quidem in uniuersum destitueremur, certe Hordeo contentos nos esse doceret. Panis namq́ hordeaceus, cibus commodissimus, triticeo fere nihil cedit, ita quidem ut uel Hippocrate teste, post illum proximum occupet locum. Hinc factum est ut ueteres uarijs modis, præsertim uero in ferculis, qui mos Germanis hodie etiamnum obseruatur, usurparint Hordeũ. Et ut paucis multa dicam, uel hinc Hordei præstantia colligi potest, quod ex illo ad conuiuium opiparum instruendum, nõ solum panes, & fercula, atq́ ea quidem non unius generis, sed & potum quem Ceruisiam uulgo dicunt (Germanice Byer) conficere possumus. Huiusmodi sane conuiuium neminem, qui saltem homo sit, uilipendere posse existimo, siquidem &

Christo

Christo Seruatori nostro panes hordeacei miraculi materiam præbuerũt. Quis enim donorum Dei tam iniquus, impius & ingratus æstimator uspiam locorum reperiri poterit, qui eiusmodi Frumentum, ex quo & cibus & potus confici possit, nihili faciat? Hordei (ut ad rem accedamus) duo Germanis sunt genera, quæ in hunc modum discernere oportet. Vnum maius scilicet, dicetur Polystichum, quia in multos uersus spicatur. Sunt enim ex hoc genere, quæ spicam tribus, interdum quatuor, nunc sex, nunc octo uersibus distinctam proferunt. Alterum, exiguum scilicet, & uulgare, & quo alendis pecoribus fere utuntur nostrates, Distichum appellabitur, quod scilicet in duos duntaxat uersus spicetur. Cæterum primo exortu, gramine, stipulisq́; & asperis illis ac acutissimis aristis, fere nihil differunt, ita quidem ut nisi spicarum uersus obserues haud facile duo illa genera discernere queas. Hordeum septimo plerunq; die à satione exit, mirabili sane ratione, altera grani parte deorsum germinans ac radicem agens, altera uero sursum tendens ac in culmum sese erigens, ita ut utroque capite, eo quo diximus modo prorumpat, & ex illo quidem radicem, ex hoc uero culmũ emittat, Proinde stipula quæ hordei culmum ambit latifolia, & lætior Tritico prosilit. Rursus Triticea fortior & procerior euadit. Obseruatum est etiam Hordeum inter omnes fruges in spicam primum excrescere, nulloq; præcedente flore quamprimum semen tenerrimum asperis glumis siue inuolucris proferre, quod primum quidem molle, candidumq́; ac lacteum quasi apparet, mox uero maturitatẽ quã celeriter assequitur, durescit. Itaq; bis aut ter in anno antequam hyemis frigora irruant, hordeum serere ac demetere possumus, Martio nimirum & Maio mensibus, qui in nostris regionibus hordei sationi fere deputati sunt. Hordeum terram requirit optimã, & strecoratã, qua si destituatur, facile in Loliũ degenerat, præsertim si accesserit tempestas pluuiosa, id quod multi una mecum obseruarunt. Causam huius rei assignat aliquam Galenus libro primo de alimentis, cum de peregrinis ageret seminibus, cum ait, à patre suo usu longo obseruatum semina Tritici, cum infirmiora, ac imperfectiora fuerint, diutiusq; intra humum delituerint, non facile fructum bonum ædere posse, sed potius in Lolium conuerti. Hoc ita patrem suum diligentissimum agricolam obseruasse tradit, Cumq; Tritico & Hordeo id uciĳ familiare sit, Tritico tamen frequentius euenire. Quanquam addit Ægilopa (quod genus est Loliĳ) annis pluuiosis longe plurimum incommodare. Theophrastus aliter statuit, dicit enim hordeũ primum in Triticum, in hordeum uero Triticum mutari, atq; ita deinceps ex utroque Lolium generari. Sed id fortasse in agro Asiatico, aut Atheniensi, ubi maximum & firmissimum, autore prædicto attestante hordeum reperitur, fieri solet. Nobis de Germanico hordeo sermo est.

1. *Hordeum maius*

2. *Hordeum exiguum.*

Marcus Varro de re rust. lib. 1. cap. 45.

Plinius lib. 18. ca. 7. Ex hordeo alterum caput grani in radicem exit, alterum in herbam, quæ & prior floret.

Radice crassior pars grani fundit, tenuior florem. Cæteris eadem pars & radicem et florem. Theoph. lib. 9. cap. 8.

NOMEN-

NOMENCLATVRAE.

Crediderim equidem ueteres ualetudine prosperiore usos fuisse, cum ex frumentis duntaxat uictitarent, quam hodie Apicij illi utantur, qui quotidie noua fercula sine ullo fine excogitant, qua ratione humana corpora corrumpuntur, prauisq́ humoribus, unde omne genus morborum deriuatur, obnoxia redduntur. Sapienter igitur gladiatores illi & Athletæ ueteres, qui ab hordei tanquam optimi cibi & ad nutriendum accommodatissimi usu deterreri se non passi sunt, licet à plerisque contumeliose Hordearij appellarentur. Hordeum itaque pauperibus cum gratiarum actione ut in cibo potuq́ hactenus semper, ita in posterū usurpabitur. Hordeum (ut ad alia pergamus, Hebræis שעורה Scheorah, Exodi ix, Græcis κριθὴ, Germanis Gersten dicitur, Serapioni, Xahaer. Si in species suas Hordeum distrahas, prius Polystichon, Germanice Groß Gersten/alterum Distichon, Germanice Klein Gersten dicetur.

Gerstenfresser

Diosco. lib. 2. cap. 78.

Serapio ca. 131.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Post Triticum commendari solet Hordeum, tertio uero loco Spelta habetur. Hæ enim omnes fruges, cibis, pane, & potu, Ceruisia inquam conficiendis, apud multas gentes frequenti in usu sunt. In medicina quoque duæ posteriores, Hordeum, scilicet & Spelta, suas habent utilitates, ijsdem pene cum Tritico & Amylo facultatibus donatæ. Sunt autem temperamento calidæ & siccæ.

INTRINSECVS.

Hordeum cum Fœniculi semine decoctum lactis copiam auget, amissamq́ restituit.

Farina hordeacea in butyro tosta, ita ut in pultem redigatur, aluum cohibet.

EXTRINSECVS.

Facultates hordei, sub Tritico fere omnes comprehensæ sunt, possuntq́ bina hæc frumenta in omni usu mutuo sibi succedere.

Farina Hordei (ut interim idem de furfuribus eius tibi pollicearis) plerunq́ luxatis membris medetur, butyro uel aceto probe decocta & imposita.

Eadem tumoribus mammarum & pudendorum, necnon ramici, podagricis inflammationibus, strumis deniq́, & quibuscunque tandem tumoribus opitulatur. Vt uero hæc fœlicius exequatur, solent eam quidam cum

Ficis,

Ficis, fimo columbino, melle, terebinthina, aut oleo oliuæ, decoquere. Cum Meliloto autem & calycibus papaueris, Ruta, & Fœnogræco, æquis portionibus in aqua decocta, ita ut oleo admixto emplastrum fiat calidum quod sæpe imponatur locis affectis, dolores eos qui latus excruciant, finire, pleuriticamque collectionem discutere traditur.

De Speltæ uarijs generibus. Cap. XXII.

SPELTAE APVD GERMANOS TRIA EXTANT GEnera, quorum prius de quo & primo loco agemus, simpliciter Speltz/id est, Spelta dicitur. Ea, primo exortu, herba, culmo, geniculis & Spica, Tritico similis est; nisi quod flagellis (ut uulgo uocant) exteri se non patitur, quin potius instar hordei in mola excorticari uult & deglubi. Nam in unaquaque gluma duo plerunque includuntur grana, ueluti gemelli. Hæc cum Tritico maturatur. Requirit autem solum bonum & diligenter cultum.

1. Spelta prima Germanis Speltz.

At ea quam Germani Dinckel nuncupant, licet culmo & spica, breuior, angustior, & magis tenuis priore Spelta existat, tamen rursus cum eadem magnam habet affinitatem, quod uti illius, ita huius grana purpurea & exigua glumis quibusdam, sed singula singulis includantur. Porro spicæ huius duplici uersu seu ordine, non aliter atque Hordeum distinguuntur, aristis insuper admodum horridis & asperis accedentibus. Hoc quoque genus in molendino, non in area, cortice exuitur, culmo, glumis & aristis, totaque fere substantia punicans. Tardissime omnium maturescit, licet Septembri mense cum Spelta terræ mandetur. Nec uero peculiariter stercoratam terrã expetit, qui fit ut à nostris agricolis in asperrimis montibus, qui longo tempore uomerem nequaquam sensere, seri consueuerit.

2. Spelta secunda Germanis Dinckel.

Posterior uero Speltæ species quæ in quibusdam locis admodum usitata est, ut quæ non minus panibus & cibis parandis quam hordeum adhibeatur, eodem plane modo quo & Spelta prima prosilit, nisi quod nõ perinde atque illa utriculis inuoluatur, quamobrem non in molendino, sed area potius tribulis seu flagellis exteri facile potest, sicut alia quoque frumenta. Semen huius subluteum est instar Tritici.

3. Tertia Speltæ species Germanis Kern.

Hoc loco obseruandum est, omnia frumenta quorum mentionem hactenus fecimus (excepto hordeo quod minime floret) eiusdem formæ, florem ferre, circa festum D. Ioannis, Plantagine, cui alias satis respondet, magis exiguum. Cæterum quot à spica flosculi qui se instar fibrarum minutissimarum habent, dependere uidebis, tot grana ex ea praditura colliges.


Sa

Spelta trium generum.

Speltz/Dinckel/vnd Kern.

Dioſco. lib. 2. cap. 80.

Plinius lib. 18. cap. 8.



NOMENCLATVRAE.

Spelta, Græcis ζειὰ, Latinis Zea, Germanis Speltz/ appellatur. Prior eius ſpecies Dioſcoridi δίκοκκος, à binis putaminibus in quibus bina quoque grana gerit, Germanis quibuſdam Dinckelkorn / & generali ut diximus nomine Speltz dicitur, Hebręi כונתא Kuntha Exod. ix. Romani olim ſemen uocabant, forma & uiribus Tritico par. Italiæ maxime uero Campaniæ uſitatiſſimum quemadmodum teſtatur Plinius. Frumentum Germaniæ notiſſimum.

Altera ſpecies Germanis Dinckel/ quibuſdam S. Peters Korn, aliis Blicke/ agro uero Vormatienſi Einkorn nuncupatur, Hebræis כסמת Kuſſæmæt Exod. ix. Dioſcoridi ἁπλῆ dicta, quod ſimplicis ſit grani. Hoc ſemen Mediomatrices loco Siliginis (quę Germanis Korn dicitur) Speltę admiſcent. Præcipuæ uero ſaginandis pecoribus eo utuntur. Nam panis qui ex hac ſimplici Spelta conficitur, plane puniceus, inſipidus & coctu difficilis euadit.

Dioſco. lib. 2. cap. 87. Colu. lib. 2. ca. 6.

Tertia poſtremo Spelta quam Germani Kern uocant, nobis χόνδρος, hoc eſt, Halica, & Far adoreum Columellæ eſſe uidetur. Licet autem Halicam

ex Zea fieri dicat Dioscorides, quod & Plinius affirmat lib.xviij. cap.xi. tamen eodem in capite, Alicam frumentum esse, & id maxime quod Far uocant, dicere uidetur, posteaquam Alicam esse addit, quæ ex Zea, deinde & Tritico olim confecta fuerit, ad multos usus adibita. Præterea in Columella Faris quatuor describuntur genera, Venuculum scilicet rutilum, Germanis (ut nostra fert sententia) Bern/ Venuculum album, Germanis Teütsch Reyß/ hoc est, Germanica Oryza, de qua proximo ab hic capite, clusinum, Germanis Speltz/ oder Dinckel/ semen deniq; Trimestre alias Halicastrum appellatum, Germanice Amelkorn. Apud Paulum etiam Ægínetam χόνδρος Tritico similis esse perhibetur, quo loco non Alica, sed Alix legitur. Ex his itaque ueterum testimonijs facile licet colligere, Far adoreum Halicam, & Chondron, idem significare, & nunc quidem pro frumento peculiari, nunc uero pro mola ex Zea confecta accipi. Cæterum cum de Halica scriberet Dioscorides, non frumenti ipsius, quod Far appellari diximus, historiam texere, sed potius utilitates eius farinæ quæ ex Fare siue Halica fit, & quid in medicina possit recensere uoluit. Faris plura alia nomina extant, Galeno siquidem Brance, Italis Sandala nuncupatur.

Faris quatuor genera.

Paulus Aegin. lib.6.cap.78.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Nos Triticum, Hordeum, Speltam, necnon uniuersa huius genera ijsdẽ facultat bus pollere iudicamus, ita quidem ut mutuo sibi succedere possint. Hoc est (si similitudinibus docere oporteat) quemadmodũ dicere possem⁹, quisquis uinum nõ habuerit, Ceruisiam, qui uero & hac destituitur, aquam bibat, ita cuicunque per rationem uitæ suæ, Triticum, Amylum, aut Speltam usurpare non conceditur, is Siliginem & eam quam Germanis Dinckel appellari diximus, necnon Auenam usurpet. Non minus enim his, quam Tritico natura hominis contenta esse potest. Prẹterea non cuiuis contingit ea fortuna, ut possit uel Tritico, uel Spelta familiam suam sustentare. Reperiuntur tamen nonnulli Gastres cœnobitæ, cuiusmodi sunt ij qui in Vuasgoia cœnobium Lüsserstal incolunt, qui necessitate quadam ineuitabili, modo regulæ suæ (ut uulgo uocant) obliuisci nolint, Triticeum & speltaceũ panem esitare coguntur. Rursus qui in Eiffalia (uulgo die Eiffel) & syluis illis quas Germani den Eberstwaldt/ Westerwald/ & Odenwald uocant, asperis, alijsq; incultis locis degunt, Auena & Ocymo de quo altero ab hinc capite dicetur, uictitant, qui sane non solum prosperiore ualetudine sunt præditi, sed & diutius uiuunt, quam ij qui uel in Italia, uel Alsatia, Tritici & uini copiã habent. Notum est autẽ non tantũ ad omnia scelera incitari, quibus panis copia suppetit, quemadmodũ de Sodoma scripturę sanctæ loquuntur, sed & innumeris fere morbis prauisq; humoribus obnoxi-

os esse. Proinde tria quæ commemorauimus Speltę genera unum & idem fere temperamentum obtinent, nimirum medium quoddam inter Triticum & hordeum.

INRINSECVS, ET EXTRINSECVS.

Omnes Speltæ facultates superioribus capitibus, cum de Tritico & hordeo ageremus explicatæ sunt, cum his enim apud ueteres pari laude commendatur Spelta.

Furfures omnium Speltę genernm, clysteribus utiliter adijciuntur, quibus suis tumoribus prosunt, præsertim uero oculorum abscessui qui inter maiorem oculi angulum & nasum fit (Gręcis αἰγίλωψ, Germanis der Werner dicitur) medentur, aceto & uino decocti ac illiti, uel impositi.

De Germanica Oryza, seu Trago frumentaceo Dioscoridis, necnon Oryza peregrina. CAP. XXIII.

Candidum Far.

CVM TRAGVS FRVMENTACEVS QVI A' COLVmella Candidum Far nuncupatur, apud nos quoque proueniat, uolui illius post Speltam mentionem facere. Est autem ut paucis historiam eius absoluamus, hic Tragus cerealis, frumenti æstiui genus, nam apud Mediomatrices inter reliquas æstiuas fruges in optimis agris seritur, q̃d ad culmos, geniculos, stipulam, aristas (quas habet admodum acutas & asperas) necnon spicã & grana ipsa attinet hordei genus, sed fortius & candidius. In molis sicut hordeũ, cortice exuitur, et ad usus culinarios reseruatur, in cibo optimi saporis, maioris uero nutrimenti si cum lacte discoquatur.

NOMENCLATVRAE.

Collu. li. 2. ca. 6. *Diosco. lib. 2. cap. 84.* *Τράγος. Ὄρυζα.* *Dioscor. lib. 2. cap. 86.*

Nostri agricolæ & ipsi ignorant, quodnam huic frumento proprium sit nomen, affirmant tamen Oryzæ saluberrime genus esse, quorum sententiam ego secutus, Germanicam Oryzam hoc est Teütsch Reiß / hoc frumentum appellaui. Proinde meo quidem iudicio nihil aliud est, quam id quod Columella Far candidum, & Dioscorides Tragum frumentaceum appellauit.

DE ORYZA PEREGRINA.


Cæterum quam uulgo Reiß/hoc est, Oryzam Germani nominant, longe aliud est frumenti genus, tota substantia Germanica Oryza minus, granis

Siligo.

Rockenkorn/de quo sequenti capite.

Candidum Far.

Teütscher Reiß/Ammelkorn.



nis oblongis, latis, & mul to tenuioribus. Quo pacto uero, in quibus locis, qua denicp cum superstitione feratur, metatur & recondatur, cum alibi passim apud autores, tū uero in Itinerario seu libello Aloysij quē de nanauigatione sua scripsit, quo loco de moribus, necnō frumētis urbis, uulgo Chalekutten appellatæ, mētionem facit, non iniucunda cognitu extant. Dioscor. ut supra annotatū est Oryzam nominat, Germani Reiß/ nonnulli ex Latinis Rizum nuncupant. Hebrei ארוז teste R. Leui in Danielis capite primo dicūt. Quidam dicunt Tiphen esse Plinij, nam ita scribit Plinius. *Pli.lib.18.ca.10.* Tiphe et ipsa eiusdem generis, ex qua fit in nostro orbe Oryza. Ex his uidere est duas inter cereales fruges Tiphas nobis cōstare, nimirum Triticum alterum, & Oryzam Plinij. De Tipha tertia suo loco dicemus.

VIRES AC TEMPE- *ramentum.*

Oryza Germanica temperamento & facultatibus

Tritico & Speltæ respondet. Tradunt eam in cibo usurpatam aluum emollire. Rursus Oryzam illam peregrinam, aluum supprimere.

De Siligine. Cap. XXIIII.

QVEMADMODVM ALSATAE TRITICVM, MEDIOmatrices uero Speltam, ita & rura inter Spiram & Vormatiam sita Siliginem, generali uocabulo Korn/hoc est, frumentum uocare consueuerunt. Et proculdubio non postremum inter frumenta locum occupat Siligo, ut quæ uulgo & pauperibus ad arcendam famem utilissima sit. Eius duo apud nos reperiuntur genera. Horum primum idemque præstantissimum Siligo hyberna dicitur, quam solent nostri agricolæ Septembri nonnunquam & Octobri, & Decembri mensibus, præsertim si cœli constitutio respondeat votis, terræ qualicunque, nec tamen nimium forti, committere, e qua primo exortu, herba pene punicante erumpit. Hæc ubi ante hyemem, à pluuiosa tempestate illæsa, radices egerit, & in cespitem quasi euaserit, magni prouentus spem facere solet, quæ plerunque adeo non fallit, ut ex unico etiam grano duodeni & plures quandoque spicati culmi exeant. Culmo est triticeo, uagina aspera, graminea, seu potius arundinea, geniculis ut plurimum quatuor (nam omnes fruges proceritate superat Siligo) spica recta, aspera, aristis haudquaquam innocentibus horrida, flore luteo, sicut & alia pleraque frumenta. Cæterum intra quinque septimanas postquam defloruit, maturatur, quemadmodum & reliquæ fruges. Siligo nempe, Triticum, & Spelta, si cœli temperies responderit, nono plerunque à satione mense in horrea conuehuntur.

1. Siligo hyberna.

Æstiua Siligo vere seritur, cum hordeo, per omnia hybernæ similis. Iulio mense in nostris regionibus metitur. Siliginis effigiem præcedenti habes capite.

2. Aestiua Siligo.

NOMENCLATVRAE.

De hoc frumenti genere multum dubitatur, magnæ etiam de illo inter doctos controuersiæ hodie existunt, nec quisquam illorum quo pacto ueteribus appellatum fuerit hactenus demonstrauit, nisi quod nonnulli in hoc consentire uidentur, quod Siliginem ueterum esse affirmant, quod Germani Rocken appellant. Iam uero si hoc frumenti genus ueterum Siligo sit, quemadmodum isti sentiunt, certe à ueteribus longe magis commendatur quam Triticum. Scribunt enim in quibusdam partibus Siliginem biennio in Triticum transire, uocantque eam delicias Tritici. Theophrastus etiam

Plinius lib. 18, cap. 8.

Olyram

Olyram hoc est, Siliginem, Homiopyron, hoc est, Tritico similem esse dicit. Dioscorides etiam Speltæ generi eam adscribit. Ex his testimonijs ueterum satis liquere arbitror, Siliginem, Speltam & Triticum congeneres esse fruges, quod & Columellam intellexisse hoc pacto uerisimile est, cum Siliginem secundum Tritici genus facit, quod nisi ita se haberet, quomodo Siligo in Triticum abire posset? Quam ergo Germani Rocken uocant, eã nos Siliginem ueterum, & Secalen, necnon Triticum secundum Columellæ esse existimamus, Olyram Dioscoridi nuncupatam. Si qui erunt quibus hæc nostra sententia minime satisfecerit, ij aliam nobis demonstrent Siliginem.

ὁμοιόπυρ. Diosco. lib. 2. cap. 82. Columella lib. 2. cap. 6. ὄλυρα.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.


Siligo non minus quam Triticum laudanda est. Multos reperias qui Siligineum panem, præsertim ubi farina pollinario cribro exacte fuerit cribrata, furfuribusq; purgata, triticeo anteponant, & id quidem non sine ratione. Huiusmodi namque panis, optime nutrit, satiatq;, nec adeo facile acere exuccus & aridus redditur, atque qui ex Spelta conficitur. Quibusdam in locis solent industrij coqui Siliginem antequam induruerit, & dum quasi lactea est, demetere, ac igne ustulare, posteaq; spicas manibus terere, quoad grana glumis exciderint, quæ demum repurgata iure carnium decoquuntur, Sunt qui Anethi herbam adijciant. Alij grana extrita siccant, & ad usus culinarios conseruant. Reliquæ Siliginis uires ex capitibus de Tritico & Hordeo colligendæ. Ex uagina graminea Siliginis, coqui tempore quadragesimali embammata optima conficiunt, quę sale & aceto temperant. Nec desunt qui ex illo gramine aquam distillent, ad calculos renum facientem, necnon aduersus calorem & inflammationes præsertim oculorum. Idem de aqua ex gramine hordei distillata affirmant.

Percurri utcunque præcipuas cerealium frugum, quibus humana uita sustentatur, superest, ut reliquas deinceps persequamur. Sed antequam ad illas accedamus, explicabimus coronidis uice partium in his frugibus nomenclaturas, quæ ita se habent. Ex herba quadam seu gramine concauo omnium frugum culmi prorepunt, tanquam è uagina, unde ea herba Varroni uagina dicitur, Germanis Graß. Spica ea dicitur in qua ex ordine grana collocantur, Germanis äher/quæ aristis uacua est spica mutica, quæ illas habet Spica cornuta appellatur.

Aristæ quasi cornua sunt spicarum, & ut acus tenuis lõgæ eminent è gluma, Germanice Granen. Folliculus in quo granum latet Theca & gluma, Germanice Spreuwer nuncupatur. Acus, aceris, id dicitur quod inter purgandum à frumentis decidit, suntq; minutissimæ quædam paleæ, Germa-

nis Helwen. Atque hæc hactenus, nam qui exactiorem de his rebus doctrinam desiderat, is legat M. Varronem de re rustica libro primo cap. xlviij.

De Ocymo ueterum, Germanis Heyden korn. CAP. XXV.



IN ASPERIS, ARENOSIS et montosis regionibus, cuiusmodi est ea quæ Germanis der Odenwaldt dicitur, & Vuasgoia, Ocymum, quod huiusmodi solo gaudet, in quo etiam celerrime prouenit, seri consueuit pabulis pecorum. Nam haud uulgariter nutrit pecora, ut breui tempore hoc pastu mirum in modum saginentur. Quanquam pauperes ad arcendam famem panes ex eo semine factitant, præsertim uero qui den Odenwaldt uulgo uocatas partes incolunt, qui mos apud alios quoque iampridem obtinuit, nimirum in oppido Cæsareo Luthra, & in agro Hagenoensi. Cæterum appetente Maio mense terræ committitur semen, e qua quam primum erumpit, sed longe aliter quam commemoratæ fruges, nam bina primum folia lata emittit, Rapo aut Brassicæ similia. Radicem habet unicam, paucis capillamentis fibratam, & breuem. Cæleriter in caulem

caulem se attollit rotundum, tenerum, læuem, concauum, minime geniculatum, sed ex alis quibusdā surculosum, folijs Hederæ, sed tenuioribus, mollioribus, & acutioribus uestitum. Florem fert Iunio mense perexiguum, candidum, conferctim compactum & stipatum, qualem fere Sambucus profert. Hic in triangulare & nigrum semen, Acetosæ pene simile, sed maius & plenius abit. In mola farinam candidam, & gustu reliqua farinæ genera referentem præstat, si diligenter cribratum & fursuribus purgatum fuerit.

NOMENCLATVRAE.

Si plerique ex doctioribus, ueritati cedere, quam contentionibus omnia turbare mallent, facile deprehendere possent, iam descriptam plantam (quæ Germanis Heidenkorn uocantur) ueterum Ocymum esse, quod a Græca dictione ὠκὺ quod est cito, nomen sortitū est, quemadmodum prodidit Marcus Varro de re Rustica libro primo cap. xxxi. Quo loco idem autor Ocymum bubus dari ut purgentur, & hoc ut fœlicius exequatur, uiridem herbam, & in flore secari oportere tradit. Ex hoc Varronis testimonio satis apparet Ocymum ueterum non esse Basilicon nostrum, siquidē illud apud nos haudquaquam pecoribus pascendis exhibetur, sed in magno habetur in hortis pretio. Præterea si Basilicon Ocymum sit, amabo te quomodo illi quadrabit, quod de Ocymo dixit Plinius, cum scribit, Et Ocymum sub canis ortu pallescit. Cum manifestum sit Basilicon nostrum tum temporis florentissimum conspici? Postremo non solum Platina libro tertio sed & Plinius lib. xx. cap. xij. Ocymum inutile stomacho, urinæ, oculorum quoque claritati testatur, idq; a Chrysippo olim animaduersum fuisse. Atqui in nostra Basilica non tantum huiusmodi nocumenta non deprehendi, sed etiam ad eas affectiones curandas utiliter adhiberi posse, manifestius est quam ut demonstrari debeat. Quid igitur dubitamus? quid cunctamur? quin quod res est fateamur, Basilicam nostram diuersissimam esse ab Ocymo ueterum. Carolus Stephanus de re hortensi nuper libellum conscripsit, in quo inter cætera Ocymum partim ad Lenticulam, partim ad Viciam referre uidetur, quam recte, ipse uiderit. Constantinus de gradibus Ocymi citrei meminit, quod in Galeno tristia corda lætificans, appellari tradit, id quod ego de Basilico præstantiori intelligo.

Marginalia: ὤκυμον. — *Plinius. lib. 19. cap. 10.* — *lib. 1. cap. 8.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Contrarijs facultatibus præditum est Ocymum, nunc enim oculos hebetat, & spiritus mouet, nunc uero inflammationes discutit, claritatemq; oculorum adiuuat. Cæterum calidum & humidum est Ocymum, nec im-

becillioribus hominibus commodat, quare pecoribus saginandis illud relinquamus.

INTRINSECVS.

Ocymum cibo copiosiore, aut pinsitum & manducatum oculorum aciem hebetat, aluum mollit, spiritum mouet, urinam pellit, lac euocat, ægre tamen conficitur, quare laborantibus duntaxat hominibus, quibus ocium ignotum est, cibus iste conuenit.

Semen tritum, & ex uino potum conuenit atram bilem gignentibus, difficili urinæ inflatisque.

Sunt qui dicant si feriantur à scorpione, qui Ocymum ederint, nullo conflictari dolore. Sed aliter sentit Plinius lib. xx. cap. xij. Breuiter, Ocymum in quibusdam partibus (quemadmodũ meminimus) tam hominibus quam iumentis in cibo estur.

EXTRINSECVS.

Succus Ocymi, uisus caliginem abstergit, destillationes exiccat, si per dies aliquot ex ordine instilletur oculis.

Idem naribus haustus, subinde mouet sternutamenta, cerebrumque purgat, sed oculos premi necesse est.

Farina seminis Ocymi rosaceo aceto temperata & calida imposita, pulmonum inflammationibus auxilio est, draconis marini & scorpionis ictibus, oculorumque denique doloribus prodest.

De Turcico frumento. *Cap.* XXVI.

GERMANIA NOSTRA PROPEMODVM ARABIA fœlix appellabitur, posteaquam non solum domesticis ijsque præstantissimis abundat stirpibus, sed et illius solo iam plurimæ peregrinæ plantæ assueuerunt, inter quas Turcicum hoc frumentum connumerandum quoque fuerit, quod proculdubio primum à mercatoribus in nostras terras è pingui aliquo solo importatum fuit. Nam terram probe stercoratã & pinguem expetit, frigoris & pruinarum impatientissimũ, non aliter atque Fabæ Italicæ, quarum supra inter legumina historiam exposuimus. Quatuor huius frumenti reperiuntur genera. Quoddam enim grana ruffa, quoddam uero purpurea, aliquod lutea, aliquod candida grana Phasioli agrestis magnitudinem obtinentia profert. Seritur hoc frumentũ Aprili mense, in terram pinguem & apricam, è qua primo exortu non multo aliter quam Milium erumpit, quem folia excipiunt subinde latiora, harundinacea

Turcicum frumentum.
Türckisch korn.



rundinacea, & maiora etiã. Culmum habet altum, crassum, rotundum instar Maluæ Romanæ, geniculis intersectum, in summitate paniculas, aut spicam muticam & granis uacuam instar Siliginis florentẽ, nunc luteo, nunc candido, nunc purpureo præditam colore, prout fructus quem profert coloratus est. Singulare uero naturæ miraculum in hac planta uidere est, nimirum quod nõ ipsa iuba, aut spica mutica, uti in aliis frumentis fit, fructum profert. Nam singuli culmi e lateribus geniculorum longas, crassas, rotundas & foliaceas uaginas proferunt, quæ si denudentur grana apparent frequentia, coaceruata, ac penitissime iuncta, inq; octo aut decem uersus digesta. E fastigio uaginarum capilli tenues, iam candido, iam luteo, nunc purpureo colore maculati dependent, prout fructus coloratus fuerit, quo scilicet ab auium & uermium iniuria tutæ esse possint. Hinc uero naturæ, quę Dei est famula, in operibus absoluendis, ornandisq; solertia elucet, quæ res in admirationem sui nos pertrahere debet, eoq; adducere ut Deum ex his miraculis agnoscere discamus. Cæterum culmi huius frumenti dum adhuc uirides sunt & succulenti, dulcedine Saccharum etiam superant,

Miraculum naturæ.

superant. Augusto demum mense maturatur. Grana in candidissimam fari nam teruntur, ex qua panis conficitur, dulcis, sed sapore interim peregrino præditus.

NOMENCLATVRAE.

Hoc frumentum quod Germani Welschkorn / hoc est Italicum (ita enim omnia peregrina, & prius nostro orbi incognita appellare solent) uocant, iure equidem Tipha magna dici possit. Quia uero è scriptis ueterum nullum nominis huius testimonium habemus, uocabimus interea Asiaticum frumentum. In Asia siquidem ultra Bactram fluuium adeo grande frumentum fieri tradunt, ut nucleos oliuæ sua æquiparet magnitudine, quod mihi uerisimile fit, propterea quod penes circulatorem quendã quina grana uiderim, olim huic nostro frumento similia colore & substantia. Cumq; diligenter de illis percontatus essem, respondit mihi ea ex India uenisse. Sed ut tandem uela contrahamus, quid proprie sit Tipha cerealis, Theophrastus & Plinius docent, & nos supra eius rei meminimus. De Tipha altera suo loco. Appellabimus autem in præsentia hoc frumentum, Tipham magnã, Triticum magnum, seu Asiaticũ, Germanice Türckisch / oder Welschkorn / quoad alia & magis propria eius nomina cognoscamus.

Theoph. lib. 9. cap. 4.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quidnam hoc frumentum in medicina possit, nondum satis mihi constat, nisi quod panes ex illo conficere uidi, eosq; elegantissimos. Qui fit ut cum Tritico idem temperamentum habere uideatur.

Quidam ex farina pultes parant, adhibito lacte, quod & reliquis frugibus familiare est.

Foliorum recentium succus refrigerandi facultatem obtinet, ad erysipelata apprime conducens.

De Auena. Cap. XXVII.

IN INSVLIS QVIBVSDAM SOLA AVENA VICTITANT homines, sponte sua proueniente. Scribit etiam Plinius lib. xviij. cap. xvij. Germaniæ populos Auenam serere, nec alia pulte uiuere, id quod forte de Algoia & Thurgoia admitti poterit, alias enim pabulis equorum nascitur, propter quos etiam hodie præcipue seritur in Germania. Cæterum haud pœnitendum frumenti genus, Auena censeri debet, siquidem non solum hominibus & iumentis, sed etiam sanis & ægris utiliss. deprehenditur. Solent enim Medici apud nos ægrotis inter cæteros

Plinius lib. 6. cap. 30.

Auena.
Habern.



cibos, haud postremo loco auenaceos, qui uarij in Germania parantur, præscribere. Superioribus annis cum famæ premerentur Vuasgoia, & a ger Mediomatricum, plerique Auenã in panes cogere, ijsque uesci didicerunt, ita quidem ut deinceps etiam, percepta eius utilitate maiori in precio apud hos habita fuerit Auena, nec quisquam illa in posterum carere uelit. Sunt autem duo Auenæ genera;

Satiua (de qua hoc capite sermonem instituimus) folio, stipula, culmo & geniculis Triticum imitatur teste Dioscoride. Culmi enim huius ex gramineis quoque uaginis prorumpunt, qui in fastigio non aliter atque iubæ harundinis sese explicant. Semina acuta ex alis spicæ explicatæ, bina instar gemellorum, (quanquam alterũ semper grandius existat) dependẽt, ita quidem ut locustas bipedes referant singuli seminũ exortus. Auena plerunque inter postremas fruges maturatur. Seritur namque in fine Februarij & principijs Martij mensis, qua de causa frumentum æstiuum iure appellari potest. Agricolæ non optimos agros, sed eos quos commode stercorare non possunt, Auena conserere solent. Sciunt enim probe eiusmodi fruges, ut sunt Auena, 1. *Satiua Auena.*

& altera

& altera species Speltæ, quam Dinckel nominant Germani, terram intra paucos annos extenuare, quod & Theophrastus & Maro prodiderunt. Sic enim in Georgicis scribit Vergilius,

Theoph. lib. 9. cap. 9. & 11.

Vrit enim Lini campum seges, urit Auenæ.
Vrunt Letheo perfusa Papauera somno.

De syluestri inter Vitia frugum dicetur.

2. *Syluestris Auena.*

NOMENCLATVRAE.

Theophrastus lib. ix. cap. ix. tria frumenti syluestris genera recenset, Bromon scilicet, Auenam, hoc est, Ægilopa, & Lolium. Dioscorides uero indifferēter hoc frumenti genus nunc Ægilopa, ut li. iiij. ca. cxxxv. nunc Bromon nominat, uidelicet lib. ij. cap. lxxxv. ubi de Auena frumento peculiariter agit. Germani Habern uocant, nonnulli alij, uidelicet impostores illi mendici, qui ut fœlicius homines decipiant, propriam linguam confinxerunt, quam uocamus Betlerwelsch, hoc est, Mendicorum Italicum, Spitzling ab acuto semine dixerunt. Serapioni Dausir dicitur, cap. xxv. De Lolio, Ægilope, & Bromo herba statim dicemus, cum frugum uitia describemus.

Βρῶμος Hebræis שיפון Schifun dicitur, teste Elia.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Qui Algoiam, Thurgoiam, & Sueuiam, aliaq; id genus loca incolunt, ij ex auena eiusq; farina optimas & uarias pultes conficere norunt, unde Plinius nō iniuria Germaniæ populos nulla alia pulte uiuere tradit. Cæterum salubres cibos præbet Auena, si rectę paretur. Experientia etiam testatur, eos qui auenaceis, hisq; similibus cibis uescuntur, longe prosperiore uti ualetudine, quam qui splendidissime ac delicatissime quotidie epulantur. Quin constat plures ægritudines et morbos è luxuriosis illis coquinis ac seplasijs quam ulla alia ex causa, quæcunque tandem sit proficisci, ut recte ille dixerit plures crapula quam gladio interire. Quanquam uero manifesta hęc sint omnibus, nemo tamen est qui delicijs his carere uelit. Sed ualeant hæc, nos reliquam absoluamus auenæ historiam. Auena ut cibus calidam temperaturam habere, ut medicamentum refrigerare & exiccare dicitur.

INTRINSECVS.

Pulte huius aluus sistitur, mediocriter nutrit, propter calorem quem natura sua habet.

Farina auenæ tosta, cum aqua mulsa pota, tussientibus prodest.

EXTRINSECVS.

Farina auenæ inflammatis & luxatis membris, instar hordeaceæ adhibetur, potestq; alterum ex his frumentis alterius loco usurpari.

De

De Sesama, *Germanis* Flachsdotter.
CAP. XXVIII.



HAEC PLANTA SVperiori libro capite xvij. inter Linarias herbas iampridem descripta est. Quia uero semen hoc à ueteribus frugibus annumerata fuit, & nos loco memorato nomen ipsius non exposuimus, operæpretium uidebamur facturi, si hoc loco historiam ipsius repeteremus, & de nomenclaturis aliquid dissereremus. Ac deplorãdum sane est, quod ne docti quidem plantam hanc utilissimam, cognitã habeant. Et licet affatim inter segetes Lini ubique locorum, maxime uero in Alsatia, & tractu Rheni erumpat, ab omnibus tamen euulsa abijcitur, ac si inutilis plane, & uicijs herbarum tantum adiungenda foret. Cumq; præclare cum ea agitur, auiculis inclusis, & fringillis, in esca à nonnullis exhibetur, neq; ad rem ullam aliam (quod sciam) à nostris illa usurpatur. Nascitur autem ut diximus inter segetes Lini, cui tota fere substantia similis existit, ut supra docuimus.

NOMEN.

NOMENCLATVRAE.

Hæc planta quandiu uiridis fuerit, à nullo animali manditur, sicut nec Lupinus. At cum maturuerit semen, uix quicquam aliud adeo ab auiculis inuaditur, atque hoc ipsum, quod animaduertentes quidam, huiusmodi semen colligere, ac alendis auiculis reseruare studuerunt. Cæterum ut paucis sententiam meam aperiam, uidetur sane mihi hæc planta genus esse Sesami, non tamen Ægyptiaci illius quod efficacius & candidius est, ex quo illi dulcissimum oleum factitare soliti sunt. Quod uero ego Sesami genus esse statuo, ratio ipsa & descriptio herbæ me mouet, nam Sesamæ & Papaueris semina includi testatur Plinius. Sic etiam Theophrastus Euonymum siliquis suis similem esse Sesamo tradit. Tametsi autem descriptio Sesamę quę apud Theophrastum libro nono cap. ix. extat huic nostræ plantæ non per omnia respondeat, ut raro stirpem inuenias, quæ uno, & eodem modo à diuersis scriptoribus depingatur, hoc tamen obstare non potest quo minus Sesamā nostram agnoscamus, quæ inter æstiuos fruges computatur, ut quæ cum Lino seratur, quod & Columella animaduertisse uidetur, cum decimo capite libri secundi in hunc modum scribit. Sed hoc quidem semen (Sesamum intelligit) Ciliciæ, Syriæq́ regionibus ipse uidi mense Iunio, Julioq́ conseri, & per Autumnū cum permaturuerit, tolli. Atq; hæc quidem de Sesamo nostra in medium adducere uolui, ut rursus innotesceret, ususq́ tam salutaris seminis omnibus rei herbariæ studiosis constaret. Sesamus peregrina & ipsa iampridem ad nos adportata est, nostrati per omnia fere similis.

Theoph. lib. 9. cap. 7.
σήσαμον. Diosco. lib. 2. cap. 90. Plinius lib. 18. cap. 7. Theoph. lib. 3. cap. ult.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Sunt qui putent una cum nomine & plantam ipsam interijsse. Sed benignissimus Creator rerumq́ omnium conseruator, non uoluit propter hominum negligentiam, herbā tam utilem è rerum natura sublatam. Quam uero in pretio apud ueteres illa habita fuerit, uel hinc patet quod à Græcis hoc semen pani compinsitum fuit, ob insignem qua præditum est dulcedinem. Quamprimum autem Saccharum usurpari cœpit, non solum magni æstimatum, sed nec plantatum fuit in posterum Sesami semen. Ægyptij ut diximus oleum ex Sasamo, tum ad cibum, tum ad alia conficere, alijsq́ regionibus impertiri olim solebant. Sed ubi primum Italia oleas plantare cœpit, deuenit in contemptum Sesamus, ad Germanos tanquam exul profecta, apud quos non multo honestius habita inter Lini segetes erumpit, uitium herbarum existimata, licet multis remedijs scateat. Nam semen Sesamæ emollit, & calefacit mediocriter, herba uero recens seu uiridis refrigerat, & dolorem sedat.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Semen pani compinsitum iucundum & dulcem illi communicat saporem. Perseuero in cibo usurpatum, stomacho non admodum confert, quemadmodum & Lini semen. Oleum uero quod ex hoc semine conficitur, longe præstantissimum est, meoq; iudicio gratius & iucundius oleo oliuæ ut uocant. Semen Sesami introsumi tum debet, cum aluus astrictior est, & doloribus tentata, ut tumores deprimantur, & dolor mitigetur.

EXTRINSECVS.

Sesami semen, neruorum crassitiem illitu discutit, hoc idē oleum Sesaminum, sed efficacius facit. Medetur & auribus fractis, ambustis, inflammationibusq;. Ad hæc herba uel semen Sesami cataplasmatis modo imposita, quemadmodum de seminibus Fœni græci & Lini diximus usurpari potest. Herba uino decocta, inflammationibus, doloribusq; oculorum prodest imposita, inflammationem namque restinguit, & dolorem sedat certo.

De Milio. Cap. XXIX.

INTER OMNES SPICIFERAS FRVGES MILIVM ADuersus iniuriam auicularum indefensum existit, sicut & Auena, & Ocymum. Omnium siquidem frumentorum semina, uel aristis acutis, & asperis armantur, ut Tritici, Siliginis, Hordei, uel gluma & folliculis ac membranis quibusdam includuntur, ut Speltæ eiusq; congenerum. Milium uero Auena & Ocymum semina sua in tenuissimis membranis continent, qui fit ut ab auiculis facilime infestari queant. Plinius, multos ad Milij remedia rubetam noctu aruo circumferri iubere, priusquam sarriatur, defodiq; in medio inclusam uase fictili, ita nec passerem, nec uermem nocere, testatur lib. xviij. naturalis historiæ cap. xvij. Eiusmodi superstitiones plures apud ueteres fuere, quarum nonnullæ etiamnū hodie inter Christianos usitatæ audiuntur. Sed relictis his ad rem accedamus. Milium quod inter frumenta tertij generis a Theophrasto refertur, æstiuum est. Hoc in uliginosis & arenosis agris seritur, idq; bis in in anno, nimirum vere, & in initijs Iunij mensis. Hesiodus omnes fruges æstiuas sub exortum Vergiliarum (id quod Maio mense fit) seri fœlicius docet, neque mihi aliter uidetur, maxime quod ad Milium attinet. Quamprimum è terra erumpit Milium, herbam latiorem, & magis hirsutam cæteris frugibus ostendit. Mox in caulem exilit lanuginosum, septenis aut pluribus geniculis, quæ singula harun-

Theoph. lib. 9. cap. 1.
Cato de re rust. cap. 6.

Milium.

Hirß.



dinaceis folijs uestiuntur, interstinctum. Spica Milij instar arundinis paniculata, e'uagina graminea similiter prorepit, semine pendulo, tereti, copioso, inque folliculo tenuissimo concluso profert. Florem purpureum fert, cæterisque frugibus longe minorem.

NOMENCLATVRAE.

Est & aliud consimile quod Indicum cognominant, in Italiam Neronis principatu conuectum, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adolescit ad pedes altitudine septem prægrandibus culmis. Hæc fere Plinius lib. xviij. cap. vij. Sed cum hoc Milij genus peregrinum sit, nihil ad nos, erimus enim nostro uulgari contenti, quod & ipsum culmo adolescit ad pedes altitudine quinos. Nos sane licet Milio peregrino seu Indico careamus, multos tamen populos, præsertim uero Æthiopes, qui non aliam frugem quam Milij hordeique nouere, frugum copia & uarietate superamus. Cæterum non pœnitendum frumentum est Milium, ut quod apud ueteres magno semper in honore fuerit. Non solum enim ex eo uinum olim factum, sed & Theriacæ Antiochi adiectum fuisse legimus. Neque sane in pulte præcipue insalubre

Pli. lib. 18. ca. 10.

Plinius lib. 24. cap. 16. & lib. 20. cap. 24.

lubre

lubre esse Milium quisquam facile dixerit, cum experientia ipsa testetur, eos qui Milio, Auena & id genus frugibus uictitant, longe melius quod ad ualetudinem attinet, habere, quam qui delicatissime & splendidissime quotidie epulantur. Sed ut ad alia tandem nos conferamus, uocatur Milium Græce κέγχρος, Arabice Dochon, Hebraice דחן Dochan. Ezech. iiij. Germanice Hirß. Diosco. lib. 2. cap. 88. Serap. cap. 104.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Milium in cibo & medicina usurpatur, temperamento suo frigidum & siccum.

INTRINSECVS.

Cum reliqua frumenta desiderantur, Milium in panem cogi potest, sicut & Auena, ut suo loco diximus.

Vulgus Germaniæ nostræ Milium lacte decoquunt, tum temporis maxime, cum uel Bachanalia, uel dedicationes templorum (Germanice Kirchweihe dicuntur) more solito celebrant. Eiusmodi pultem aluum sistere & urinam ciere tradit Dioscorides.

EXTRINSECVS.

Torretur Milium, feruensque in sacco ponitur, ut torminibus reliquisque doloribus, si foueatur, auxilio sit. Sed hoc medicamento iuuantur quibus aluus non est astricta.

De Milio & Panico hi apud Fieram extant uersiculi.

Sunt ieiuna, aluum durantia, grata dolori,
Si milia ignitis sint prius usta focis.
Lacte incocta fouent molli uel inusta liquore
Plenius at cœnæ tarda tenacis erunt.

De Panico. Cap. XXX.


EX ITALIA NVPER NOVVM QVODDAM FRVmenti genus aduectum est in Germaniam, quod semina habet Lenticulas nostras referentia quod ad formam & magnitudinem attinet, paululumque acuminata. Caules profert admodum longos, crassiores & proceriores harundine uulgari, longis & acutis folijs uestitos. Iulio mense è graminea uagina, iubæ emergunt maiores et copiosiores Milio uulgari. Florem gerit flauum, uti & alia frumenta, vere seritur, Autumno maturatur. Non aliter atque Milium è terra primum erumpit, solentque ex uno grano quaterni, aut quini culmi prodire.

NOMENCLATVRAE.

Cum peregrinum hoc semen Germanico nomine destituatur, uolumus

Panicum.

Welscher hirß/Sorgsamen.



Dioscor. libro 2. cap. 89.
Theop. lib. 9. cap. 7.
Plinius lib. 18. cap. 7. & 8.
Platina, lib. 7.

illud, ut peregrina omnia Welschen hirßen/ hoc est, Italicum Milium nominatũ. Norimbergenses Sorgsamen/ appellant. Latine Panicum, à paniculis quibus semẽ inest, Græce ἐλυμὸς dicitur. Plinius Panici quatuor proponit genera, candidum, nigrum, ruffum & purpureum. Nobis nõ nisi ruffum cognitũ est. Semen Panici in cibo dulce & ualde gratum existit, unde Ponticæ gentes nullum Panico præferunt cibum. Diocles medicus à singulari dulcedine qua preditum est Mel frugum appellauit.

Plinius lib. 22. cap. 25.

VIRES AC TEMPE- *ramentum.*

Hoc frumentum in cibo & medicina utrinque usurpatur, cum uulgari Milio eosdem plane effectus sortita, quibus & illud adiungi debet, quod proximo abhinc capite describemus. At si de Panico & Milio agresti seorsim sermo instituatur, hæc illis à Plinio adscribuntur. In uino potum prodest dysentericis. Similiter ijs quę uaporanda sunt excalfactum imponitur. Sistit aluum in lacte caprino decoctum & bis die haustum. Sic prodest & ad tormina. De Panico ita scripsit Fiera

Panici uberior leuioris mensa superbit
Sæpius exiguis cedere magna solent.

De

De Milio agresti, seu exiguo, quod alij Panicum, Germani Fench dicunt.
CAP. XXXI.

Milium exiguum.
Fench.



IN QVIBVSDAM asperioribus Germaniæ partibus, ut est Algoia, & Hegoia, frumentum hocce seri consueuit, Mediomatricibus nunc quoque cognitum. Cæterum semen huius ubi extritum fuerit Milio tam simile apparet, ut discerni duo illa uix possint, nisi exacte quis utrunque inspexerit, tum enim semen huius magis exiguum altero Milio apparet. Folia huius multo sunt asperiora & acutiora, harundinaceis nõ multum dissimilia. Caulem profert rotundum, denis nonnunquam geniculis distinctum. Spicas gerit alijs frugibus plane dissimiles, oblongas, teretes, instar Typhæ aquaticæ, prædensis aceruatas granis: Hoc quoque semen indefensum auicularum iniuriæ obnoxium est. Verno tempore seritur, maturatur Augusto mense. Proinde duo huius frugis sunt genera, quoddam enim flauis, alterum purpureis emicat panicularum fastigijs.

NOMENCLATVRAE.

Hoc frumentum quod quidā Panicum, Germani Fench & Heidelfench appellant, posset & Tipha a` paniculata illa iuba nominari. Quia uero Tiphę appellatio iamdudum aliis frugibus nimirum Tritico & Oryzæ attributa fuit, ideo in præsentia Milium exiguum, aut agreste nuncupabimus, Germanice Kleiner/oder wilden Hirß. Habet quæque regio suas fruges sibi peculiares. In Germaniæ quidem partibus, Alsatia nimirum, inferiore Germania, tractu Rheni, Thuringiaque Triticum, Spelta & Siligo, apud Mediomatrices Spelta dinckel, apud nonnullos alios Ocymum, denique quibusdam hordeum & Milium utrunque, usitata sunt. At si in genere de Germania loquamur, nullum sane erit frugis genus, quod non in omnibus fere eius partibus reperias, excepta Oryza, quam unicam Asiæ, Syriæ & Ciliciæ lubentes relinquimus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Milium agreste in cibo, pane & medicina, non aliter atque Panicum & Milium uulgare usurpari potest.

De Tritico uaccino, ut uulgo nominant, & Crithamo agresti: CAP. XXXII.

ETSI HAEC QVAM MODO PRAE MANIBVS HABEmus herba potius sit, quam frumenti species, propterea quod neque culmum, neque stipulam, neque geniculos habeat, uolui tamen historiam illius post frumenta persequi, cum ex semine eius panes nonnunquam conficiantur, quemadmodum dicemus.

1. *Triticum uaccinum.*

Triticum vaccinum ad altitudinem duorum palmorum assurgit, radice breuiuscula, paucis capillamentis fibrata, caule surculoso, foliis acutis nigricantibus, Verbenæ uulgari pene similibus, flore in fastigiis, multiplici foliorum ordine stipato, purpureo (quanquam candidū interdum, sed rarissime conspiciendum se præbet) Prunellæ, aut Trifolio pratensi uulgari, non multum dissimili. Eo decidente, id quod in messe fieri solet, plerunque bina aut tria grana Tritico similia, singulis folliculis apertis, qui cellulas fauorum pene referunt, contenta reperiuntur, purpureo plane colore tincta. Nascitur hæc planta inter omnes fere Tritici & Speltæ segetes. Huius grana ubi Tritico uel Speltæ admixta fuerint (quod apud Mediomatrices frequenter fieri solet) panem reddunt purpureum. Pari ratione panis cæsii coloris euadit, qui ex granis Tritici cæsii seu nigricantis conficitur.

Sæpenu-

Triticum uaccinum.
Kůweyſſen.



Sæpenumero enim Triticum, cum humidioribus agris ſatum fuerit, frugem reddit nigricantem, quod ex panis colore facilime animaduerti poteſt, ſicut ego non ſemel obſeruaui. 2. *Triticum nigricans.*

Huc pertinet & ea herba quam Germani Sichelmoren nominant, quæ in omnibus pene agris frumentarijs prouenit, folijs prorſus aſperis, nigricantibus, inſtar Hellebori nigri (Germanis Chriſtwurtzel dicti) diſſectis, perq; ambitum in modum falcis ſerratis, caule è medio tenui proſiliente, umbellifero, floſculis cādidis, multis & cōiunctim (quod & in Branca vrſina uideas) collocatis, ſemine Petroſelini ſimili. Floret in meſſe. Radicem habet longam, rotundam Eryngio ſimilem. Odorem ſpirat uehementiſſimum, ſaporem habet ingratum. 3. *Crithamus agreſtis.*

NOMENCLATURAE

Noſtri agricolę Germanica lingua priorem plantam Kůweiſſen/hoc eſt Triticum vaccinum, ſiue bouinum nominant, eam proculdubio ob cauſam, quod ſemen illius Triticum referat. Quo pacto uero in Dioſcoride appelletur mihi nondum conſtare ingenue fateor.

Alterum & nigricans Triticum nobis uidetur id eſſe quod Theophra-

Theoph.lib.9. cap.8.

sto μελάμπυρον ὁ ποντικὸς dicitur, quod genus in ponto prouenire testatur, sæpenumero uel cœli, uel agri culpa. Semina enim meliora, deterioráue tum cultura, tum terræ natura fieri posse.

Tertia autori Pandectarum Crithamus agrestis dicitur, Germanis Sichelmoren/uel Sichelkraut.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Agricolæ nostri, Triticum vaccinum, necnon Melampyron, inter uitia frugum connumerant, propterea quod hoc nigrum, illud purpureum reddat panem. Præter hæc de istis Tritici generibus nihil compertum habeo.

De Orobancha, siue Cusso altero Serapionis. CAP. XXXIII.

EXPLICATA FRVGVM HISTORIA, AD VITIA earum similiter exponenda accedemus, inter quæ non postremo loco habetur id quod Germani Spyn/ seu Windtkraut appellant. Hæc alsiosa est planta, nam quotannis ex semine triangulari & nigro, Ocymo cuius paulo ante meminimus, consimili, sed magis exiguo, nigricantiori, reuiuiscit. Quamprimum è terra prorumpit, capreolis tenuissimis, purpureis & prolixis uicina quæque comprehendit, comprehensasque herbas, quod non raro contingit, strangulat, inque terram deprimit, sese supra illas extollens. Hæc iniuria cum omnibus alijs stirpibus, tum uero Lino præcipue à tyraninca Orobancha infertur. Folia habet nigricantiora, & acutiora Ocymo prædicto, cætera eidem plane consimilis, ni siquod nõ caules sed loco illorum fila profert rotunda, purpurea, geniculisque instar Cẽtumnodiæ (ut uulgo nominant) intersecta. Flore comat exiguo, copioso, pallente, inodoro, necnon omni sapore destituto. Radix illi recta, rotunda, nec digiti longitudinem excedens. Herba est nullius momenti, ut quæ non nisi ad detrahendas & strangulandas alias stirpes nata uideatur.

NOMENCLATVRAE.

Cum de Vicia ageremus, herbæ huius mentionem fecimus, eamque etiamnum Anginam, seu Orobancham quandam esse iudicantes. Cum uero Orobanchæ descriptio, quæ apud Dioscoridem extat, huic non per omnia quadret, iudicium candido lectori committimus. Nobis enim satis est scire hanc plantam uitijs frugum annumerandam, ideoque ubicunque locorum

ὀροβάγχη. Diosco.lib.2. cap.131.

radices

radices egerit, summo studio eradicandam, id quod nos uelumenta docere possunt, quæ illam in cibo fastidiunt.

Videtur sane mihi quod presens uitium alter Cussus sit Serapionis, de quo cap. xli. ita scriptum reliquit. Et secunda (Cussi scil. species) est nigra, & nominatur sic propter sui nigredinem, & habet semen nigrum, uel coloris croci &c. Nomina hæc ascribit Lebleb, Volubilis minor, Germanice Klein wind/uel Schwartzwind, De alijs Volubilibus, quarum plures sunt species, suo loco dicetur, nunc de ijs tantum loquimur, quę familiaritatem quandam ac consuetudinem cum frumentis habere uidentur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quod si hæc planta alter Cussus Serapionis, quemadmodũ nos conijcimus fuerit, potest equidem in medicina usurpari, præsertim uero ad tumores lienis, in aceto prius coctus dein tusus, ac cataplasmatis instar impositus, id quod non semel faciendum, sed sæpius repetendum. Sin uero Orobancha sit Dioscoridis in cibo semen ipsius ob dulcedinem quam præ se fert, estur. Quid uero præter hæc quæ exposuimus efficere ualeat, usus quotidianus forte docebit.

De Vstilagine. Cap. XXXIIII.

QVEMADMODVM VRTICAE HORTENSIBVS PLANtis peculiariter damnum afferunt, ita Vstilago singularis frugũ cerealium pestis est. Ea uero frumentis tum præcipue accidere solet, cum æstate in culmum sese attollunt, & antequam è gramineis uaginis penitus sese explicauerint. Caussa eius perditionis est cœli constitutio, quando Aprili mẽse solẽ ardentẽ improuisæ & subitaneæ excipiunt pluuię, sole continuo ardentiores radios spargente. Hac igitur subita cœli mutatione teneræ & latentes adhuc spicæ omnium pene frugum facile aduruntur, ita ut nigrescant, quemadmodum experientia ipsa testatur. Atq; tum ubi primum spicæ sese è uaginis deprompserint, nigrę apparent, & puluerulentæ, qui fit ut ad frugem peruenire hoc pacto læsæ non possint. Hoc uicijs potissimum annis euenire solet, cum crebræ mutationes cœli, quas supra descripsimus, accidunt, Germani Miltaw patria uoce nuncupant.

NOMENCLATVRAE.

Presentem frumentorum pestem Agricolę nostri den Brant/Latini Vsti-

Vstilago.
Brandt.



laginem uocant, nō solum autem frugibus, sed & uitibus sæpenumero florentibus eiusmodi uitium obrepit. Vstilaginis Plinius mihi mentionem fecisse uidetur, cum lib. xviij. ca. xvij. ita scribit.

Est & aliud ex uicino auenæ uitium, cum amplitudine inchoata granum, sed nondum matura, priusquam roboretur corpus, afflatu noxio cassum & inane in spica euanescit quodam abortiuo. Hæc ille.

Cæterum ex afflatu illo noxio (ut uerbis Plinianis utamur) aut ut supra diximus, subitis post ardentem solem pluuijs, uicissimq; succedente calore repētino, uermiculi quidam in leguminum siliquis nascuntur. Vt interim innumeras alias olerum, frugumq; pestes præteream. Theophrastus equidē Rubiginem (quam Germani Daubsucht nominant) frumentaceis plenilunio pręcipue molestam esse testatur, necnon in Tritico, cæterisq; id genus frumentis, Cantharida, in leguminibus uero Phalangion, non sine pernicie ipsorum gigni. Sunt uero & alij uermiculi qui culmos stipulasq; frugum uirides infestent, sicut & pulices terrestres, herbam omnem præsertim uero olera erodunt. Postremo

Theophr. lib. 9. cap. 10.

non

non raro Scabies, Salsilago, Vstilago, & alia uitia terræ frugibus nocere solent, quarum exactam cognitionem quisquis desiderat, Plinium & Theophrastum legat, nos ad alia properamus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vstilago omnibus spiciferis frugibus incommodat, ad nullam aliam rem utilis, quam ut uice straminis iumentis substernatur.

De Lolio, alijsq; id genus frugum uitijs. CAP. XXXV.

INTER OMNES FRVGES PRAESERTIM VERO TRIticum, Speltam & Hordeũ in humidioribus agris, necnon cum annus fuerit pluuiosus, Lolium infœlix (ut uerbis poëtæ utar) dominatur, quod sane nihil aliud est, si omnes eius partes contempleris, quam singulare uitium, & quasi aborsus omnium frumentorum. Cæterũ habet quodq; frumenti genus peculiarem suam pestem adiunctam. Cum namq; in satione, & quando in spicam sese attollit, pluuijs continuis obruitur, fieri nõ potest quin uel semen prorsus suffocetur, & putrilagine corrumpatur, aut in Lolium ac uitium quoddam degeneret, ita tamen ut singula illa uitia ad suas fruges referri possint, aliudq; Tritici, aliud Speltæ, hoc Siliginis illud Hordei, aliud uero Auenæ adiungatur. Omnium uero uitiorũ seu Loliorum fructus nihil aliud est, quam palea inanis. Quod iam diximus animaduerti potest in humidioribus hordeo consitis agris, in quibus frequenter hordeum uel in Lolium transit, uel certe deorsum fertur tota seminis uis, id quod hinc accidere consueuit, quia Hordei caput alterum, & crassius quidem in radicem exit, alterum uero in culmum. Iam cum pluuiosa fuerit anni constitutio, inferior grani pars nimio humore obruta fœliciter luxuriat, attracta ad se omni totius grani ui, ita, ut illa in radicem duntaxat se exerat, uicissim uero in totum spolietur superior. Atque hoc pacto radix se longe lateq; per terram diffundit, & non solum ex semine nullus fructus expectari potest, sed & agri ipsi peste ea adeo corumpuntur, uitianturq; ut nisi industrius agricola subinde eiusmodi corruptelas agrorũ sustulerit, culturaq; diligenti emendauerit, hinc inde sese spargat, ac undiq; culmis suis in altum emergat. Ac licet & culmum (ut dixi) & spicam ostentet, nihil tamen fructus subsequitur, manetq; nil nisi uacua, & inanis palea, quod sane haud immerito male habet agricolas, quare iure Vergilianus ille Mopsus hisce uerbis conqueritur.

Ipsa Pales agros, atq; ipse reliquit Apollo:
Grandia sæpe quibus mandauimus hordea sulcis,
Infœlix Lolium, & steriles dominantur Auenæ.

Ex his

Lolium.
Doit.




Ex his quæ hucusque diximus satis liquet, unde Lolium, & reliqua uitiorum genera ortum suum habeant, nimirum ex ipsis frugum seminibus, partim infœlici solo commissis, partim pluuijs & abundanti humiditate infestatis, quę sane non ita legi uelim, ac si à me hæc conficta essent, non enim solum ego hæc in frugibus animaduerti, sed & ueteres ac probatissimi rei herbariæ scriptores literis mandarunt. Theophrastus siquidem lib. ix. cap. vi. in hunc modum scriptum reliquit, Τῶν μὲν οὖν ἄλλων σπερμάτων, οὐδὲν εἰς ἄλλο πέφυκε μεταβάλλειν σπειρόμενον, πυρὸν δὲ καὶ κριθὴν εἰς αἶραν φασι, καὶ μάλλον τὸν πυρόν. γίνεσθαι δὲ τοῦτ' ἐν ταῖς ἐπομβρίαις, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς ἐνύδροις καὶ ὀμβρώδεσι χωρίοις.

Hoc est, Nullum ex seminibus corruptum in aliud mutari aptum est, præterquam Triticum atque hordeum, quæ mutari in Lolium asserunt, magisq; Triticum, idq; imbribus frequẽtantibus fieri, & pręcipue locis humidis, & imbre longe dilutis. Hęc ille. Galenus etiã libro primo de alimentis patrem suum hoc idem quod Theophrastus affirmat expertum esse testatur. Quod uero semina in alias species cõuerti & degenerari possint, ego quoq; experientia didici, nam ex semine Brassicæ ueteris à me sato rapam fieri uidi, didiciq;

tum

Phalaris Dioscoridis.

Queckengraß das sibendt.



tum uere de his rebus scripsisse, & Plinium et Varronem. Quod ergo in oleribus fieri uidemus, idem quemadmodum diximus in frumentis contingit: Quoniam uero multa sunt Lolij & Vitiorũ genera, ordine illa una cũ suis nomenclaturis percensebimus. *Plinius.lib. 19. cap. 10. Varro libro 1. cap. 40.*

Primum ergo Lolij genus in quibusdam aridioribus pratis, & collibus, necnon stramineis domorum tectis, prouenit culmo, stipula, & spica, Auenę haud multum absimile, fructus expers, quare lepide Plautus in Milite dixit, *Lolij primum genus.*

Mirum est Lolio uictitare te tam uili Tritico.

qui senarius in prouerbium tandem abijt, quo notantur lusciosi & cæcutientes, uide Erasmum in Chiliadibus. Hoc Lolij genus Plinius proculdubio intellexit, cum libro xviij. capite xvij. scribit, Primum omnium frumenti uitium est Auena. Nam & nos Germani id uitij Habern / hoc est, Auenam dicimus, sed non simpliciter, ad differentiam enim frumenti Auenæ appellamus Gauchhabern / uel Meußhabern / hoc est, Cuculi, uel murium Auenam. Hæc Vergilio Sterilis auena nuncupatur, Dioscoridi φοῖνιξ, aliqui Rhon, alij Anchinopa, alij Phænicopteron, alij Rhonstachyos, alij Osthalen, *Diosco.lib.4. cap.40.*

Aegilops Plinij.
Hasenbrot/Zydern.



Osthalen, Ægyptij Athnō nominant. His alij addunt Lolium, & Hordeum murinum.

2. Secundum Lolij genus.

Secundum id est cuius supra meminimus, Germanice Quecken appellatum, in quod Hordeum & Siligo apud nos transit. Hoc culmo prosilit longo, geniculato, spica multiplici, multifariamq; diuisa, Auenæ quoque quadantenus simili. Ego istud Lolij genus Ægilopa Galeni (nam de Ægilope Dioscoridis paulo post) uerumq; Lolium ac ζιζάνιον Germanicum, de quo hactenus inter magnos uiros controuersum fuit, esse sentio, quod Dioscoridi αἶρα, ἢ θύαρον dicitur.

Lolium Germanicum. Dort/Quecken. Diosco. lib. 2. cap. 91.

3. Tertium uitiorum frumenti genus.

Tertium, binûm palmorum altitudinem excedit, spicas gerit exiguas, aristis asperis admodum & acutis, horridas, instar hordei, cuius quod ad formam attinet pestis & uitium est. Nascitur sponte sua, sine semine in aridis pratis, collibus et domorum areis uetustis.

4. Quartum Lolij genus.

Quartum Lolij genus secus uias graminosas, in cœmiterijs & domornm areis, nonnunq; & aridioribus pratis nascitur, spica albo flore comante, Speltæ & ei frumento q̄d Germani Dynckel uocant, consimile, sed multo magis exiguum & angustum. Estq; hoc exiguum Lolium, Speltæ, & alteri eius speciei iam commemoratæ.

Lolium exiguū.

tæ,necnon Tritici pestis. Nam inter has fruges reperitur,præsertim agris humectis.Germani quidam S.Peters korn / alij Wilden Dinckel uocant. 5.

Quintum Lolij genus primo quod ad spicas attinet simile est, quas si exacte contempleris uideberis tibi exigua & oblonga hordei grana uidere,sed aristis non admodum multis,nec asperis armata.Hoc nos Bromon herbam(est enim & Βρῶμος frumenti genus quo deseorsim egit Dioscorides) esse existimamus,quod alij Siphonion,alij acrospelon uocant.Sunt qui putent caput de Bromo apud Dioscoridem suppostititium esse, quorum sententia nobis impedimento nequaquam erit,præsertim scientibus tria huius Lolij genera descripta esse à Theophrasto, cui nos astipulamur. 6.

Quintum Lolij genus. *Βρῶμος herba.* *Diosco. lib. 4. cap. 135.* *Theoph. lib. 9. cap. 9.*

Sextum spicas fert rotundas paniculatas sicut & Panicum, culmo, geniculis,& gramineis uaginis cæteris Lolijs simile. Nascitur inter Milium & Panicum(quod nos supra Milium paruum seu agreste nominauimus) singulari earundem frugum damno. 7.

Sextum Lolij genus.

Septimum iam descripto aliquantulum forma respondet,sed multo illo grandius,siquidem prima eius folia Milij herbam referunt. Spicas profert longas,asperas,ac lappaceas ut quæ uestibus adhæreant. Nascitur in agris Milio & hordeo consitis,estque peculiare & detestandum uitium,ut quod & iumenta exosum habeant.Cęterum duorum proximorum Lolij generum, alterum Miliariam Plinij, alterum syluestrem Phalarem Dioscoridis esse puto. 8.

Septimum Lolij genus. *Plinius lib. 22. cap. 25.* *Diosco. lib. 3. cap. 150.*

Octauum nodosi seu geniculati graminis uel Lolij genus in quibusdam pratis prouenit,culmo bicubitali,spica tenerrima, multis dependentibus fibris,iubæ harundinis simlima.Hoc Panici uitium esse apparet,cum illi aliquo modo simile uideatur,quod & Plinius lib.xviij.ca xvij. significasse uidetur,cum dicit, Nascitur & herba alba,Panico similis,occupans arua,pecori quoque mortifera. Hæc ille. 9.

Octauum Lolij genus.

Nonum idemque longissimum Lolij genus ,uiri proceritatem assequitur,acutis & longis uestitum folijs,geniculatum quoque. Spicam gerit harundinaceæ similimam,colore ex uiridi purpureo. Florem profert Iunio mense candidum,sicut & Spelta.Mihi uero hoc genus,harundinis principium esse uidetur,nascitur enim in littoribus aquarum. 10.

Nonum Lolij genus.

Postremum ac elegantissimum Lolium circa Pentecosten in optimis quibusque pratis inuenitur,iuba expansa,quæ multis rotundis ac lenticulã aut laminulas illas tenuissimas ac aureas, quæ in ornamentis capitalibus uirginum uisuntur, referentibus granulis, è tenuissimis ac purpureis pediculis,seu potius capillis racematim dependentibus,constat, quæ quia continuo motu agitantur nec stabilia manent , ideo ruri Germanica uoce Zetern uocatur hæc plãta,alij Jungfrawen haar/hoc est, Capillos uirginum appel-

Decimum Lolij genus.

tiant quod puellæ ea delectentur. Accolæ ripæ Rheni ulterioris Hasen örlin/ id est, auriculam leporis. Mediomatrices Hasenbrot/Panem leporinũ uocant. Estq́ hic uerus Plinij, & Dioscoridis Ægilops. Hæc fere Lolij genera nobis cognita sunt, quorum historiam cum exposuerimus, superest, ut & reliqua exequamur.

αἰγίλωψ. Plinius lib. 18. cap. 17. Diosco. lib. 4. cap. 134.

NOMENCLATVRAE.

Germani omnes Lolij species in genere Vnkraut/Dort/Queckengraß nominant, Latini Vitia frumenti, Græci ζιζάνια, Auicenna libro secundo cap. 756. Zinzania, Serapio cap. lxx. Sceilen, & Sceuen. Vt uero singulæ appellentur, diligenter & ordine supra in descriptione illarum docuimus. Magna est autem inter doctos controuersia, quidnam sit Aëra, quid Auena, quid Bromos, quid deniq; Ægilops. Nos rem ita tractasse nobis uidemur, ut in posterũ quæ singula sint uitiorũ genera haud obscure rei herbariæ studiosi scire possint. Qui uero nostra de Lolijs sententia contentus esse nolit, is perpetuo de Lolijs dubitet, quod hactenus multis contigit. Hi enim dicere possunt Bromon, Aëram & Ægilopa uitia esse frumentorum, at si petas ab illis, ut seorsim unumquodq; definiant, respondent, Theophrastum, & Plinium de his agere, illos consulendos. Quod si instes, & roges num uiuas in agris imagines Loliorum ostendere possint, una cum certis ipsorum appellationibus respondent se posse, ac statim subijciunt, Lolium uitium esse frumenti, in quod Triticum & Hordeum se conuertere soleat, simile quid de Bromo & Ægilope asserentes, ingentia de his uolumina cõscribunt. Atqui si satis sit de rebus uel ignotissimis magna commentaria scribere, cur non ueterum scriptis contenti sumus? Iam sunt nonnulli, qui licet Ægilopa uitiũ auenæ interpretati sint, eam tamen postea appellationem ad Aquilegiam referant, ut uel hinc cognosci possit nihil certi istos scriptores habere. Sed quicquid isti quidem scribant, uel non scribant, qui ueritatis studiosi sunt, ij procul dubio nostram diligentiam & conatus facile animaduertent, & in bonã interpretabuntur partem, nam cum contentiosis nihil nobis rei, est. In hoc enim toti incumbimus, quo suis proprijs appellationibus Simplicia (ut uocant) palam innotescant, ne tam turpiter plerique, qui ex Pharmacopolijs medicamenta petunt, decipiantur, id quod hactenus, dum non pauca Simplicia incognita forent, usu uenit. Sed relictis his, temperamenta & facultates Loliorum exponamus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vniuersa Loliorum genera, hodie fere straminis uice iumentis substernuntur, pabuloq; exhibentur, licet nonnulla ex his in medicina quoq; usum suum habeant.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Radix primi Lolij intro sumi utiliter potest, nam manipulus eius in cãtharo uini albi decoctus, perq; dies aliquot continuos potus, uermes expellit. Estq; hęc singularis & efficax puerorum & infantium aduersus dictum morbum, medela. *Experimentum.*

Lolium quod ῥόινξ dicitur, caule, herba, & semine, uino rubro decoctum ac potum, alui profluuia, & emanantem uulua sanguinem sistit, urinæ impetus infrenat.

At Βρῶμος cum siccis rosis rubris coctus in uino, grauem oris halitum emendat, potu & collutu.

Phalaris tunditur, & in aqua aut uino succus decoctus, ad uesicæ cruciatus utilissime bibitur. Semen tusum & coclearis mensura potum ad eadem efficax est. *φάλαρις.*

Ægilopis aqua stillatitia, stomachi, iliorum, aliorumq; interaneorum uitijs auxiliatur potu.

Reliqua Lolij genera pabulis iumentorum nata sunt, quod norunt omnes pecuarij.

EXTRINSECVS.

Lolij semen molitum, & ex sale, aceto, & sulphure uiuo, emplastri instar illitum, feros lichenas, leprasq; sanat, strumas quoque discutit cum fimo columbino & lini semine decoctum in uino, rumpit quæ ægrius ad coctionẽ perducuntur.

Eiusdem decoctum ex aqua mulsa utilissime Ischiadicis illinitur.

Bromus herba decoquitur cum sua radice in aqua ad tertias, & iuri colato par modus mellis adijcitur: rursus incoquitur, dum liquidi mellis crassitudo fiat. Linteum eo humore imbutum, & naribus inditum, contra grauеolentiam ulcerum efficax est. Aliqui tritam aloen addunt, & eo modo utuntur.

Ægilopis herba tusa, & cum farina illita, ægilopis medetur, duritias discutit.

Succus farinæ mixtus siccatur, & eorundem gratia reponitur.

De Harundine. *Cap.* *XXXVI.*

CVM NON SOLVM FRVMENTI VITIORVM, SED & reliquorum graminum, historiam hisce aliquot capitibus explicare nobis propositum sit, placet inter illa Harundinem

Iuncus paluſtris maior. *Harundo.*

Groß weiher Bintzen. Rhor.



etiam deſcribere. Ac non erit hoc loco nobis ſermo de tot & tam uarijs eius generibus, quot a' Plinio alijsq; rei herbariæ ſcriptoribus enumerantur, multo autem minus de ijs agemus, quæ in India haſtarum uicem præbent,

& in

& in arboream magnitudinem excrescunt, ea enim tanquam peregrina nostroq; orbi nunquam uisa, Indis relinquemus, nostris contenti. In Germania siquidem in ripa Rheni, aliisq; locis ubi multæ sunt piscinę, ut in Lotharingia, et inferiore Germania frequens Harundo prouenit, binûm nonnunquam uirorum proceritatem excedens, digitum crassa, uigenis utplurimũ geniculis distincta, ita ut singula genicula peculiaria sua & graminea folia habeant, eaq; longa admodum, & utrinque acuta, instar gladii, per quæ harũdineus caulis transit, quod & in frugibus uidere est. Radices habet candidas, cauas, torosas, instar calami aromatici, è singulis nodis quotannis gemmantes. Harundo Iulio mense paniculas suas siue iubas profert, aliquantulum purpureas, quæ à maturitate sicut & Endiuiæ & aliorum id genus florum Pappi, in auras euanescunt. Et hæc quidem quod ad nostram Harundinem attinet sic se habent. Cæterum licet iis harũdinibus careamus quas Italia & Nauarrha admirandæ magnitudinis gignit, tamen ad uaria nostra nobis uti licet. Sunt enim qui tecta sua hisce consarciant, ut interim textores prætercam qui nonnulla pro filis glomerandis instrumenta ex illis conficiunt. In medicina quoq; non contemnendi est usus Harundo, radix enim illius tusa & imposita, surculos & sagittas infixas corpori extrahit, quod idem de Xiphio prædicat Dioscorides.

NOMENCLATVRAE.

Omnium Harundinum generale nomen apud Græcos est, κάλαμος, Hebræis קנה Kanæh, Esaiæ xix. Germanis Rhor. Latinis Harundo. Dioscorides libro primo capite xcix. quinque calami sui (hoc est Harundinis) genera recenset. Primum ναστὸς, id est, farctior dicitur, alterum Fœmina appellatur, id nimirum è quo tibiarũ ligulas efficiunt, quod genus Plinius Auleticon dici testatur. Tertium συριγγίας, quod nullis intersecatur geniculis, ad librorum cõscriptionem accommodatum. Quartum δόναξ & κάλαμος κύπριος nuncupatur. Quintum Phragmites & Vallatorium appellatur, uulgo cognitum, Latina præsertim Harundinis uoce. *Plinius lib. 16. cap. 36.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Neminem esse putamus mortalium, cui Harundinis usus non sit cognitus, nam & aulitici & textores uictum suum hinc quæritant. Præterea constat plerosq; tegulo Harundinis domos suas operire. Fuit illi & in medicina suus honos.

EXTRINSECVS.

Radix Harundinis trita & illita, spicula, aculeosq; corpore extrahit, luxata lumborumq; dolores cum aceto mulcet.

Virentia folia tusa & imposita ignibus sacris medentur, erysipelatis & cæteris inflammationibus. Ex his quibus pollet facultatibus satis constat Harundinem frigidam & siccam obtinere temperaturam.

De Sparganio, & Gramine harundinaceo, necnon uulgari. CAP. XXXVII.

QVAECVNQVE IN AQVA AVT ALIOQVIN VLIginosis tractibus nascuntur gramina, ea utrinque gladij instar acuminata gerunt folia. Quod in his maximum est, folijs uestitur

1. *Sparganion.* acutis, longis, in medio uero sui anguloso neruo distinctis, adeoque triangularibus, herbacei coloris. E medio horum læues prodeunt & teretes caules in quorum fastigijs ueluti pilulæ prominent, exiguis & candidis fibris, uel paniculis florentes. Cæterum hæ ipsæ quas diximus pilulæ Iulio mense ubi defloruerint in echinata quædam capitula, nucem Myristicam magnitudine æquantia, quæ nihil aliud sunt quam multorum seminum aculeatorum compactio, desinunt. Radix eius intra humum multis fibris & adnatis radiculis serpendo longe lateque se diffundit. Nascitur in marginibus & littoribus amnium, fluuiorumque, in humectis pratis & uliginosis tractibus.

2. *Calamagrostis prima.* Exiguum Caricis genus, quod ad acuminata attinet folia, priori consimile est, gustu admodum ingrato præditum, quodque in pratis minime commendetur.

3. *Calamagrostis altera.* Tertium folijs primo quoque accedit, caules proferens longos, rotundos & læues, minime nodosos, neque geniculatos, in quorum uerticibus elegantissimi, & candidi flosculi emicant, forma Cucurbitæ flores referentes, omni odore destituti.

4. *Gramen.* Quartum Graminis genus Germanis Riedtgraß proprie appellatum, in locis arenosis & aridioribus, nonnunquam & in syluis, nonnullisque graminosis semitis, folio utrinque acuminato, radice purpurea, prælonga, hinc inde serpente, uti & Lolij, gustu mediocriter dulci, prouenit. Hoc graminis genus nigras quandoque producit spicas, sed infrugiferas.

Cæterum Caricum & Graminum multa extant genera, præter ea quæ recensuimus, id quod tertia effigies eleganter expressit.

NOMENCLATVRAE.

Diosco. lib. 4. cap. 23.

De uero Xiphidio paulo post dicetur.

Primum genus quod Germanis Riedt appellatur, ego σπαργάνιον Dioscoridis esse iudico, quod ille quosdam ξιφίδιον, & βούτομον nominare tradit. Plinius lib. xxv.

Sparganion: Calamagrostis altera.



lib.xxv.cap.ix.radicis duntaxat meminit his uerbis. Aduersus serpentes bibitur & eius radix, quæ Sparganion uocatur, ex uino albo. Hæc ille. Quæ sequuntur bina genera, hoc est secundum & tertium (quæ

Alexander Benedictus Tormentillam Sparganion nominat, id quod mirum me habet.

Gramen uulgo cognitum.

Gemein Graß.



ἀληθινὴ ἄγρωστις

Germani Riedt Graß nuncupant) ad Gramen Harundinaceum, & Caricem acutam Vergilij referenda iudico. Quartum uerum est ueterum gramen, Græcis ἄγρωστις appellatum (Hebræis דשא Desche) quod nonnulli Dioscoride teste Ægicon, alij Amaxitin, Ægyptij Amphi uocant, aliqui Asuphyllion, alij Sanguinalem, alij Vniolam, Hispani Apariam, Daci Cotiatam, Aphri Iebal nuncupant. Hoc gramen ante annos aliquot D. Othoni Brunfelsio piæ memoriæ à me ostensum fuit, quod in altero Latini herbarij ipsius tomo uidere est. Plinius illius meminit cum lib. xxiiij. ca. xix. scribit, **Gramē ipsum est inter herbas uulgatissimum, &c.** Cæterum uidetur mihi sane Plinius, graminis differentiam, quæ à Centumnodia (quæ Germanis Weggraß dicitur, cuius historiam lib. j. cap. cxxviij. prosecuti sumus) distat, non probe perspectam habuisse, sed potius duo illa confudisse. Gramen enim quod Græcis ἄγρωστις dicitur, semine caret, solaque radice se propagat. Rursus Polygonon, seu Centumnodia semen profert, in quo etiam omnis ipsius uis est posita. Has uero plantas loco citato confundere uidetur, cum de Gramine scribens nunc

Diosco. lib. 4. cap. 31.

medi-

Calamagrostios duæ species.
Klein Riedt Graß.



medicamentorum quæ ex radice petũtur (quæ de Gramine nostro intelligenda) nunc uero seminis, & eius medicinæ (quæ uerba de Poligono recte intelligentur) mentionem facit. Sed quis est qui in tanta uarietate & copia rerum non aliquando hallucinetur, cum & bonus quandoque dormitet Homerus? Multa sane graminum genera passim extant, est enim Lolium, & tot eius fere genera quot frumenta, est Sparganion, est Centumnodia, & hoc nostrum GRAMEN, ut interim, Babylonicum, Harundinaceum, Cilicium, & quod Parnaso monte gignitur, prætere am. Serapio Gramen suum cap. cxix. Vegem, Thelnegil appellat, quem puto Centumnodiã uoluisse significare, cum uerisimile sit Dioscoridis Gramen illi incognitum fuisse sicut & aliis plerisq;. *Graminis multa genera.*

Proinde licet Gramen ut antea ex Plinio docuimus inter herbas uulgatissimum sit, fuit tamen nihilominus apud ueteres magno in honore. Siquidem Romani Imperatores, cum uictoria potiti essent, non gemmea aut aurea, sed graminea corona ornabantur, quod equidem signum erat pacis ab illis factæ, & seruati exercitus. Dabatur hæc uiridi e germine decerpto inde

ubi, obsessos seruasset aliquis. Hanc consuetudinem à maioribus suis acceptam diligentissime semper obseruarunt Romani, ut fuere in maiorum suorum moribus, ceremonijs, & ritibus obseruandis tantum non superstitiosi. Ab his gramineis coronis prouerbium desumptum in Festo Pompeio extat, quo dicitur Herbam dare, quod nos Germani das helmlin geben dicimus, quoties significare uolumus, eum nos cui herbam damus, uictorem, dominum, & magistrum nostrum agnoscere. Licet autem in Germania is quoque mos etiamnum duret, ut ijs qui strenui aliquid gesserint, aut alios in re quapiam superarint industria & fortitudine, coronam ex floribus & herbis uarijs contextam exhibere soleamus, non tamen eum morem ex prædicto prouerbio originem suam sumpsisse certum est, cum plerique nostri temporis, quæ uera sit huius instituti ratio ignorent. De graminea corona Plinius lib. xxij. cap. iij. iiij. v. & vi.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Spargannij radix & semen uino decocta & pota, morsibus uenenatorum animalium auxiliatur, præsertim si affectæ partes ex illo decocto colluantur.

Gramen una cum radice sua uino decoctum & potum, non tantum torminibus medetur, sed etiam urinæ difficultatibus, calculosa etiam uesicæ excrementa comminuit, expellitque.

Radix recens trita illitu uulnera conglutinat. Cæterum est hæc planta frigidæ & siccæ temperaturæ, ideoque alui profluuijs sistendis adhiberi potest.

De Typha. Cap. XXXVIII.

LANOSA FLOCCORVM DENSITATE, QVAE IN fastigijs caulium Typhæ conspicitur, præsertim ubi matura nigrescere & in auras abire cœperit, id quod Augusto mense fit, in quibusdam locis puluinaria & lecti conficiuntur. Nascitur Typha in paludibus, & stagnantibus aquis, folio Cyperidis, angustiori, longiori, & acuminatiori, superioribus graminum & Sparganiorum generibus, caule enodi & solido, non concauo, radice geniculata & nodosa, intus candida ac minime solida, sed fungosa, nouis quotannis oculis gemmante, è quibus alia subinde & Cyperidi similia folia prodeunt. Porro dulcis est plane hæc radix, maxime autem recens natæ gemmæ.

NOMENCLATVRAE.

Plinius lib. xvi. cap. xxxvi. inter aquaticos calamos Typhæ mentionem

Typha aquatica.

Narrenkolben.



nem fecisse mihi uidetur cũ in hunc modum scribit.

» Cætero' gracilitas nodis distincta, leui fastigio tenuatur in cacumina, crassiore paniculæ coma, neque hac sui peruacua. Aut enim pro pluma strata cauponarum replet: aut ubi limosiore callo induruit, sicut in Belgis, contusa & interiecta nauium commissuris ferruminat textus, glutino tenacior, rimisq; explendis fidelior pice. Hæc ille.

Iam & vietores nostri doliorum commissuris fideliter & tenaciter coniungendis adhibent Typhæ folia, maxime eius, quæ in caulẽ hauddum exiuit, nam quæ iam densum illum ac clauatum (ut ita dicam) florem proferunt, folia plerunque habent crassiora, & asperiora, quam iuncturæ doliorũ expetere uideantur. Germani vietores, ea folia Liesen & knospen uocant, nonnulli alij Narrenkolben/ hoc est, clauam stulti. Planta ipsa Typha aquatica Latinis dicitur, Græcis τύφη appellata, teste Diosco. qui lib. iij. cap. cxxiiij. florem huius paniculam dici testatur, quod in pappos a maturitate euanescat. Sunt qui Spatulam fœtidam nominatam uelint, sed quam recte ipsi uiderint.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Huius herbæ flos suillo adipe eloto exceptus, ambustis medetur, teste Dioscoride, unde facile colligitur eam moderatum quoddam temperamentum sortitam. Vsum foliorum supra exposuimus.

De Gramine anatum. Cap. XXXIX.

PRAESENS HOC GRAMINIS GENVS QVOD ANGVsta admodum habet folia, & semper uiret, reliquis supra à nobis descriptis graminibus coniungendũ fuerat. Cum uero in aquis nascatur, uolui hoc loco post aquaticas plantas illius historiam persequi. Reperitur uero plerunque in stagnantibus aquis, urbiumq; fossis. Sub initia Martij mensis folia eius supra aquas procumbunt, singula seorsim posita, quæ si appetente Iulio mense terram forte attigerint, caules proferunt tenues, iunceos & geniculatos, iubamq; aut paniculam in fastigijs illorum harundinaceam, quæ nullo post se relicto fructu euanescit. Porro hoc gramine anates syluestres, alijq; aquatici uolucres hyeme uictitant.

NOMENCLATVRAE.

Germani hoc gramen Entengraß/ hoc est, Anatum gramen, quod eo hyeme ut diximus uictitent anates, cæteræq; aues, appellant, nec aliud ab alijs hominibus nomen extorquere potui. Latine Gramen aquaticum, non inepte dicetur, poteritq; gramini harundinaceo accenseri.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Gramen hoc aquaticarum auium, præsertim uero anatum syluestrium hyemalis uictus est. Poterit uero meo iudicio inflammationibus & calidis affectionibus adhiberi, non secus atque Lenticula palustris.

De Gnaphalio. Cap. XL.

ALIVD PORRO IVNCEI GRAMINIS GENVS, IN HVmectis pratis & uliginosis uallibus gignitur, caule terete & enodi, inq; cacumine molli tenero, & candido tomento, Gossipio ipso, tenuiori, & molliori emicante. Atq; hic est huius plantæ flos, hoc eius semen & fructus.

Gnaphalion.
Mattenflachs.



NOMENCLATVRAE.

Licet huius plãtæ ſane elegans ſit lanugo, ſi in magna poſſet haberi copia, textorio operi non incommoda ſit futura, ſi quid iudico, tamen contemnitur uulgo, & nihili fit. Ea enim hominum eſt peruerſitas ut ſibi natis rebus non ſint contenti, ſed illas aſpernentur, peregrinis & magno ſumptu lõge petitis magis gaudentes. Germani hanc plantam Mattenflachs uocant, Latini Linum pratenſe, ſeu Lanam pratenſem. In Dioſcoride meo iudicio Gnaphalion fuerit, quod alij Hires, alij Ampetocon, alij Anaxiton, alij Anaphalin, Ægyptij Semeon, Galli Geiaſonen, Latini Centunculum appellant, quidam Tucularem, alij Albinum (ab albo nimirũ tomento) De Gnaphalio, & Gnaphalo, uide Hermolaum Barbarum in Corol. lib. iij. cap. 560. & Galenum lib. vi. ſimpl.

γναφάλιον Dioſco. lib. 3. cap. 25.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Quod ſi hæc planta Gnaphalion Dioſcoridis ſit (quemadmodum exiſtimo) locum in medicina habebit, facientq́ teſte Dioſcoride, folia illius uino decocta, & pota ad dyſenteriam.

De

De Scirpo. Cap. XLI.

Schmelen/oder Bintzen helmer.

1\. *Scirpi primum genus.*

2\. *Alterum Scirpi genus.*



IN ALTISSIMIS, ASPEris, & humectis syluis, necnon sub Iuniperorum fruticibus apud Mediomatrices gramen quoddam nascitur, foliis uestitum angustioribus & tenerioribus uulgari Harundine. Hoc Iunio mense coles multos enodes læues, cauos, culmum uulgarem crassos, uiriq; proceritatem attingentes emittit, paniculam uero lanuginosam, tenerã & mollẽ, Harundinis uulgaris iubæ nõ dissimilẽ. Proinde cũ Augusto mense hi culmi, seu enodes caules flauescere cœperint, firmi plane ac rigosi euadunt, qua de causa à rusticis mulierculis leguntur, quibus caseos recentes & præhumidos in aëre siccandos imponunt.

Alterum eius genus multo tenuius, breuius, & magis exiguum existit.

NOMENCLATVRAE.

Hic uero enodes illos & & læues scirpos habemus, qui prouerbio apud Plautum occasionẽ dedere, Nodum in scirpo quæris, quod in homines plus æquo anxios & curiosos torquetur.

quetur, qui illic scrupulum mouent ubi nihil est dubitandum. Nostri hoc genus Scirpi Binßen helmer uocant, & recte quidem. Mihi uidetur eũ à ueritate non multum aberraturum, qui Waldtror, hoc est, Harundinem syluestrem uocaret. Græce fortasse κάλαμος ἄγριος dici posset. Aut forte Syringia Plinij lib. xvi. cap. xxxvi. *Scirpus hic noster à quibusdam Oxyschænos dicitur.*

Scirpos proin illos tenues, & duriusculos qui in campestribus nascuntur, Germani Schmelen uocant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

E Scirpis nassæ piscatorum conficiuntur.

Mediomatrices mulierculæ, ut diximus, caseos recentes hisce imponunt siccandos.

E minimis uero Scirpis nonnulli pileos quibus æstate aduersus solis radios & calorem utantur, conficere solent, quos serico postea obducunt.

De Iunco palustri maiore. Cap. XLII.

IN QVIBVSDAM PISCINIS, STAGNIS, PALVDIBVS, & fossis Iuncus iste maior è radice geniculata, purpurea, capillata ac intra terram hinc inde non secus atque Lolium reptante nascitur. Quemadmodum enim è geniculis radicum noui subinde Harundinis caules prorumpunt, ita & Iuncus iste è gemmantibus radicis oculis producitur. Est autem hoc Iunci genus enode, sicut Scirpus, & in fastigijs è purpurea iuba quam spicæ loco obtinet, semen profert quemadmodũ & alia Iuncorum genera. Planta est minime firma; siquidem cum fungosam intus & foraminulentam habeat medullam, leuissimaq́ue sit, uento facile hinc inde agitatur, non aliter quam Harundo uulgaris: quo nomine & ab adolescentibus natandi artem addiscere uolentibus ob insignem suam leuitatem, & quod non facile mergi se patiatur, usurpari consueuit. *Effigiem huius Iunci quære supra capite XXXVI.*

NOMENCLATVRAE.

Nos hunc Iuncum maiorem & palustrem, Germanis Groß weiher Binßen dictum (nam de uulgari sequenti capite seorsim dicetur) Harundinis potius genus quam Iunci esse existimamus. Itaque uel piscatoria Abaritana nobis dicetur, uel certe sex Iunci generibus Plinij adiungetur, de quibus paulo post. Proinde siue Harundinis, siue Iunci sit genus magna apud nos in copia habetur.

VIRES.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pauperes tegulo huius Iunci domos suas operiunt, & iuuenes ad natandi artem adhibent, ut diximus. In medicina de usu eius nihil constat.

De Iunco uulgari. Cap. XLIII.

σχοῖνος. Diosco. lib. 4. cap. 50.

PLINIVS LIB. XXI CAP. XVIII SEX IVNCI GENEra describit, Dioscorides uero quatuor, Germanis tria duntaxat nota sunt, quorum unum proximo capite descripsimus, reliqua duo uulgaria hoc loco exposituri. Vterque ex his Iuncus radicem obtinet numerosam, & capillatam, nasciturq́ in aquosis locis humectisq́ & irriguis pratis.

1. Iunci uulgaris genus alterum.

Alter eorum carnosior est, candida refertus medulla, uiridis, calamo crasso & tenero, fracido, quare ad uitilia & alias res inutilis censetur.

2. Iuncus uulgaris alter.

At alter licet tenuior, & cineracei sit coloris, tamen lentior & ad omnis generis uitilia accommodatior est. Bina hæc Iunci uulgaris genera in cacumine fructum ferunt, in tenuissimis quibusdam paniculis ac iubis, quæ barbam fuscam forma sua referunt. In ijs namque folliculi spadicei coloris dependent, in quibus, cum maturuerint Augusto mense, admodum exiguũ, copiosum & luteum semen reperitur. Quanquam reperias ex his calamos non paucos fructu & semine uiduos.

3. Iuncus exiguus pratensis.

Cæterum aliud quoddam Iunci admodum exigui genus in quibusdam humectis pratis inuenitur, dodrantalis altitudinis, calamis ex una stirpe supra uiginti erumpentibus, lato frequenti & stipato in fastigijs semine dependente. De hoc genere cum ad graminis genera pertinere uideatur, plura supra cap. xxxvij.

NOMENCLATVRAE.

Germani Iuncum Bintzen/Mediomatrices Sympsen appellant, Græci Schœnon, Hebræi גמא Gomæ, & אגמון Agmon, Exodi ij. Esaiæ xxxv. uocant. Sed cum Plinius sex, ut diximus, Iunci genera describat, recensebimus ordine quo pacto illa uocet.

Primum è quo tegetes & storeæ texuntur, Mariscon appellat.

Secundum marinum, & Oxyschænon nuncupat, quod in bina secatur genera, marem scilicet quem Oxyn uocant, & fœminam, quam Melancranin quod nigrum ferat semen.

Tertium Holoschænos dicitur, cuius usus ad nassas marinas, sirpeas, & alia id generis. Atque hoc genus apud nos usitatissimum est, ad omnia

textoria

textoria opera, sequax & accommodatum. Vergilius Iuncum hunc, Mollem & limosum uocat.

Quartum, Plinius Cyperon, Iuncum odoratum, & angulosum uocat, Cornelius Celsus, quadratum. Annotat hoc loco Plinius differentiam quæ est inter Cyperum & Cypirum, statuenda, nimirum ut hoc gladioli herbæ, quæ bulbosam habet radicem, nomen sit, illud uero Iunci odorati. Est & per se (inquit Plinius) indica herba, quæ Cyperis uocatur, gingiberis effigie: commanducata croci uim reddit. *De Iũco odorato Diosco. lib. 1. cap. 12.*

Quintum genus Euripicen, et sextum denique Teuchiten nominat. Sunt autem tria posteriora Iunci genera, à Plinio cõmemorata Germanis ignota.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quanquam Iunci uniuersa genera uarium extra medicinã usum habẽt, tamen à medicis non prorsus repudiatos fuisse Iuncos, præsertim eum qui odoratus cognominatur, ueteres rei herbariæ scriptores testantur. Apud nos hodie in medicina non usurpantur. De Iunci medicinis ita perscripsit Dioscorides. Semen utriusque tostum, ex uino diluto potum, sistit aluum, & rubra fœminarum profluuia, urinam cit, capitisq́ dolores facit. Hæc ille. Cum uero capitis dolores faciat moderate illo utendum fuerit.

EXTRINSECVS.

Vsus Iunci ut diximus ad nassas piscatorum, sirpilla, tegetes & storeas, medulla ad lucernarum elychnios facit.

De Phyco marino, & Potamogeto.
CAP. XLIIII.


MVLTA ALGAE GENERA PASSIM IN AQVIS NAscuntur, quorum quatuor, & nobis quidem usitatiora in præsentia describemus.

Primum genus nostræ Algæ, herba est geniculata, & prælonga, Centumnodiæ uulgo uocatæ non absimilis, folijs admodum incisis. Hęc Iunio mense elegantissimos, candidos, herbę Fragariæ similes flores profert, quibus decedentibus capitula rotunda, echinata, instar Ranunculi succedunt. Herba est uiridis, & quæ aquis fluentibus gaudeat. *1. Alga prima.*

Secunda ex nostratibus Algis, quanquam in fluentibus quoque aquis nascatur, *2. Alga secunda.*

Potamogeton.

Samkraut.



nascatur, piscinis tamen & stagnātibus familiarior est. Herba prælonga, nodosa, colore nigricante prædita, folio crispo, longo, at angustiori Salice exigua, sed teneriori. In quibusdam locis suibus decoquitur deuoranda.

3. Alga Vergilij.

Tertia uero cuius Vergilius meminit, eo hemistichio, *Proiecta uilior Alga*. Ea inquam calamum profert iunceum, qui per æqualia interualla, pinnatis & incisis folijs stellæ instar circumdatur, non aliter atq; Matrisylua, quæ Germanis Waldtmeister dicitur. Iulio mense purpureum & spicatum gerit florem, qui in rotunda quędam Coriandroq; similia, nigra, & prædura, ac plerunq; quaterna aut quina, rotatim fastigia calami ambientia desinit. Atque hoc illius est semen. Nascitur in piscinis & aquis stagnantibus, ex humo limosa & forti. Planta meo iudicio terreæ substantiæ & Saturnina plane.

4. Potamogeton.

Quarta autem, eademq; elegantissima Alga, in stagnantibus quoque prouenit, caule oblongo, terete, & geniculato, e cuius geniculis alij prosiliunt surculi, folijs uestiti uiridibus, Plantagini similibus, sed firmioribus ac solidioribus, ac per omnia, ea quæ Seplasiarij uulgo uocant Folia Indi referentibus. Iulio mense flore emicat

roseo,

roseo, spicato, Plantaginis rubiæ, aut Colubrinæ instar, qui cum defloruit semen post se copiosum, durum, & folliculis quibusdã inclusum relinquit.

NOMENCLATVRAE.

Algam omnem Germani generali uocabulo Samkraut appellãt. Proinde tria priora genera sub Fuco marino Dioscoridis cõprehensa iudico. De ijs egit Theophrastus lib. iiij. capite. vij. ubi inter cætera aquaticas plantas uulgatissimas gramini similes esse calamis & caulibus, asserit. De Brio, cuius Theophrastus loco citato mentionem fecit, Dioscorides capite xciiij. lib. iiij. Quarta nostratium Algarum quæ folia Plantagini aut Betæ similia obtinet, uerum est ποταμογείτων Dioscoridis, quam aliqui σταχύτην, Spicatam, & Fontinalem herbam appellant.

φῦκος θαλάσσιον. Diosco. lib. 4. cap. 95.

Dioscor. lib. 4. cap. 96.

Potamogetonis nomen Limonio & Tripolio quoque à Dioscoride tribuitur lib. 4.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnes herbæ, quas Germani Samkreutter uocant, frigidæ sunt naturæ, sicut Lenticula palustris, ideoq; non introsumuntur, sed podagricis ac calidis affectibus foris adhibentur. At enim uerus Phycus marinus qui nostris regionibus incognitus est, frigidam & siccam Dioscoridi obtinet temperaturam.

EXTRINSECVS.

Phycus marinus cum oleo & aceto tostus, in cataplasmatis calidus podagricis inflammationibus & doloribus efficaciter illinitur.

Potamogeton per se pruriginibus & ueterum ulcerum nomis utiliter imponitur, refrigerat enim & inspissat.

De Lenticula palustri. Cap. XLV.

LENTICVLA PALVSTRIS PERPETVO VIRORE VIgens, nihil aliud est quam pinguedo quędam stagnantium & residum aquarum, umbræ & solis per uices patiens. Ex illa tanquam seminio Algæ cæteræq; aquaticæ plantæ nascuntur. Nam ubi è stagnantibus aquis in fluentes Lens palustris deducta fuerit, id quod inundationibus contingere solet, littoribusq; & ripis inhæserit, dilatatur, aliaq; plura subinde ex se procreat foliola, inferne etiam subnatis capillamentis quibusdam candidis, & exiguis radiculis terræ sese committit. Atq; hoc pacto Lens palustris in plantas quasdam Nasturtio aquatico non multum absimiles degenerat, quod ego non semel cum admiratione naturæ haud uulgari obseruaui.

Lenticula palustris.

Meerlinsen.



NOMENCLATVRAE.

Lenticula palustris anatum cibus est, & muscus quidam palustris uti testatur Dioscorides, collectionibus & igni sacro perutilis. Cæterum hæc illi apud

apud Dioscoridē sunt nomina, φακὸς ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων, φακὸς ἄγριος ἐπίπτερον, Lens palustris, Lens agrestis seu syluestris (ad differentiam scilicet Lenticulæ satiuę) Epipteron, Viperalis, Iceosmigdonos. Serapioni cap. ccxxxv. Taahaleb, Germanis Meerlinsen appellatur. Diosco. lib. 4. cap. 84.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quæ de Alga diximus, ea & de Lenticula aquæ intelligenda sunt, nam refrigeratorię est naturæ, & efficax (ut uulgo uocant) repercussiuum, quare moderate & cum iudicio illa utendum censeo.

INTRINESCVS.

Aduersus internas inflammationes & incensiones, maxime pestilentiales, bis terue in die aqua distillata Lenticulæ palustris mensura cyathi mediocris exhibenda est.

EXTRINSECVS.

Eadem aqua ad iecoris inflammationes unice facit, si stupa cannabina, aut linteola in ea madefiant, partibusq; affectis utrinq; calida imponantur.

Quod ad reliqua attinet, conuenit Lenticula palustris cum Alga, & uulgari Solano. Potest enim Lens palustris emplastri instar ramici eiusq; inflammationibus imponi.

De Hippuri maiore. Cap. XLVI.


IN FOSSIS AQVA RESIDE REPLETIS LOCISQVE riguis & tenebrosis, paludibus & piscinis Hippuris maior duorum generum prouenit. Quoddam enim nudo calamo, omniq; folio carente, instar Iunci prosilit. Alterum uero caulem habet è geniculis (nam utriusque Hippuris coles geniculati sunt) æquo interuallo à se mutuo distantibus, capillamentis potius quam folijs uestitum. Sub initia Maij mensis nigros asparagos, bina hęc Hippuris maioris genera mittunt, in quibus flos plantæ constitutus est, nam in altum ita feruntur hi caules, ut nihilominus fastigia eorum primos illos flores ostentent. Radix utriq; nigra, lignosa, & plane insipida. Præstantissima ex his ea est, quæ fractu contumax, aspera, & scabra fuerit. Quo nomine materiarijs fabris usurpatur, qui ligneam pectinum & aliorum minutorū operum ruditatem huius herbæ scabritia in nitorem expoliunt. In mundandis etiam utensilibus & culinarijs uasis, magnus huius herbæ usus passim existit.

1. Hippuris maior


2. Hippuris maior altera.

Ruellius lib. 3. cap. 97.

Hippuris.
Schaffthew.



Hippuris altera.
Roßschwantz.



NOMENCLATVRAE.

Dioscor. lib. 4. cap. 44.

Quam Germani Schaffthew & Roßschwantz appellamus, ea Dioscoridi ἵππουρις, ἔφυδρον, ἀνάβασις, Equisetum, Equinalis salix, alijs Asprella dicitur. Reliquas appellationes prudentes omittimus.

VIRES.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Hippuris ea quę capillamento potius quam folio articulatur, magni in medicina & maximeq́ probandi est usus, propter miram sanandi uim, quam obtinet, spissandi facultate prædita, & utrisq; corporis partibus utilissima.

INTRINSECVS.

Hippuris cuius iam meminimus, sistendi sanguinem mira facultate pollet. Succus namque eius bibitus profluuia sanguinis tam uiris quam mulieribus cohibet, necnon sanguinem mingentibus, & excreantibus. Eadem potest aqua stillatitia per diem bis aut ter, mensura trium coclearium sumpta.

Succus in uino potus tormina uentris sedat, tussim, orthopnœam, ruptaq; adiuuat, necnon dissectiones uesicæ & intestinorum, enterocelasq;.

Ad eadem herba uino decocta & calida pota facit. Potest uero uel herba uel radix, uino aquau'e ad omnes istas affectiones decoqui, pro ratione morbi.

EXTRINSECVS.

Succus herbę expressus, naribusq; inditus, & ceruici simul impositus, sanguinem è naribus erumpentem sistit. Idem aqua stillatitia efficit.


Herba tusa, ac cum succo suo imposita cruorem è uulneribus manantem supprimit, ipsaq; intra paucos dies glutinat, teste Galeno, qui Hippurim ad sanguinis reiectionem, ad fluxū muliebrem potissimum, ad dysenterias, & ad alia uentris profluuia generosum esse medicamentum asserit.

De Hippuri altera. Cap. XLVII.

HIPPVRIS SECVNDAE DVO IN RIGVIS PRATIS inueniuntur genera, plantæ fœnisecis diræ & inuisæ, ut quæ falces scabritie sua obtundant, ipsosq; fœnisecas mirum in modum remorentur. Alterum ex his quod & grandius existit, tenuissimos capillos pro folijs gerit, è singulis caulis geniculis frequentes prodeuntes, ita quidem ut euulsus caulis caudam equinam eleganter exprimat. Hoc Hippuris genus non ubiq; occurrit, plerunque tamen in tenebrosis & humectis uallibus & pratis, maxime ijs in quas piscinarum aquæ dimissæ decurrunt. *Plinius lib. 18. cap. 28.* *1. Hippuris minor altera.*

Alterum uero & exiguum Hippuris genus, quod & usitatissimum est, in solo macri & arenosis pratis, necnon sabulosis & humectis quibusdā agris inter fruges enascitur. Aprili mense quotannis, nudos quosdam emittit *2. Hippuris minima.*

Hippuris minor.
Klein Schaffthew.



asparagos, qui ubi progressu temporis auctiores euaserint, in altum instar Plantaginis florentis attolluntur. Maio deinde mense caules subsequuntur scabri, perq; ambitum, æqualibus distantijs, capillamentis quibusdam tenuissimis rotatim seu stellatim uestiti, decidentibus interim cacuminibus (qui floris aut seminis spem quandam facere uidebantur) nullo relicto post se semine. Planta est dodrantalis, & quæ frequentibus coliculis è nigra & serpente radice erumpat, pratorum & aruorum singularis pestis, ea namq; fœnum, necnon frumenta impediuntur, non minus atque Filice, Harundine, Lolijsq;, et alijs uitijs. Quapropter qui hanc Hippurim Zizanijs adiungeret, is mihi non inepte facere uideretur.

NOMENCLATVRAE.

Hac exigua & posteriore Hippuri ancillæ coquinariæ, culinarijs uasis extergendis, præsertim uero stanneis, æreisq; & ferreis utuntur, eamq; à forma Katzen schwantz/oder Katzenwedel, hoc est, Caudam felinam, & Klein Schaffthew/hoc est, Hippurim minorem uocant. Dioscoridi ἵππουρις ἑτέρα, Hippuris altera, Equitium, Salix equina, Equisetum alterũ.

Dioſco. lib. 4. cap. 45.

Quæ

Quæ uero primo loco à nobis descripta est, Germanis Pferdtschwantz/ Roßschwantz/ Roßwadel Latinis Cauda equina dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quæ de Equiseto maiori ueteres prædicant, ea recentiores Hippuri minori (quam quidam Germani Katzenzagel quoque nominant) tribuunt, nimirum quod uulneribus internis & externis sanandis efficax sit.

INTRINSECVS.

Hippuris altera aqua, uinoue decocta, omnis generis sanguinis profluuia sistit, intestinorum uulnera sanat, & renum ulcera fluentia, stranguriæ auxiliatur, & calculo. Ad eadem facit aqua distillata, inprimis uero calculis conducit, per diem ter aut quater singulis uicibus binis uncijs pota.

EXTRINSECVS.

Linteolis in aqua stillatitia mediocriter calida madefactis ac impositis, erysipelata iuuantur, & pustulæ rubræ. Hoc medicamentum inflammationibus sedis, dysenterijs, tumoribus genitalium opitulatur. Reliquas cum maiori Equiseto uires obtinet.

De Nymphæa. Cap. XLVIII.

DVO NYMPHAEÆ FASTIGIA REI HERBARIAE SCRIptoribus unanimi consensu statuuntur. Altera candido, altera luteo emicat flore, utraque in piscinis, aquis stagnantibus, & residibus, aut pigro lapsu repentibus, nascitur. Candida frequentior. Ea Iunio mense, flore prodit instar Lilij candidi aut Rosæ, multiplici foliorum stipatu contexto, ita quidem ut unius flos duodetriginta folijs interim & paucioribus nonnunquam constare uideatur, quæ singula per se considerata forma pollicem, aut Sedi maioris folium referunt. E medio florũ crocei quid, solis figuræ non multum absimile elucet. Antequam uero in florem erumpat, oblonga quædam cernuntur capitula, Amygdalis maturis pene similia, folijs contecta ex uiridi purpurascentibus, quibus maturitate ruptis flos emicat frequentibus ut dixi foliolis stipatus, croceisque multis fibris staminibusue seu radijs quibusdam solis instar fulgens, nullo odore præditus. Cumque folia floris deciderint, caput Papauerinum aut malum rotundum,

1. *Nymphæa candida.*

Nymphæa candida.
Weiß Seeblůmen.



2. *Nymphea lutea.*

semine nigro refertum protuberat. Caulem profert hæc Nymphæa teretem, læuem, Iunci palustris maioris instar, folia uero lata, in oblongum rotunda, firma ac solida ueluti coriũ quoddam, quibus itidem junceis, & fungosis stylis nitentia. Radix eius brachij humani crassitudinem quandoque assequitur, nodosa, capillamentis multis fibrata, nigra forinsecus, intus candida existens, inodorata prorsus, & nullius insuper saporis.

Altera Nymphæa, folijs, caulibus, radicibusq́ etiam descriptæ aliquantum cognata est, nisi quod florem habet totum luteum, nec adeo magnum ut illa. Huius cõclusa capitula, antequam florere incipiat, rotunda apparent globi instar, folijs obducta uiridibus, non aliter atque eius quæ Dotterblům/ seu Kůdotter dicitur, de qua supra lib. primo, cap. xliiij.

NOMENCLATVRA.

Candidam Nymphæā Germani weiß Seeblům/
1. Νυμφαία. Luteam uero Gäl Seeblůmen uõcant, utranque alias Seeblůmen/ Wasser-
2. gilgen/ quasi dicas florem lacustrẽ, & Lilium aquaticum: a capillata uero ra-
Νυμφαία ἄλλη. dice Harwurtz/ Harstrang/ a colore radicis Kollerwurtz appellantes. Offi-
cinis

Nymphæa lutea.

Gäl Seeblůmen.



cinis Barbara uoce Nenuphar dicitur, alijs Clauus veneris, Digitus veneris, Alga palustris, Papauer palustre. Dioscoridi libro tertio cap. cxxxix. Nymphea uocatur, uel quoniam aquosa amet, uel quod (referente Plinio) Nymphæa nata, Nympha Zelotypia erga Herculem mortua, & in florem nominis sui conuersa sit, quare Heracleon uocant aliqui, alij Rhopalon, a radice clauæ simili. De Nymphæa ita perscriptum reliquit Theophrastus lib. x. cap. xiij. Pli.lib.25.cap.7.

Γλυκεῖα μὲν ἥτε νυμφαίας καλουμένης. φύεται δὲ ἐν ταῖς λίμναις, καὶ ἐν τοῖς ἑλώδεσιν. οἷον ἔντε τῇ ὀρχομενίᾳ καὶ μαραθῶνι, καὶ περὶ κρήτην. καλοῦσι δ' αὐτὴν οἱ βοιωτοὶ μαδωναῒν, καὶ τὸν καρπὸν ἐσθίουσιν. ἔχει δὲ τὸ φύλλον μέγα ἐπὶ τοῦ ὕδατος, εἶναι δέ φασιν ἴσχαιμον, ἐὰν τρίψας τις ἐπιθῇ τὴν πληγὴν ἐπιθῇ. χρησίμη δὲ καὶ πρὸς τὰς δυσεντερίας πινομένη. Hoc est.

Dulcis (radix scilicet) & Nymphææ uocatæ, quæ nasci in lacustribus solet, ut in Orchomeniensi agro, & Marathone, & in Creta Insula. Bœoti Madonaim hãc appellant, fructumque eius esitant. Gerit folia super aquam ampla. Plagæ trita imposita, sanguinem sistere traditur, utilis & ad difficultates intestinorum epota. Hæc ille.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Nymphæa utraq; refrigerantis & siccantis est naturæ, potestq; citra periculum utrinque aduersus quosuis calidos affectus usurpari.

INTRINSECVS.

Aqua è floribus Nymphææ candidæ distillata, binisq; aut ternis uncijs pota medicamentum est optimum ardentibus febribus tempore pestis, aut Ethica in morbo pleuritico laborantibus. Eadem ad siccam tussim, & sitim maximam, ad inflammationes etiam lienis & epatis unice facit. Qui enim his malis afficiuntur, ijs pro ratione morbi, & temperaturæ ipsorum aqua ista uel in potu exhiberi, uel in linteolis mediocriter calida, cordi uel epati foris imponi potest.

Aqua stillatitia, per diē aliquoties pota diuturnas alui fluxiones cohibet.

Quidam ex his floribus conseruas, & olea ad commemoratos morbos conficiunt.

Cæterum nec aqua stillatitia, nec conseruæ, neque olea ex his floribus confecta à sanis usurpanda sunt, prçterquam ijs qui in cœnobijs castitatem uouerunt, nam huiusmodi medicamenta geniturام extinguunt.

Radix Nymphçæ candidæ uino nigro decocta & pota, mensium muliebrium abundantiam sistit efficaci remedio, etiam ijs qui de omni auxilio desperarunt. Hoc idem de semine huius Nymphææ pari ratione usurpato intelligi uolumus.

EXTRINSECVS.

Aqua Nymphææ candidæ distillata, calidis capitis affectibus, inflammationibus item lienis & epatis medetur, necnon ardentibus pustulis.

Eadem phreneticos dolores sedat, quæ omnia oleum Nenupharis (ut Seplasiæ loquuntur) præstat.

Aqua florum Nymphææ candidæ stupa cannabina, aut lineis linteolis foris imposita, inflammatum epar refrigerat, Morpheam aliasúe uitiligines, & maculas faciei è calida causa ortas exterit emendatq;.

Oleum Nymphææ candidæ Anthraci, alijsq; calidis corporis abscessibus ulceribusq; leniendis & sanandis mire commodat.


De Acoro officinarum, Germanis Gäl vnd blaw Schwertel *dicto:*

CAP. XLIX.

INTER OMNES GLADIOLOS (QVOS ET NOS GERmani Schwertel à foliorum forma appellamus) nullus in nostris

Acorum adulterinum.

Gål Schwertel.



stris regionibus semen profert, excepto eo, qui luteo emicat flore, & plerunque in aquis, aut his coniunctis ac uicinis locis, cuiusmodi sunt rigua prata, & fluuiorum margines nascitur. Radicem habet complicatam, non in rectum sed obliquũ actam instar Bistortæ, multis capillamentis fibratam, intus subrubrã, gustu astringente ueluti glans præditam, nouis quotannis oculis instar Typhæ aquaticæ gemmantem. Ex hac longa prodeunt & mucronata folia, quorum ea quidem quę prope radicem sitæ sunt subrufa nonnunquam apparent. Maio mense caulis prosilit læuis, teres & cauus, luteo emicans flore, qui quidem ita se habet, ut tria priora eius foliola deorsum inflectantur, aliaque tria prioribus magis exigua deinceps sursum ferantur. Flore decidente siliquæ subsequuntur crassæ & triangulares, luteo, latoque semine, & quod forma Viciam compressam referat, saporis ingrati plane, refertæ. 1. *Acorus officinarum adulterinus*

Cæruleus uero Gladiolus, radice, foliorum forma, caule denique ad Acorum iam descriptum fere accedit, nisi quod flores huius (qui & ipsi tria folia sursum, tria alia deorsum uergentia, & in orbem pulchre circumacta, obtinent) ex cœruleo colore pur- 2. *Gladiolus cœruleus.*

re purpurant, & nullo post se relicto semine decidunt. Hoc gladioli genus in hortis hodie, & in muris quandoque ac culminibus tectorum ab aniculis plantari consueuit.

NOMENCLATVRAE.

Nostri Seplasiarij & magistri illorum contendunt Gladiolum luteum qui in aquis prouenit, Acorum esse à Dioscoride libro primo cap. ij. descriptum. Cum uero descriptio Acori ad Gladiolum cœruleum magis facere uideatur, miror sane cur non potius illum quam alterum Acorum uocatum uelint. Sed non multum nos solliciti sumus, quid quisque sentiat, hoc tamen certum est, descriptionem Acori nulli nostrorum Gladiolorum conuenire, maxime quod ad folia, quæ angustiora Iridis folijs Acoro à Dioscoride tribuuntur, necnon odorem radicis attinet, cum constet nostrorum Gladiolorum, maxime uero lutei seu aquatici radices inodoratas esse. Qui fit ut cum doctissimo uiro Manardo Ferrariensi Acorum, eam esse radicē sentiamus, quæ Germanis Calmus, Latinis & officinis hactenus Calamus aromaticus dictus fuit, sed perperam. Nam uerus Calamus aromaticus cuius Dioscorides lib. primo. cap. xvij. meminit, non radix sed calamus est preciosissimus, & qui hactenus ad nos non fuit apportatus. Cæterum noluimus quicquam alijs præiudicare, quin sentiat statuatq; quisq; quod uolet. Cum itaq; ostenderimus descriptas hoc capite plantas Acorum non esse, superest, ut quid tandem nobis sint aperiamus.

Manardus lib. 6. epist. 3.

Quam ergo Germani Gäl wasser gilgen, hoc est, Lilium aquaticum luteum, & Drackenwurtz/ & Gälschwertel/ hoc est, luteum Gladiolum uocant, necnon eam quæ ijsdem Blaw gilgen/ oder schwertel dicitur, congeneres esse plantas iudicamus, propterea quod eiusdem formæ & saporis radices, caules, folia & flores (licet illi quod ad colorem attinet discrepent) obtineant. Dicimus insuper utranque in caput xxiiij. libri quarti apud Dioscoridem collocādas, quo loco ξυρὶς, quā nonnulli ἶριν ἀγρίαν, Irin syluestrem, Cacos, & Gladiolum uocant, descripta est. Quod si cui uideatur Gladiolum cœruleum ἶριον (de quo nos statim sequenti capite) uocandum, cum eo minime contendendum existimamus. Qua superstitione in hac radice effodienda ueteres usi fuerint, partim ipse Plinius lib. xxi. cap. xx. descripsit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Acorus officinarum raro intra corpus assumitur. Sunt qui è floribus eius aquam distillent, ad inflammationem oculorum. Alij Eclegma è radice aduersus calculum conficiunt. Sed is Gladiolus qui cœruleos fert flores hoc tempore utrisq; corporis partibus adhibetur, calidæ temperaturæ

herba

herba, & expellentis ac resiccantis facultatis. Radix lutei Gladioli astringit.

INTRINSECVS.

Aqua cœrulei Gladioli stillatitia pota aduersus omne genus ueneni, ad febres ardentes tempore pestis facit, necnon ad incensum epar, & pleuriticũ morbum.

Radix eiusdem uino decocta & pota hydropem expellit, menses trahit, et calculum renum, stillicidio urinæ auxiliatur.

Aqua eius radicis distillata trium aut quatuor cochlearium mensura, aliquoties per diem pota usu gratior est, sed in expellendo ea mala quæ recensuimus non perinde efficax. Eadem tamen continuo & frequenter pota, obstructiones iocinoris soluit, uitia thoracis & pulmonis expellit, expurgatq́, doloribus lienis & matricis ac torminibus opitulatur, aluumq́ soluit.

Radix lutei Gladioli uino decocta & pota, continuas alui fluxiones sistit, dolores uesicæ & coxendicum mitigat, & ad omnis generis sanguinis profluuia facit.

EXTRINSECVS.

Aqua distillata è floribus & radicibus Gladiolorum, mane & uesperi instillata, quibuscunque maculis oculorum conducit.

Linteola in ea aqua madefacta ac imposita, tumoribus & inflammationibus prosunt, inprimis uero ulceribus mammarum muliebrium & genitalium, necnon cancro, et eo morbo quẽ uulgo uocant, NOLI ME TANGERE. Eadem aqua serpentium ictibus collutione, & in linteolis impositu opitulatur.

Aqua stillatitia omnis generis maculas exterit, ulceribus malignis genitalium (quæ Germani den Schlier uocant) prodest, & papulas ac serpiginem maxime sub oculis emendat, illita.


Radix Gladioli cœrulei tusa cum thure admixto uino illita, spicula & aculeos è corpore extrahit, necnon ossa confracta, menses impeditos euocat.

Has uires Dioscorides superiori Xiphij, siue Gladioli cœrulei radici ascribit, reliqua enim quæ addit tanquam superstitiosa prætero.

De Xiphio, seu Gladiolo cœruleo minore.
CAP. L.

IN QVIBVSDAM HVMECTIS PRATIS ET CAMPIS quæ Rheno & prope Vormatiam, & Oppenheimium oppida adiacent,

Ξιφίον, seu Gladiolus cœruleus minor.
Klein blaw Schwertel.



adiacent. Gladioli cœrulei quoddam genus inueni, cuius flores aquei pene coloris, sed cum cœruleo mixti uidebantur esse, ternis uersus terram inflexis foliolis singuli præditi. Cæterum quod ad reliqua attinet, hoc est, folia, caulem, & radicē, Iridi de qua sequenti agemus capite, per omnia accedit hic Gladiolus, nisi quod tota sua substantia magis exiguus & angustioribus folijs & acutioribus illa esse deprehenditur. Semen fert in oblongis ac triangularibus siliquis, non aliter atq; Gladiolus luteus, de quo superiori proximo capite egimus.

NOMENCLATVRAE.

Ξιφίον Gladiolus. Diosco. lib. 4. cap. 22.

Inter omnes Gladiolos nullus sane extat, qui mihi quidem aptius ad Xiphion seu Gladiolum Dioscoridis referri posse uideatur, quā hic ipse Gladiolus cœruleus exiguus, quem Germani Klein blaw Swertel uocant.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Quod de Gladiolo cœruleo maiore diximus, idem & de Xiphio intelligi uolumus. Inprimis uero radix eius cum thure & uino tusa & illita extrahendi ui pollet haud uulgari.

De Iride Germanica. Cap. LI.

Teütsch Violwurtz.



IRIS QVAE GLADIolorum omnium præstantissima censetur, radicem habet serpentem ac contortam, quæ supra terram potius quam intra humum conspiciendam se præbet, nam primaria radix nuda iacet, nec humo cõtegitur, at radiculæ illi adnatæ intra humum latent, à quibus candida & primaria radix nutrimentum recipit. Maio mense inter folia quæ gladij formam imitantur, caulis exit rotundus, florũ uasculis seu calycibus oblõgis & acutis conspicuus. His oblongis quos diximus calycibus maturitate ruptis, flos exit diuersicolor. Nam tria illius præcipua folia, ea parte qua uersus terram inflectuntur, ex uiridi & pallente colore diluta purpura, purpureis simul lineis, seu uenis per hos ipsos colores ductis, intus uero purpureo colore admixtis candidis, & puniceis lineis, media denique sui regione lutea lanugine superciliorum formam repræsentante, emicant. His contraria tria alia in altum globi instar coacta sese attollunt, aquei coloris ex purpura simul albicantis & lutei, non aliter atque

reflexus splendoris auri fulgentis, aut cuiusdam admodum ex uarijs coloribus intertextis splendētis telæ, Germani ein widerschein uocant. In medio integri floris tria alia foliola breuia, angusta arcus cœlestis instar coloribus uarijs tincta apparent. Ex his quæ de floribus Iridis Germanicæ diximus, colligimus illos nouem folijs, totidemq́ coloribus constare. Hi ipsi flores odoratissimi cum marcessere ac decidere cœperint, nullum postse uel semen uel fructum (quod ego sciam) relinquunt. neque etiam passim hæc Iris, nisi plantata fuerit reperitur. Ego namque omnes fere Germaniæ regiones crebris herbarum gratia profectionibus susceptis, perlustraui, nec uspiam locorum eam sponte nascentem inueni, nisi in altissimo quodam & graminoso monte non procul à Valentia arce sito, unde euulsam in hortulos meos illam transtuli. Radix illius non perinde dura ac solida est, atq́ illius quam Genuensem dicunt, neque etiam adeo odorata, licet feruentis sit saporis, & quæ linguam gustata adurat, non minus quam peregrina, qui fit ut in plantis diuersitas regionum magnam constituat diuersitatem. Quemadmodū enim frumenta & vina pro situ & locis natalibus ab inuicem differunt, ita herbæ & radices pro ratione terræ in qua nascuntur, & cœli temperie, uel deteriores, uel meliores fieri consueuerunt.

NOMENCLATVRAE.

Quanquam hæc nostra Iris, ea qua quotidie utimur longe sit inferior, multum tamen affinitatis cum eadem habet, si formam & temperamentū consideres. Quapropter uocabimus illam Iridem, non quidem Illyricam, sed Germanicam, Germanice Teütsch violwurtz / & Himmelschwertel / hoc est, Vraniam. Cæterum Iridis apud Dioscoridem, hæc sunt nomina, ἶρις, θελπίδα, οὐρανία, θαύμαστος, καθαίρων, &c.

Diosco. lib. 1. cap. 1.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Iris omnium Gladioli generum præstantissima censetur, ad quamplurimas corporis tam internas quam externas affectiones utilissima. Vis illi excalfactoria exiccans, & extenuans.

INTRINSECVS.

Quæ de cœruleis gladiolis dicta sunt, plenius de Iride intelligenda sunt. Radix illius in puluerem redacta, & cum melle usurpata, aut minutim concisa, inq́ uino decocta & pota, thoracis pulmonisq́ uitia expurgat, humorum qui ægre ejciuntur crassitiem digerit, ad tussim efficax est.

Eadem in puluerem redacta, & ex hydromelite drachmis septem epotæ, bilem

bilem crassamq́ pituitam purgant, à quibus non raro febres & morbus regius oriuntur.

Eadem ex uino decocta, & calida pota; torminibus medetur, & his quibus genitura effluit auxiliatur. Eadem perfrictionibus & horroribus febrium in accessione epota opitulatur.

Idem decoctum somnum potu conciliat, obstructione lien liberat, menses pellit.

Radix Iridis aceto decocta & pota, serpentium ictibus auxiliatur, eo namq́ decocto uenenum à corde arcetur.

EXTRINSECVS.

Iridis radix in puluerem redacta, quibusuis externis corporis uitijs ulceribusq́ utiliter inspergitur, uulnera enim purgat & carnem generat, præsertim si melle temperetur. Hoc pacto usurpata, cancro, fistulis, herpetæ, alijsq́ & genitalium quidem uitijs cumprimis conducit.

Radix hæc cocta ac illita duritias ueteres, & strumas emollit.

Eadem cum albo ueratro & duabus mellis partibus admota, lentigines & uitia cutis in facie à sole contracta emaculat.

Decoctum eius fœminarum fotibus utiliter imponitur ad emolliendos locos.

Pessis, malagmatis, & acopis, necnon clysteribus inseritur.

In uniuersum magni ad omnia usus, nam non solum in uinum, & Ceruisiã suspensa, hanc dulcem conseruat, illud uero iucundo cum odore, tum sapore commendat, sed & pistoribus ad parandum fermentum triticei panis magnopere usitata.

De Limonio pratensi. Cap. LII.

LIMONIVM PRATENSE IN NONNVLLIS HVMEctis pratis, & pascuis nascitur, folijs tenerrimis, Betæ satiuę quadamtenus similibus, ternis plerunq́ instar Trifolij, læui, ac rotundo stylo adnatis. Maio mense caulem emittit, in cuius uertice candidi, lanuginosi, & coacti flosculi ita apparent, ut singuli coliculi cum floribus suis Prunellam, uel eam quam Gulden gunsel uocant Germani, florentem repræsentet. Cæterum nullo post se relicto fructu plantula isthæc paulo post euanescit.

NOMENCLATVRAE.

Hæc planta, quam Germani Wisen Mangolt/ hoc est, Betam praten-

sem, palustrem, seu lacustrem uocare possumus, nihil aliud esse censeo, quam Limonium pratense (nam de syluestri sequenti dicetur capite) cuius lib. vij. ca. vij. Theophrastus meminit, vernis illud adnumerans floribus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pauca de hoc Limonio in ueterum scriptis leguntur, nimirum hæc quæ subijciemus.

INTRINSECVS.

Semen uino decoctum ac potum, dysentericis, & cœliacis prodest, rubra fœminarum profluuia sistit. Idem de herbæ decocto intelligas uelim.

EXTRINSECVS.

Folia eius externarum corporis partium inflammationibus, & his quæ refrigerationem desiderant imponi possunt sicut Solatrum.

De Limonio syluestri. Cap. LIII.

LIMONIVM SYLVESTRE NIHIL ALIVD EST QVAM Betæ syluestris quædam species. Eius folia firma sunt & solida, instar pene foliorum Pyri se habentia, per hyemem illæsa durāt, & uiridia manent. Nascitur hæc planta in uliginosis & humectis locis, maxime sub arbustis quibusdam terra admodum muscosa, radice hinc inde instar Lolij serpente. Porro singulæ Limonij syluestris plantulæ quina aut sena fundunt folia, e quorum medio Iulio mense tenues prosiliunt coliculi, elegātissimis, niueisq́ ac forma sua flores Lilij cōuallij Germanis Meien blümlin repræsentantibus, emicantes. Hac herba hodie magna experientia vulnerarij medici, seu Chirurgici, qui ramices & uesicas incidunt, ad glutinanda recentia uulnera utuntur.

NOMENCLATVRAE.

Germani proprijssime Winter grün / quasi dicas etiam hyeme uirentem herbam appellant. Nonnulli alij Holtz mangolt / Waldmangolt / hoc est, Betam syluestrem nominant. Gariopontus medicus lib. primo cap. xvi. herbam quandam describit nomine Betulam, quam ait in saxosis & petrosis progigni locis, decoctamq́ oleo doloribus aurium mirifice prodesse, quæ omnia

Betula Theophrasti arbor est de qua suo quoq; loco.

Limonium ſylueſtre.
Winter grün.



omnia nos de noſtro hoc Limonio intelligimus, q̃d nonnulli Pyrolam uocant, nec male quidem, tametſi illis magis accedam qui λειμώνιον appellãt, nam deſcriptio Limonij apud Dioſcoridẽ magis huic Betæ ſylueſtri, quam Biſtortæ de qua ſupra libro primo egimus conuenit.

VIRES AC TEMPE- *ramentum.*

Ad recentia uulnera perſananda uix aliam reperias herbam accommodatiorem hoc ipſo Limonio. Vis illi aſtringens, exiccãs, & perſanans, id quod nemini non manifeſtum eſſe putamus.

INTRINSECVS.

Vulnerarij quos diximꝰ uulnerarias potiones ex hac herba conficiunt præſtantiſſimas, quibus nonnulli alij Alchimillam, Saniculam, Eupatorion & Nũmulariam adiungunt.

Aqua diſtillata ex ea herba uſu gratior eſt ad eadẽ.

Limonion, maxime ſemen eius, ad dyſenterias, & mulierum rubras fluxiones facere autor eſt Dioſcorides, quod idem Plinius affirmauit.

EXTRINSECVS.

Herba recens tuſa ac impoſita externa uulnera ſanat. Quidam ex herba hac in oleo decocta adiecto uiridi ære unguentum conficiunt ad eadem.

Alij herbam exiccatam, ac in puluerem redactam inueteratis ac fluentibus ulceribus, quæ exiccare intendunt, aſpergere ſolent, prout cuiq; uidetur conſultum.

De Beta. Cap. LIIII.

BETA VT VVLGATISSIMVM, ITA ET MAXIME INſipidum eſt olus, & quot ut palato arrideat, ſine uino & aromatis decoqui non poteſt. Proinde uaria ſunt Betæ genera, alia
1. *Beta agreſtis.* enim nigra, alia candida, alia rubea cenſetur. Sed deſcribamus ſingulas ordine. Beta alia nigricantibus, alia candidis ſeu palleſcentibus ueſtitur fo-
2 *Beta candida.* lijs, alia tota ſua ſubſtantia rubra eſt. Quæ nigricantia profert folia, omniũ eſt uulgatiſſima, eam nos agreſtem ſeu erraticam Betam cenſemus. At al-
3. *Beta rubra.* tera cultura tenerior, cibiſq; accommodatior euadit. Quam uero rubram diximus, ſecundo generi quod ad plantationem attinet ſimilis exiſtit. Folia omnibus ſatis lata inſtar Plantaginis latifoliæ. Radices quidem omnium rotundæ, & quemadmodum Fœniculi oblongæ, & lignoſę quadantenus, quod ad colorem attinet, binarum priorum, candidę ſunt, nam tertia purpuream habet radicẽ. Cæterũ altero demum anno, & Maio quidem menſe in caulem aſſurgunt uniuerſa hæc Betæ genera, eumq; ſtriatum & procerũ. Iunio deinde menſe caulis quem diximus, ab imis uſq; ad ſummas partes floribus palleſcentibus & ſtellatis Vitium flori non multum diſſimilibus, (nam eo tempore & uites florere ſolent) emicat. Nec caulis ſolum, ſed & adnati ramuli, quos frequentes habet, flore copioſo comant. A flore ſemen ſubſequitur aculeatum, rotundum, durum, forma ſua Coriandro Saccharo obducto reſpondens. Inter olera nullum reperias quod tam facile adeoq; ſine ullo negotio è terra erumpat, nam ubi uel ſeminium unum in terram deciderit ibi non facile poſtea extirpari ſe patitur. Plantulæ è ſemine nuper natæ, niſi radices earum à muribus deuorentur, hyemis iniuriam utcunq; ferunt.

NOMENCLATVRAE.

Germani hoc olus Mangolt/ & nonnulli alij Rungulſen/ & Römiſche Köl uocant. Latinis Beta hortenſis, Græcis τεῦτλον, Hebræis תרדין Teradin dicitur. Serapioni Decka appellatur cap. cxlviij. Dioſcorides lib. ij. cap. cxij. duo Betę genera commemorat, nigrum alterum, hoc eſt rubrum, quod

quidam

Beta.

Mangolt.



quidam agreste Betę genus esse asseuerant, sed perperam, (nam quam nos agrestem Betam esse cēseamus, supra diximus) alterum cādidum, quam quidam Silicam, & Siculam Betam nominant. De Beta scripsere inter alios Theophrastus. lib. vij. de plantarum historia cap. iiij. Plinius lib. xix. cap. viij. & lib. xx. cap. viij. Columella lib. x. Æginetą lib. j. & vij. Atheneus lib. iij. Dipnosophist. Galenus de simpl. facult. lib. viij. & de aliment. li. ij.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Nihil in culinis nostris Beta hortensi frequentius, nam in cibo usurpatur, & in medicina suum quoque usum habet. Temperamento calida est Beta, maxime quod ad radicem attinet, id quod hinc manifestum fit, cum enim succus naribus excipitur, adurit, & sternutamenta proritat.

INTRINSECVS.

Beta in cibo sicut Spinachia parata facilimæ est concoctionis, ijsq; inprimis conducit qui stomachi imbecilitate laborant.

Betæ hortensis plantulæ recentes cum radicibus leuiter bullitæ, & ex

aceto postea deuoratæ cibi appetentiam adferunt, sitim compescunt, choleram in uentriculo reprimũt. Debet uero eiusmodi cibus æstate potissimũ usurpari. De Beta, Baptista Fiera ita cecinit.

Beta mala est stomacho, uiridis uel nigra, niuali
Rore caput mundat, naribus hausta tuum.
Compareat Maluis, Clysteri immixta dolores.
Quos tibi mansa facit, perdere Beta potest.

EXTRINSECVS.

Herba Betæ inueteratis & malis ulceribus ac inflammationibus imposita conducit, tumores enim deprimit, & calorem restinguit.

Radix Betæ nigræ uel rubræ tusa, ita quidem ut succus per linteum exprimatur, naribusq́ indatur capitis lentos & frigidos humores mirifice purgat.

Radix Betæ in cineres redacta cumq́ melle temperata illitu alopeciarum inanitates explet, reliquosq́ crines firmos & quo minus defluant, continet. Hoc remedio eos qui caluescere incipiunt uti conuenit si Simeoni Sethi credimus.

De Atriplice. Cap. LV.

GALENVS ALTERO DE ALIMENTIS LIBRO SATIuas & agrestes Maluas ac Lactucas sibi cognitas esse tradit, at syluestrem Betam non item se perspectam habere, id quod credi facile potest. Nam nec ulli ex ueteribus de ea scripsere, præter Plinium, qui Betæ syluestris commeminit, quæ non olus sed uulneraria potius est herba, & Limonium, seu Pyrola, Germanis Wintergrün appellatur, quemadmodum supra docuimus. Proinde nostra quidem sententia in id incumbendum omnibus rei herbariæ studiosis fuerit, ut non tantum satiuas, uerum etiam syluestres plantas cognoscant, quæ res certa sua utilitate non uacabit. Constat etenim syluestres plantas facultatibus & efficacia satiuas antecedere. Quamobrem & nos satiuas hortenses & domesticas stirpes ita quidem describemus, ut syluestrium interea, maxime quæ nobis notæ sunt, minime obliuiscamur. Hoc certe studio non tantum satiuæ, sed & syluestris Atriplicis historiam deinceps persequemur, a` satiua exordium sumentes.

Plinius lib. 20. cap. 8.

9\. *Atriplex satiua trium generum.* Hortensis itaque seu satiua Atriplex, quæ verno tempore ante omnia reliqua olera in hortis a` mulierculis seri consueuit, in tria secernitur fastigia, quædam enim folium profert rubicundum, alia in luteum languescens,

Atriplex.
Milten.



ſcens, poſtrema nigricans. Omnium uero horum generum folia farinæ quid aſperſum habere uidentur, maxime cum pubeſcunt, humiq; caule uidua procumbunt, quæ ſane aliquo modo Volubili candidæ ſimilia apparent, niſi quod latiora ſunt & longiora. Caules fundit ſurculoſos, lignoſos, teretesq;. Auguſto mẽſe ſemen copioſum, foliaceum, racematim coactum, inſtar Burſę paſtorię maioris. Cæterum admiratione dignum in hoc olere id cenſeo, quod duplici prægnat ſemine, altero lato & foliaceo, ut diximus, altero uero nudo, nullisq; foliaceis inuolucris tecto, Circeæ (quę ab alijs Amaranthus purpureus, ſeu flos amoris dicitur) ſemine nequaquam maiori. Radix Atriplici ſatiuæ breuis eſt & recta, ueluti & Anetho, qui fit ut per hyemem durare non poſſit Atriplex, ſed neceſſe habeat ſeminari quotãnis. Satiuę Atriplicis genera ſola coloris uarietate differũt, quorundam. n. folia & caules nigricant, nonnullorũ Xerampelinum aut rubeum obtinent colorem, aliorum in luteum pallidum langueſcunt, quæ diſcrimina in Beta quoque animaduerti poſſunt.

2. *Atriplex agreſtis.*
Agreſtis uero & exigua Atriplex uitijs hortenſium herbarum accenſeri

commode poterat. Quod ad caules quos profert, necnon ramulos, folia et radices attinet, satiuæ similis est, nisi quod tota sua substantia magis exigua est, & folia habet copiosiore farina aspersa. Herba est alsiosa, frigorisque impatientissima. Nascitur sponte sua in hortis, & aruis quibusdam, in quibus à uerno inde tempore usque in Autumnum semine copioso racematim compacto, exiguo, nigro, Portulacæque semini simili prægnans reperitur.

NOMENCLATVRAE.

Diosco. lib. 2. cap. 110.

Dioscorides Atriplicis duo statuit genera, syluestre nimirum, id quod postremo loco descripsimus, & satiuum quod trium generum esse primo loco docuimus. Atriplex Germanis Milten/Græcis ἀτράφαξις, & χρυσολάχανον, hoc est, Aureum olus dicitur. Columella huius quoque oleris quantumuis uulgaris meminit, rationemque plantandi tradidit, idque lib. xi. cap. iij. In nostris regionibus primo uere ut diximus cum cæteris oleribus seritur.

Sunt qui ad Atriplicem (quam & Atreplexum, & Treplexum cognominatam uolunt) Spinaciam referant, quod per nos quidem illis licebit, diximus tamen de olere, ut uocant, Hispanico seu Spinachia, suo quoque loco, nunc enim de Atriplice agimus, quam Serapio frigidis & humidis adnumerat medicinis, asserens morbo regio expellendo utilissimam esse. Cæterum uocat illam Arabica lingua Cataf cap. cxlvi.

Altera agrestis seu exigua Atriplex, Germanis Klein acker milt/& à ui subducendi aluum Scheißmilt dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Atriplex culinæ potius quam medicinæ nata uidetur, quanquam suas quoque in medicina habeat laudes, temperamento nimirum frigido & humido prædita.

INTRINSECVS.

Hippo. de uictus ratione lib. 2.

Atriplex cocta ut olus esitata aluum mollit Dioscoride teste, quod ego de syluestri seu agresti intelligo. Hippocrates enim cum de satiua Atriplice (ut mihi uidetur) scriberet, dixit illam humidam quidem esse, sed aluum nequaquam ciere.

Semen Atriplicis tusum, & cum aqua mulsa potum, regium morbum sanat.

Atriplex oleris instar esitatum cholericis calidis et macris homnibus maxime conducit.

EXTRINSECVS.

Atriplicis recentia folia tusa ac imposita, panos & parotidas discutiunt. Alia si qua desiderantur, usus quotidianus docebit.

De

De reliquis Atriplicis generibus. CAP. LVI.

Blitum.
Maior.



SVNT ET ALIA NON pauca syluestris Atriplicis genera, quæ æstate in omnibus pene hortis inter cætera herbarum uitia succrescunt. Inter illa præcipuum id est quod rubeo tota sua substantia colore apparet, ita quidem ut succo eius expresso minij uice in scriptione uti poßis, quod genus coloris me in puerili ætate quę uarietate colorum gaudet, sæpe usurpatum memini. Forma foliorum, radicis, & caulis in hac planta uulgari Solatro satis respondet, solo excepto semine, quod habet copiosum, ac instar Atriplicis agrestis de quo superiori capite, coactum. 1. Blitum nigrum.

Alterum huius plantę genus præcedenti per omnia, quod ad formā attinet consimile est. Caulem habet purpureum, folia uero ex uiridi nigricantia. Sunt binæ iam descriptæ plantæ plane congeneres, & simul in hortis inter uitia (ut diximus) herbarum enascuntur. 2. Blitum secundū.

Tertium duriusculum est, habet enim firmiora & so- 3. Blitum tertium.

diora folia. Quod ad illa necnon caulem & radicem attinet maiori Basilico simile apparet, sed florem habet multo minutissimum (nam milij magnitudinem non superat) ex luteo uiridem. Semine prægnat nigro, nec Portulacæ seminio maiori. Est & hæc Atriplicis syluestris, seu Bliti species uitium hortensianarum stirpium.

4. Cæterum eius, quod primo libro sub Solanis descripsimus, folia acutiora sunt ijs quibus Atriplex uestitur, in lateribus serrata. Quod ad semen attinet Atriplices prorsus æmulatur. Herba est plane lethalis & pestifera, maxime si a' suibus deuoretur, ut loco citato meminimus.

5. Præterea aliud quoddam iam descripto simile Atriplicis syluestris genus in antiquis areis, & fossis fimi, ac pagis inuenitur, a' proximo, ut diximus fere nihil differt, nisi quod folia habet acutiora, & magis nigricantia.

NOMENCLATVRAE.

Quinque iam commemorata Atriplicis syluestris genera una uoce Germanice Mist milten/ hoc est, Atriplices fimarias, propterea quod ijs maxime locis gaudeant, in quibus fimus pecorum aliquandiu seruatus fuerit, appellare possumus. Sunt tamen qui primum genus Soldanam & Soldanellam appellare uelint, quibus repugnat Leonicenus, asserens Brassicam marinam hoc pacto uocari. Sed nihil ad nos controuersia ista, scimus enim quod hoc ipsum primum genus Hieronymo Braunschuueig teste. Germani nonnulli Rot köl/ hoc est, rubeam Brassicam uocent, & Sanguinariam herbam passim haberi, & recte quidem meo iudicio, nam id non solum color plantæ innuere uidetur, sed & experientia, qua ad dysenterias usurpari consueuit, idem confirmat. Mulieres & hanc sagminibus suis adijciunt. Cæterum cum Sanguinariæ herbæ, Germanis Blütkraut mentio inciderit, notandum est pro diuersitate regionum uarias esse Sanguinarias herbas quas obiter hoc loco commemorabimus.

Soldana. Soldanella.

Huius herbæ historiā Ruellius scribit de nat. stirpium lib. 2. cap. 51.

Sanguinaria { Vera Germanica / Quorundam aliorum / Nonnullorū / Comitis de Neuenare } est { Blitum nigrum hoc capite primo loco descriptum. / Tormentilla. / Bursa pastoria. / Centumnodia. / Crus galli, Germani Hanen bein. }

Ex his uidere est unamquanque fere regionem sibi peculiarem habere Sanguinariam.

Tertia

Tertia Atriplicis syluestris species, quam folia Basilici habere diximus, mulierculæ nostræ apud Mediomatrices Maier appellant. Herba est innoxia, & quæ inter cætera olera non raro legitur, potestq; fieri ut Bliti sit species.

Quartum uitium, cuius in Solani historia descriptionem habes, Germani Sew tod/Schweinstod/& in agro Vangionum Genßfüß appellant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Blitum nigrum, seu Sanguinaria illa, quæ quod ad formam attinet ad Atriplices syluestres referenda uidetur, à mulierculis nonnullis in dysenterijs & sanguine sistendo usurpatur.

Reliqua Atriplicis syluestris genera frigidæ sunt temperaturæ, & in his quæ foris refrigerationem desiderant adhiberi possunt, quemadmodum & Solanum. Hippocrates menstrua mulierum illis sisti credidit, si in cibo assumerentur.

De Atriplice canine, seu Bono Henricho. CAP. LVII.

QVAM VVLGO GERMANI Stoltz Heinrich VOCANT, ea nobis Atriplex fœtida esse uidetur, aut saltē species illius. Folia habet Atriplici agresti (de qua supra cap. lv. egimus) similia, sed minora, farina quadā aspersa, cineracea. Semen profert admodum exiguum multoq; Atriplicis agrestis semine minus, odoris grauissimi, ac putrilaginem fœtidam spirantis. Nascitur hęc planta ad muros, & sæpes, quæ loca canes plerunque commingere solent. Crediderim equidem illam sponte sua è fœtida terræ exhalatione progigni. Maio mense cum cęteris Atriplicibus è terra prosilit. Augusto mense rursus euanescit, frigoris impatientissima herba.

NOMENCLATVRAE.

Germani hanc plantā à fœtido odore gůt/oder stoltz Heinrich uocant, neq; aliud eius nomen cognoscere unq̃ potui. Vitium Atriplicis potius est quam quiduis aliud, potestq; Hundtsmilten/hoc est, Atriplex fœtida, seu canina appellari. Licet non inepte Blitum illud fœtidum esse dicemus, à quo apud Plautum in Truculento Blitea meretrix, hoc est, fœtida cognominatur.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Bonus iste Henrichus uermes in ulceribus putridis animantium quadrupedum natos excutit certissimo experimento, si herba tusa ulceribus imponatur, id quod non semel ipse uidi.

Sunt qui uermes eijci dicant si herba solum adalligetur iumento.


De altero Bono Henricho qui folijs uestitur latis, supra primo libro capite ciiij. egimus.

De Caule capitulato. Cap. LVIII.

HOC OLERE IN GERMANIA NOSTRA IN CIBO, ET hominibus & iumentis nihil frequentius est. Quin ita usus eius inualuit in plerisq; locis, ut uulgus hominum maxime eorum qui amplam familiam alere necesse habent, uino potius quam hoc cibi genere carere uelit. Non solum enim stomacho satisfacit, ac famentes probe alit, meliore sui & interna parte, præsertim eos qui eiusmodi cibo assueuerunt, sed & exteriora eius folia, cæteræq; partes pabulo bubus exhibentur non ingrato. Quamobrem quod ad me quidem attinet, quidquid alij dicant, nolim sane hoc genus oleris plane contemni, neque etiam facile omnibus indifferenter eum cibum interdicere consultus uelim, maxime ijs qui illo assueuerunt (ut diximus supra) neq; alio per inopiam uictitare possunt. Consuetudo enim quæ in naturam sæpenumero transit, repentinas mutationes omnino non potest ferre, teste Hippocrate. Hæc tenuioris fortunæ hominibus scribimus, quibus per uitæ rationes splendidioribus epulis uesci non licet. Meo certe iudicio Caulis capitulatus bene paratus, conditus & coctus, multo salubrior est, cōdimētis illis peregrinis, & sumptuosis, oliuæ inquam, Capparis, & Citrorum, quæ omnia ad eos potius pertinere uidentur, quibus nihil nisi peregrinum placet, aspernantibus domestica, quæ ut passim obuia sunt, ita dubio procul magis salutaria. Sed utut palato suo isti blandiantur, certum tamen est apud plerosque Caulem capitulatum ita in cibo expeti, & usurpari, ut ab eo se diuelli non patiantur, ut qui utilitates eius, quarum supra mentionem fecimus, haud obscure deprehenderint. Sed hęc quidem obiter de hoc oleris genere pręfata sunt, in eum pręcipue finem ne immerito olus saluberrimum conuicijs proscindatur, usuq; penitus, quod multi factitare solent, abdicetur. Nunc ad historiam illius nos conuertemus, de plantatione eius nonnihil dicturi, quæ sic se habent. Semen Caulis capitulati teres & fuscum, quod nō peruetustum sit, tempore quadrage-

Caulis capitulatus.

Cappes.



quadragesimæ Martio mense terræ mediocriter pingui committitur, e qua non aliter atq; Brassica (de qua statim sequenti capite) sexto aut septimo die erumpit, ac nisi frigoribus aut pulicibus terrestribus opprimatur, breui

tempore

tempore augetur noua illa eruptio. Quamprimum uero recentes illæ & teneræ plantulæ (Germani Setzling appellant) quatuor aut quinque produxerint folia, id quod in Solstitio æstiuali circa Festum D. Medardi fieri solet, tum euelluntur, ac in fasciculis certo numero colligatæ alijs regionibus, in quibus semen haud perinde prouenire solet, communicantur. Deinceps uero rursus plantantur eæ plantulæ, in terra pingui & probe stercorata. Apud nos Mediomatrices pratensi & graminosa terra eaq; arata inprimis gaudẽtq; teneri quos diximus caules, in eaq; satis fœliciter proueniũt. Cumq; illi hoc pacto terræ inserti fuerint, quamprimum augescere incipiunt (nisi iniuria cœli impediantur) folijs in orbem glomeratis, ac in capitis formã extuberãtibus. Hæc capita cum omnis generis carnibus decoqui apud nos solent.

Iam semen huius oleris peculiari quoque arte hortulani elicere solent. Nam capita seu caules capitatos una cum radicibus euellunt, inq; cellis uinarijs summa cura conseruant in Martium usq; mensem, quo tempore capitulatum olus ad collum usque, hoc est, crassum illum ac callosum caulem, humo rursus inseritur. Hoc ubi æstatis uim & calorem senserit, nouos emittit coliculos per capita superne erumpẽtes, uiridibus & angustis folijs uestitos, Aprilíq; mense cum & arbores florent, copioso, luteo, & violis simili flore comantes. Porro flos in longas tandem abit siliquas, rotundo & fusco semine refertas. Sed ut naturæ miraculum, quod in hac quoque planta ostendit paucis aperiam, sciat optimus Lector, me post hyemem in abscissis callosis capitulatæ Brassicæ caulibus semen perfectum & maturum inuenisse, in medulla maxime quorundam, non omnium caulium, ac uehementer miratus sum quid in ea re natura portenderet.

Miraculum naturæ.

NOMENCLATVRAE.

Caulem capitulatum (quem Germani Kappes uocant) ego satiuæ Brassicæ genus esse existimo. Quibusdam Caulis imperialis dicitur. Alij Caputium capitatum, Caulem capitulatum, & simpliciter CAVLEM uocant. Auicenna Cannabiri (quam uocem ego ad Betam pertinere suspicor) Serapio Cormub uocat. Petrus de Crescentijs, Sanbusium, Stephanus de Coruo, Carnebum appellat. Hæc sane nomina quantumuis peregrina sint, & Cauli nostro attribuantur, nõ tamen poterũt illum à Brassica seiungere quin sit species eius. Hippocrates de uictus ratione lib. ij. scribit Brassicam calidi esse temperamenti, bilemq;, seu choleram expellere, quæ omnia Caulem hunc nostrum posse manifestum est. Sed de Brassica eiusq; facultatibus paulo post. Vnum hoc loco adijciemus, uideri nimirum nobis Plinium huius nostri Caulis capitulati mentionẽ fecisse, cum de Cumano sessili scriberet in hunc modum, Cumanum sessili folio, capite patulum, &c.

Auicenna lib. 2. cap. 172.
Serapio ca. 32.
Cumanum sessile.
Plinius lib. 19. cap. 8.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Nemo non nouit Caulem capitulatum coctum maxime cum pinguibus carnibus & suillis stomachum latrantem compescere, quanquam & in medicina usum suum non contemnendum habeat.

INTRINSECVS.

Brassica capitulata condita (ut moris est Germanis) in cibo stomacho æstuanti prodest, quare illa qui operas exercent uesci conuenit. Vtilis est & spleniticis, cibi appetentiam inducit, sitim sedat.

EXTRINSECVS.

Folia huius inflammationibus & tumoribus utiliter imponuntur, non aliter atque Betæ.

Ius conditæ Brassicæ sacris ignibus singulari experimento illitum medetur.

Quod ad reliqua attinet, uiribus Brassicæ satiuæ accedit Capitulata hæc, quare ad satiuam Cramben transeamus.

De Crambe, seu Braßica satiua. CAP. LIX.

A NTEQVAM MEDICI A POPVLO ROMANO RECIperentur, Brassica sexcentis annis Romani ita usi sunt, ut nullus in eo populo morbus oriretur, quem non hoc olere curarent, quemadmodum in scriptis Marci Catonis uidere est. Apud Græcos etiam adeo frequentis fuit in cibo usus Brassica, maxime quæ κράμβη dicitur, ut bis cocta fastidiri cœperit, & apud Apicios (quibus nihil nisi nouum peregrinum & sumptuosum arridet) in prouerbium abierit, δὶς κράμβη θάνατος, quo etiamnum hodie utimur quoties rem iterum atque iterum repetitam non sine molestia significare uolumus. Hac sane ratione, hoc est, Apiciorum insolentia & luxuria multi nobis utilissimi cibi, & nobilissimæ medicinæ perierunt. Qui fit ut hodie remedia ea, ciboscque quos natura nobis in nostra terra dedit, fastidientes, rerumque externarum cupidi, non solum medicinas, sed et cibos nostros ex India alijsque remotioribus locis petamus. Inuenias enim uulgares etiam homines, qui si amicum unum & alterum conuiuio excipere uelint, statim ad seplasias concurrant, ac inde nescio quæ exotica & peregrina.

Plinius lib. 20. cap. 9. & lib. 29. cap. 1.

Braßica.
Kôl kraut.



grina petant, cibis adiungenda. Et meo sane iudicio si qua alia pœna in mores nostros corruptos & dissolutos, certe uel hac maxime animaduertit Deus, ut, cum nostra fastidiamus, & cibo & medicinæ nobis nata, externas insalubres, & maximo damno nobis futuras merces magno ære, maiori uero ualetudinis periculo redimamus. Hæc eo mihi disseruntur, non quod externa rite, ut suo modo usurpata prorsus damnare uelim, sed ut nostros homines commonefaciam, quo præsentibus fruantur, Deiq; beneficia quæ nostræ quoque Germaniæ contulit agnoscant, cumq; gratiarum actione ad tuendam, conseruandamq; bonam ualetudinē usurpent. Proinde cum ad multa alia tū uero ad Brassicam noster hic sermo pertinet, quam in usum reuocari cupimus, olus nimirū non tantum ueteribus, Plinio inquam & Marco Catoni, miris laudibus celebratum, sed etiam reuera saluberrimum, ut quisque paterfamilias, qui Brassicā in horto suo habet, materiam medicinæ longe præstantissimam domi suæ inter olera habere se dubitare non debeat.

Cæterum (ut ad Brassicæ historiam accedamus) plantatur illa sicut & Caulis

Braßica crispa, seu Apiana.
Krauß Köle.



Caulis capitulatus, sunt enim eiusdem generis binę hæ plantæ. Deinde non agimus hoc loco de marina illa Brassica, sed de satiua duntaxat, ac uulgo nota, cuius quatuor apud nos extant præcipua genera.

1. *Braßica satiua maior.* Primum Brassicæ satiuę genus, caule prosilit purpureo, procero (ut qui uiri proceritatem attingat, folio lato, cæsio, multoq; maiori Brassica capitulata, necq; in caput ut illa extuberante. Florem fert altero demum anno sicut & Caulis capitulatus. Planta hæc hyemis frigoribus rarissime læditur, gustu aliquantulũ amara, ac salsa, maxime ubi adoleuerit hyememq; attigerit.

2. *Braßicæ satiuæ maioris species altera.* Alterum huic affine, forma foliorum candidorum ad caulem accedit capitulatum, sed quæ in caput minime extuberent. Hoc quoq; genus hyemem contemnit. Caulem fundit admodum procerum, ut qui unicus tot folia suppeditare queat quot ad ferculum requiruntur.

3. *Braßica crispa, krauser Köl.* Tertia Brassicæ satiuæ species, licet radice, caule, flore, semine & sapore superioribus generibus similis sit, tamen folia gerit plane illis dissimilia, hoc est, crispa, & per ambitũ incisa, ueluti crispæ Lactucæ. Quanquam in hoc genere quædam fre-

quentioribus,& profundioribus,aliæ rarioribus & magis exiguis inciſuris diſſectæ apparent,ita ut plura eius faſtigia conſtituere liceat.

4. *Braßica capitulata.* Quartum Braſſicæ ſatiuæ genus,id eſt, quod ſuperiori proximo capite deſcripſimus. Quod uero ad Braſſicas pertineat id genus, nemo inficiabitur qui formam eius ad Braſſicas contulerit.

5. *Braßica ſylueſtris.* Sylueſtris Braſſica folijs uulgari ſatiuæ pene conſimilibus ueſtitur, ſed magis exiguis & aſperioribus, guſtuq; amarioribus. Huius non frequens in culinis noſtris uſus exiſtit.

Hactenus ergo laudatiſſimi oleris ſumma genera perſtrinximus, quæ omnia non tam cibo (ut ſupra meminimus) quam medicinæ nata ſunt. Quid uero ad hæc podagrici illi,qui perpetuo clamant,nullum neruis, & articulorum morbis adhiberi poſſe remedium? Quod ſi hi quidem notis, ac uulgaribus,ſed & utiliſſimis,herbarum inquam remedijs uti uellent,proculdubio auxilium ſentirent. Cur non illi (paralyticos ac poadgricos alloquor) ęque prompta aure id excipiunt,quod de Braſſicę utilitate Eraſiſtrati ſcola teſtatur,nimirum nihil illa utilius eſſe ſtomacho,neruisq́;,ideo paralyticis & tremulis dandam, quemadmodum annotauit Plinius: atq; audiunt eos qui pillulas de Hermodactylis, & Aggregatiuas aſſumere conſulunt? Sed ut ſæpe diximus eò dementiæ peruenimus, ut nihil niſi externum & pretioſum expetamus. Proinde qui Braſſicas amant,ij ſciant, illas tanto in honore apud ueteres ſemper habitas fuiſſe,ut peculiares illis libros dicauerint, propterea quod nullus fere ſit morbus ad quem curandum Braſſica non unice faciat. Vide Marcum Catonem de re ruſtica,capitibus clvi. & clvij,necnon Plinium lib.ij.cap.ix.

NOMENCLATVRAE.

Dioſco. lib. 2. cap. iii. Braſſica ſatiua quæ Germanis Kôl/ Dioſcoridi κράμβη ἥμερος, Hebræis תרבנתור Tarbethur (licet id nominis nonnulli alij ad Capitulatam Braſſicam priuatim referant) dicitur. Iam ut ſecundum genera,nomenclaturæ quoque diſtribuantur, ſentimus nos maiorem ſatiuam Braſſicam, quæ Germanis Groß zam Kôl dicitur,Cramben eſſe Catonis. Criſpam Plinius Appianam dixit,Capitulatam uero Cauloden & Seſſilem appellauit. Quę quinto loco à nobis deſcripta eſt,eam nos uulgarem,ſeu ſylueſtrem cenſemus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Braſſicæ ſatiuæ omnes cibo & medicinæ accommodatæ ſunt, et utrinq; aſſumi poſſunt,reſiccante facultate pollentes.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Inter omnes Brassicas, maior satiua, necnon crispa, præsertim in Vuestphalia, quæ regio magnam & nigram fert Brassicam magna in copia, plurimum comendantur, magnam etenim utilitatem adferunt, si à coquo probe parentur. Post has eæ mihi probantur Brassicæ quæ Verzi appellantur.

Brassica in cibo esitata, imbecillo stomacho conuenit, concoctionem adiuuat, aluum durari non patitur, urinam promouet, bilem & phlegma, unde caligo oculorum oriri solet, sensim educit,

Qui à serpente ictus fuerit, Brassicam cum uino decoquat, & calidam bibat eam decoctionem, quod si fecerit, nullum periculum ueneni sustinebit. Idem iudicium esto de semine Brassicæ in uino decocto.

Ad purgandam bilem cyma Brassicæ in aqua donec feruefiat decoquitur, postea tunditur, succusq; per pannum percolatur. Hæc potio mane calefacta mensura cyathi mediocris ieiuno stomacho sumitur, cum salis mica, & Romani cymini momento, sumpta potione tribus aut quatuor horis ieiunandum. Hæc purgatio authore Catone cap. clvi. tantum bilis & pituitæ deijcit, ut quis miretur.

Dioscorides crudum succum cum nitro & Iri deuoratum, aluum emollire tradit.

Brassica cum gallo gallinaceo uetere cocta, colicam & uentris tormina sedat, si iusculum sorbeatur, qua ratione & calculo renum, necnon hepaticis, & splenicis commodat.

Aduersus temulentiam bina aut terna Brassicę folia, cruda cum sale & aceto ante & post cibum magno experimento eduntur. Nam qui hoc pacto quemadmodum nunc docuimus Brassicam sumpserit, is tutus erit à uini noxa, hoc est, crapula & temulentia, licet largius aliquanto potauerit.

Qui morbo articulari & podagra uexantur, hi non tantum in cibo Brassicam usurpent, sed & illa aluum subducant, ea ratione, quam ex præscripto Catonis exposuimus. Quod si his Ruta & Coriani semen adijciatur, eo efficacius purgabit. Reliqua in Plinio & Catone.

Hippocrates Cramben bis coctam dysenteria laborantibus & cœliacis exhibere in cibo præcipit.

De Brassica Baptista Fiera sic cecinit.

Iam ueniat folio Chrysippi Brassica crispo,
Vel patulo & leni, uel glomerata comas.
Prima salutifera, & uentrem lenire parata,
Bullierit modico si tamen, igne placet.

Omnibus ardor inest, grauior tumet esca secundis,
Ne capiti noceant uina superba premunt.
Extumidam referant uesicam, ægrumq; lienem.
Hepar & obstructum, fœmineumq; fœmur.
Arida Socraticam pareret ni Brassica bilem,
Iure erat in morbis omnibus illa satis.

EXTRINSECVS.

Folia Brassicæ inflammationes & dolores quosuis mitigant impositu, deinde & omnis generis depascentia, & serpentia ulcera scabiesq; sanant, præsertim addito melle.

Folia capiti imposita fluentes capillos retinent.

Vrina hominis qui per aliquot dies Brassica uictitauit, ad prædictos morbos utilissima est.

Eadem illita, fistulas, carcinomata, gangrænas, nomas & papulas, necnon cutis uitia sanat.

Cato pueros eo lotio sæpe abluere præcipit, sic enim illos à multis morbos præseruari posse tradit.

Caulis Brassicæ tum huius tum Capitulatæ in cinerem redactus, cum adipe suillo temperatus, omnia fluentia cutis uitia emendat.

Lixiuium ex hoc cinere paratum miro & certissimo experimento sacris ignibus & id genus malis illinitur.

De Rapunculo. Cap. LX.

1. *Rapunculum uulgare.*

RAPVNCVLVM NIHIL ALIVD EST QVAM RAPVM exiguum, nascitur passim ad sepes, & in quibusdam graminosis hortis, potestq; fieri ut olim apud diligentes & industrios hortulanos magno in pretio fuerit. Folia eius primo vere è terra prorumpũt folijs Primulæ veris per omnia similia, humi sparsa. Iunio mense appetente exiguæ hæ rapæ singulæ, singulos ex se emittunt coliculos, eosq; teretes, longos & lignosos, ac nonnullos bicubitales, exiguis ramulis brachiatos, folijsq; ab imis partibus usque ad summas exiguis & nigricantibus uestitos, flore emicantes ex purpura cœruleo, & quod ad formam attinet Campanulam seu Cimbalum imitante. Flore pereunte capitula subsequuntur conclusa, uiridia, Nigellæ seminum conceptaculis similia, sed minora, quinis acuminibus seu aculeis horrida, in quibus semen minutissimum & copiosum continetur.

Rapunculum uulgare.
Gemein Rapuntzel.



At Rapunculum maius non ita cognitum est multis, alioquin sane propter magnam & gratam dulcedinem radicis nequaquam tutum foret. Nascitur hoc genus Maio mense in altissimis syluis, caule cubitali, flore in cacumine cœruleo coacto Stœchadis aut Trifolij uulgaris instar, folio per initia humi sparso, violæ Martiæ folijs simili, sed magis acuminato, nigricante, radice candida, forma & sapore uulgari Rapunculo respondente. Pauci sunt quibus hæc herba nota sit. 2. Rapunculum syluestre.

NOMENCLATVRAE.

Rapunculum uulgare Germani Rapuntzel/syluestre uero waldt Rapuntzel nuncupant. Quod in Dioscoride nomen habeat hæc planta, apud multos dubitatur, & controuertitur. Ego citra præiudicium aliorum sententiam meam exponam. Rapunculum igitur Sisaron in Dioscoride appello, quod ueteres antequam carnium usus inualuisset, inter oleracea retulerunt. Huius meminit Columella lib. xi. cap. iij. cum de ijs scribit quæ duobus temporibus seri possunt, id est, Autumno & vere. Sed ascribamus uerba autoris. Et primum de his generibus lo- σίσαρον Dioſco. lib. 2. cap. 5.

Rapunculum syluestre.
Waldt Rapuntzel.



quendum est, quæ possunt duobus seri temporibus, id est, Autumno, & Vere. Sunt autem semina Brassicę, & Lactucæ, Cinaræ, Erucæ, Nasturtij, Coriandri, Chærephylli, Anethi, Pastinacæ, Siseris, Papaueris: hæc enim uel circa calendas Septembres, uel melius ante calēdas Martias Februario seruntur. Hæc ille.

Manardus lib. epist. 9. epist. 3. Plinius lib. 19. cap. 5.

Iam de Sisere non una apud autores rei herbariæ est sententia. Sunt enim qui per Siser luteam illam Pastinacam satiuam, de qua nos lib. 3. cap. cxlvij. intelligant, autoritate nimirum Manardi Ferrariensis et Plinij ducti, quæ sententia mihi non improbatur. Ac credo quidem Plinium Pastinacæ iam dictæ mentionem fecisse cum scribit, Siser Tiberium omnibus annis à Germania flagitasse. Quanquam uerisimile mihi fit de Pastinaca minore, cuius historiam in hoc libro cap. cxxxvi. prosequemur, locutum fuisse. Quidam Ericam Sisaram cognominant, testis est Plinius lib. xi. cap. xvi. Ex his uidemus Sisari appellationē tribus plantis attribui. Nos simpliciter quæ

alias

alias Latini Rapuncula uocant, ad Sisaron Dioscoridis referenda censemus. Iacobus Manlius super Tiri. Auicen. de Rapunculo scribit, asserens illum minimum Naporum genus esse, cuius sententiam nequaquam improbandam puto.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Rapunculi herba & radix verno tempore cibo gratissima sunt & utilissima, si prius aqua quis bullierit.

Siser cibo manducatum cum sale & aceto, cibi appetentiam parit, stomacho prodest, urinam ciet, ociosis sane gratissimum olus.

De Rapo. Cap. LXI

RAPUM, RARHANUS ET SINAPI, PRIMA ERUPTIONE uix discerni possunt, adeo consimilia proferunt folia, quæ si auctiora & numero plura euaserint, tum demum ad quod genus singula pertineant cognosci poterit. Sinapis enim folia asperrima & dissecta sunt, & maxime nigricant. Raphani uero itidem aspera, sed cineracea, ac perpetuo humi sparsa. Sed Rapum (de quo hoc capite peculiariter agimus) folijs gaudet teneris, & uiridibus, ac in altum sese attollentibus, nihil illo in Germania uulgarius. Hoc in tria partiemur fastigia, in uulgare scilicet in Napos & syluestre Rapum.

1. *Rapum uulgare* Vulgare Rapum plerunque instar globi rotundum fit, ac pro maiori parte supra terram nudum, atque aliud quidem uiridi colore, aliud candido, aliud puniceo præditum apparet. Sunt tamen in hoc genere, quæ in oblongam figuram extenduntur, quę nos ad masculinum genus referimus, nam rotunda ad fœmininum pertinere arbitramur. Bina isthæc uulgaris Rapi genera, ex uno & eodem semine gignuntur, sed in serendi modo differentia constituitur. Nam densiore satu masculescunt, hoc est in oblongam excrescunt figuram, rariore uero in amplitudinem magnam ac rotunditatem glomerātur, præsertim in terra humecta, agrisque in umbrosis & nebulosis uallibus sitis. Plinius lib. xiij. cap. xviij. Rapa se uidisse testatur xl. libras excedentia, id quod facile credi potest, cum & nos tanti ponderis Rapas uiderimus.

2. *Napus.* Alterum satiui Rapi genus, planè à uulgari diuersum est, quanquam cum eodem quod ad folia attinet satis conueniat. Radices habet prælongas, nam tres fere palmos in terram descendunt, crassitudine Staphylino luteo pares, cibo propter insignem qua præditæ sunt dulcedinem gratissimæ, ac præstantissimæ. Semen altero demum anno colligitur, nam primum

Rapum.
Rüben.

3.
Rapum syluestre.



seritur, deinde ex una in aliam terram transfertur, atque tum semen profert, nõ aliter atque Brassica capitulata, cui caules huius generis, flores, siliquæ, & semina adamussim respondent.

Tertium Rapum uulgaris satiui syluestris est species, quę cibo non usurpatur. Seritur illa quibusdam in locis, maxime apud Mediomatrices (his enim nuces è quibus nostris regionibus oleum conficitur, non in magna copia nascuntur) seminis è quo oleum isti conficiunt, gratia. Quod ad formam attinet, æquat hoc Rapi genus syluestriũ pyrorum magnitudinem, gustu amarum. Hortulani nostri in Autumno serunt, Aprili deinde mense ueluti & satiuum Raporum genus caules illius longi prosiliunt, flore comantes violis simili, luteo, copioso Sinapis instar. Folia eius antequam excaulescit satis mollia sunt; imo molliora satiuo genere, & uiridiora, qui fit ut Martio mense inter cætera olera decoquantur. Semen habet nigro Sinapi persimile.

NOMENCLATVRAE.

Plinius lib. xviij. cap. xiij. plurimum commendat Rapa, & iure quidem. Non

Vulgare Rapum alterum.

Ander gemein Rüben.



Non solum enim illa omnis generis hominibus, cibo & alimento, sed & quadrupedibus & cunctis animalibus pabulo nascuntur. Quid, quod & anseres anatesq; fronde eorũ gaudent. Breuiter uariæ sunt & multæ Raporum commoditates, quas, quia uulgo notæ sunt multis uerbis enumerare hoc loco nihil attinet. Ager Argentoratensis Raporum feracissimus est, qua dote passim cognitus & laudatus est, nam circa festum Diui Vrbani maturat Rapas, cum alibi locorum post festum S. Ioannis primum serantur, tum enim nisi humori destituantur, sine negotio etiam quamprimũ crescunt. Tertia hæc est pauperũ messis, cũ namq; per inopiã lautioribus uictitare nõ possint, Rapis & Brassicis præsertim capitulatis cõtenti sint necesse est. Rapum satiuum uulgare Hebræis לפת Læphæt (teste Nomenclatura Eliæ Leuitæ) dicitur, Dioscoridi γογγύλη ἢ γογγυλὶς ἥμερος, Latini Rapum satiuum, seu rotundum. Germani Gemein zam Rüben uocant. *Diosco. lib. cap. 102.*

Syluestre eius genus, quod tertio à nobis loco est positum, wild Rüben/ & feldt Rüben/ hoc est, Rapum syluestre, seu agreste dicitur. Nam syluestre & fruticosum Rapi genus, quod à Dioscoride describitur, nobis hauddũ cognitum est.

Napus.

Steck Rüben/Baumholder Rüben.

Duo posteriora nomina à locis in quibus optimi proueniunt Napi, huic plantæ attributæ sunt.



Rapum satiuum alterum, oblongum scilicet, Germani Steckrüben/Stickelrüben/Brotfeldisch rüben/& Banmholder rüben uocãt. Hic nimirum uerus est ueterum. Napus βουνίας Græcis dictus uide Diosco. lib ij. cap. ciij. Serapioni capite cxci. Selien Napus dicitur.

Qui de Rapis plura scire laborat, is legat Columellam lib. xij. cap. liiij. & Plinium cum alibi, tum uero præcipue lib. xviij. cap. xiij. & lib. xix. cap. v. & lib. xx. capite tertio.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Omnia Raporum genera satiua, apud nos cibi gratia seruntur, licet in medicina quoque usum suum habeant. Sunt enim temperamento calido & humido prædita.

INTRINSECVS.

Rapa ut diximus alimentum præbent laborantibus & pauperibus, quo nomine magna in copia ubiq; plantantur.

Decocta per se Rapi radix satiat, inflationem parit, flatusq;, humẽtem ac fluxam carnem creat, modicumq; alit. Qu amobrem ut id uitij emendetur, solent nonnulli eam cum lacte decoquere, ut palato magis arrideant, & effica-

efficacius nutriant. Nec desunt qui Rapa condiant, sicut & Brassicas capitulatas.

Semen Rapi genituram auget, ideoque castis illis cœnobitis minus commodum est.

Rapa continuo in cibo usurpata teste Simeone Sethi venerem stimulant, inflant, & crassum generant humorem.

Semen in medicina efficacius est, maxime Naporum, nam tusum ac potum omni ueneno resistit, quare non immerito Theriacæ compositionem intrat.

EXTRINSECVS.

Rapa decocta, ac calidæ podagræ imposita, dolorem sedant.

Aqua è putrefactis Rapis distillata, ac frequenter calida imposita, frigus pellit è pedibus.

Baptista Fiera de Rapis, & Napis ita cecinit.

Sunt calida, & rigido gaudentia frigore Rapa,
Humidus hinc illis turgidulusq; liquor.
Gloria Nursinis, sitientes cedite Napi
Educet ipse licet uos Amiternus ager.
Cum sapiant Veneri magis hæc si crassa & obesa
Cœna ea postremo lenta sub orbe ferat.

De Raphano. Cap. LXII.

QVO PACTO RAPHANVS NASCATVR, ET CVIUSmodi folia gerat, præcedenti diximus capite. Nunc reliquam eius historiam persequemur. Raphanus humecta gaudet terra, quemadmodum & Rapum. Eius tria à Græcis traduntur genera folijs solum differentia. Theophrastus quatuor commemorat, in plantarum historia. In Germania nostra tria Raphani nascuntur genera, rotundum nimirum & uulgare, quod Argentoratensi & Spirensi agris familiare cernitur. Est & prælongum quoddam Raphani genus figura Napis simile, gustu dulcius & mitius uulgari Raphano. Hoc in Lotharingia, & in agro Metensi ubertim prouenit. De tertio genere sequenti agemus capite. Sed bina hoc capite descripta Raphani genera, foijs, caulibus, flore, siliquis, & semine inuicem consimilia sunt. Vterque Raphanus surculosos appetente Maio mense caules profert, flore comantes candido, qui in siliquas concauas, rotundas, ac in oblongum mucronatas, semine ex luteo colore fusco refertas


1. *Raphanus uulgaris.*

2. *Raphanus longus.*

abire

Raphanus.

Rhettich.



abire consueuit. Semen Raphani satum intra quaternos aut quinos dies erũpit. Ac licet Raphanus terrã non morose eligat, tamen in uniuerso Rheni tractu, nullum reperias agrum, in quo fœlicius Rapum et Raphanus proueniant Argentoratensi. Nam & tempestiue tantaq; copia in eo loco prosilit, ut plerisque alijs regionibus cõmunicari quoque possint. Raphanus a plerisque concoctionẽ adiuuare affirmatur, quibus reclamat ipse Galenus lib. de alimentis ij. qui maiorẽ, præsertim in hisce rebus fidem meretur.

NOMENCLATVRAE.

Scripsit Mörchio Græcus unum de Raphano uolumen, uniuersam eius laudem cõplexus. Cum namque magnarum sit uirium, merito ab eo autore commendatur. Vulgare & rotundum Raphani genus nobis id uidetur esse quod Theophrastus Corinthiũ Plinius libro xix. capite v. Syriacum uocauit. Quanquam & Bœotius Raphanus rotundus est teste Theophrasto, gustuq; dulcior. At Raphanus prælongus quem Metensis (ut diximus) ager fundit, Theophrasti nostra sententia radix est Gleonea, Plinio Algidẽsis appellata. De Thracio siue Liothaiassio Raphano.

De Raphano syluestri, hoc est, Apio supra cap. 19.

Raphano statim sequenti capite agemus. Mirum autem mihi uidetur quid sibi Plinij & Theophrasti in Raphanorum historia, uelit discordia. Nam quæ de Raphano Theophrastus scripsit, ea Napis suis attribuit Plinius.

Præter ea quæ de nomenclaturis Raphani nunc diximus, hoc quoque obseruandum est, nimirum quod Raphani uox apud ueteres Brassicæ attributa fuit (teste Theophrasto libro secundo de plantarum historia, & interprete Nicandri super Alexiphar.) quodque uulgo hodie Raphanum uocant, ueteres Radicem nominabant, omnia Raphani genera sub ea uoce complexi. Neoterici uero Raphanum, de quo sequenti capite, radicis nomine insigniunt, quod ipsum multis alijs plantis coniungitur, de qua re uide Leonicenũ & Hermolaum Barbarum. Serapioni Raphanus, Fugel dicitur ca. ccxcvij. Auerrhoi Alphagel. Hebreis צנון Zenon, Rabinis et Thalmudistis פוגלא Fugla, & conuersis literis פילגא Pilga nominatur, teste Aruch Monsteri.

Dicimus enim Radix Pontica, radix dulcis, radix Rhodia &c.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Raphani genera excalfaciunt, & expellendi uim obtinent, tam cibis quam medicinæ nata.

INTRINSECVS.

Raphanus flatus gignit. Quidam illo ante cibum, alij post cibum uescuntur. Quandocunque uero commedatur, certe ructus ciet, cerebrum, rationem, & oculos turbat.

His qui operas exercent minus nocet. Præterea urinam ciet Raphanus, aluumque emollit, sed concoctu difficilis est, hydropicis, & splenicis, necnon mensibus impeditis exhiberi potest.

Raphanus aqua decoctus addito melle cõtra ueterem tussim, & pituitæ in pectore crassitiem aliquot diebus potus efficax est, uitiaque pectoris excreabilia facit.

Cortex Raphani tusus, cumque aceto & melle sumptus uomitiones mouet. Idem semen in calida aqua potum efficit.

Semen maxima ui expellendi pollet, contra strangulationes fungorum utilissimum.

EXTRINSECVS.


Raphanus cum melle tusus ac illitus, sugillata rapit, maculas & lentigines faciei emendat, alopecias ad pilum reducit; ictibus araneorum, scorpionum, & serpentium medetur.

Raphanus umbilico impositus mulieribus tormina uentris sedat, autor est Hippocrates.

De

De Raphano maiore. Cap. LXIII.

Raphanus maior, seu Armoracia radix.
Meerrhettich.



RAPHANVS MAIOR (ut uulgo uocant) radicem habet fertilissimam, & quæ facile humo hæreat, ac breui tempore maxime augescat. Flore decidente nullũ uel semen, uel fructum profert, quod idem Petasites facit. In fine Februarij folia prosiliunt exigua, crispa, ac instar exiguorum Filicis foliorum dissecta, quæ tamen progressu temporis, longa lataq; euadunt, pereuntibus, ac euanescentibus incisuris illis quibus primo exortu dissecabantur. E medio foliorum, deinde caules exeunt crassi & rotundi duum aut trium quandoq; cubitorum altitudinem æquantes: in quorũ fastigijs flosculi emicant copiosi ac frequentes, candidi, qui antequam aperiuntur Milij formam repræsentant. A flore admodum exiguæ sequuntur siliquæ, non multo maiores Bursa pastoria minore, in quibus tamen nullum unquam me semẽ reperisse memini. Folia cum iustam suam amplitudinem adsequuntur, Lapatium

tium uulgare (Germanis Meerwelwurtz) referunt. At radix multifida intra humum hinc inde sese undequaque spargit. Estque facilis huius Raphani plantatio, nam ubi superiores radicis partes folijs pinnatis proximas resecaueris, terræque inserueris, longe lateque sese diffundunt, progressuque temporis mirum in modum augmentantur. At secus alterum Raphani genus nempe id quod superiori proximo capite descripsimus sese habet, nam posteaquam euulsum semel fuerit, nihil ex se deinceps gignit nisi semen, quod in caulibus altero demum anno terræ rursus inserti profert. Raphanus maior, hoc ipso, cuius nunc meminimus, sapore & odore acrior & fortior est, ita quidem ut gustatus & odoratus lachrymas eliciat. Gaudet rigua maxime terra, quare non raro sponte sua in pratis quibusdam humidioribus prouenire solet.

NOMENCLATVRAE.

Cum Raphanus iste forma, odore & sapore a` satiuo uulgari quamplurimum distet, uoluimus eius historiam seorsim prosequi. Hunc nos Armoraciam radicem Plinij esse statuimus, propterea quod omnia quę de Armoracia prædicat Plinius, huic nostro Raphano maiori plane conueniant. Ac nisi me omnia fallant hæc est Thracia radix & Liothalassium Theophrasti, quod ad Napos retulit Plinius, ut supra diximus. Serapioni Armorachion dicitur. Germani Meerrhettich uocant.

Plinius.lib.19. cap.5.
Theophr.lib.7. cap.4.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Raphanus maior calidus est in ordine tertio, quemadmodum Ægineta & Orobasius testati sunt. Radix præcipue feruens est, & in omnibus efficacior tam culinis quam officinis usitata.

INTRINESCVS.

Radix Raphani maioris minutim concisa, tusa, & cum sale ac aceto condita, ad embammata quæ carnibus ac piscibus adiunguntur, maxime idonea est, quod norunt omnes Apicij.

Sunt qui ex hac radice tusa Eclegma conficiant, quod exhibent calculosis ad prouocandam urinam, necnon mulieribus quibus menses suppressi sunt.

Confectio sic se habet. Sumunt radicem tusam, acetum & mel, hæc omnia simul decoquunt, donec crassescant, & fuscum exprimant colorem, tum ad usus quos diximus adhibent.

Succus

Succus radicis Armoraciæ per aliquot dies sumptus, pulmonis uitijs medetur, & aduersus phthisin uel maxime facit.

De Raphano & Armoracia, sic cecinit Fiera in cœna sua.

Hinc eat, aut Raphanus postremo accumbat in orbe
Mensa magis sapida si sit onusta dape.
In caput & dentes, limosóq; igne in ocellos
Sæuit, & hinc stomachus nauseat aßidue.
Morchio eum colat, & fungi cui cura Nicander
Quæq; amat æternas fœmina pulchra comas.

De Cepa. Cap. LXIIII.

ÆGYPTII MAGNVM PIACVLVM ESSE DVCVNT, siquis Cepa aut Allio uescatur, propterea quod hæc illorum sint numina, qua de re extant in xv. apud Iuuenalem Satyra elegantissimi uersiculi, quos annotabimus.

Oppida tota canem uenerantur, nemo Dianam.
Porrum & Cepe nefas uiolare ac frangere morsu
O sanctas gentes quibus hæc nascuntur in hortis
Numina:

Causam huius superstitionis ex sequentibus uerbis Ruellij, quæ adscribemus, facile quiuis intelliget. Sic ergo Ruellius in historia Cepæ, quæ extat in illius de natura stirpium commentariorum lib. ij. cap. lxxxiiij.

Id mirandum occurrit, quod apud Plutarchum quarto in Hesiodum commentario legitur. Cepe enim reuirescit & congerminat, decedente luna: contra autem marcescit adolescente. Eam causam dicunt sacerdotes Aegyptij, cur Pelusiotæ Cepe non edant, quia solum olerum omnium contra syderis incrementa, damnaq; uices minuendi & augendi habeat contrarias. Siquidē omnia quæ crescente luna gliscunt, eadem senescente tabescunt: quod in ostreis aperte cognoscitur, quas syderis iuuenta complet, & uberiores facit, seniū deplet, macrasq; reddit, echinos alit, eadē muribus fibras adijcit. Aelurorū oculi has syderis uires sentiunt, qui aut ampliores aut minores fiant. Cum ergo fruges, herbæ, arbores ijs lunæ damnis sint obnoxiæ, solum Cepe uicissitudines nouit aduersas. Hæc ille.

Cepa. Zwybelen. *Bulbus agrestis.* Feld Zwybelen.



Germani his acribus Ægyptiorum dijs carere non possunt, utuntur enim ijs in omni pene cibo, nec crudis etiamnum parcunt. Multi in ea sunt opinione, ut credant, si mane ieiuno stomacho Cepe aut Allium deuora-

uerint, se eo die à pestifera lue & aëris corrupti intemperie uindicatos ac tutos fore, subscribentes breuissimo Hieronymi Braunschuueig versiculo, quo dixit, *Allium & Cepa, sunt rusticorum Theriaca.*

Hic nempe is est cultus, quem Germani Ægyptiacis dijs exhibent, nimirum ut ijs in cibo usurpatis à peste & ueneno conseruentur. Sed ad historiam Cepæ accedamus.

Cepa optima in nostra Germania ea censetur, quæ rotunda & ruffa existit. Ea per hyemem in loco fumo peruio conseruatur, posteaq; verno tempore circa Festum Petri, ut uocant Cathedrati, in terram temperatam ac mediocrem panguntur, è qua intra paucos dies folia erumpunt porracea, ac concaua. Postea caulis subsequitur, itidem concauus, fistulaceus tubæ nõ dissimilis, in medio foliorũ enatus, in cuius fastigio caput protuberat, multis torulis seu globulis refertum, ijsq; tenuissima membrana inuolutis, quę si rumpitur, flos prodit stellatus, ex pallido & candido mixtus, frequens & copiosus, Satyrij non absimilis. Hic ubi defloruit in globulos rursus transformatur, binis aut ternis nigris & angulosis seminijs refertos. Semen Cepæ Martio dimidia parte exacto in terra mediocriter pingui seritur, quod ideo fieri solet, ne eruptiones eius tenerrimæ forti & lenta terra confringantur. Nam Cepe duplici eruptione è terra prodit, ualuulis seu folliculis seminij in superiori parte eius suspensis. Quod si in prima qua diximus eruptione nihil patiatur Cepe, deinceps citra periculum facile adolescere potest. Ceparum alia grandis, alia exigua, alia rufa, quædam candida, alia rotunda, quædam oblonga, omnes uero ut plurimum duplici aut triplici prætenui & rufa membrana uestitæ. Radices earum nihil aliud sunt, quam exiguæ quædam & candidæ fibræ. Cepæ maturæ circa Festum plerunq; D. Barholomei euelluntur, purgantur, ac partim ad usum quotidianum, partim uero ut deinceps pangi possint, conseruantur. Sunt nonnulli prudentiores hortulani, qui Cepam serunt ante Autumnum, quo verno tempore teneram illam & recentem usurpare possint. Extat porro in officinis magnum quoddam Cepę genus, quod quia nostris hortis non familiare, sed peregrinum est, de illo alias dicemus.

Ceparum inter se differentiæ

NOMENCLATVRAE.

Diosco. lib. 2. cap. 140. Cepam quibusdam Polyidos, magis Calabotim dici testatur Diosco.

Cepa uel Cepe Latinis, Gręcis κρόμμυον, Hebręis בצל Bazel, Num. xi. Zwybel / aut Zybel Germanis dicitur. Theophrastus li. vij. ca. iiij. uaria Cepæ genera commemorat, eaq; à locis nomina sortita esse, ita ut alia Cepa gardia, alia Cnidia, alia Samothracia, alia Setanica, alia Fissilis, & Ascalonia nominetur. Iam ut & nos nostra Ceparum genera discernamus, uidentur mihi Ascaloniæ eæ esse, quæ apud nos grandi caule prosiliunt, & semen ferunt,

runt, Germanis Groß ſam Zwybel hoc genus appellatur. At Fiſſiles, quæ & Steriles Theophraſto nuncupantur, nobis eæ ſunt exiguæ, quæ ſemine carent, & primo vere inter primos & vernos fructus proueniunt. Germani kleine ſetzling uocant. Setanicam eamq; dulcem Cepam nunquam uidi, forte in Creta illa naſcitur, ſicut candida apud Iſum. Quanquam in noſtris quoque regionibus Cepam reperias candidis obductam membranis. Poſtremam eamq; longam Cepam Gethyum Theophraſto uocatam, noſtri Narr/hoc eſt ſtultam uocant, eo quod in folia potius quam radicem augmentum omne mittat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

In culinis Germanicis nihil uſitatius Cepa. Nemo præterea illa carere uult. Nonnulli enim ad cibos, alij ad delicias, quidam ad Medicos uſus adhibent Cepam. Eſt autem Cepa ſalutaris ſimul & noxia, ſed diuerſo reſpectu. Ad multas tam internas quam externas affectiones uſurpari conſueuit. Natura calidæ ſunt Cepæ & flatuoſæ, teſte Galeno.

INTRINSECVS.

Qui operas exercent, mane Cepam crudam cum ſale & pane Theriacæ loco eſitare ſolent aduerſus aërem infectum, perſuadentes ſibi, eo die tutos à peſtifera lue fore, qui hoc remedio uſi fuerint, nec illos ſpes fallit, ſiquidē experientia conſtat aduerſus intemperiem aëris ut nihil uulgatius, ita neq; efficacius quicquam hac Theriaca reperiri. At qui laboribus ac eiuſmodi cibo minus aſſueti fuerint, nihil illo iuuantur, ſed lęduntur potius, ut qui inſaniam, dolores capitis, caliginem oculorum, mentis alienationem, ac turbationem, necnon Lethargicum morbum gignat. At quod ad hæc quidē attinet, Medicum ſui ipſius unumquemq; eſſe conuenit, ac obſeruare iuuetur ne an offendatur uſu Ceparum, ac tum demum ab illis abſtinere, aut uſurpare eas.

Cepæ continuo uſurpatæ in cibo aluum emolliunt, urinam cient, pelluntq;

Aniculæ noſtræ crudam Cepam conſcindunt, ac in aquam fontanam inijciunt, perq; noctem in ea macerant, poſtea eam aquam pueris & infantibus potandam exhibent, ad eijciendos uentris lumbricos, ſane haud infœlici ſucceſſu.

Continuo Cepæ uſu genitale ſemen augetur. Ad eam uero rem uel maxime ſemen facit.

EXTRINSECVS.

Succus Cepæ expressus, cum melle oculorum hebetudinibus, instillatus medetur.

Idem auribus inditus, sonitus earum tollit, & dolorem sedat. Naribus exceptus cerebrum purgat. Illitus alopecias replet.

Succus Cæpe cum aceto temperatus, ac calidus illitus, faciei maculas, maxime quæ oculis subsunt exterit.

Canis morsibus, succus Cepæ, cum Ruta, aceto & melle efficacissime illinitur, uel emplastri instar imponitur.

Cepa cum Ficu tusa & illita emollit apostemata & ulcera, eaque rumpit, maxime ea quæ in sede oriuntur.

Hæmorrhoidas purgat Cepa balani instar subdita, & menses elicit.

Cepa magna excauata, Theriaca deinde repleta & tecta, ac postea in calidissimo cinere assata, demum detractis exterioribus tunicis tusa, ac cataplasmatis ritu imposita, pestes ac uenenosa ulcera, reliquasque collectiones malas & duritias efficacissime emollit, ac aperit.

De Bulbo, seu Cepa agresti, cuius effigiem cum uulgari Cepa coniunctam superiori proximo capite proposuimus. CAP. LXV.

VETERES REI HERBARIAE SCRIPTORES QVAMplurima Ceparum genera commemorant, quæ omnia Bulbos generali uoce appellant. Cum uero non tantum apud nos plerique Bulbi ueterum in usu non sint, sed nec etiam cogniti, difficile sane est historiam illorum conscribere. Conabimur tamen pro uiribus aliquid hac in parte præstare. Ac nascitur quidem syluestre quoddam Cepæ genus in arenosis campis, Auellanam nucem magnitudine nequaquam excedens. Hoc appetente Martio mense folia fundit, Porro fere similia, sed multo minora, ita ut ad Crocum satiuum magis accedant. Cæterum singuli Bulbi bina proferunt folia, & raro plura, eaque angusta, dodrantem longa, e quorum medio coliculus prosilit breuissimus, atque rotundus, sex aut octo stellatis & luteis flosculis in fastigio emicans, iisque coniunctim positis, stellæque instar inflexis ac recuruis, in rotunda tandem abeuntibus capitula, ueluti Nigella. Odor & sapor huic plantæ idem, qui & Cepę uulgari, sed multo remissior. Maio mense euanescit, nec unquam ab eo postea tempore apparet.

NOMEN-

NOMENCLATVRAE.

Pauci inter Germanos sunt, quibus hoc Cepæ stellatæ genus cognitum sit. Nonnulli tamen qui plantam hanc norunt Germanica lingua Acker zwibel/feldtzwibel, & Wildt zwibel/hoc est, Cepam syluestrem uocant. Quia uero de Cepa syluestri nihil apud ueteres herbarios legimus, uocabimus interea Bulbū agrestem, dum cōmodiorem addiscamus appellationē. Quid enim Bulbus aliud est quam multiplex quædam compacta & ceparia radix? Sunt enim Bulbi Plinio teste radices rotundæ, & tunicatæ, quales sunt Hyacinthi, Asphodeli, Colchici, Lilij, Ceparum & Allij &c. Breuiter quæcunque radix quotannis nouos oculos, aliasúe nouas adnatas radices ex se mittit Bulbosa dici potest.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Syluestris hæc Cepa apud nos in cibo non usurpatur. At in medicina non contemnendi est usus. Siquidem in calido cinere torrefacta, ac cum melle tusa, inq; linteo imposita, ulcera depascentia, & manantia sanādi, durosq; tumores emolliendi uim habet.


De Cepa sterili. Cap. LXVI.

CEPA STERILIS QVAM MODO PRAE MANIBVS habemus, nihil aliud est quam exiguum quoddā Cepæ genus, Argentoratensibus hodie admodum familiare. Eo enim cum hij tum alij ad intinctus duntaxat cum aceto adhibent. Ac licet hæc quoq; Cepa acris sit, lachrymasq; eliciat, mitior tamen multo existit uulgari Cepa. Cæterum verno tempore & maxime quadragesimali singuli Bulbi separatim panguntur, qui deinde folia emittunt fistulosa, sed prætenuia, ac iuncea quasi. Fructum nullum fert hoc Cepæ genus, sicut neq; flore aliquo comat, nec semine prægnat. Nam sola radice quam subinde multiplicem profert, ita quidem ut ex una decem aliæ nonnunquam procreentur, quæ & ipsæ postea pangi possint, propagatur. Mirumq; sane mihi uidetur, quo pacto primum quidem ortum fuerit hoc Cepæ genus, cum ut diximus nullum producat semen.

NOMENCLATVRAE.

Hæc Cepa in Alsatia, Leuchel/& Eschleuchel appellatur, estq; ea quæ Apicio Cepulla uocata fuit, Theophrasto uero Sterilis, uel Fissilis. De reli-

Cepa sterilis. *Porrum sectiuum.*
Eschleuchel. Schnidlauch.



quis Cepæ generibus, ut est Pompeia, Marsica, simplex seu unio Hermolaus Barbarus cap. ccclxxxiiij. copiose scripsit, nos de nostratibus nunc plantis agimus, maxime de ijs quæ generali nomine Bulbi appellari possunt, inter quas & hoc capite descripta connumeranda uenit. Quæcunque enim leues & molles sunt radices, Bulbi recte uocantur, teste Cornelio Celso. lib. ij. cap. xxij. De Bulbis eorumque generibus et differentijs diligenter in Onomastico suo uir doctissimus piæ memoriæ D. Otho Brunfelsius annotauit, nec non Dioscorides lib. ij. cap. clx. & clxi. & Platina lib. iiij. ac Cato etiam & Columella.

VIRES AC TEMPEramentum.

Quæ de satiua Cepa diximus, de hac sterili quoque intelligẽda sunt, ut quę cum illa uiribus conueniat, licet illa sapore & odore sit remissior & infirmior, quo nomine capiti non perinde nocet. Potest uero hæc Cepa sterilis usurpari, ubi satiua desideratur & contra.

De

De Porro sectiuo, cuius effigiem dedimus capite superiori proximo. CAP. LXVII.

PORRVM SECTIVVM QVOD GERMANI Bryslauch/ seu Schnidlauch uocant, minimum est Cepæ genus. Quod uero illi in magnitudine deest, hoc numero resarcit. Siquidem una planta ducentis nonnunquam compactis cepulis constat, ita tamen ut à se mutuo diuelli possint, & singulæ pangi, aut certe plures coniunctim plantari possunt, & fœliciori quidem successu, plures namque coniunctæ, terręque insertę, hyemis frigora facile ferunt. Eæ appetente Februario rotunda. fistulosa, exigua, & uiridia proferunt foliola, minimis Iuncis similia, eademque copiosa & frequentia, quæ Maio mense aduentante, capitulatis, & purpureis floribus instar Cepæ satiuæ in cacumine emicant. In nostris regionibus folijs huius Porri verno tempore, dum aliæ culinariæ herbæ adolescant, ad placentas quas Pfannküchen uocant condiendas utuntur. Porrum sectiuum gustu Cepam refert, sed remissiore sapore præditum

NOMENCLATVRAE.

Veteres in plantando & secando Porrum peculiares suas rationes secuti sunt, quæ quia nostro tempore, non solum non in usu sunt, sed nec etiã cognitæ, missas illas facimus. Nostri enim homines Porro sectiuo, quod apud nos non magna aut peculiari cura indiget ad placentas, quas Pfannküchen uocant, duntaxat usurpant, de Porro præterea nihil expertũ habentes. Sunt qui hanc plantam uerum Porrum sectile esse existimant, quorum iudicio nos subscribimus. Serapio Porrum Curat uocat, eiusque diuersa proponit genera, nimirum domesticum, Hispanum, Nabati, Montanum & Porrum uineæ. Hebræi quidam Porrum כרש Keresch appellare uidentur. *Serap. cap. 351.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Porri genera Cepis quam Allio magis affinia sunt, tam quoad saporem quam odorem, Olim maioris erant in medicina usus quam hodie.

INTRINSECVS.

Porrum sectile ad intinctus, qui cibis adiunguntur, admodum utile est, si cum aceto folia eius tusa temperentur. Assiduus eius & nimius usus capi-

tis dolores excitat, stomacho, renibus, & uesicæ non satis conuenit.

Porrum sectile aluum emollit, exulcerationibus pulmonis cum melle prodest, uitia thoracis educit, semenque genitale calefacit, & auget.

Hinc Baptista Fiera ita cecinit.

Tabida cui curæ pulmonis membra & anhelum
Pectus, cum Porri torrida cœna uocat.
Cura mihi est stomachus, placidissima somnia, dentes,
Bis licet elixum non tamen illud edam.
Hoc edat nigratæ cui fœmina cura colendæ
Quique nec astrictis renibus esse uelit.
Munera non tanti Veneris pensantur ut aluo
Postposita irati tormina uentris amem.

EXTRINSECVS.

Porrum sectile ad omnis generis ulcera & apostemata adhiberi potest sicut Cepa.

De Allio. Cap. LXVIII.

Theoph. lib. 7. cap. 4.

SI EX SEMINE ALLIVM PLANTARE NECESSE ESset, non solum tardius, sed etiam admodum exiguum proueniret, ita quidem ut Theophrasto teste tertio demum anno perfectũ redderetur, quod ipse ita se habere deprehendi, maxime quod ad Ampeloprason attinet. Satiuum igitur seu hortensianum Allium hoc pacto seritur. Primo namque vere, quo tempore Ciconiæ ad nos redire solent, Allium in nostris regionibus, in terram mediocriter cultam, aut natura sua alioquin bonam, nec nimis fortem aut lentam, deponitur, eo quo dicemus ritu. Siquidem nucleorum aut spicarum, quas non raro unus Allij bulbus numero triginta obtinet, easque recuruas, & tenuissimis uestitas membranis, Græci ἄγλιθας uocant, diuortia fiunt, singulæque tum spicæ liratim depanguntur, interuacante digitum longa mensura, quod & in Pisorum hortensium satione obseruatur. Hæ uero spicæ intra paucos dies erumpunt, quæ eruptio progressu temporis in Loliacea longa & graminea, ac utrinque acuta folia desinunt. Allium altero à satu mense antequam nouis nucleis conglomeretur bulbus, dulcescit, maxime si luna sub terris posita uellatur. Vbi uero ad iustam maturitatem peruenerit, et perfectionem adeptũ fuerit, ac quo plures in eo spicæ coaluerint, hoc asperius ac acrius sentitur. Assatæ Allio, Cepis, Rapis & Raphanis nihil prius habent, ex his enim multi quæstum

haud

Scordoprason. *Allium.*
Aber Knoblauch. Knoblauch.



haud uulgarem faciunt, ut interim taceam, quod nihil his ipsis oleribus in cibo apud hos frequentius existit, maxime Allio. Nam apud vinitores & agricolas Alsatiæ prima simul & ultima fercula sunt Allium & Cepa, id cum alias semper, tum uero in messe præcipue obseruari potest, quē morem & Vergilius Æglo ga secunda attigit. Sed ut historiam Allij absoluamus, cum iam maturitatē suam consecutum est, id q̄d plerunq; circa Festum D. Iacobi fieri consueuit, Allium euellitur, ac una cum cepitia sua fronde in locis fumo peruijs suspensum, ad insequentem usq; annum conseruatur. Quod si per hyemem in campis relictū fuerit, sequenti anno teretē profert caulem, inanem, læuem, & qui iunceam præ se ferat formam, in cuius cacumine flores in globum circumaguntur (ueluti & in Cepa) in quo semen emicat. Præstat autē antequam caules faciat Allium, uiridē comam intorquere ac humi prosternere, quod Iulio mense faciendum erit, hoc enim pacto cauetur ne in frondem luxuriet, & uastiora fient capita. Didymus asserit Allium si luna sub terris posita seratur, & item sub terris luna latente euellatur, odoris fœditate carere, & dulcescere.

Testylis & rapido feßis messoribus æstu Allia, Serpyllūq; herbas contundit olentes.

NOMENCLATVRAE.

Diosco. lib. 2. capite 141. quosdam Elaphoboscon, alios Geboscon uocare ait.

σκορόδον, & σκόροδον differunt, nam hoc ad cap. 123 huius nostri secundi libri pertinet, illud ad Allium ut diximus referendum.

Allium Hebrei שום Schum: Num. xi. Chaldaei תום Tesam, Rabini et Thalmudistæ סמילק Samlak. Græci σκόροδον, nonnulli alij Scordion, Sebestũ, Arabes Chaom teste Serap. ca. 321. Germani Knoblauch uocant. Alliũ Hippocrates deiectionem uentris moliri, urinam ciere, oculorum hebetudinem gignere, pectus excalfacere, caputq; grauare, Cepã uero oculis prodesse perhibet. Contra nostri medici Cepam oculos lędere non aliter atque Allium testantur.

ADMONITIO DAVIDIS KYBERI ad Lectorem.

Aliter ex sententia Hippocratis scripsit Ruellius lib. ij. cap. lxxxv. quæ uero diuersitatis sit ratio nobis non constat, præsertim exemplaribus Hippocratis uarijs destitutis, uoluimus tamen huius admonitum lectorem, ne uel negligentiæ, uel quod parum fideliter autoris sensum reddiderimus, accusare nos posset.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Allium natura sua calidum & siccum est, ad multa utrisq; corporis partibus utilissimum.

Vnum est in illo detestandum, nimirũ fœtidus ille ac fortissimus odor, nam cerebro officit, caliginem oculorum facit, iram commouet, sitim excitat, somnumq; inducit, quæ omnia in gallo gallinaceo uidere est, qui Alliũ deuorauerit. Hanc fuisse opinor causam, ob quam Horatius in Epodon ode tertia tantis diris execretur Allium, cum scribit:

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit.
Edat cicutis Allium nocentius,
O dura messorum ilia.

INTRINSECVS.

Si quis postquam Allium esitauit, nõ possit odoris tetri fœditatem sufferre, is folia Rutæ recentia supermanducet, qua ratione odor ille fœtidus maiori ex parte delebitur.

Didymus, edentibus halitus tædium asserit aboleri, si crudam fabam supermanducarint.

Verum ad emolliendam odoris tetri fœditatem, betę radicem in prunis tostam superedisse satis est. Eo siquidem remedio uirus extingui Menander è Græcis pollicetur.

Allium

Allium in cibo usurpatum omni ueneno aduersatur, quamobrem fessis messoribus hic cibus maxime conuenit, qui nonnunquam aquam insalubrem, quæ non paucos sæpenumero gignit morbos, bibere coguntur. Hoc enim pacto uitia quæ ex mala illa aqua oriuntur deprimi possunt.

Allio latæ uentris tineæ, necnon hirudines, aliaq; id generis uenenosa excutiuntur teste Galeno.

Aduersus ictus serpentium, uiperarum, & canis rabiosi morsus, Allium utiliter editur, quo facto uinũ superbibere, ac cataplasmatis instar, locis affectis Allium imponere conuenit. Hoc remedio uenenum domatur, ictusq; ac morsus sanantur.

Allium esitatum claram reddit uocem, inueteratam tollit tussim, hydropicis conducit, urinam cit, aluum soluit, tormina sedat, pediculos & lendes enecat, præsertim si succus cum Origani decocto mixtus bibatur.

Sunt qui pulmentarijs Allium adhibeant, necnon armis assandis nucleos eius infigant. Sed quicquid id est, Apicianum est inuentum.

EXTRINSECVS.

Mulierculæ, quæ in fontes lac suspendere æstate solent, ut dulce maneat, ollarum superiores partes circumcirca succo Allij inungere debent, hac enim ratione à serpentium iniuria asserentur, qui alioquin lac admodum expetunt, ita quidem ut in ollas ipsas non raro incidant.

Quod si per somnum, ut fit aliquando, serpens corpus alicuius intrauerit, huic non facile succurri potest nisi continuo Allij esu, hoc enim remedio serpens eijcitur, teste Erasmo in Colloquijs de amicitia.

Allij succus illitu cutis scabiosæ ac quasi leprosæ uitia emendat.

Idem succus furfures capitis, omnisq; generis faciei maculas eximit, si illo confricentur partes affectæ.

Cremati Allij cinis cum melle ad prædicta cutis uitia efficacior est, ideq; alopecijs medetur illitus.

Allium tota sua substantia ad extrahendos menses, & secundos partus suffitur.

Estq; hoc etiam singulare morborum in pecoribus remedium, quibus non tantum suffitu, sed in cibo Allium adhiberi debet, teste Columella lib. vi. cap. iiij.

De Syluestri, seu Colubrino Allio.
CAP. LXIX.

CVM PRAESENS PLANTA, ET FORMA ET ODORE, ad peculiare quoddam genus referendum uideatur, uoluimus seorsim

Allium caninũ. Alliũ syluestre. Allium caninũ alterũ.

Hundts Knoblauch. Walde Knoblauch. Hundts Knoblauch der ander.



seorsim mentionem eius facere. Nascitur autem illa non quidem ubique locorum sed potissimum in tenebrosis & uliginosis syluis, in quibus appetente vere cum Aro e terra prosilit. Herba est unico sæpe folio, nonnunq̃ binis

minis conspicua, iisq; Lilio conuallio, de quo supra lib. j. cap. cxcvij) similibus. Quæ duo habent folia in hoc genere plantæ, eæ in fine Aprilis mensis candidos proferunt flores, Lilio conuallio itidem consimiles, nisi quod nō sunt concaui, sed aperti, stellati, ac foliolis radiatim à se mutuo seiunctis ornati. Radices huius generis candidæ sunt & oblongæ, instar hortensis allij, eiusq; à satu menstrui. Hoc Allij genus fœtidi ac detestandi est cum odoris, tum saporis, adeo quidem ut lac, caseum, & butirum eorum pecorum, quæ Allium hoc in initijs veris inter reliquas pullulantes herbas forte degustauerint, inficiat prorsus, ut nemo nisi ualde assuetus huiusmodi cibis, illis uesci possit, quod ego non semel animaduerti, ac certo ita se habere uidi.

NOMENCLATVRAE.

Germani hoc Allium syluestre, Waldtknoblauch / alij teste D. Othone Brunfelsio Ramseren & Getinsel uocant, quod lac coagulari faciat. Cæterum in Dioscoride quidem ὀφιοσκόροδον, hoc est, Allium colubrinum uocatur, Serapioni Scordium, & potest fieri ut sit Aphroscorodon Columellæ lib. xi. cap. iij. *Quidam Vrsinum Allium uocant. ἀφροσκόροδον.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Hoc syluestre Allium fœditate odoris satiuum superat, ac forte aduersus uenenum illo quoque efficacius fuerit. Dioscorides cum satiuo comprehendit, ac utriusq; uires uno exequitur capite, quem & nos sequemur, nihil in præsentia de Alliorum ui acturi cum præcedenti id præstiterimus capite.

De Allijs ita scripsit Fiera.

Si quod cœna sapis, minimum est insulsa quid optas,
Horrida cum exustis Allia uerticibus?
Hæc graue olens, capiti, nec conuenientia ocellis
Pulmoni, & raucæ sint licet apta gulæ.
Hæc ut noris edas, quantas prorumpet in iras
Vesica, & uenter depositurus onus.

De Scorodopraso, cuius effigiem cum Allio uulgari coniunximus. CAP. LXX.

EDIOMATRICES MVLIERCVLAE IN HORTIS ALlij genus quoddam plantare consueuerunt, quod radice, folijs, & caule

& caule per omnia uulgare Allium, nisi quod radix huius nequaquam ut illius multiplici nucleo coagmentatur. Quanquam autem lachrymas eliciat, non tamen tam feruentis & acris est saporis atq; Allium, quin potius ad Cepam quod ad odorem attinet accedere uidetur. Quo uero facilius à uulgari Allio Scorodoprason discerni queat, notandum est hoc latiora folia & grandiores caules fundere, deinde quotannis nigro pregnare semine, quod in cacumine fistulosi caulis profert, non aliter atq; Cepa.

NOMENCLATVRAE.

Radix, necnon herba huius plantæ Allio respondent, sed odor ac semen Cepam repræsentant, quare illi natura inest promiscua, Allij inquam & Cepe, quo nomine à Dioscoride σκοροδόπρασον, hoc est, Allioporrum (si ita liceat dicere) uocauit. Germani Aberknoblauch dicunt. Posset & Groß lauch/ hoc est, Porrum grande dici. Ego sane hoc Allij genus id esse existimo, quod ueteres Vlpicum, Gallicum, Cyprium, Biticum, Antiscorodon, Aphroscorodon, & Punicum uocauere, uide Theophrastum lib. vij. cap. iiij. Plinium lib. xx. cap. vi. Colum. lib. vi. cap. iiij. & lib. xi. cap. iij. Palla. lib. ij. cap. xiiij.

Dioscor. lib. 2. cap. 142. Plinius lib. 19. cap. 6.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quemadmodum huic plantæ promiscua est cum Cepa & Allio natura, ita temperantur in ea utriusque parentis proprietates & facultates, qua de causa pro utrolibet genere si desit, hoc Allium sumi potest.

De Allio canino, cuius bina genera, agreste scilicet & Ampeloprason, cum Allio syluestri depicta exhibuimus. CAP. LXXI.

1. Allium caninum

IN VINEIS, NECNON FRVMENTARIIS QVIBVSDAM agris rotundum quoddam Allij genus nascitur, Allio satiuo pene consimile, nisi quod folia profert minime lata, nec graminea, sed potius tenuia, fistulosa, ac Cepitijs minora, at Porro sectiuo grandiora, & longiora. Hoc in cacumine medij coliculi fistulosi, capite hirsuto, & purpurante, in quo semen clauditur, conspicuum est. Hoc Allij genus admodum foetet, quo nomine uinitoribus exosum est, qui illud subinde è uineis eijciunt.

2. Allium caninum exiguum.

Aliud porro Allij genus, agro Vormatiensi ualde familiare reperitur, huic radice bulbosa & fistuloso folio consimile, flosculo, quem in initijs Aprilis

Aprilis mensis profert, emicans cœruleo elegantissimo, sed inodorato, & quod ad formam attinet Lilio conuallio (de quo supra libro primo cap. cxcvij) haud dissimili.

NOMENCLATVRAE.

Primum Allij hoc capite descripti genus a` fœtido odore Hundsknoblauch uocant, hoc est, Allium caninum. Plinius lib. xix. ca. vi. syluestre Allium vrsinum uocauit, id uero q̃d in aruis sponte nascitur, Alum. Quod in uineis nascitur ἀμπελόπρασον Dioscoridi uocatur, apud Paulum Æginetam Porrum agreste (Germanice Wilder lauch) nuncupatur. *Diosco. lib. 2. cap. 139.*

Alterum genus quod hoc capite descripsimus, qui ad Rhenum habitāt, Hundtszwibel/ & Hundtsknoblauch/ hoc est, Caninam Cepam, seu Allium caninum uocāt, poteritq; ad discrimen alterius Klein hundsknoblauch hoc est, Allium caninum exiguum uocari. Est autem hæc Cepula, seu Allium caninum exiguum Hyacinthus meus vernus, sed de Hyacinthis suo loco plura. *Huius generis effigiem infra habes cap. 79.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Allij genera, tam satiua quam syluestria ueneno aduersantur. Syluestria in cibo non usurpantur, nihilominus tamen, ubi id necessitas postulat, ad expellendum uenenum utrinque adhiberi possunt.

INTRINSECVS.

Allium caninum tusum, ac in uino potum, tineas uentris excutit, ueneno resistit, interno quidem, potum, externo uero, utpote ictibus & morsibus, emplastri ritu impositum. De Hyacintho alias.

EXTRINSECVS.

Allium caninum, urinam cit, & menses elicit potenter, fotu aut insessu.

De Viola alba Theophrasti, & Narcisso ueterum. CAP. LXXII.

VIOLA ALBA THEOPHRASTI CIRCA DIEM DIVO Valentino sacrum apparet. Eius folia & radices satiuo Allio satis respondent. Licet autem folia teneriora, ac molliora Allio fundat hæc viola, tamen primo aspectu Allium plane repræsentat. Flores fert binos quandoque, aut ternos coliculo seu potius pediculo, tenui ac fere iunceo, *Viola alba Theophrasti.*

Viola alba Theophrasti.

Weiß Hornungs blümlin.




iunceo, tereti, & dodrantali insidētes, cādidos, cōcauos cymbalis similes, per ambitū senis distinctos apicibus, ijsq; foris ex luteo uiridi colore tinctis, intus staminibus itidem senis ac croceis e medio illorum sinu prorumpentibus, quod in Lilio quoque uideas. Cæterū hi ipsi quos delineauimus flores violarum purpurearum odorem referunt, quibus decidentibus capitula Papauerinis similia Nucis Auellanæ quantitate erumpunt, semine referta luteo, rotundo, læui, Sinapi quadantenus simili. In Aprili ubi iam appropinquare cœperit Maius euanescit tota sua substantia, dempta radice bulbosa, quę intra humū usq; ad sequentis anni auspicia illæsa delitescit. Prouenit Viola alba in umbrosis quibusdam uallibus et syluis, quales sunt eæ quas Germani den Odenwaldt/ den Spessart / das Lebertal/ auff der Fürst uocant, in his enim syluis iampridem hoc Violæ genus inueni.

2. *Narcissus uerus.* At uerus Narcissus ueterum, quem Dioscorides lib. iiij. ca. clv. descripsit, non ita pridem uisus mihi fuit. Primum namq; e Burgundia in Germaniam deuenit, deinde uero Biponti in horto quodam plantata. Ea quod ad folia & bulbosam attinet radicem,

Narcissus ueterum.

Narcissen rößlin.



radicem, ad herbam quam paulo post describemus, Germanis, Gäl Hornungs blům uocatam, accedit maxime, ac descriptioni etiam Dioscoridis & Serapionis pulchre respondet. Cęterum plures in hoc genere bulbosæ radices coniunctim reperiuntur, è quorũ singulis rotundus, læuis, uacuus & sine folijs supra dodrantem attollitur, caulis per medium quatuor oblongorum & Porraceorum foliorum ascendens. Flores in initijs Maij mensis in uertice caulium emicant niuei, senis lacteis, ac firmis folijs radiatim distincti, ita ut stellatam rosam referant, in quorum medio teres, luteus, ac eleuatus apparet circulus, luna quadam flammei coloris circumdatus. Porro è medio quem diximus orbiculi terni effulgent lutei coloris apices, quemadmodum & in flore pomiferarum arborum. Flores Narcissi satis grato commẽdantur odore, quibus decidentibus, oblonga sequuntur seminum receptacula, Acoro officinarum adulterino (de quo supra cap. xlix. huius secundi libri) similia. Folia & radices Narcissi gustu dulcem obtinent saporem, tactu nonnihil lentoris uidentur habere. In humectis hortis fœliciter plantata prouenit. Quotannis radice

quam multiplicat sese propagare consueuit. Proinde uniuersam huius Narcissæ formam effigies quam descriptioni adiunximus, affabre ob oculos ponit.

NOMENCLATVRAE.

Quam nonnulli Germani Hornungs blůmen/ à Februario mense, quo in hortis plantata apparere consueuit, eam alij, maxime qui syluam Germanis der Odenwaldt dictam incolunt/ Mertzen blůmen/ hoc est, Martium florem uocant, propterea quod in syluis sub initia Martij mensis in perfectione sua uisatur. In hortis (ut diximus) in medio Februario herba & caulibus simul emergentibus prouenit. Otho Brunfelsius doctissimus uir piæ memoriæ hanc plantam duabus sequentibus Narcissis adiunxit. Nec refert multum, siue Narcissus, siue Ligustrum (ut multis placere uideo) uocetur, qua ratione Germani Weiß Mertzen violen/ & Weiß zeitlosen/ aut Weiß Hornungs blůmen deinceps uocare poterunt. Quod nonnulli hanc plantam bis in anno, hoc est, Vere & Autumno florere tradunt, purum est mendacium, quod nos in hortulis nostris diligenter animaduertimus. Iam uero ut & hoc loco sententiam nostram in gratiam studiosorum rei herbariæ adferamus, censemus illam Hemerocallida esse Dioscoridis, quam alij Hemerocatalacton, alij Crinonagrion, alij Crinanthemon, alij Porphyrantes, alij Bulbum Hematicon, alij Anticâtharon, Ægyptij Iocri, Romani Bulbum aut Lilium syluestre, aut marinum. Aphri Abiblabon uocant. Quod si cui hæc nostra sententia minus arrideat, is meliorem adferat, nos quod potuimus, fecimus. Cæterum hanc plantam Leucoion Theophrasti esse constanter credimus. De Leucoio suo ita scripsit Theophrastus lib. vi. cap. vij. Τῶν δ᾽ ἀνθῶν τὸ μὲν πρῶτον ἐκφαίνεται τὸ λευκόϊον, ὅπου μὲν ὁ ἀὴρ μαλακώτερος, εὐθὺς τοῦ χειμῶνος, ὅπου δὲ σκληρότερος, ὕστερον. Et paulo post. Ὀλιγοχρόνια γὰρ καὶ τῶν ἀγρίων τὰ λοιπά, πλὴν τοῦ ὑακίνθου, καὶ τῆς ἀγρίας καὶ τοῦ σπαρτοῦ, αὕτη δὲ διαμένει, καὶ τὸ λευκόϊον. Hæc ille.

Dioſco. lib. 4. cap. 128. ἡμεροκαλλίς.

Quam uero postremo loco in hoc capite plantam descripsimus, eam uerum ueterum Narcissum esse iudico, quem nonnulli teste Dioscoride Narcisson anydron, alij Autogenes, alij Bulbon emeticon, alij Lirion, Romani Bulbum morbitarium, uel (ut alia legunt exemplaria) Vomitorium uocant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quod si prior in hoc capite descripta planta Hemerocallis sit & Leucoion Theophrasti, certe in medicina usu repudiari non debet. Sed ut de Narcisso nunc peculiariter loquamur, testantur Galenus ipse & Paulus, hunc calidum & siccum esse, adeoque desiccare, ut maximis uulneribus sit glutinandis, imo etiam tendinum præcisionibus conferre. Quæ quidem posse

νάρκισσος.

Narcissum

Narcissum lentus ille & glutinosus eius testatur succus. Caeterum raro intro sumitur.

INTRINSECVS.

Veteres intra corpus nunquam hanc plantam assumere solebant, nisi cum uomitiones ciere uellent, tunc enim radicem coctam uel edebant, uel bibebant. Hoc enim pacto usurpata uomitoria est.

EXTRINSECVS.

Radix cum folijs tusa ac imposita tumentibus puerperarum mammis, necnon inflammationibus cunctis prodest.

Radix recens tusa, ac cum succo suo calida imposita, non solum quaeuis uulnera, sed etiam praecisos neruos glutinat, sanatq;.

Luxatis malleolis, diuturnisq; articulorum doloribus, trita ex melle & imposita subuenit, quo nomine podagrici hoc medicamentum usurpare debent.

Ambustis igni prodest haec radix, cum exiguo melle trita.

Vitia cutis in facie, uitiliginesq; cum semine vrticae & aceto tusa haec radix emaculat.

Cum eruo & melle, ulcerum sordes purgat, abscessus rumpit concoctioni repugnantes.

Infixa corpori extrahit illita cum Lolij farina & melle.

De Narcisso coeruleo, Germanis Blaw Hornungs blůmen. CAP. LXXIII.

QVEM MODO DESCRIBEMVS NARCISSVM, IS IN quibusdam umbrosis syluis, & montibus, maxime uero in terra quae calcem lapidem producit, sub finem Februarij mensis, herba, flore & caule simul è bulbosa, terete, ac nuce Myristica haudquaquam maiore, prorumpentibus apparet. Folia gerit bina, angusta, & oblonga, Allij folijs pene similia, sed breuiora, inter quae exiguus, tenuis, ac iunceus assurgit coliculus, exiguis ac stellatis flosculis, ijsq; in nonnullis coeruleis, in alijs candidis emicans. Caeterum his decidentibus rotunda subsequuntur capitula Ciceri arietino paria magnitudine, fuluo semine Milio simili referta. Maio mense cum Aristolochia rotunda uulgari haec planta euanescit.

Narcissus cœruleus.
Blaw Hornungs blůmen.



NOMENCLATVRAE.

Germani illam Blaw Mertzen/ oder Hornungs blůmen/ hoc est, Martium seu Februarij cœruleum florem nuncupant, neq; enim unquam aliud nomen cognoscere potui. Proinde an Bulbo uomitorio, aut Narcisso, uel Hyacintho adnumeranda sit, hoc tempore nihil affirmare ausim. Volui tamen inter bulbosas radices mentionem eius facere, ac quæ mihi de illius nomenclaturis comperta essent indicare, quoad certiora eius nomina cognoscere liceret. Nascitur uero illa in lapidosis locis, ac syluis, cuiusmodi est ea quam Germani den Ydar uocant, nã in illa prope arcem Valentiam hũc bulbum primum effodi.

VIRES AC TEMPE-*ramentum.*

Quod si hæc planta Bulbus sit vomitorius, uomitiones ciet, quanquam nihil affirmare possim, ut qui nunquam illam gustarim.

De

De Narcisso luteo, Germanis Gäl Hornungsblůmen. CAP. LXXIIII.



QVOD BENE VERtat, tertiam nunc aggredimur à Februario nomen sortitam plantam, quam Germani Geel Hornungs blůmen uocant, hoc est, Februarij luteum florem. Ea radices habet Allio similes, sed magis exiguas, copiosas, ita quidem ut non raro triginta aut plures cõpactæ simul coniungantur, quod in Porro quoque sectiuo uidere est. Ex his Februario mense folia prodeunt Allio quoque similia, sed breuiora, & molliora, è quorũ medio rotũdi, lutei, ac forma sua ad Cymbalũ accedentes flores prorumpunt, non aliter atq; Violæ albæ, licet hi maiores sint, ac duplici foliolorum textura stipati, sed omnis cum odoris tum saporis expertes. Hæc planta quam nostri uoluptatis potius q̃ utilitatis gratia in hortis plãtare cõsueuerunt, Maio mense nullo post se relicto semine tota sua substantia interit, sola radice superstite.

NOMENCLATVRAE.

Hunc florem D. Otho Brunfelsius Narcissis adiunxit, De Narcissis uide

Mesuen, & Serapionem cap. clxxxviij. Nos quoque de Narcissis paulo post plura dicemus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Mulierculæ hanc plantam in hortis suis serunt, propterea quod inter vernos flores prima floreat. De temperamento ac facultatibus illius tum disseremus, cum quodnam nomen habeat perceperimus.

De Hermodactylo quorundam, Germanis Waldt zeitlosen. CAP. LXXV.

IN HELVETIA, NON PROCVL A' CVRIA OPPIDO, necnon prope Veltcurium, in planitie inter quædam densa, ac uliginosis locis sita arbusta planta quædam nascitur elegantissima, folijs rotūdis prorsus cōsimilis Asaro, ita quidē ut primo intuitu Asarum esse crederem. Cæterum cum illam effodere instituissem, radicem eius deprehendi rotundam, rufam, magnitudine radicis Croci, gustu aliquantulum amaram. Vbi uero diligentius eas plantas inquirerem, uidi quasdam flores ferre odoratissimas, Bersilici colore tinctas, odore & forma Violā Martiam cœruleam, seu purpuream referentes. Hanc plantam cum flore suo circa diem D. Bartholomæo sacrum reperi.

De hac plantā uide infra cap. 134.


NOMENCLATVRAE.

Quanquam de memoratæ plantæ nomenclaturis, ac facultatibus diligenter eius loci incolas sciscitatus fuerim, nihil tamen certi cognoscere potui, nisi quod Sacerdos quidam mihi referebat, uerum eam esse Hermodactylum. Quo cognito cœpi ueterum scripta, maxime Dioscoridis penitius considerare, sicubi plantam istam descriptam reperire possem, sed frustra sane laborem eum impendi. Nam in uniuerso Dioscoridis opere nullam inueni stirpem Hermodactyli appellatione insignitam, excepta sola Pentaphyllo, quod Magos Hermodactylū uocare tradit Dioscorides. Sed cum historia Pentaphylli huic nostræ plantæ nullo pacto conueniat, in dubio etiamnum uersor quonam referenda sit. Ne uero apud Germanos nullum haberet nomen, uolui eam Waldt zeitlosen appellare.

De Hermodactylo officinarum, Germanis Wysen zeitlosen. CAP. LXXVI.

NVDVS ISTE FLOS, QVEM COLCHICON, SEV VT

Colchicon, officinis Hermodactylus, Wysen zeitlosen.



officinæ uocant, Hermodactylus Autumni tempore fundit, hyemis aduentãtis nos admonet. Quanquam uero exitu Autumni plerunque appareat, tamen nõ raro quoque circa Festum D. Iacobi primum in detonsis pratis, ac ab eo inde tempore usq; ad finem Septembris mensis spectatur. Cæterum ut descriptionẽ eius persequamur, solet is nudus omniq; folio uiduus, è bulbacea ac rotunda radice forinsecus è nigro rufescente, quæ delibata intus albicet, prorumpere, alius quidem lactei, alius uero roseicoloris, senis plerumque constans folijs, è quorum medio lutea prodeunt uti & in Lilijs, stamina. Forma sua Crocinum imitatur florem, sed non solum color, uerum etiam odor & sapor, inter utrunque discrimen luculentũ constituunt. Vere appropinquante folia Colchici exeunt, quandoque terna, interim et quaterna, uiridia, ac Lilio conuallio (cuius supra lib. j. ca. cxcvij. mentionẽ fecimus) aut Lilio albo similia, interquę fructus erumpit oblongus, ueteri, nigro, & hyemali uestitu uelatus. Hic uero fructus nihil aliud est, quam coliculus marcidus, binos aut ternos testiculos, eosq; oblongos, ac Amygdalis non dissimiles, ex ordine coniun-

ctim positos, semine rotundo, Raphani seminio simili, in perfectione sua, quam Iulio mense adipiscitur ruso, refertos sustinens.

Miraculum naturæ. Porro quis non in hac quoque planta naturæ miracula uidet? Siquidem vere folia fundit, æstate semen & fructus maturantur, Autumno flos emicat, hyeme uero radices bulbosæ augmentantur, ac subinde alias ex se procreant, sicut & Satyrion.

NOMENCLATVRAE.

Germani hunc florem Wysenzeitlosen/alij Uchtblůmen/ & Nackethůren, hoc est, nudas meretrices uocant, propterea quod sine folijs Autumno compareat. Sunt qui putent Narcissum esse Theophrasti, & Vergilij, inter quos est Philippus Melanchthon sæculi nostri unicum decus, qui in Syntaxi sua scripsit, Narcissum postremum esse florem, Septembri mense apparentem, Germanis Zeitlosen dictum. Huic sententiæ ego quoque subscribo, quod ad florem attinet, eum namque Narcissum Theophrasti esse iudico. At radix necnon folia huius plantæ, nobis à Dioscoride sub Colchico, Ephemero, siue Bulbo agresti comprehenduntur, quod non solum descriptio, ac uniuersa Colchici historia, quæ apud Dioscoridem legitur, uerum etiam ea quam Arabs Serapio ponit, abunde confirmat. Nam ut missam alterã faciamus, quid magis proprie de hac nostra planta dici posset, quam quod habet Serapio cap. cxciiij de Surugen? Eo enim in loco Hermodactylum, & ex Albatarich cuiusdam translatione, Lilium syluestre, & Achimeron, quod meo iudicio Ephemeron legi debebat, uocat. Ac facile quantis in tenebris res herbaria, simpliciumque cognitio uersetur, cum ex deprauatione nominum quæ retulimus, tum uero inde uel maxime liquet, quod Seplasiarij nostræ ætatis hanc radicem pilulis adiungunt, quas Arthriticis & podagricis exhibent, cum tamen ipse Serapio Hermodactylũ uenenum esse clamet, hominesque strangulando occidere, sicut occidunt fungi. Mesue quidem tres Hermodactylos proponit, candidum scilicet, nigrũ & rufum, quorum duos posteriores damnat, candidum solum recipiens. Iam si Seplasiarij huius autoritate nituntur in confectione pilularum iam dictarum, manifestum est illos decipi. Siquidem luce clarius est, hunc ipsorum Hermodactylum non candidum, sed nigrum esse, ac in humectis & pinguibus pratis prouenire, quo nomine à plerisque etiam damnatur. Sed occinent illi nobis Hermodactylum suum intus non nigrum, sed candidum esse. Et recte quidem hæc illi, neque nos quod dicunt negamus, scimus enim & aureum malum intrinsecus quoque candidum esse, nec obstare nigredinem exteriorem, quo minus candidum lac nigra vacca (ut uulgato Germanico dicterio iactatur) reddat, sed cum de colore radicis alicuius fit sermo, de

Theoph. lib. 6 cap. 6.
Νάρκισσος.
Nec sera comantem Narcissum. Verg. Georgicis lib. 4.
Dioscor. lib. 4. cap. 82.
Κολχικόν.

mo de exteriore primum apud autores fit mentio, deinde de interno, quam formam loquendi & nos obseruamus. Itaque cum hæc radix foris nigra, & Hermodactylus Arabum, ac ut antea ex testimonio Serapionis & Mesue probauimus, uenenum sit, quis miretur, si non tantum ægri, sed & firma ualetudine præditi huiusmodi medicamentis non iuuentur, sed lædantur potius, nec podagra, articularioque morbo liberentur, sed corripiantur ac frangantur. Sed hoc merentur peccata nostra, ut nimirum hoc pacto & morbis incurabilibus, & tam noxijs ac uenenosis pharmacis pereamus. Quisquis ergo bene sibi consultum uelit, is nostram admonitionem accipiat, ac sciat ab hisce medicamentis abstinendum. Hæc uero non ea scribimus, ut cuiusquam uel famæ, uel rei quicquam detractum cupiamus, sed ut publicæ omnium saluti consulatur, quod tum fiet, cum accurato iudicio, & diligenti studio ueras herbarum tum nomenclationes, tum facultates cognoscere annisi fuerimus. Equidem quod mei officij esse sentio, quibuscunque lubens præstabo, qua ratione rursus cum Serapione, Mesua, & Paulo Ægineta ingemino, ac constanter affirmo Colchicon, quod Arabes & officinæ Hermodactylum dicunt, uenenum, ideoque ab usu eius omnibus abstinendum esse. Cæterum articulario morbo & podagra laborantibus utilem esse radicem Colchici Arabes scripsere, quod & nos aliqua ex parte experti sumus, uerum tum, cum forinsecus imponitur. Quare ut ad nomenclaturas tandem redeamus, sciendum est foris tantum humano corpori imponendam radicem Colchici, nunquam intro sumendam, uti hactenus magno errore factitatum scimus. Atque hæc hactenus. Dioscorides nullius meminit in scriptis suis Hermodactyli, præterquam in Pentaphyllo (quam alias Tormentillam uocant) ut superiori proximo capite diximus. Qui fit ut Hermodactylum Serapionis, & Colchicon Dioscoridis unam & eandem esse plantam, necesse sit, aut certe descriptionem Colchici apud Dioscoridē ab ea quam Serapio tradit dissentire, quod affirmare nefas merito iudicari debet, præsertim cum nihil in Dioscoride quod ad Colchicon attinet, non diligentissime in Hermodactylis Serapionis annotatum legamus. Quamobrem ita nos quidem cum bona herbariorum omnium uenia statuimus, radicem hanc bulbosam Dioscoridis esse κολχικὸν, Serapionis Surugen, Mesuæ Hermodactylum, Homeri Moly, ac Germanis Pfaffenhoden dici: rursus florē quē Germani Zeitlosen/ & nos Nackethlůmen/ hoc est, Nudū florē nuncupauimus Narcissum esse ueterum, quem Fabulę quoque Poëtarum celebrant. Ac potest (mea opinione) fieri ut Dioscorides duobus in locis separatim hanc plantam explicauerit, ac sub Colchico quidem radicem & folia eius, sub Narcisso uero florem depinxerit, in quo sane capite uires herbæ exponit, quarum mentionem in Colchici historia nullam fecit. Exposui

Vide Aeginetam lib. 3. cap. 78. et lib. 5. cap. 48. et lib. 7. de Simpl.

quid sentiam, iudicent æqui & candidi Lectores, probentq; quod ueritati magis consentire intellexerint.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quanquam radix & flos huius plantæ ad abigendos & enecandos pediculos satis conferant, tamen usus earum præsertim si intro sumantur, minime tutus existit, ut quæ plus detrimenti quam utilitatis allatura sint.

Admonendi ergo mihi hoc loco sunt ij quorum interest pilulas pro podagricis præscribere & conficere, ne suis confectionibus Colchicon, seu Hermodactylum adhibere uelint, quod hactenus magno cum errore commissum fuit. Quo uero æquiore animo admonitionem hanc nostram accipiant, audiant ij quid de Colchico dicat Dioscorides, cum quarto libro capite lxxxij. in hunc modum scribit Ea comesa, fungorum more, strangulando enecat. Et de Narcissi quoque radice prodidit, eam in cibo aut potu usurpatam uomitiones ciere. Hæ sunt huius plantæ facultates, ut minime bonæ ita maxime fugiendæ.

EXTRINSECVS.

Radix tusa ac foris imposita, dolores maximos sedandi ac repellēdi uim obtinet.


Cum melle & farina hordeacea tusa ac imposita, surculos, sagittas, & quæcunq; corpori infixa fuerint, breui tempore refigit.

Quæ de Narcisso, præter ea quæ diximus, Dioscorides cap. clv. libri quarti tradidit, ad eum proprie Narcissum pertinent, cuius supra capite lxxij. meminimus.

De Croco. Cap. LXXVII.

NOS QVOQVE GERMANI NON MINVS ATQVE aliæ nationes Aromata nostra habemus, iactent alij Cinnamomum, nucem Myristicam, & Masticham, nos Gentianam Iuniperi grana, & Crocum celebramus, ut interim plantas plurimas facultatibus miris præditas, radices omnigenas, seminum denique & fructuum infinita genera taceam, quę quidem uniuersa suis facultatibus, ad tuendam & recuperandam ualetudinem faciunt, atq; eæ (ut uulgo uocant) species, quæ ex Insulis illis Zalon, Meluza, & Chalechutta, magnis ad nos sumptibus deportantur. Hoc sane unum in nobis desideratur, quod præsentibus uti &

Crocus.
Saffran.



contenti esse nolumus, & quod pro donis Dei quæ nostra terra fundit, Deo quas debemus grates non persoluimus: Sed ut ad Croci historiam accedamus, illius plantationem Germani quoque didicerunt, licet Orientales illas terras, Ciliciam, Lyciam, Ætoliam, Olimpum, & Turolum montes, nunquam ne uiderint quidẽ. In Pannonia namque superiore, at præcipue in agro Viennensi Crocus hodie nascitur, qui omni alij præponitur. Nec tractus Rheni eius aromatis expers est, cum multi ex eo lucrum & quæstum quærant. Nam ad arcem Newcastel (quæ haud procul à Landoia oppido distat) in pago Ilfußheim dicto, præterea & in agro Vormatiensi, & ad Fluuiũ die Pfrim dictum magna in copia Crocus plantatur. Est autem Crocus & ipse serotinus fructus, nam Septembre mense appetente, flos eius nudus ac purpureus primum apparet, mensis uero fere spatio durans, intra quod tempus quotidie obseruari uult, ac curari ne scilicet flaccescat. Cõstat is senis quoque folijs ueluti Narcissus Theophrasti, in cuius medio aurea prorumpunt stamina, inter quæ Crocum tripartitæ lingulæ simile, rubro colore tinctum conspiciendum se præbet.

Flos

Flos plane inodoratus existit, solum Crocum quod in medio eius inter stamina elucet, odorem spirat gratissimum. Flore pereunte, folia subsequuntur, angustissima, longa, graminiq; similima, quæ tota uirent bruma, in Maium usque mensem durantia, tum enim flaccida euanescunt tandem, ita ut tota æstate nullum Croci supra terram uestigium appareat. Hic mihi

Miraculum naturæ.

mirabilem naturæ uim contemplare, quæ cum in alijs tum in hac potissimum se exerit planta. Autumno enim ut diximus, flos ipse prodit, brumali tempore, & per totum uer folia uirent, æstate radices bulbosæ intra humũ augmentum capiunt, ex uno siquidem Croci bulbo sæpenumero quinæ aliæ aut senæ exeunt radices, uno in anno. Tertio uero aut quarto anno postquam adoleuerint, effodiuntur radices circa Festum Diui Ioannis Baptistæ, tumq; in aëre siccantur, neque solo committuntur. Atque hoc fit ab eo quo diximus tempore usque ad Augustum mensem, in quo panguntur rursus pedis altitudine. Terra eligitur bona ac mediocriter pinguis, aprica, & quæ ab humidis nebulis aliena sit.

Miraculum naturæ.

Antequam uero Croci nomenclaturas exponamus, miraculũ aliud naturæ in Croco demonstrabimus. Radices namq; ut diximus effossę, si uel ita pangantur, ut humo sufficienti destituantur, uel negligentia prorsus non deponantur in terram, nihilominus flores suos ferunt, nõ aliter atq; si in terra laterent. Hoc autem semel tantum fieri consueuit, ubi enim florem procreauerint, emarcescunt, & putrilagine pereunt, ut quæ alimento almæ terræ destitutæ sint. Qui uero hoc fiat satis explicari non potest, possumus enim in his & alijs naturam admirari potius quam peruestigare. Mirum quoq; est quod scribit Plinius lib. xxi. cap. xx. Crocum melle non solui, nulloq; dulci.

NOMENCLATVRAE.

Smilax uirgo, ut fabulatur antiquitas, ob amorem iuuenis mutata est in fruticem: sic & Crocus puer in florem sui nominis uersus est, quod Ouidius hoc uersiculo testatur, *Et Crocon in paruos uersum cum Smilace flores*. Huius fabulæ & Plinius meminit lib. xv. cap. xxxv.

Dioſco. lib. 1. cap. 25.

Crocus Hebræis uulgò כרכום Karkom (teste Elia Leuita) & מוריקא Morika Cant. iiij. in Targum appellatur: Græcis κρόκος, κάστωρ, κυνόμορφος, & αἷμα ἡρακλέος nuncupatur. Germani Saffran uocant, Arabum imitati uocẽ, qua Crocum Sahafaran uocant, teste Serapione cap. clxxxiij. Proinde habet Crocus, passim apud scriptores rei herbariæ, à locis natalibus sua cognomina, alius namq; Coryceus, à Coryco Ciliciæ, alius Lycius appellatur, è monte Olimpio, quidam Centuripinius, & Sicilicus, in his enim locis olim optimus nascebatur. Hodie Viennensis Crocus, ut diximus, omni alio præponitur, quemadmodum doctissimus uir Manardus Ferrariensis

testatur lib viij. epist. j. Cæterum meminit Plinius cuiusdam Croci, quod medio sit candidum, quamobrem Dialeucon uocatur. Est & Crocus Saracenicus, Cnicum alias uocant, de quo suo dicemus loco. *Plinius. lib. 21. cap. 6.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Nisi Crocus adulteretur, ut sunt imposturæ mille modi, non solum quod ad colorem & odorem attinet, in culinis, uerumetiam in medicina laudem haud uulgarem obtinet, ut qui utrinque commode usurpari possit. Temperamento suo calidus est in secundo, & siccus in primo ordine.

INTRINSECVS.

Crocus cordi conducit, ideoq; quibusuis eius affectionibus auxiliatur, sanguinem purgat, ueneno aduersatur, quamobrem haud immerito aduersus pestem usurpatur.

Quidam Crocum in occlusa oui testa cum Theriaca & Sinapi, alijsq; speciebus igne coquunt, & ex illis demum hoc pacto tostis electuarium conficiunt, quod ad internam faciat pestem, uenenumq; per sudorem exigat.

Crocus in cibo aut potionibus usurpatus, urinam cit, & morbum regium, ac menses mulierum educit, trahitq; Hæc radix croci cum uino Apiano, aut alio quouis dulci efficacius præstat.

Crocus (Plinio afferente) ad stomachi exulcerationes, pectoris, & renum, iecinorum, pulmonum, uesicarumq;, peculiariter inflammationi earum uehementer utilis est.

Crocum lethalem dicit Dioscorides, si trium drachmarum pōdere cum aqua bibatur. Sed hoc radici nonnulli ascribunt. Alij tradunt eos qui Crocum prius in passo biberint, crapulam non sentire.

EXTRINSECVS.

Crocus paralyticis membris, ac induratis neruis apprime confert, quare Oxycroceum cataplasma ex Croco conficitur, ad emolliendam duritiem neruorum accommodatissimum.

Fluxiones oculorum cum lacte muliebri inunctus sistit.

Reliqua ex iam comemoratis Croci iuuamenta colligi facile poterunt.

Croci eiusq; facultatum, sequentibus uersiculis meminit Fiera in cœna sua.

Fama uetus taceat, cedant pulmenta Luculli
Cœna coronata est plenior ista Croco.

Hic

Hic Cilices redolent ignita cacumina florum.
Rubra ferunt, cordi gaudia summa tuo.
Si mala sunt capiti, segnes ducentia somnos
Illa decor, stomachus, tristeq; pectus amant.
Si bibit ista uorax poterit torpere palatum,
Ieiunæ hæc uerita est, sedula causa famis.
At uentrem oblectant, uuluam reserantq; tumentem,
Hæc ede, si risus expetis aßiduos.

De Aristolochia rotunda. Cap. LXXVIII.

1. *Aristolochia rotunda uulgaris.*

DE ARISTOLOCHIA LONGA EIVSQVE NOMENclaturis ac facultatibus primo libro egimus, nunc rotundæ historiam subtexemus. Eius duo reperiuntur genera, quorum aliud radicem habet rotundam ac plane, semperq;, siue uetus, siue tenera extiterit solidam, alterius uero minime solida est, sed concaua. Porro utriusq; generis radix lutei, seu subcrocei est coloris, ueluti mala quæ uocant Cydonia, saporis uero amari instar Absinthij. Ambæ hæ radices veris nunciæ sunt, quamprimum enim Februario mense glacies geluq; dissoluitur, è terra asparagos suos protrudit, qui ubi Martio mẽse appropinquante adoleuerint, singulæ radices suos emittunt coliculos, eosq; rotundos, læues & dodrantales, ac in uertice floribus stipatis, Galiopsi quæ Germanis Bynsaug dicitur, aut certe Fumariæ quam similimis emicantes. In initijs Aprilis mensis flores quos diximus in perfectione sua spectantur, alij quidem Bersilici, alij niueo colore tincti, quos, ubi deciderint, consequuntur siliquæ exiguæ in quibus semina nigra, lentibus haud dissimilia, ac singula candidis quasi uersiculis è siliqua pendentia, clauduntur. Maio mense semen maturum exilit, ac tum una cum folijs quæ herbacei sunt coloris, & cum Rutæ hortensis folijs comparari possint, nisi maiora & latiora forent, cum his inquam caules pereunt ac euanescunt, sola radice superstite, quæ usque ad ver proximum intra humum incolumis delitescit. Gaudet hæc Aristolochia terra forti, dumetis quæ secus itinera sita sunt, syluis etiam altissimis, locisq; earum desertis & umbrosis.

Miraculum naturæ. Rursus uero hoc loco naturę miraculum prędicandum mihi uidetur. Siquidem nunquam simul uno & eodem in loco bina Aristolochiæ rotundę uulgaris genera reperiuntur. Quemadmodum enim Allio cum Magnete lapide perpetua intercedit inimicitia, ita quidem ut si Allij succo Magnes oblinatur, omnem amittat uim, & non solum ferrum non attrahat, sed *Antipathia.*

abigat


Aristolochia rotunda uulgaris.
Rund Holwurtz die gemein.



abigat potius, quemadmodum prodidit Plutarchus: ita uno & eodem loco binę Aristolochiæ rotundæ uulgaris radices morari, et mutuo se ferre nolunt.

2. Porro nascitur quædam herbula uix dodrantalis, plerunque in collibus inter Aristolochias rotundas quas diximus, folijs rutaceis, Aristolochiæ rotundę concauæ adeo similis, ut plane cum effoderem eam, me deceperit, quippe qui mihi persuaseram Aristolochiā esse rotundam. Sed rem aliter se habere radix, quæ illi est candida, articuli longitudine prædita, multis spicis, seu nucleis è quibus subinde repullulat, coagmētata, gustu dulcis & aspera ueluti Castanea ostendit. Florē gerit Martio & Aprili mensibus exiguum, rotundum, ad uiridem uergentem colorem. Locus illi ut diximus plerunque inter Aristolochiam rotundam maiorem. Hactenus historiam Aristolochiæ rotundæ uulgaris descripsimus, quam à uera ueterum Aristolochia rotunda abesse existimamus, quantum à nigro ut uulgo dicitur candidus distat color. Neque enim illam (ueram inquam) in nostris regionibus prouenire crediderim, aut si prouenit, sane nobis ignota existit. Hanc nostram sententiam minime

Aristolochia rotunda uera.
Rund Holwurtz die recht.



nime temerariam ueterum rei herbariæ scriptorum testimonia confirmãt. Nicander etenim in Theriaca sua Aristolochiam rotundam folia Hederæ habere asserit, quod idem Dioscorides non sólum in descriptione Aristolochiæ testatur, uerum etiam lib. ij. cap. cxi. cum de Brassica marina loqueretur, innuere uidetur. Huc accedit Theophrasti quoque calculus qui lib. x. de plantarum historia ca. xiij. in hũc modum de Aristolochia scribit. ἡ δὲ ἀριστολοχία τῇ ὀσφρήσει μὲν εὔοδμος, τῇ δὲ γεύσει πικρὰ σφόδρα τῇ χροιᾷ δὲ μέλαινα. φύεται δὲ ἐν τοῖς ὄρεσιν ἡ βελτίστη. φύλλον δὲ ἔχει προσομφερὲς τῇ ἀλσίνῃ πλὴν στρογγυλότερον. Postea capite ultimo eiusdem libri Aristolochię rursus cõmeminit his uerbis. ἡ δὲ ἀριστολοχία, παχεῖα, καὶ ἐσθιομένη πικρά, τῷ χρώματι μέλαινα καὶ εὔοσμος, τὸ δὲ φύλλον στρογγύλον. οὐ πολὺ δὲ τὸ ὑπὲρ τῆς γῆς.

Dioſco. lib. 3. cap. 4.

Ex his a nobis adductis testimonijs satis liquet, quę in Europa hactenus Aristolochia rotunda habita & uendita fuit, a doctoribus & seplasiarijs nostris, a ueterum Aristolochia prorsus alienam esse. Sed proh dolor eo res nostræ redactæ sunt, ut quidquid ab istis dicatur præstigiatoribus (indoctos illos inquam ac Barbaros, tam Medicos quam Seplasiarios, qui postposita ueterum & probatorum lectione

receptos

receptos sequuntur errores) tanquam oraculum adoretur. Quid quod eo progreditur hominum dementia, ut quorumcunq; consilia sequantur, etiã imperitissimorum, ita ut Iudæos, agyrtas, aniculas, & nescio quod genus hominum ad perniciem aliorum natum, Medicos expetant. Sic enim uulgo iactatur prouerbium, ægros magno teneri sanitatis desiderio, ideoque necesse habere quoscunque consultores audire. Atque ita suos quisq; sequitur deos, in quibus salutis spem ponit, quod sane peruersum studium singulari in nobis Dei ira excitari crediderim. Faxit Deus ut animorum istam peruersitatem aliquando exuamus, & recta non tantum probemus, sed & sequamur consilia.

Cæterum cum Aristolochiæ rotundæ uulgaris historiam absoluissem, peruenit ad manus meas uera Aristolochia rotunda, quæ omni ex parte Dioscoridis descriptioni respondet. Radix namq; eius rotunda est, rugata, pulla, ac undique impressiones quasdam referens, in superiori parte qua caulem ex se mittit, in acumen quoddam turbinata, ita ut rapulam marcidam repræsentet, gustu amara sicut & longa Aristolochia, intus subcrocea. Hæc in montanis Montis pessulani prouenire, ac, ut refert D. Conradus Gesnerus, Lugduni hodie uenundari dicitur. *2. Aristolochia rotunda uera.*

NOMENCLATVRAE.

Nomenclaturæ Aristolochiæ rotundæ supra primo libro in descriptione longæ enumeratæ sunt. Repetemus tamen hoc loco præcipuas, quę sunt ἀριστολοχία, Malum terræ. Apuleius cap. xix. plura addit nomina, quæ sunt Adrarhyza, Melocarpon, Ephesia, Clematitis, Pyxionos, Dardanos, Iõtitis, Tocites, Teuxinos, Chamæmelon, Opetis, Sopoep, Absinthium rusticum. Serapio Aristolochiam cap. clxxi. Zaraund (sicut & Auerrhoes) & Masmochra uocat. Proinde ne quis putet nostram uulgarem Aristolochiã nos repudiare, ac peregrinam in locum eius substituere uelle, is sciat, nos uulgarem Aristolochiam rotundam magni quoque facere, sed suo quod debeo in medicina habere loco, nec genuinæ quod nec possum, pręponere. Quod si quis roget ubi ergo uulgarem illam Aristolochiam in Dioscoride descriptam sentiam, huic sententiam meam candide impertiar, dicamq; quam nos Germani Holwurtzel/ id est, radicem concauam dicimus, nobis sub Hyacintho, quem ille Heloniam, Porphyranthes, Vaccinium & Vlcinum cognominat. Sed de Hyacintho plura paulo post.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Aristolochia rotunda uulgaris ad uarios utrinque morbos usurpatur.

INTRINESCVS.

Vulgaris Aristolochia rotunda ad internas quamplurimas affectiones adhibetur. Sunt enim qui radicem eius in puluerem redactam aduersus uenenum & pestem è uino bibendam exhibeant. Cum uino calefacto pota, si postea in lectum te componas, probe contectum, sudores potenter elicit.

Eadem urinam trahit, & ad morbum facit regium è uino pota.

Semen tusum ac sumptum quotidianis alui profluuijs auxiliatur.

EXTRINSECVS.

Chirurgi ad quæuis ulcera fluuentia hac radice utuntur, ad quam rem sane quam utilissima est, cum sanandi & exiccandi ui sit prædita.

FACVLTATES ARISTOLOCHIAE rotundæ ueræ.

Hanc Galenus & Macer calidam & siccam esse testantur, sic enim carmina Macri de Aristolochia sonant.

Omnes uim calidam, siccamq; leguntur habere,
In primo uis sicca gradu, feruens q; secundo est.
Pestiferos morsus cum uino sumpta rotunda
Curat, & assumptis prodest sic hausta uenenis.

INTRINSECVS.

Radix in puluerem redacta, ac drachmæ pondere cum Pipere & Myrrha pota, menses, partus, & omnia uuluarum onera eijcit, teste Dioscoride.

Ea drachmæ pondere ex uino pota, uenenum per sudores expellit.

Hoc pacto usurpata ad pestem & laterum dolores, suspiria, & concretos sanguinis grumos unice conducit. Reliqua sub Aristolochia longa require.

EXTRINSECVS.

Radix Aristolochiæ rotundæ ueræ in puluerem redacta ulceribus fluentibus inspersu prodest, nam ea siccat & purgat.

Radix recens tusa ac imposita, aculeos & spicula extrahit. Estq; omnibus modis saluberrima, & ad medicationes utilissima.

De Astrilochiæ facultatibus ita scribit Theophrastus lib. x. de plantarū historia cap. xiij. & ultimo.

Χρήσιμα δὲ πρὸς πολλά, καὶ ἀρίστη πρὸς κεφαλὴν, ἀγαθὴ δὲ καὶ πρὸς τὰ ἄλλα ἕλκη, καὶ πρὸς ἑρπετὰ καὶ.

τὰ, καὶ πρὸς ὕπνον, καὶ πρὸς ἴκτερα. τὰ μὲν οὖν προσάγειν κελεύουσιν ἐν ὕδατι ἀναζέσαντα καὶ καταπλάττοντα, τὰ δὲ ἄλλα εἰς μέλι ἐμβάψαντα, καὶ ἔλαιον. πρὸς δὲ τὰ τῶν ἑρπετῶν ἐν οἴνῳ ὀξίνῃ πίνειν, καὶ ἐπὶ τὸ δῆγμα ἐπιπλάττειν, εἰς ὕπνον δὲ, ἐν οἴνῳ μέλανι αὐστηρῷ κνίσαι. ἐὰν δὲ αἱ μῆτραι προσχίσωσι, τῷ ὕδατι ἀποκλύζειν. Hæc ille.

De Hyacintho. Cap. LXXIX.

VULGARIS ILLA AC ROTUNDA ARISTOLOCHIA, cuius præcedenti meminimus capite, nos admonet, ut ad Hyacinthũ accedamus, eiusq; historiam exponamus. Supra ca. lxxi. Hyacinthi cuiusdã uerni exigui meminimus, cuius hoc capite effigiem exhibemus. Deinde cap. lxxiij. alium Hyacinthum proposuimus. Tertio loco uulgarem Aristolochiam rotundam in numerum Hyacinthorum retulimus. Hoc itaque capite quartum describemus Hyacinthum, cuius radix bulbosa, quæ uulgari satiuæ Cepæ satis respondet, nisi quod multo est minor, ab optimo uiro D. Georgio Ollingero ciui Norimbergensi ad me iampridem missa fuit. Ea cum appetente Autumno in terram à me deposita fuisset, sub initia Martij mensis bina produxit angusta folia, Satyrionum medio generi similia, nec multo post bina alia subsecuta sunt. E medio uero foliorum teres tandem & læuis assurgebat coliculus, dodrantalis, in cacumine uiridibus & exiguis globulis prominentibus emicans. Horum infimi in initijs Iunij mensis hiantes florem reddebant purpureum, forma Lilij conuallij flores imitantem, sed omni odore destitutum. Cumq; inferiores flosculi marcescerent, proximi quiq; ex ordine florere occipiebant. Tandem ubi omnes defloruissent, semen apparuit nigrũ, Pseudomelanthij (de quo supra lib. j. cap. xl. egimus) semini simile. Et radix quoque per hyemem intra terram incolumis durabat, ac vere accedente, alium ex se bulbum procreabat, unde rursus adolescebat, quemadmodum & Crocus, & Lilium iuuenescere solent.

1. *Hyacinthus primus.* 2. *Hyacinthus secundus.* 3. *Hyacinthus tertius.* 4. *Hyacinthus quartus.*

Postremo non desunt qui eam plantam quam capite lxxxiij. infra describemus, uerum esse Hyacinthum Poëtarum sentiant, propterea q̃d sanguineis notis sint maculati flores eius. Atq; hactenus quinq; Hyacinthi genera exposuimus, ex his quisq; q̃d sibi maxime arriserit pro Hyacintho deligat. 5. *Hyacinthus quintus.*

NOMENCLATURAE.

Primum Hyacinthum in tractu Rheni Germanica uoce Hundtszwibel/ uel Hundtsknoblauch/ hoc est, Cepam caninam, uel Allium caninum uocant. Meo iudicio Vaccinium nigrum Vergilij fuerit. 1.

Hyacinthus Vernus exiguus.
Klein frülentzen Hyacinctlin/ oder Klein hundtsknoblauch.

Hyacinthus maior.
Groß Hyacinct.



Alter Hyacinthus cum nullum habeat nomen a tempore quo primum apparet Hornungsblům/ hoc est Februarij flos dicitur. Forte & hic Vaccinium appellari posset.

Tertium

Tertius, isque bipartitus, candidus scilicet, & purpureus Hyacinthus, Germanis Holwurtzel/ Latinis uulgo Aristolochia rotunda nuncupatur. 3.

Quartum Bauari Sew zwibel/ hoc est, Cepam suillam uocant, teste Ollingero. Is etiam asserit hoc Hyacinthi genus in auenaceis prouenire agris, & magnopere à suibus quæri expetique, unde illi nomenclatura. Hic Hyacinthus una cum eo, cuius historiam capite lxxxiij. persequemur, nostra sententia rubens est Vergilij Hyacinthus ὑάκινθος, teste Dioscoride, Helonias, Porphyrantes, Romanis Vaccinium dicitur, quod nomen ex recētioribus quidam Myrtillis, de quibus tertio agemus libro, attribuerunt, sicut nonnulli uocem Hyacinthi Consolidæ regali adscripsere. 4. 5.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnium Hyacinthorum radices frigidæ & siccæ esse traduntur, sed temperate, in medicina omnes usum suum habent.

INTRINSECVS.

Dioscorides de Hyacintho suo in hunc modum scribit. Radicem intro sumptam urinam impellere, phalangiorumque morsibus auxiliari. Semen uero cum uino potum regium morbum discutere: quas facultates, maxime quod ad posteriorem attinet semini Aristolochiæ rotundæ uulgaris inesse experientia certa didici.

EXTRINSECVS.

Radix cum uino albo pueris illita pubertatem coercet, & non patitur erumpere, Galeno & Dioscoride testibus. Huius radicis in Theriaca Nicander quoque meminit.

De Aro. Cap. LXXX.

ARON FEBRVARIO QVOQVE MENSE PROSILIT, maxime in apricis locis. Folia habet pulchra, uiridia, Betaceis pene similia, eaque ut plurimum quaterna aut quina, inter quæ dodrantalis fere & acutus assurgit caulis, uaginæ frumentaceæ in qua spica inclusa latitare solet, persimilis, qui ubi Aprili mense hiare cœperit, purpureū ostendit pistillum, quem non aliter complectitur ac lucerna lumen. Atque hic Ari est flos, nam sub hoc pistillo capillitij instar fibræ quædam enascuntur, ac postea ubi temporis progressu auctius euaserit pistillum, acinis quibusdā uiridi colore præditis in modum botri undiquaque circumdatur, qui Au-

1. *Ari primum et uulgare genus*

Aron.

Aron.



2. *Ari secundum genus.*

9. *Tertium Ari genus.*

tumno appropinquante rubei euadũt sicut corallium pulchre rubens. Herba in fine Maij mensis euanescit, solo usq; ad Autumnum remanente quẽ diximus fructu. Radix oblongæ cæpulæ, aut oliuæ potius conferri potest, multis capillamentis fibrata, quæ & singulis annis instar Satyrionum decedit, altera succedente, hoc pacto namq; reuiuiscit Aron.

Cæterum in ijs montib[9] qui non procul a Tabernis montanis absunt in uinca quadam inueni Arum in magna copia, quod inuolucrum, & pistillum habebat ex albo luteolum, cætera uulgari consimile.

Tertium Ari genus, rarissime flores profert. Folia huius nigris maculis respersa sunt, ueluti Satyriones quidam, necnõ Persicaria, & Ranunculi nonnullæ species.

Proin omnia Ari genera quæ nunc commemorauimus, insigni acrimonia sunt prædita, ut quæ non aliter atque vrtica diutinas & miras in lingua puncturas excitent. Omnium uero feruentissima est eius Ari radix, quod maculata habet folia, ita quidem ut integro die linguam semel gustata mordicet. Radices omnium Arorum dum teneræ sunt, lacteum succum stillant incisæ. Nascuntur omnes Ari

species.

species in umbrosis locis, montibus, & dumetis, ubi uermes plerunque morari consueuerunt.

NOMENCLATVRAE.

Omnes uno consensu herbarij, tradunt eam herbam quam Germani ἄρον. Aron uocant, Arum esse Dioscoridis, quod ille Lupham, Alimon, Thymon, Dracontiam, & Colocasion cognominat. Diofcor. lib. 2. cap. 157. Mihi uero non Aron, sed ἀρίσαρον uidetur esse, propterea quod ueteres, Ari radicem non tantum magnam, sed etiam esui aptam esse scribant, quæ sane in nostro Aro minime reperias, quod radicem oliua haud maiorem obtinet, eamque adeo acrem, ut edendo prorsus non sit. Qui fit ut ego ad Arisaron potius quam ad Arum has plantas referendas censeam. Sed iudicium esto penes candidum lectorem. Neque hic de cocta nobis Ari radice, sed de cruda sermo est: scimus namque quid de elixa Galenus lib. ij. de alimentis scribat.

Arum quod suggillata lituris folia profert fortasse exiguus Dracunculus fuerit.

Arum nonnulli Serpentariam, Colubrinam, Dracontiam minorem nominant, sed quod parum referre puto, licet hæ quoque appellationes ad alias quoque plantas pertineant, quemadmodum primo libro in historia Colubrinæ docuimus. Apud Simonem Ianuensem, Iarus, Barba Aron, & Pes uituli dicitur. Nonnullis sacerdotis Virile, & Germanice Pfaffenpint nuncupatur. De Aro plura Plinius lib. xxiiij. cap. xvi. & Galenus de aliment. facult. lib. ij. cap. ultimo.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Aros, calidus & siccus est, discutiendi & extenuandi, quosuis crassos humores facultate præditus, utrisque corporis partibus salutaris.

INTRINSECVS.

Radix Ari, eius maxime quod maculata habet folia, siue sicca, siue recens tusa, ac adminus drachmæ pondere sumpta remedium est præsentissimum, ac minime fallax aduersus uenenum & pestem. Quidam tantundem adijciunt Theriacæ.

Succus herbæ expressus mensura cochlearis, aut maiore, potus, easdem habet facultates. Quod si illi parum aceti admiscueris, quo minus linguam uellicet efficit, ut idem de radice iudicium tibi sit.

Aron in puluerē redactū ac interdū drachmę pōdere cum binis Sacchari drachmis sumptū suspiriosis prodest, crassam enim & lentā pituitam inci-

dit, excreationes iuuat, pulmonum & pectoris uitia purgat, & ad tussim maxime est utilis.

Idem remedium stomachum phlegmate & atra bile infectum purgat.

Radix Ari siue recens, siue arida, tusa ac sumpta, mulieres à partu ualide purgat, potestque hoc pacto & iumentis purgandis exhiberi.

Eadem succus expressus, & aqua distillata possunt. Tradunt etiam aquã Ari distillatam ramices sanare singulis uicibus binis uncijs, aut minori mensura potam.

EXTRINSECVS.

Ad pestem ac Anthracem uix præstantiorem ac salubriorem herbam noui, ac folia Ari recentia imposita. Eadem siue arida, siue uiridia, ad inueterata & putrida pedum ulcera faciunt.

Aqua Ari & succus, quæuis uetera uulnera purgat, sanatque.

Ari folia cum radice in uino & oleo decocta, insessionibus calidis ficus sanant, & sedem procidentem retrahunt.

Nonnullæ mulierculæ folia Ari, caseis uermiculis scatentibus imponũt, qui fit ut abactis uermibus casei hac ratione à corruptione uindicati diutius durari possint.

De Dracunculo maiore. Cap. LXXXI.

HOC BVLBI GENVS, CVIVS EFFIGIEM DEPICTAM exhibemus integrum uidere mihi non licuit, præsertim cum non satis nostris regionibus sit cognitum, & non ita pridem doctissimo uiro D. Othoni Brunfelsio ex Brabantia missum fuerit. Folia gerit satis longa, lataque instar Lapatij uulgaris, ac aliquantulum inflexa rubris notis aspersa. Dicebatur autem racemum quendam luteum tandem proferre, sicut & Aron, qui fructus eius est, quod ita se habere uel tandẽ ipse uidi, posteaquam eius bulbi copia mihi facta, ac in hortulis meis plantata fuit.

NOMENCLATVRAE.

δρακοντία μεγάλη Diosco. lib. 2. cap. 155.

Otho Brunfelsius cuius statim meminimus, persuasit mihi hanc plantã Dracunculum maiorem Dioscoridis esse, quem ille Draguntium magnum Aron, Isaron, Iaron, Hieracium, Biaron, Armiagrion, & Cyperida nonnullis uocari tradit. Sed parum meo iudicio refert, siue Dracunculus, siue Aron censeatur, nam earundem fere sunt facultatum utriusque radices, quapropter à Serapione uno & eodem capite, nimirum xliij. Luf, hoc est, Dragontea,

Dracunculus maior.

Drachenwurtz.



gontea, Dracontion, uel Draction: Iarus, hoc est, Aron &c. tractantur. Apuleio ca. xiiij. Dracontea, Pythonion, Asclepias, Anchomanes, Sanchromaton, Arisaron, Therion, Schænos, Dorcadion, Typhonion, Grocodillion, & Colubrina dicitur.

VIRES AC TEMPE-*ramentum.*

Dracunculus maior ut Aron usurpatus omne uenenum à corde pellit, pectus purgat, crassos ac lentos humores incidit, ac quibusuis internis prodest uitijs, venerem stimulat. Ex his facile est colligere, calidæ esse temperaturæ.

EXTRINSECVS.

Ex radice Dracũculi maioris, necnon folijs, olea, unguenta, & emplastra præstantissima conficiuntur, ad sananda ulcera quę uocant Cacoethe, atque phagedænica, necnon fistulas, & pedum maligna, depascentia, ac serpentia ulcera.

Folia cum melle illita faciei maculas extergunt.

Succus expressus auribus instillatus dolorem sedat.

Folia uenenatorum animalium morsibus imposita, uenenum extrahũt, ac breui tempore partes affectas sanant. Aliæ quibus pollet facultates in historia Ari explicatæ sunt.

De Orchios, & Satyrij uarijs generibus.
CAP. LXXXII.

Satyrion mas quorundam.
Knabenkraut.

I.



1. 2.

MVLTA SANE ORchios & Satyrij genera in nostris regionibus nascuntur, quorum nonnulla, quę nobis quidem obseruata sunt ordine recensebimus.

Primum itaque idemq́ uulgatissimum, Maio mense florens in pratis reperitur, ternis aut quaternis plerunque folijs uestitum, Lilio similibus. Porro in duas species hoc genus, quod ad florem attinet dirimitur. Aliud namq́ flore comat purpureo, aliud niueo, eoq́ Aristolochiæ uulgaris flori consimili. Folia utriusq́ Februario mense è terra exeunt, aliquanto Lilio angustiora. Quędam ex his nigris maculis notata, ueluti Aron, aut Aurata, quod genus piscium torrentibus syluestribus familiare est, Germani Forellen uocant, apparent. Radices harum plantarum, instar nucularum quarundam, teretes, geminæ, oliuis respondentes, sed meo iudicio rotundiores sunt, altera quidem inanis & rugosa, &

Cynosorchis mas nostra quarto loco à nobis descripta.



sa, & marcida, & quæ in dies decrescat, altera uero plenior, quæ quantum illa minuitur tãtum quotidie maiori incremento augetur, quoad perfecta fuerit & absoluta, id q̃d Iunio fit mense, quo tempore altera plane euanescit. Post Autumnum, quæ de radice gemella superest pars, aliam gignit, candidam plane, instar Ciceris Arietini rotundã. Atque hoc pacto quæ priorem decedentem exhauserat, aliamq; ex se procreauerat, ea ipsa sequenti anno marcescit, recentiore semper superstite manente. Cæterum quæ de radicibus hoc loco diximus, ea in omnibus Orchiorum & Satyriorũ generibus locum habent.

Alterum, folijs caule, & flore, antedicto consimile est, nisi quod radicem habet quæ formam repræsentat binarum manuum, nõ eo quo alias manum manui iungere solemus, sed inuerso ordine inuicem superpositarum, quarum recentior natu cum flore augmẽtum capit, altera marcescente. Nascitur hoc genus Orchios in quibusdam pratis, & nonnullis graminosis montibus. Radices tam huius q̃ superiorum testiculorum fere dulces sunt gustatæ. II.

Tertium

Satyrion primum Dioscoridis nostra sententia.
das iiij Stendelwurtz Menlin.



Orchis fœmina, ad quartum ordinē in nostra historia pertinens:
das iiij Stendelwurtz Weiblin.



III. Tertium peculiare quoddam genus est, & a superioribus diuersum, licet caulem proferat ut illa teretem & mollem, folia item Lilio similia, radicesq;

Orchis fœmina altera.
Creütz blům Weiblin.



cescꝫ gemellas & rotundas, sed magis exiguas, flore copioso, ac racemi instar coacto, foris spadiceo, intus uero candido & minutissimis maculis asperso plenum. Gaudet humo argillosa, nasciturꝗ tam in pratis quam montibus. Proinde Iunio mẽse florere occipit.

IIII. Quartus Testiculus duum quoque est generum, si florem, quem alius purpureum prorsus, alius uero ex roseo candidum, purpureisꝗ ac exiguis maculis notatum profert consideres. Planta est omni ex parte satis magna, cuius uiridia & mollia folia Liliũ fere referunt. Radices illius quæ succulentæ sunt & dulces binis oblongis auicularum ouis, aut ueteris galli gallinacei testiculis conferri possunt. Huc accedit tertium in hoc ordine genus, quod radices habet manus similes, ueluti & in primo genere audiuimus. Atque hanc fœminam in hoc genere censemus, propterea quod radix fœmininum sexum figura sua æmuletur.

V. Quintum Testiculi genus similiter bipartitum est, utrumꝗ folio uestitũ Lilio simili, flore emicans purpureo prorsus, nec enim ullas ostendit lituras, eoꝗ instar frumentorum in spicatum desinente cacumen, Quod in hoc

genere

Orchis quinta odorata.

das v. wol riechend Margendrehen.



genere minimum existit suauissimo comendatur odore, & ad Garyophylleam accedente. Nascitur utrunque in asperis plerunq; montibus subter Iuniperos terra forti & alba gaudens.

VI. *Satyrion alterũ Diosco. lib. 3. cap. 135.*

Sextus testiculus, qui & ipse ijsdem cum præcedenti natalibus prouenit, radice gemella, satis magna, binas nuces myristicas repręsentante, dulci, succulenta, flore diuersicolore, nam constat is purpureo, luteo, & uiridi, qui tamen commiscentur. Forma floris ita se habet, ut inferior illius pars crabronem, superior uero quæ capitulata & alata quodammodo esse cernitur, auiculam repræsentet. Exiguum huius testiculi genus (est enim & hic Testi. lus in duo distributus genera, non quidem forma, sed magnitudine foliorũ, caulium, & radicum, differentia) folia Allij fert, maius uero Lilij.

VII.

Cęterũ reperiũtur bina alia Satyrij genera admodũ exigua, quorũ flosculi auiculas uolantes imitantur, coloris ex uiridi lutei. Caules horum haud temere digiti longitudinem excedunt. Nascuntur partim in apricis montibus Iunio mense, partim uero Autumno apperente, in uliginosis campis & pratis.

Extant

Orchis sexta.

das vj. Margendrehen.



Extant & alia bina in altissimis syluis Satyrij genera, folijs uestita Colchici, radice prædita capillata instar Valerianę, quo nomine à reliquis Satyrijs & Orchios generibus dissidēt. Ex his aliud florē gerit candidum aliud roseo emicat, eoq; siliquis seu seminū Raphani receptaculis similimo, nisi q̄d hic hiat, ac fatiscit, formāq; pileoli refert. Hoc flore decidente (quod idem de omnibus Satyrijs & Testiculis, quorum descriptionē in hoc capite persequimur, intelligas uelim) nullum subsequitur semen, ut in alijs plantis fieri uidemus. Flore quidem decusso siliquæ quædam exiguæ apparent, tenuissimo puluere refertæ, quæ & ipsæ una cū caule intereunt. Seruntur igitur Satyria & Testiculi non semine, sed radice, quæ quotannis renouatur ut diximus, & ex illa folia caules & flores prodeunt singulis annis alij. VIII. 1. 2.

Nonum Satyrij genus in uliginosis & umbrosis syluis nascitur, Maio mense flore & folio uiduum. Est enim nihil aliud quam pinguis & rectus asparagus, forma uulgare Satyrion, colore lignum, uel fungos syluis familiares referens. Radicem habet, multo capillitio contortam, & implicatam, ueluti Valeriana, uel Elleborus niger adulterinus. Estq; hoc IX.

Satyrij

Satyrion exiguum.
das vij. vnd kleinst Satyrion.



Satyrij genus uitium potius quoddam ex putrilagine enatum, quam planta censendum.

X.
Bifolium.

Decimum ac ultimū nobis cognitum Satyrion Aprili mense in uliginosis densis ac tenebrosis dumetis, nonnullis etiam agrorum limitibus & quibusdā pratis prosilit, binis folijs Plantagini latifoliæ similibus, per quæ rotundus assurgit coliculus, idemq́ue ueluti Plantago in cacumine spicatus. Radix eius frequentibus cirris ac capillitijs contorquetur. Euanescit hæc planta circa festum Diui Ioannis Baptistæ, nullo post se relicto fructu. Anno insequenti è radice bina alia prorumpunt folia. Sunt qui hanc Perfoliatæ genus esse credant. Nec desunt qui Alisma esse statuant, sed perperam. Atq; hactenus omnia Satyriorum & Testiculorum genera ordine qua potuimus perspicuitate & breuitate perstrinximus, superest, ut ad nomenclaturas earum & facultates explicandas nos conuertamus. Sed anteq̃ eo ueniamus, operæpretium duximus, paucis commemorare, quid de prima istarum plantarum origine nobis uideatur. Non enim ex semine proprio, ut nostra fert opinio, hæ plantæ, primam originem ducunt, sed ex

Vnde Satyriones primam originem trahant opinio Tragi.

alieno

Satyrion nonum.
das ix. Margendrehen.



alieno potius, hoc est, ex spermate Turdorũ & Merularum. Cum namq; vere appetente antequam turdi terra nostra excedant, aues commiscentur, mira uideas, maxime cum in Iuniperorum montibus, & pratis conuenerint, ita ut uerisimile sit ex spermate horũ, si quando in terram forte deciderit, Satyriones primum nasci. Nam quemadmodum ex historia illorũ uidere est, tertio demum anno Satyriones omnes, primos proferunt flores, quos nullum ut diximus semen consequitur. Deinde cõstat Satyriones nusquam lœtius prouenire, quam in montibus Iuniperorum & pratis, in quibus locis auiculæ escas suas quærere assolent.

NOMENCLATVRAE.

Quas hoc capite plantas descripsimus, eas uno uocabulo Germani Margendrehen uocant, propterea quod nonnullę earum folia maculata, ac lituris quibusdam sugillata appareant. Aniculæ alia's, quæ plerunque uariarum sunt peritæ artium Stendelwurtz/Knabenkraut/ & Creutzblůmen appellant. Theophrasto omnes sub ὄρχιος uoce comprehenduntur. Dioscorides duo Orchios proponit genera, quorum alterum κυνὸς ὄρχιν uo-

ὄρχις. *Testiculus.* *Theoph. lib. 10. cap. 19.* *Diosco. lib. 3. cap. 132.*

Hunc Aegineta Triorchin uocat lib. 4. cap. 41

σατύριον τρίφυλλον Diosco. lib. 3. cap. 134.

cat, hoc est, Testiculum canis, quod nomen nos quarto loco huius capitis descriptæ plantæ attribuimus; alterum uero σεραπιάδα cognominari tradit, ad quod quintum huius capitis Testiculum referimus.

Post historiam Testiculorum Dioscorides Satyrion ponit trifolium, quod nos ad primum nostrum genus referimus. Huic subiungit alterum Satyrion, Erythronium, siue Erythraicon, Melion aqueum, Entaticon, Priapiscon, Satyriscon, Satyritesticulum, & Molorticulum ueneris cognominatum. Hoc nobis id est Satyrion quod sexto loco descripsimus.

At quæ manus effigiem quod ad radicem attinet exprimunt, Fœmellas Satyriorum esse iudicamus, uulgo Manus Christi, & Palmam Christi, & Testiculum uulpis nominãt. Apuleius cap. xv. Panion, Serapion, Menem, Vram, Torminalem, & Testiculum leporinum cognominat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Testiculorum & Satyrionum genera, quæ Germani Stendelwurtzel appellant, calida sunt & humida. Nec debent nisi necessitas id postulauerit intro sumi. Foris cataplasmatis instar imponuntur.

INTRINSECVS.

Radices rotundæ & pleniores (sunt enim ut diximus nonnullæ uacuæ marcidæ & rugosæ) omnium Satyrionum, in cibo uel ecligmate usurpatæ, ad venerem stimulos addunt segnioribus.

Vtilis est hæc medicina ad conseruandum & augendum genus humanum, modo rite & quo debet modo usurpetur.

Rursus aridæ & marcidæ Satyrionum radices venerem inhibent, quo nomine cœnobitis qui castitatem uouerunt (ut hi loquuntur) utiles fuerint. Paucos tamen in eo ordine hominum reperias qui id medicamentum expetant.

Radices plenæ in lacte caprino bibi possunt, aut cum albo pipere & melle instar Ecligmatis confici ac assumi.

EXTRINSECVS.

Radices Satyrij maxime eius quod odoratum esse diximus cum uino & melle decoctæ, ulcera oris & quæcunque eius uitia sanant.

Radices eædem tusæ, & illitæ, inflammationes leniunt, tumores discutiunt, ulcera fluentia purgant, sanantque ueluti Aron & Dracunculus maior.

De

De Hyacintho Poetarum, seu Asphodelo officinarum, Germani Goldtwurtzel uocant.

CAP. LXXXIII.

Hyacinthus Poetarum, alijs Asphodelus fœmina.
Goldtwurtzel/Heidnischwurtzel.



PLANTA HAEC, quam officinæ Affodillũ, & nonnulli alij Asphodelũ nominant, radicem habet bulbaceam, ex pluribus coagmentatam, & quæ quotannis nouas subinde spicas seu nucleos gignit, nõ aliter atque Croci radix. Forma sua Lilij (de quo altero ab hinc capite agemus) radicẽ prorsus æmulatur. Ex ea Maio mense appropinquante, teretes prosiliunt caules, folijs rotatim illos ambiẽtibus, Plantagini similibus, sed uiridioribus & firmioribus seu solidioribus, per ambitum minime crenatis. Proinde si formam foliorum istorũ necnon colorem consideres, haud possis ullæ aliæ herbæ commodius conferre quam vuæ lupinæ. Flores huius plantæ suauiter odorati sunt, & hi messis tempore erumpunt, ex roseo rubicantes, exiguis puniceis maculis notati, Lilio uulgari de quo paulo post, aliquantulum mino-

res. Foliolis constant singuli senis, ijsq; recuruis, è quorum medio sena, punicei coloris stamina effulgent. A flore Papaueri similia protuberant capitula, luteo ac lato semine referta. Plantatur hodie in hortis hic Narcissus, sicut alia quoque florum genera, uoluptatis gratia. Aliàs in altissimis syluis Heluetiorum, & ea quoque quæ Hercynia dicitur, necnon monte Tonitrui, qui à Vuasgoia non longe abest, sponte sua prouenit.

NOMENCLATVRAE.

Olim in ea fui sententia ut crederem præsentem plantam Asphodelum seu Hastulam regiam Dioscoridis esse. Sed cum Asphodeli descriptionem apud ueteres rei herbariæ penitius introspicerem, animaduerti nihil in Asphodeli historia esse, quod huic plantæ recte tribui posset. Ac posset fortasse Asphodelus uerus aliquando nobis innotescere, quod omnibus uotis optamus. Cum itaque Asphodelus non sit, non uideo quo rectius referri possit hoc Lilij genus, quam ad Hyacinthum poëtarum, de quo Vergilius Æggloga tertia ita cecinit.

Idem mecum sentit Marcus Platearius.

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores.

Huius & Ouidius meminit his uerbis.

Ipse suos gemitus folijs inscribit & ai ai.
Flos habet inscriptum funestaq; litera ducta est.

Et alibi.

Litera communis medijs pueroq; uiroq;,
Inscripta est folijs, hæc nominis illa querelæ:

Fabula de Hyacintho puero in florem nominis sui conuerso extat apud Nicandrum in Theriacis. Iam nullum sane noui florem, qui possit aptius Hyacinthus poëtarum dici, quam hæc ipsa planta, quam Germani Goldtwurtz/hoc est, Auream radicem, & Heidnisch blům appellant. De reliquis Hyacinthis supra plura diximus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vires Hyacinthi superioribus capitibus cum de uarijs eius generibus ageremus explicatę sunt. Cęterũ est & hęc planta nõ contemnendi in medicina usus. Quod .n. ad multa efficax sit, experientia minime fallax edocuit.

INTRINSECVS.

Qui difficulter urinam reddunt, radicem in uino decoctã bibant, prodest id medicamenti mulieribus quoque quibus menses impediti sunt. Eadem fere & de Hyacintho leguntur.

EXTRIN-

EXTRINSECVS.

Omnes calidi abſceſſus & tumores radice Hyacinthi tuſa, ac cataplaſmatis inſtar impoſita, emolliri poſſunt, præcipue uero mammarum, & genitalium tumores hac radice & emolliri & ſanari debent. Quidam radicē ad eadem uini fęcibus prius conquoquendam tradunt, ac tum imponendam.

Radix in cinerem redacta, cumq; melle temperata, ut unguentum fiat, illitu alopecias explet. Reliquas cum Lilio albo uires obtinet.


DAVID KYBERVS AD STVDIOSOS rei herbariæ.

Verum Aſphodelum primus monſtrauit is Herbarius, qui anno ſuperiore Latinus ex officina Egenolphi in lucem prodijt, quo nomine laude ſane dignus eſt, tam autor huius libri quam Typographus. Optime .n. meo iudicio de uniuerſo medicorum ordine, reiq; herbariæ ſtudioſis omnibus merentur, qui in id incumbunt, ut erroribus officinarum detectis, pro falſis & adulterinis, genuinæ & quæ ueterum rei herbariæ ſcriptorum deſcriptionibus reſpondeant ſtirpes, in poſterum medicamentis adhibeantur. Quanto enim cum errore, ne quid acerbius dicam, officinæ nonnullæ hactenus pleraque, maxime quod ad ſimplicia attinet, adminiſtrarint, manifeſtius eſt quam ut probari debeat. Proinde placuit nobis effigiem ueri Aſphodeli, è prædicto exemplari mutuari, ac una cum deſcriptione Dioſcoridis in gratiam ſtudioſorum rei herbarię, hoc loco inſerere, non tantum eam ob cauſam quod Aſphodeli in hoc capite ab autore noſtro facta eſt mentio, ſed etiam ob hanc maxime, quod à doctiſſimis uiris tam ueteribus quam recentioribus, duo Aſphodeli ſtatuantur genera, quorum alter fœmina appelletur, is nimirum quem hoc capite deſcriptum habes, alter uero mas dicatur, Latinis alias Haſtula regia uocatus. Vt itaque utrunque Aſphodelum ſimul habeant ſtudioſi rei herbariæ, age proponamus, & figuram eius & deſcriptionem Dioſcoridis. Cęterum patientur pro ſumma ſua humanitate optimi uiri, Lonicerus inquam & Egenolphus, ut cum bona ipſorū uenia effigiem Aſphodeli mutuemus. Neque enim uideo cur nobis iraſci uelint, ſi unam ab ipſis deſumamus depictam plantam, cum in Herbario ipſorum quamplurima ſint, quæ ex noſtris hiſce commentarijs deſumpta ſint, quod illis nec inuidemus, nec in malam interpretamur partē. Si enim doctiſſimis quibuſq; uiris laudi, non uitio uertitur, quæcunque apud ueteres hinc inde de ſtirpibus diſperſa leguntur, in unum uolumen redigere, ordineq; meliore, ac maiori perſpicuitate explicare, quod ætate noſtra ſumma

Plinius. lib. 22. cap. 22.
Leohardus Fuchſius cap. 40. hiſt. plant.

ἀσφόδελος.

Hastula regia.



cum laude fecit Ruellius, cuius institutum alij quoq; doctissimi uiri secuti sunt, cur non idem nostro quoq; liceret autori, præsertim cum eius sit candoris, ut quod aliorum est inuentũ sibi non arroget, & patienter etiam ferat, quod non solum nonnulli ex suis multa desumant, sed etiam parum candide ipsius labores interpretentur? Quemadmodum uero minime uituperamus eos, qui uerba ueterum autorum in historia stirpium recitant, ita haudquaq; speramus indigne hos ferre, si uel unius plantæ delineationem ita mutuemus, ut interim nihil nobis, sed plurimum his, qui primi in agnoscenda ea herba nobis duces fuere tribuamus. Sed non erat opus pro re tantilla tot uerba facere, nisi calumniatorum, qui nihil nisi a se factũ probare possunt, peruersitas nos coegisset.

Historia Asphodeli ex Dioscoridis lib. ij. cap. clix.

Ex uersione Ruelliana.

HASTVLA REGIA uulgaris notitiæ est, folijs maioris Porri, caule leui, ferente in cacumine florem, quem anthericon appellant: radices subiacent oblongæ, rotundæ, glandibus similes, gustu acres, quæ excalfaciunt, urinam

urinam & menses epotæ ciunt: lateris doloribus, ruptis conuulsis & tussibus, drachmæ pondere potæ ex uino medentur. Ea uero uomitiones adiuuat, ludricitali magnitudine commanducata: à serpente demorsis datur aptissime, uerum trium drachmarum pondere, folijsq; floribus, radice ex uino morsus illinire oportet. Item ulcera sordida & depascentia, mammarū quoque et testium inflammationes, tubercula, furunculosq; decoctis in fece uini bulbis, recentibus inflammationibus ex polenta auxiliatur. Radicis succus adiecto uetere uino dulci, Myrrha & Croco decoquitur, fitq; perq; utile oculis medicamentum: ad purulentas aureis per se, & cum thure, melle uino & Myrrha tritus, prodest, in contrariam aurem fusus, dentium dolorem mitigat. Cinis è radice illitus, alopecias ad pilum reducit. Oleum in excauatis radicibus igni decoctum, illitu exulceratis pernionibus & ambustis igni, conducit: & surditati, instillatum in aurem, auxiliatur. Candidam uitiliginem linteo antea perfrictam in sole, illita radix emendat. Semen floresq; in uino poti, scolopendræ & scorpionum uenenis, mirum in modum resistunt, aluum purgant.

De Lilio rufo, Germani Rot goltgilgen *uocant.* CAP. LXXXIIII.

EST HVIVS PLANTAE RADICES BVLBOSAE SVNT, Lilio similes, punicei fere coloris. Porro singulæ earum quotannis unicum duntaxat emittūt caulem, eumq; cubitalem, ab imo usque ad summum multis perexiguis & angustis folijs forma Salicem repræsentantibus, colore nigricantibus uestitum. Florem fert principio Maij mensis, Lilio albo similem, igneo colore, qualem prunę ostendunt, si à longinquo spectes, præditum, inodoratum, qui nullo post se relicto fructu aut semine (nam sola radice propagatur aut innouatur quotannis) tandem eua nescit, licet primus inter omnia Liliorum genera ædatur.

NOMENCLATVRAE.

Plinius & Dioscorides testantur Lilia rubra arte fieri posse, quod an uerum sit necne, ij affirmare poterunt, qui hoc experti fuerint. Neque satis nobis constat, an hoc Lilij genus quod Germani Rotgoltgilgen uocant, id sit quod Plinius rufum dixit. Hieronymus Braunschuueig Narcissum uocauit, nec temere quidem, cum & Theophrastus ipse lib. vi. cap vi. Lilia Narcissi uoce appellauerit, licet alio in loco seorsim de Narcisso agat. Proinde tot fere Narcissi extant, quot sunt rei herbariæ scriptores.

Lilium rufum.

Rot goltgilgen.



VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Crediderim equidem radicem huius quoque Liliȷ̈ ſicut & albi, maturandis & emolliendis quibuſcunq; abſceſſibus prodeſſe, Hodie uoluptatis tantum

tum gratia plantantur in hortis Germaniç. Plura forte alia ad quæ faciat hæc planta, quotidiana experientia docebit.

De Lilio albo. Cap. LXXXV.

Weiß Gilgen.



QVEMADMODVM rosam rubram ex sanguine Veneris, qui ex pede eius manauerat, aut ut alij dicũt ex Adonidis pueri sanguine natam: ita & Lilium à lacte, quod mamma Iunonis lactantis Herculem in terram profusum fuit, originem suam traxisse fabulantur Poëtæ. Hæc nempe ueterum gentium deliria sunt: Christiani sciunt Deũ Opt. Max. ut aliarum omnium, ita & huius plantæ autorem esse. Est autem Lilium hoc, inter candidos flores, in nostris quidem regionibus elegantissimum, nobilissimumq́; , si uel formam uel odorem eius spectes. Floret plerunque Iunio mense. Radice quam habet bulbosam, candidam, quotannis intra terrã augmentatur, ueluti Hyacinthus, cuius altero ab hinc capite mẽtionem fecimus, uel Crocus. Radices singulæ multis constant nucleis, ijsq́; folijs Sedi maioris quod ad formam attinet similibus. Hij nuclei seu bulbuli

quarto anno pangi possunt, debentq; in terram deponi mediocriter pinguem, nec omnino apricam. Nam in ijs locis qui soli plane expositi sunt, raro hi flores proueniunt, quin plerunque appetente Maio mense caules nullo ædito flore marcescunt. Lilium bis in anno folia noua procreat, nimirũ in initijs veris, deinde uero Autumno cum flores cũ caulibus emarcuerunt. Ea herbaceo nitent colore, tenera sunt, & palmea, & linguæ formam repræsentant, aut folia Colchici, & nonnullorum Satyrionum. E singulis radicibus singuli enascuntur caules, ijq; interdum bicubitales, multis pinguibus ac lingulas referentibus folijs ad uerticem usq; uestiti. Flores Lilij singuli plerunque senis constant pinguibus, ac linguæ quoq; similibus, in rotundũ ita compositis folijs, ut campanulæ aut cymbali formam æmuletur unusquisq; flos, e cuius fundo seni ijq; lutei emicant apices, deinde & in illorũ medio, stamen quoddam crassiusculum, uiride, caput obtinens triangulare clauæ instar prominet. Folijs decidentibus proceri quos diximus caules aliquandiu superstites manent, paulo post & ipsi nullo post se uel fructu uel semine relicto euanescunt, sicut & Lilium rubens, de quo superiori disseruimus capite. Caules intra terram depositi, solent nonnunquam Autumno appetente inter foliola bulbulos candidos progignere.

NOMENCLATVRAE.

Germani Weißgilgen / Latini Lilium, Græci κρίνον & λείριον, Hebræi שושן Schoschan appellant. Serap. Susen ca. clxxxix Auerrh. Alcostã uocauit. Latini Rosam Iunonis ob causam supra commemoratam cognominarunt, aiuntq; Pani deo Arcadiæ admodum gratam fuisse. Lilij plura alia apud Dioscoridem leguntur cognomina lib. iij. cap. cvij. uidelicet, Crinon basilicon, Crinanthemon, gallirion, Martis sanguis, Aura crocodili, Symphæphon, Tialon, Sasa & Abliblabon. De Lilio Plinius copiose egit libro xxi. cap. v. & xix.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Lilium, flore & radice ad calidam & humidam temperaturam accedit, in medicina magni & præstantissimi usus.

INTRINSECVS.

Flores & radices Lilij raro intra corpus assumuntur. Quanquam aquã distillatam pleriq; magnis laudibus efferant, ut quæ ad amissam uocem recuperandam, & his qui animi deliquio uiribus labuntur, duarum aut triũ cochlearium mensura pota utilis sit.

Alij

Alij tradunt aquam Lilij distillatam inflammationi epatis, & hydropicis prodesse, fœtum cum mitigatione doloris trahere, quo nomine mulierculis quam gratissima est, magnoq; in honore habetur.

EXTRINSECVS.

Oleum quod ex Lilio cõficitur ad quosuis leniendos dolores unice facit, calidos namq; dolores sedat, & igni ambustis medetur, necnon anthraci, illitu, sed & foliola florum locis affectis postquam oleo oblita fuere imponenda erunt.

Oleum lirinon induratos neruos emollit, necnon duritiem & tumorē matricis, quo nomine obstetricibus magno usui esse potest.

Post flores Lilij radix commendatur, tertium locum recentia folia occupant.

Radix calido cinere tosta posteaq; tusa, ac cum oleo rosaceo temperata, ac cataplasmatis instar imposita ambustis igni efficaciter medetur.

Radix Lilij cum melle tusa & illita, neruorum præcisionibus & luxatis auxiliatur, necnon uulneribus quæ in capite musculorum (teste Galeno) eueniunt.

Omnia capitis manantia, aliaq; maligna ulcera, maculæ cutis, inprimis uero faciei, hac radice cum melle subacta curantur. Quidam acetum huic medicamini adiungunt, maxime ubi inueterata mala curare uoluerint, hoc enim pacto, ad omnia quæ exiccari postulant, efficacius redditur, asserente id Galeno.

Si cui ulcus aliquod obortum fuerit, in manibus præsertim, quod uitiū Germani das mittel uocant, aut si quis inflammatione testiculorum laboret, is radices Lilij quantum uolet accipiat, ac cum Herba Hyoscyami, & farina hordeacea contundat, ac cataplasmatis instar imponat, quod si fecerit, sentiet & inflammationem, & dolorem mitigari, durumq; tumorem emolliri & leniri.

Quidam radicem Lilij in lacte caprino decoquunt, cum ad ea quæ diximus, tum uero ad duritias & tumores maxime mammarum, necnon ulcera genitalium.

Folia Lilij recentia, ignibus sacris, & atris pustulis opitulantur, ictibusq; scorpionum medentur.

Mulierculæ apices luteos qui è fundo Liliorum prorumpunt magni faciunt, & ad nescio quæ usurpant, cum uero eiusmodi medicamen non omnibus usui esse possit, relinquamus illud tenellis ac molliusculis mulierculis. Nos interea radicis & florum usu contentos esse conuenit. Lilium odoratum Simeoni Sethi frigido capiti prodest.

De Ebulo. Cap. LXXXVI.



EXPOSVIMVS HActenus per aliquot capita Bulborum historiam, superest, ut ad hederas & serpentarias plantas transeamus. Sed antequam eò nostra progrediatur oratio, Ebuli historiam perstringemus, qui quidem si uel formam, uel odorem & facultates spectes, nihil aliud est, quam exiguus, breuisq; & alsiosus Sambucus. Quæ sit inter hunc & Sambucū differentia, nemini ignotū esse existimo. Sambucus si quidem arborescit, Ebulus uero herbaceo generi propius accedit, ut qui quotannis tota sua substantia marcescat, dempta sola radice, quæ intra terrā hinc inde serpit, & digitalis est crassitudinis, frigorisq; cōtemptrix. Ea quotannis Maio mense appetente è gemmantibus oculis teneros emittit asparagos, qui in rotundos tādem abeunt caules, uiri quandoq; proceritatem attingentes, medulla referti, utrinq; nigricantibus & grandibus uestiti folijs, graui odore nauseosis, ijsq; Sambuco per omnia similibus, ac uno è pediculo senis aut

septenis

ſeptenis dependentibus, & ſeſe mutuo reſpicientibus, qua ratione & folia nucis fere collocata uidere eſt. Iunio menſe caules quos diximus umbellas gerunt ex candido leuiter purpuraſcente flore emicantes, eoq; odoratiore, quam ſit Sambuci. Hic in acinos teretes, nigros, Auguſto menſe maturaſcētes abit, quo tempore à tinctoribus & Ephippiarijs colliguntur.

NOMENCLATVRAE.

Gentiles olim Ebuli acinos ad ſuperſtitionem, & Idolatriam uſurparūt, his enim in Feſtis quibuſdam Idola ſua colorare ſolebant, hoc pacto numina ſibi placare uolentes. Poſtea Minium inuentum eſt, quo pari ſuperſtitione Deos ſuos colere cœperunt ſtulti homines. Huius rei Vergilius meminit in Gallo ſuo.

Pan Deus Arcadiæ uenit quem uidimus ipſi,
Sauguineis Ebuli baccis minioq; rubentem.

His ſuperſtitionibus non tantum gentes ante multa ſæcula imbuti fuere, ſed & hodie etiamnum, inter eos qui Chriſtiani ſunt nominis, qui Idola ſua, effigies inquam ac imagines ex ligno, lapide, alijsq; rebus confectas, diebus feſtis ornare, ac neſcio quibus ſuperſtitionibus colere conſueuerūt. Quaſi uero his nugis uel Deus, uel immortales ſpiritus delectarentur, aut quaſi non ſit extremæ ſtultitiæ, non cogitare in mente ſua, ut Prophetæ uerbis utar, neq; cognoſcere, neque ſentire, ut dicas Medietatem eius (ligni ſcilicet de quo Idola fabricantur) combuſſi igni, & coxi ſuper carbones eius panes, coxi carnes & commedi, & de reliquo eius Idolum faciam, & ante truncum ligni procidam &c. Sed hæ quidem ſuperſtitiones, à gentilibus primum ortæ, in Eccleſiam tum inuectæ fuere, cum Paſtores & Epiſcopi dormitare, & ſua tantum quærere cœperunt. Cæterum relictis his nomenclaturas huius plantæ tandem explicemus. Dioſcoridi ergo χαμαιάκτη, Helioſacte, Agria acte, hoc eſt, agreſtis Sambucus (Germanice Feldt holder) Euboica, Ducone, Olma, Latinis Ebulum, Germanis Attich appellatur. Meo iudicio non inepte Sambucus æſtiualis, ſeu aſſioſus dici poſſet, Germanice uero Summerholder/ & Heilender. Theophraſtus lib. iij. de hiſtoria plantarum cap. xiij. Sambuci tantum, Ebuli nullam facit mentionem. De Ebulo Plinius lib. xxv. cap. x. & lib. xxvi. cap. vi. Apuleius cap. xci. plura.

Eſaiæ cap. 44.

Dioſco. lib. 4. cap. 168.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Ebulus temperamento ſuo calidus eſt & ſiccus, ideoq; aquæ cutem ſubire incipienti, & frigidæ tuſſi utiliſſimus.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Teneri & recentes Ebuli turiones in vere decocti, inq; cibo sumpti, aluū emolliunt citra periculum.

Caules teneri quorum nunc meminimus uino decocti, adiecto melle, ac per aliquot dies poti, frigidæ & siccæ tussi prosunt, uitia pectoris purgant, & quosuis crassos lentosq; humores incidunt.

Radix Ebuli folijs efficacior est: ea singulari experimento hydropicis in uino decocta, mane & uesperi potanda exhibetur.

Idem nonnulli aquæ distillatæ tribuunt. Sed quo maiorum sit uirium, eo largius potanda fuerit.

EXTRINSECVS.

Aqua Ebuli distillata anginæ gargarizatu opitulatur.

Idem possunt folia in aqua decocta. Quod si illi decocto pyrethrum adiungas ad humectam supra modum columellam faciet.

Ebulus uuluas emollit insidentium decocto: patefacit earum spiracula, & uitia corrigit. Folia Ebuli dolores calidæ podagræ mitigant.

Folia Ebuli per noctem in aqua uel macerata, uel cocta, si eo decocto locus aspergatur pulices & muscas enecant.

De Chamæcisso. Cap. LXXXVII.

AD SERPENTARIAS ERGO HERBAS TANDEM VEnio, quarum haud postrema ea est quam Germani Gundelreb uocant. Hæc plerunque in hortis, iuxta etiam sepes & muros, toto anno uegeta reperitur, non aliter atq; alia Hederarum genera. Mense Aprili purpureis uiolis emicat, quæ nullo post se relicto semine & fructu protinus decidunt. Caules huius plantæ quadrati sunt, ac undiq; rotundis maluaceisq; foliolis uestiti, ijsq; subhirsutis, perq; ambitum instar Betonicæ crenatis, admodum odoratis, gustu uero ad amaritudinem quandam uergentibus. Hæc Hedera humili statu contenta est, nec alta petit, sed semper humi inter alias plantas serpit.

NOMENCLATVRAE.

Generosus Comes, Dominus Hermanus de Neuenare, putauit hanc Elatinen, simul & Chamæcisson esse Dioscoridis. At quæ uera sit Elatine primo libro, cap. lxiiij. supra docuimus. Proinde quam Germani Gundel-

Chamæcissos, seu Hedera terrestris.
Grundreb/oder Gundelreb.



reb, aut Grundreb/hoc est, humi repentem uiticulam appellant, uerus est Diosco. χαμαικίσσος, qui & Chamæleuce, Cissos acarpos, Terræ coronæ γῆς στέφανος, Selinitis, et Hedera pluuiatica apud eundẽ cognominatur. Hic uero

Diosco. lib. 4. cap. 12.

nonnulli

nonnulli clamabunt, scio, descriptionem Chamæcissi apud Dioscoridem huic plantæ minime quadrare, posteaquam non solum folia dicatur habere longiuscula, sed etiam flores gerere violæ albæ simili. His ita satisfaciendum censeo: primum facile potuit erratum committi uitio scriptorum, ut pro μικρότερα, μακρότερα, quæ lectio hodie extat, scriberent. Recipiatur ergo ea lectio quę rei ueritati magis fauere uideatur, hoc est, legamus μικρότερα & reserunt omnes saluæ. Iam quod Dioscorides Chamæcissum flores habere λευκοΐοις ὅμοια, hoc est, violis albis similes, non euincit, albas autorem significare uoluisse violas, cum constet sub Leucoij uoce non solum albas sed & rubras, & purpureas & luteas violas, & si quæ sunt alia genera comprehendisse. Adde his quod tam flores quam folia huius nostræ plantæ amaritudinem manifestam obtinent, ut uel hinc satis appareat eam Chamæcissum esse, eiq; descriptionem adamussim respondere.

Sunt uero nonnulli alij, qui Asclepiada uocari uelint, quorum error manifestior est quam ut refutari debeat. Nos primo libro quæ uera sit Asclepias diximus. Serapio cap. xli. sub Cusso eius mentionem fecit, & cacos nominauit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Dioscorides duo Chamæcisso suo tribuit, primum quod tricenis quadragenisu'e diebus in aqua decoctus & potus, Ischiadicis prosit, deinde uero quod senis aut septenis diebus bibitus regium morbum purget. Ego, si hac herba uti statuissem, uino potius decoquerem illam, atq; sic eam potarem. Recentiores medici ad uarias illam usurpant passiones. Temperatura sua calida est & sicca.

INTRINSECVS.

Sunt qui asserant folia Chamæcissi in aqua decocta & pota dysenteriæ prodesse.

Eadem uino decocta & pota, urinam & menses ciunt, uenenum & regiũ morbum expellunt, obstructiones epatis & lienis soluunt. Eadem aquæ distillatæ tribuunt.

EXTRINSECVS.

Folia Chamæcissi uino aquaue decocta exulcerationi uitijsq; colli & faucium gargarissata conducunt. Hoc decoctum scabiei alijsq; oris & locorum muliebrium uitijs medetur.

Succus Chamæcissi, fistulis alijsq; id genus malis purgandis, maxime prodest.

De Hedera. Cap. LXXXVIII.

Ephew.



D VO APVD NOS HEDERAE GENERA NASCVNrur, quorum alterum, nimirum maius, acinos nigros & rotun-

dos profert, alter sine fructu in syluis prosilit, folijs nigricantibus, angulosis cum plurimum in triangulam faciem exeuntibus, imaq; subientibus, & per terram muscumq́ uagantibus. Hæc Autumno appetente auersa parte punicant. Solet uero istud Hederæ genus admodum exiguis radiculis seu filamentis potius proxima quæq; amplecti, non aliter atq; Polypodium. Quod si arbores attigerit, alta petit, easq́; perstrictu suo ad cacumina usq; circumdat, ac multiplicibus radiculis caudicibus earum pertinacius nonnunquam hæret, ut uix ab illis diuelli possit. Vbi ergo cacumina arborum Hedera occuparit, mirum in modum superbire, ac in ramos plurimos longe lateq; sese diffundere occipit, ac si suis uiribus ad tantum fastigium ascenderit. Tum & foliorum formam mutat, ita ut quæ prius angulosa extiterint nunc in oblongum cordis instar rotundentur. Posteaquam uero per annos aliquot macerijs, muris, arboribusu'e, tortuoso reptatu implicata minimeq́; læsa adhæserit, in flosculos exit pallentes ueluti ἄμπελος ἀγρία, qui in acinos nigros, Iuniperorum baccis similes abeunt. Recensuimus quam paucissimis omnem Hederæ historiam, ex qua id facile animaduertere licet in nostris regionibus nullum fere inter utranque, Hederulam inquam & Hederam discrimen obseruari posse, nisi ætatem ipsam. Omnis namq; Hedera, dum in tenera sua ætate assiduo reptatu per terram uagatur, triangularis figuræ folijs spectandam se præbet. Quamprimum uero arbores murosq́ inuaserit, ilico foliorum figuram uariat, quemadmodū diximus. Hanc rationē proculdubio obseruauit & Theophrastus. Is enim posteaquam lib. iij. cap. xviij. uaria Hederarum genera enumerasset, tandem inquit, τρία δ' οὖν φαίνεται μέγιστα (supple γένη) ὅ, τε λευκὸς, καὶ ὁ μέλας, καὶ τρίτον ἡ ἕλιξ. Hoc est, Tria ergo apparet esse summa (Hederæ scilicet) genera, album scilicet, nigrum, & tertium appellatur Helix. Ac inter cætera quidem non dissimulat idem autor prædicto capite lib. iij. maximam Hederarum differentiam in ætate ipsarum positam esse. Rursus sexto libro cap. ij. in duo genera redigit Hederas, cum ita scribit, καὶ γὰρ κισσοῦ δύο γένη διαιροῦσι, τὸ μὲν ἄρρεν, τὸ δὲ θῆλυ. Quo loco dissimulandum non est, lectionem Theophrasti hoc loco deprauatam Ruellio uideri, illiusq́ sententia pro κισσοῦ legendum κιστοῦ. Rationes huius lectionis immutatæ in cōmentarijs de natura stirpium lib. j. ca. lxxxvij. ipse Ruellius recitat, quem uidere poteris, nos ad nomenclaturas pergimus.

1. *Hederula.*

2. *Hedera.*

NOMENCLATVRAE.

Quanquam Plinius lib. xxiiij. cap. x. Hederæ genera xx se demonstrasse scribat, tamen lib. xvi. cap. xxxiiij duo prima Hederæ statuit genera, marem scilicet & fœminam, quod idem Theophrastus quoque libro tertio capite fecit. His addit Plinius plures alias horum generum species esse, quarum

quarum discernicula in folijs, colore, & fructibus posita sint, quemadmodum supra quoque docuimus. Hederam Germani Ephew uocant, Hebræi teste Aruch Monsteri קסוס Kassus, Serapio Cussum appellauit, cap. xli. quo loco Cissum legendum puto.

Iam ut particulatim & de speciebus Hederæ quas proposuimus aliquid dicamus, appellatur prior, minima scilicet, & quæ humi semper repit χαμαὶ κίσσος, hoc est, Hedera terrestris (quod nominis commune habet cum ea planta quam superiori proximo capite descripsimus) alijs ἕλιξ, Clauicula, & Hederula, Germanis klein Ephew/ hoc est, Hedera exigua nuncupata. Altera, uulgaris nimirum, quam Germani gemein Ephew uocant. Dioscoridi lib. ij. ca. clxxi. κίσσος κισσαρός, & a luteo fructu χρυσόκαρπος dicitur. Ac quoniã olim coronis Hederaceis Bacchus cultus fuit, aut quia Liber pater prim⁹ coronã ex Hedera factam sibi imposuit, ideo Hederam Bacchicam, Nysiam & Dionysiam cognominant. Dicitur & quibusdam ἀσπλήνιος, quod ad splen faciat, necnon ποιητική, quod hac Poëtæ olim coronabantur.

Obseruandum est discrimen inter uocem κίσσος, & κίστος, nam hoc alterius fruticis nomen est, uide Diosc. lib. 1. cap. 111. illud uero ad Hederas ut diximus pertinet.

Theophrastus Hederam acinos seu corymbos ferentem, κορυμβίαν, & ἀχαρνικὸν ἀρθώμενον, exiguam uero, quæ illi & ἕλιξ dicitur, quęq; appetente Autumno, colorem uarium acquirit, θρανίαν cognominat.

Pastores Hedera crescentem ornate poetam.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Folia & acini Hederarum, nunquam nisi summa necessitas coegerit introsumi debent. Inprimis uero mulierculæ ab hac planta abstinebunt, nisi consultores boni uti illa iubeant. Est enim inconstans & contraria Hederarum natura, nunc frigida & sicca, alias calida & sicca, interdum etiam humida.

INTRINSECVS.

Flores Hederæ arefacti ac in puluerem redacti, drachmæq; pondere e uino poti, dysenteriæ opitulari traduntur.

Folia uino decocta & pota, menses impeditos euocant, ut idem de acinis in puluerem redactis, ac usurpatis tibi polliceare.

Acini Hederæ tusi, ac pondere drachmę in uino sumpti, calculum expellunt, experientia id attestante.

EXTRINSECVS.

Folia Hederæ cum aceto decocta, ac lieni imposita, dolores eius sedant. Folia uino decocta omni ulcerum generi sanando illinuntur, quæ & ex decocto hoc utiliter colluuntur.

Hoc decocto insidentibus menses cientur. Idem corymbi triti & subditi præstant.

Succus foliorum instillatus, putrida tædia narium graueolentiamq; emendat. Idem & ambustis igni medetur.

Folia cum aceto contusa, admixto modico rosaceæ aquæ distillatæ, unice contra dolores capitis ueteres faciunt. Succus Hederæ capillos denigrat illitu.

De Volubili maiore & minore.
CAP. LXXXIX.


1. *Volubilis maior.* DVO VOLVBILIS GENERA PASSIM IN GERMAnia nostra reperiuntur, quæ ordine describemus. Maior iuxta sepes maxime prouenit, easq; rependo, ac conuoluendo sese, ad fastigium usq; ascendit, non aliter atq; Lupulus. Hæc in tenera sua ætate lacteum incisa reddit succum, radicem habet candidam, & fracidam quemadmodum & Lolium, & quæ longe lateq; intra terram sese ita diffundit, ut eijci uix possit, ubicunq; enim eius uel minima portiuncula in terra remanserit, ilico nouos emittet asparagos, eosq; teretes, id quod fit Aprili mense. Folijs uestitur teneris, elegantibus, molliusculis, uulgariq; Hederæ pene similibus. Iunio mense appetente, candidi, teretes, ac cymbala imitantes calathi apparent, quibus decidentibus, semen profert in folliculis nigrum, angulosum, ac Orobo persimile. Huius plantæ tam foliorum quam radicis sapor ad amaritudinem quandam inclinat, ac facile uomitiones excitat.

2. *Volubilis minor.* Volubilis minor, radice, coliculis rotundis, folijs, & orbiculatis ac campanulam referentibus floribus, maiori plane respondet, nisi quod per omnia magis exigua, tenuior & breuior existit. Cæterum nonnullę eius generis campanulæ candidæ sunt, aliæ roseæ, ac punicantibus lineis per totũ florem ductis, pictæ. Nascitur hæc Volubilis in aridioribus pratis, & in hortis, singulari fruticum & herbarum cum damno, quascunq; enim circumuoluit, eas in terrã deprimit. Difficile est enim hanc exterminare, propterea quod tenuissimæ ac candidæ eius radiculę ima terræ profundissime subeant, penetrentq;, ac nullo negotio radicentur, nouosq; subinde procreent asparagos, sicut Lupulus.

NOMENCLATVRAE.

Germani priorem à forma florum Weißglocken/ hoc est, candidam campanam, alteram Klein schellen/ oder glocken/ hoc est, paruam campanam uocant, utramq; uero communi uocabulo Winde/ à conuoluendo nominant.

Volubilis maior.
Weiß Windeglocken.



nant. Latini Volubilem maiorem & minorem dicunt. Et maior quidem ea dubio procul est quam Mesuas cap. xxiiij. in Simplicibus Funem arborum, (quod est, si Germanice interpreteris Seilbaum) nuncupauit. Alij Cymbalarem & Campanellã uocant. Otho Brunfelsius Volubilẽ Cissophyllon, aut Cissampelon esse existimauit. At si diligentius rem pensitare uelimus, sane Cissophylli appellatio proprie ad Asclepiada pertinet, uide Dioscoridem lib. iij. cap. xcvij. quod caput quidam ad Hederã terrestrem, cuius altero ab hinc capite meminimus referunt. De Cissampelo sub Parietaria, quam Oribasius Helxinem interpretatur, (uide supra lib. j. cap. vi. & Diosc. lib. iiij. capite xxxvij.) dictum est satis. Plinius Volubilem maiorem Conuoluulum uocauit lib. xxi. cap. v. eiusque florem non inepte Lilio albo confert. Alij conabantur mihi persuadere Volubilẽ sub Clematide altera apud Dioscoridem cap. viij. lib. iiij descriptam. Alij Periclymenon esse dictitant, nonnulli Smilacem leuem. Inter has opiniones prior mihi magis arridet, eam & Ruellius uir undequaque doctissimus lib. iij. de Stirpium natura, cap. lxxx. sequitur.

Auicenna cap. 735. lib. 2. Funem Papauerum appellat, uel ut alij habent pauperum, Germanis Betlerseyl.

κλιματὶς ἑτέρα. Diosco. lib. 4. cap. 15.

Volubilis minor.

Klein weiß Winden/oder glocken.



Proinde si omnino quid sentiam effari liceat, uidetur mihi sane hanc plantã Scammoniæ (quæ Dioscoridi Colophonia, Dactylion, Colophonium, Apopleumonos, & Sanilum cognominatur) genus esse syluestre, sed non noxium, quale est Scammonium, quo officinæ magno cum ęgrorum in nostris regionibus, quibus plus officit quam prodest, damno utuntur. Quamobrem ego quidem omnes eas compositiones, quibus hactenus & uenenosus Scammoniæ succus, a Mesua Dominus Lacticiniorum appellatus, admiscetur, tanquam uenenum præsentissimum fugio, uitoq́. Causam multi in se experti sunt, et nos in plerisq́ uidimus. De his qui plura cognoscere desiderat, is libellos D. Symphoriani Campegij de cribratione medicamentorũ legat. Scãmonię paucis meminit Theophrastus lib. x. cap. xxij. Plinius lib. xxvi. cap. viij. prolixius de ea agit. Serapio harum plantarum cap. xli. mentionem facit.

Et hæc quidem de appellationibus Volubilis maioris dicta sint: nam minor, quæ nihil aliud est quam angina & pestis hortensium herbarum Volubilis, seu Cymbalaria minor appellatur, neque enim est Cissampelos, nec ἰασιώνη, ut multi astruunt.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quanquam his plantis apud nos nihil sit uulgarius, tamen raro in medicina usurpantur. Nostri Emperici, semine maxime ad stranguriam utuntur, alij aduersus eundem morbum herbam decoquunt, eiq; decocto insidere, uel in solio calido in quo sit decocta usurpandam hanc herbam tradunt. Potest uero & intro sumi citra periculum, licet calidæ sit naturæ, nam foliũ eius linguam gustatum cum amaritudine uellicat.

INTRINSECVS.

Seminis duodecim aut sedecim grana tusa cum uino aduersus stranguriam exhibentur.

Aqua è floribus albis distillata, pota uel in linteolis foris imposita, quasuis internas & externas inflammationes mitigat.

EXTRINSECVS.

Aqua è floribus albis distillata, rubentibus, ac inflammatione laborantibus oculis, indita, uel foris imposita unice prodest.

Folia utriusque Volubilis in desessionibus, & solijs calidis, aduersus stranguriam & calculum faciunt.


De Nummularia. Cap. XC.

HIC VERO SERPENTARIAM ILLAM VERAM HAbemus, quæ plerunque in pratis, & hortis humectis collibus, & syluis graminosis prouenit. Ea tanquam anguis latens subter alias plantas humi repit, terræ exiguis radiculis, seu fibris aut filis potius sese alligans. Folia utrinque exordine coliculo tenuissimo adnascuntur, rotunda, obolo, aut nummo nequaquam latiora. Florem hæc planta fert Maio mense aurei coloris, Ranunculo luteo similem. Proinde toto anno uegeta ipsa herba reperiri potest.

NOMENCLATVRAE.

Reptantem hanc plantam Germani Schlangenkraut/hoc est, Serpentariam minorem, & Egelkraut/id est, Hirudinariam, quod passim terræ Hirudinis instar affixa sit: necnon Pfenningkraut/hoc est, Numulariam

Numularia
Egelkraut.



a foliolorum forma uocant. Posset & Wundkraut hocest, Vulneraria herba appellari, ob insignes quas in uulneribus percurandis facultates obtinet. Nonnullis Centummorbia dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Inter eas herbas quę uulneribus medentur, haud postrema est Centummorbia: Non solum externis & recentibus uulneribus sanandis prodest, sed etiam interanea uulnera & ulcera potissimum pulmonis sanat, experientia id attestante minime fallaci. Facultatis est astrictatoriæ & desiccãtis.

INTRINSECVS.

Centummorbia cum uino & melle decocta & pota, pectoris & pulmonis exulcerationes sanat, tussientibus ergo & suspiriosis ea medicina exhiberi debet, necnon infantibus arida tussi laborantibus, qui per ætatem alia pharmaca accipere non ualent.

Quidam herbam eam cum aqua & Saccharo ad easdem affectiones decoquunt, Qua ratione etiam ad dysenterias & mulierum uitia facit.

EXTRIN-

EXTRINSECVS.

Multa equidem uidi uulnera admodum maligna & periculosa hac herba sanari. Vulnera uino in quo hæc herba decocta fuerit utiliter lauantur, quibus & folia ex decocto desumpta, deinde imponi debent.

Aqua distillata huius herbæ earundem est uirium.

Hanc herbam serpentes proculdubio nobilitauere, ea enim si uulnerentur sibi mederi compertum est, cuius rei nonnulli qui hoc uiderunt & obseruarunt, grauissimi extant testes.

De Androsace. Cap. XCI.

ANDROSACES, VEL VT VVLGO VOCANT CVscuta, in segetibus Lini & hortis non acceptus est hospes, propterea quod cacuminibus stirpium impendens, humi eas deturbet, ac gratitudinis omnis oblita, propriam parentem suis laqueis strangulet. Eius duo passim extant genera, candidum scilicet & rufum.

Candidum nonnullis aridioribus pratis ualde familiare est, in quibus gramen, fastigia illius scandens, instar telæ aranei obducit, ut in altum ęgre sese attollere possit herba. Rufum quoque uertices plantarum petit, nam sepes crebris uoluminibus assiduoq; reptatu ascendit, conuoluitq;, non secus atque Lupulus. Quod si plantas alias apprehenderit, sane comas illarũ ita complectetur, ut nihil aliud quam iniuriam ferre, non culpare oporteat irretitas plantas. Androsaces vrticis adnatum omni reliquo in medicina præponitur, nam hepaticis & Ictericis prodesse unice traditur. Est autem Androsaces nil aliud quam implicatum & inuolutum reticulum, multisq; filis aut capillamentis miræ longitudinis perplexum, fructu suo minime destitutum. Nam in fine Iunij mensis rotundos profert acinos, semine perexiguo, ac Argemonæ, seu erratici Papaueris simili, ex quo ubi in terram deciderit, quotannis sponte sua repullulascit, refertos. Planta hæc uiridis adhuc gustu ad amaritudinem inclinat, radicem habet prælongam, quam non multi, scio, obseruarunt. Solet autem è terra prodire Androsaces Iunio mense, quo tempore magnæ muscæ uolatu suo omnia complent.

1. Androsaces candidum.


2. Androsaces rufum.

NOMENCLATVRAE.

Sed quonam ingratissimam omnium plantam, quæ per se subsistere nequit, sed auxilio, & adminiculo stirpium quibus adnascitur opus habet, referemus? Ac primum quidem negari non potest, eam in hortis nequaq;

Androsaces, uulgo Cuscuta.

Filtzkraut.



utilem sed damnosam esse, qua de causa a` quibusdam Podagra lini, & Angina lini appellata fuit, & recte quidem, cum uitijs herbarum, cuiusmodi sunt vrticę, Cardui & Lappæ, accenseri possit. Præterea quod Orobancha Dioscoridis non sit, manifestius est, q̃ ut demõstrari debeat. Meo autem iudicio, non inepte quis fecerit qui illam ἀνδρόσακεν in Dioscoride appellari dixerit, quod alij πικράδαν, alij λόνκην, alij θαλασσίαν cognominant. Huius sententiæ olim fuit Antonius Musa, et Euricius Cordus. Proinde cum Epithymo hęc planta adeo consimilis existat, ut uix aliud, sane aliter appellare non possum quam Epithymon. Quæ quidem uerba non de eo quod super Thymum duntaxat nascitur, sed de eo quod hoc capite descripsimus intelligas uelim. Nam non solum sicut Epithymus, seu ut ante diximus ueluti tela aranei plantarũ cacuminibus imminet (qua ratione sororẽ Epithymi hanc nostram herbam esse iudico) sed etiã pro Epithymo utiliter usurpari potest, quod non semel ego obseruaui, potissimum autem id quod urticis urentibus adnascitur. Hæc nostra est sententia, quam non ideo proponimus, ut cuiquam erroris ansam præbere uelimus,

Dioscor. lib. 2. cap. 131.
Diosco. lib. 3. cap. 141.

mus, sed ut nostro exemplo alios cohortaremur, quo diligentius de stirpibus earumq́ genuinis nomenclationibus aliquando cogitarent. Sunt qui Inuolucrum, Gringum & Cuscutam appellent. Serapio cap. xxxix Chasuth uocauit, Germani Seiden/Todtern/Filtzkraut/& Flachsseiden nominant. Ruellius in ea est sententia, ut putet eam Cassytam esse Plinij, eamq́ uocem in Cassutham ac demum in Cuscutam abijsse.

Ruellius li. 2. de nat. stirp. cap. 131.
Plinius. lib. 16. cap. ult.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quanquam mulierculis linum colentibus hæc herba uiuisa sit, tamen in medicina ualde commendatur. Estq́ magis calidæ & siccæ temperaturæ, quam frigidæ, teste Constantino de gradibus. Licet ea quæ vrticis adnascitur calidior sit, quam quæuis alia.

INTRINSECVS.

Quicunque ab atra bile proficiscuntur praui humores, hac herba emendari possunt, ut idem de morbo regio, & hydrope intelligas, hæc enim Epithymo a` Dioscoride ascribuntur.

Manipulus huius herbæ uino decoctus & potus, obstructiones epatis & lienis soluit, morbum regium sanat.

Aqua distillata Cuscutæ ad eadem magno experimento adhibetur, per aliquot dies mane mensura iiij. aut v. ligularum calida pota, admixta eiusdẽ mensuræ aqua Absinthij distillata, ita tamen, ut potione sumpta, probe te contegas, sudoremq́ elicias.

Qui malas illas pustulas morbi, ut uulgo uocãt Gallici, sanare uolunt, ij aquam Cuscutæ distillatã magno in honore habeant, nam insignem obtinet expultricem facultatem, & sanguinem purgat manifeste, & uenas a` prauis humiditatibus, unde tertianæ oriri solent febres asserit, maxime in pueris, teste Constantino.

EXTRINSECVS.

Cuscuta in fomentis, desessionibus & balneis sudatorijs, ad quasuis melancholicas affectiones, regiumq́ morbum inueteratum, præstantissima habetur.


De Lupulo. Cap. XCII.

1 LVPVLVS QVI IN GERMANIA PASSIM PROVEnit, duum quoque est generum, satiuus inquam & syluestris.

Satiuus

Lupulus.
Hopff.

a.
Lupulus satiuus



Satiuus magna cura plantatur, in ijs potissimũ Germaniæ partibus, quibus uinum natura negauit, quæ ut fœlicius, & maiori copia Lupulum, in hortis et agris huic plantationi destinatis consequantur, solent admodum proceros palos terræ infigere, per hos hispidi Lupuli, ac prælongi caules nõ aliter atq; Smilax hortensis reptando ascendunt. Maio mense dimidia ex parte exacto asparagos suos Lupulus mittit, eosq; teretes, punicantes, folijs uiduos, qui si proceritatem uiri consecuti fuerint, asperiusculi, ac spinulis quibusdam toti horriduli euadũt. Ac tum quidem prodeunt et folia, similiter horrida, ternis diuisuris, ac nonnunquam quinis dissecta, nigricantia, folijsq; Rubi similia. Iulio mense appetente adulti iam Lupuli caules in cacumine flores ex luteo cãdicantes, cõferctim stipatos, uiti pene similes, sed pleniores et maiores proferũt. Ex his flosculis molles & quasi inanes, leues, ac squamatim cõpactiles multi folliculi (Germani illos Hopffen uocant proprie ut qui Augusto mense, & in initijs Septembris ad conficiendam ceruisiam legi soleant) satis odorati, sed & perinde quoque gustu amari, inter quos puniceum & teres semen delitescit enascuntur.

Syluestris

Syluestris Lupulus passim in omnibus regionibus, iuxta vepres, sepes, fossas, muros, necnon quoscunque quibus niti possit locos, prouenit, satiuo per omnia similis. In ijs regionibus quibus vinum natura largita est, a pistoribus colligitur, hoc enim fermentum & massam præparant quo panes elegantiores appareant. Turiones Lupuli uelut & asparagi ab Apicijs verno tempore acetarijs adhibentur, asserentibus hoc pacto usurpatos obstructionibus hepatis prodesse. 2. *Syluestris Lupulus.*

NOMENCLATVRAE.

Mesuas cap. xxiiij. in Smplicibus suis hanc plantam Volubilem tertiam nominat, alij Lupulum uocant, Germani Hopffen/Barbarus credit Lupū salictarium Plinij esse, Græcis βρύον, quasi ad Bryoniam aliquo pacto pertineat dictum. Manardus Lupulum, Lupum repticium, Tolophiam, Volubilem magnam & mediam, Habiolam, Habillam, & Bruscandulam uocari tradit lib. v. epist. Quorum sane omnium sententiæ, ut non multum ab inuicem distant, ita maxime mihi probantur. Sed cum ijs conuenire non possum qui Lupulum Corrudam interpretantur, cum tamen Asparagus Corruda dicatur. Theophrasto lib. vi. cap. iij. Cæterum ut quid mihi de Lupulo uideatur, explicem, existimo Lupulum eam esse apud Dioscoridē plantam, quæ illi σμίλαξ τραχεῖα, hoc est, Smilax aspera dicitur. Sed de hac plura infra sub finem capitis. *Plinius lib. 21. cap. 15.* *Diosco. lib. 4. cap. 139.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Qui ceruisiam coquunt, loco condimenti Lupulum habēt, sine illo enim raro bona conficitur Ceruisia. Pistores etiam nonnulli Lupulo carere nolunt. Est enim ad multa quam utilissimus. Proinde tam flores quam radices eius temperaturæ sunt calidæ, & siccæ. Recentes uero ac verni Lupuli turiones mediam obtinent naturam, ad humidam & refrigerantem qualitatem uergentes.

INTRINSECVS.


Apicij recentes Lupuli turiones non aliter atq; Asparagum, acetarijs in vere expetunt, nec sane inepte illi facere uideri debēt. Siquidem Lupulus in tenera sua ætate in cibo deuoratus, sanguinem purgat, uentrem soluit laxatq;, & obstructionibus epar & lien liberat. Vnde colligi potest non solum turiones hos in cibo usurpatos, sed & flores Lupuli uino decoctos ac potos, aduersus uenenum, & si quid aliud malum in interaneis fuerit, unice facere.

EXTRINSECVS.

Flores Lupuli in desessionibus duritiem & tumorem matricis iuuant, necnon difficulter urinam reddentes, & eos qui inter meiendum, calculum uesicæ sentiunt.

De Smilace aspera uera.

Σμίλαξ τραχεῖα. Stechendt winde.



CVM SVPRA SMIlacis asperæ mentionem fecerimus, operæpretium facturi uidebamur, si hoc loco plantæ huius quam depictam exhibemus, mentionem faceremus. Ea in superiori Heluetia in locis uliginosis & tenebrosis nascitur, aculeata, implicata, folijs uestita hederaceis, flore emicans in vere candido, qui in rotundos & rubros tandem abit acinos. Solet uero sicut & aliæ Volubiles proxima quæque reptando scandere, ijsque undiquaque circumuolui. Hanc D. Otho Brunfelsius piæ memoriæ Berna Heluetiæ clarissima urbe ad me misit.

NOMENCLATVRAE.

Cum nonnullos de nomine huius plantæ interrogassem, respondebant illi Smilacem esse asperam Dioscoridis, quæ alijs Epapitis, alijs Lycanthemon, alijs Cynosbaton, alijs Aniceton, alijs Helyophyton,

con, alijs Anatolicon, alijs Dylicon, alijs Helide, Ægyptijs Lyisthe, Romanis Mergina, Hetruscis Radia dicitur. Germani Stechend winde uocare possunt.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Contra uenenata efficacissimi acinorum corymbi, in tantum ut acinorum succo infantibus sæpe instillato, nulla postea uenena nocitura sint. Hæc Plinius. Cæterum hæc quæ de Smilace aspera sua Plinius tradit, efficacius & certius prestare Lupuli florem odoratum (qui in Petro de crescentijs Leuertigo dicitur) nos credimus. Itaque Lupulum Smilacis asperæ genus esse firmiter tenemus.

De Glycypicro. Cap. XCIII.

ET HAEC EX SCANDENTIBUS HERBIS UNA EST, quæ & ipsa arboribus circumuoluitur, si quando ad illas pertingere possit. Gaudet ripis maxime fluuiorum, ad quas cum diutius morata fuerit, lignosa tandē & prælonga, vitis instar, ac ex cano nigricantis coloris euadit. Radicē habet plane capillatam, è quibus quę quotannis noua erumpunt germina, perpetuo uirent, utrinque mollibus & nigricantibus uestita folijs, quæ uulgari Hederæ conferri possint, nisi quod magis hæc sunt mucronata, præterea nonnulla etiam auriculata, ueluti Saluia nobilis, quam Germani Creutzsalbey appellant. Iulio mense flosculi huius plantæ apparent, sæperumero deni aut duodeni uno pediculo suffulti. Ac singuli horum quinis mucronatis ac recuruis foliolis constant, è quorum medio luteum stamen prominet. His decidentibus uirides succrescunt acini, qui ubi maturuerint, rubri fiunt in modum corallij rubri, ingrati plane saporis. Cortex huius plantæ quo diutius manditur, eo dulcior & iucundior gustu redditur, nam primum quidem gustatu amarus existit, & qui minus arrideat.

NOMENCLATURAE.

A gustu, quem subinde gratiorem reddit, ut diximus, dentibus probe commanducatus cortex, planta hæc Germanis Je lenger je lieber / Latinis Amara dulcis, Græcis γλυκύπικρον, quod & si interpreteris, Dulcamarum, uocatur. Quidam Germani Hinschkraut appellant, quod ad morbum pecorum die Hynsch Germanis appellatum faciat, non aliter atq; Aristolochia longa. Quidam Chamæpytim non sine magno errore esse asserunt. *Ruellius de natu. stir. lib. 3. cap. 38.*

Quod

γλυκύπικρον.

Dulcis amara.

Je lenger je lieber.



Quod cum obijcitur his, non desunt qui illos hoc pacto defendant, astruentes nihil referre, quo pacto nominentur plantę. Quod si ita est, certe & nobis licebit huic plantæ aliud imponere nomen, quanquam id quidem nō confingemus, sed ex ueterum scriptis adducemus. Dicimus ergo hanc plantam Hederam esse Ciliciam, seu Smilacem Theophrasti lib. iij. capite ultimo, aut certe eam quæ Diosco. σμίλαξ λεία, hoc est, Smilax leuis et nō aculeata dicitur. Ex his quæ hacten^s de Smilace diximus apparet, id leguminis genus q̄d hoc libro cap. xiij. exposuimus Smilacem hortensem, hanc uero quam modo tractamus Smilacem læuem, Lupulū deniq; Smilacem asperam in scriptis ueterū uocari, ita ut omnia Smilacis genera nostra quoque Germania producat. De Smilace Poëtæ fabulantur, eam fuisse virginem, a Croco puero adamatam, deinde uero in fruticem nominis sui mutatā, qua de re uide Plinium libro xvi. capite xxxv. & Ouidium in Metamorph. libro quarto fa. x.

Diosco. lib. 4. cap. 140.

σμίλαξ { κηπαία. λεία. τραχεῖα.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

De Smilace sua Dioscorides ita scribit. Semine cum Dorycnio poto, ternis singulorum obolis, uaria & tumultuosa in somnis obuersari traduntur. Hæc ille. Nos de nostra læui Smilace meliora non sine certa experientia prædicamus.

INTRINSECVS.

Accipe lignum de hac planta libræ pondere, ac minutim in frustula tali ludicri instar concide, dein cum mensura uini albi, in nouam ollam eamq; operculo (per q̃d tamē foramen in medio exiguum transfigito) probe contectam, ita quidem ut cum farina ex aqua undique oblinatur, reponas, superq; carbones lento igne decoquito supra tertias, demumq; his utare. Hęc potio manę hora una prius quam surgas, & uesperi cum lecto te committere uelis, cyathi uulgaris mensura sumpta, morbum regium præsertim inueteratum leniter per aluum & urinam exigit.

Quidam hoc decoctum aduersus putridas uentriculi febres, ex quibus regius morbus oritur, exhibent.


EXTRINSECVS.

Smilax læuis pastoribus nota est, nam solent illam pecori è collo suspendere aduersus morbum quem uocant die Hynsch/ Vnde Germanicum herbæ nomen natum est, ut Hynschkraut uocaretur.

De Vite syluestri. Cap. XCIIII.

VITIS SYLVESTRIS, NON EA QVAE ALIAS LAbrusca dicitur, sed quæ ubiq; locorum fere nota in siccis fossis, iuxta sępes, muros, & in dumetis, prouenit, Hederis quoq; adnumerari potest, cum & ipsa ueluti Hedera arbores conscendat. Quanquam uero clauiculas non habeat, quibus reptando se arboribus & fruticibus alliget, tamen folijs hederaceis quæ uno pediculo quina plerunque obtinet, quod in Smilace hortensi quoque uideas, uicina quæq; amplectitur. Caudex eius uiti uiniferæ teneræ similis est, & prælongas lentasq́ spargit uiticulas, quibus fasces quoscunque quasi uinculo aptissime constringere possis, ad eos enim usus uitis syluestris apud nostros præcipue adhibetur. Iulio mense florem producit niueum, odoratum, ac multiplicem, flori Tiliæ

Vitis syluestris.
Waldreben/ oder Lynen.



pene similem, quibus decussis, semen subnascitur plumis quasi uestitum, aut barbæ canæ effigiem repræsentans, gustu feruidum ueluti Ranunculus; Hoc semen Autumni tempore à uento in uarias partes hinc inde dispellitur, è quo intra paucos dies noui pullulant asparagi.

NOMENCLATVRAE.

Sunt qui putent hanc plantam, quam Germani Waldreben / oder Lynen uocant, Vitem esse albam. Sed errant hi quidē, quanquam plane syluestre sit uitis genus, non quidem illud quod Labruscam uocant, quo de Dioscorides lib.v.cap.ij.sed id quod Dioscoridi lib.iiij.cap. clxxv. ἄμπελος ἀγρία, hoc est, uitis syluestris uocatur. De Vite syluestri apertius scribit Serapio cap.xxxv. cuius uerba in gratiam studiosorum rei herbariç annotabimus.

Et sunt eius duæ species, quarum una non habet uuas, sed facit flores, & est illa quæ dicitur fœmina, & alia profert grana parua, nigra, similia racemis uuæ paruis, & quando sunt matura, color eorum.

rum est rubeus, & figura grani est rotunda, & racemi ipsi, & summitates eius reseruantur. Hæc ille. Cæterum quæ de fœmina dicuntur à Serapione, in Dioscoride non extant, ut credibile sit, aliquid erroris in exemplaribus Dioscoridis hoc loco commissum, sed nolo ego om̃nia plana facere. Florem canum & lanuginosum vitis syluestris Serapio Butaniam appellat. Vitis syluestris plantę & Plinius mentionem fecit: meo quidem iudicio hęc planta Salictarium eiusdem fuerit. Plinius lib. xxiij. capite primo:

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Ampelos agria apud nos in medicina non frequentis est usus, nam fere ad constringendos fasces, ueluti Salices & alia uincula adhibetur.

INTRINSECVS.

Feruefacta radix in aqua, & in cyathis duobus uini aqua marina diluti, pota, humorem alui ciet, ideo hydropicis datur, testis est Dioscorides, & post hunc Serapio.

EXTRINSECVS.


Succus & flores Vitis syluestris, tusi, aut cocti, illitu uitia ac asperitatem cutis, & maculas omnes extergunt, quales sunt papulæ, serpigines, & morphæa. Quod uero harum sit uirium Vitis syluestris credi facile potest, cum tota sua substantia, feruidæ qualitatis & strenue calefacientis sit facultatis.

De Bryonia. Cap. XCV.

BRYONIAE HERBACEI CAVLES, BREVI TEMPOre magnæ euadunt proceritatis, quam reptando uicinasq́ sepes dumeta, & muros clauiculis suis non aliter atque Lupulus complectendo consequuntur. Aprili mense è radice rapitia magna & fœtida uirides exeunt asparagi, qui ubi primum in altum sese attollere cœperint, simplices assequuntur capreolos filis simillimos, quibus uicinos frutices amplectuntur, sicut Vites aut Cucumeres. Folia gerit Bryonia angulosa, hirsuta, & cineracea, forma Colocynthidi peregrinæ similia, sed magis exigua. Flore emicat in fine Maij mẽsis uiolaceo, ex pallido albicãte, & quiuulgari Solatro q̃d ad formã attinet respõdeat. Hoc decusso acini subsequuntur rotundi & uirides, qui ubi maturitatem iustam adepti fuerint, rubent, non aliter quam Corallium rubrum, cum odore tum sapore malo & nauseoso.

Bryonia.

Hundtskürbs.



βρυωνία.

NOMENCLATVRAE.

Quotquot rei herbariæ extant ſcriptores, ij omnes unanimi conſenſu Bryoniam quam modo deſcripſimus, ad uitem referunt albam Dioſcoridis lib. iiij. cap. clxxvi. excepto D. Othone Brunfelſio, qui in Onomaſtico ſuo, Vitem nigram Dioſco. ueram eſſe Bryoniam perhibet. Huic aſtipulatur & Simon Ianuenſis, aitq; Feſireſin, hoc eſt, Bryoniam, eſſe nigram, & non albam uitem. Diuerſum ſentiunt & Auicenna & Meſuas, necnon Iacobus quoque Manlius, qui dicũt Feſire uitem eſſe albam, ac alias uocari, Alpheſera, Alhazaraſin, Hezeriazen, & Tanorus. In Matheo Syluatico hæc duo eius quoq; nomina extant, nimirum Feſcera et Viticella. Germani Wild rüben (hoc eſt, Rapum ſylueſtre) Wildkürbs (Cucumerem ſylueſtrem) Wilden zitwen (Zedoariam ſylueſtrem) Hundskürbs (Cucumerem caninum) & Teüffels kirſen (Cacodæmonis ceraſum, ab acinis nimirum rubris) uocant. Apud Dioſcoridem Vitis albæ hęc extant nomina, ἄμπελος λευκὴ, οἱ δὲ βρυωνίαν, οἱ δὲ ὀφιοστάφυλον, οἱ δὲ χελιδόνιον, οἱ μήλωθρον, οἱ ψίλωθρον, οἱ ἀρχέζωστιν, οἱ ἄγρωστιν, οἱ κέδροστιν καλοῦσι. Vitem nigrã quæ buxei coloris radicem habet,

bet, foliaq; hederacea, & nigros profert acinos. Dioscorides Bryoniam quoque appellat, sed ad differentiam alterius addit, nigram, unde satis liquet diuersam eam esse a' nostra uulgari Bryonia. Quia uero nondum eius mihi facta est copia, pergemus ad reliqua. Βρυωνία μέλαινα.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Bryoniæ radix in expellendo est efficax, temperamento prædita calido & sicco. Hæc introsumitur ad purgationes per inferna perficiendas, foris uero ad emendāda cutis uitia, & suppurationes rumpendas usurpatur.

INTRINSECVS.

Agyrtæ nonnulli mira quædam monstra ex hac radice effingunt, quæ cum aliquot dies siccæ arenæ mandauerint, pro Mandragoris postea distrahunt. Alij immaniter per illam homines purgant.

Recentes huius plantæ turiones plus utilitatis habent, nam vere instar Lupuli & Aspargi decocti ac præparati, uentrem leniter laxant citra periculum, & urinam ciunt.

Succus radicis verno tempore expressus, ac ex aqua mulsa potus, lentā exigit pituitam.

Qui morbo comitiali, uertigine laborant, necnō attoniti, possunt quotannis radicis huius drachmam unam in potione aliqua sumere.

Eodem medicamento utitor qui a' serpentibus ictus fuerit.

Eclegma ex ea fit, ut est autor Dioscorides, cum melle difficile spirantibus, strangulatu oppressis, tussientibus, uulsis, ruptis, & laterum doloribus.

Lienem ternis obolis potam hanc radicem ex aceto, triginta ex ordine diebus, consumere ferunt, sed & radicē cum fico tusam foris illinire oportet.

EXTRINSECVS.

Semen Bryoniæ rufum tusum, ac cataplasmatis ritu impositum, omnis generis scabiei, gangrænosis & immundis uulneribus ulceribusq; prodest, putrem enim & malam exest carnem, & uulnera putrientia mundat.

Eadem potest & radix, nam & suppurationes rumpit, reduuias committit, uitia cutis, maculas, uaros, lentigines, cicatrices nigras, suggillata, tollit, extergit, & emendat, cum oleo temperata ac imposita.

Radix hæc imposita aculeos & infracta ossa extrahit.

Eadem fœminarum locis apposita, partus mortuos, secundasq; morantes trahit mirifice. Quidam ad membra paralytica ex hac radice unguen-

rum conficiunt, oleo oliuæ, & axungia suilla illam temperantes.
Quidam ex ea aquam distillant, ad supra dicta mala compescenda.

De Periclymeno. Cap. XCVI.

Waldgilgen/Geißblat.



IN DENSIS CAEDUISQUE syluis, ac fruticetis, maxime ijs in quibus Coryli luxuriant, plerunque & hoc scansile Periclymenum reperitur. Solet autem non aliter atque Vitis syluestris in altum cōscendere, arboribusque circūuolui. Quanquam longe firmius fruticibus, arboribusque hæret Periclymenon, quàm ullum fere scansilium plantarum genus, nam ita quidem cum arboribus quas in uicinia comprehendit, nonnunquam coalescit, ut citra damnum diuortiū neutra pars sustinere queat. Proinde in cacumine Corylorum, seu fruticum, quibus adnascitur Periclymenon. Florem fert suauissime odoratum, cādidum, ac multiplicem, cuius quidem singulæ particulæ, seu flosculi acutum pileolum, aut certe Consolidæ regiæ uocatæ herbæ florem referūt. Iunio mense florere incipit, & deinceps per totam æstatem in Autumnum usque flores quos diximus tandem in baccas

rubras

rubras abeunt, seu racemos Aro similes, at sapore præstantiores & dulciores. Hęc planta radicem habet lignosam, candidam, ac intra humum hinc inde repentem, & quę facile radicetur quocunque loco plantata fuerit, quo nomine à diuitibus uoluptatis ergo in hortos transfertur. E radice multę prælongæ, tenuesq; sparguntur uirgæ, quę proximis fruticibus circũuoluuntur, non aliter atque Lupulis, utrinque pallentibus folijs, Salici similibus, sed tenerioribus & latioribus uestitæ.

NOMENCLATVRAE.

Hanc plantam Germani Waldtgilgen (hoc est, Lilium syluestre) uocant, & Speckilgen/ & Zeunling/ & Geißblat/ quod est Latine Caprifolium. Vulgo Lilium inter spinas, Lilium conuallium, alij Matersyluam, & Narcissum appellitant. Sed appellet quisque plantas & flores suos utcunq; uoluerit, modo ne eas res de quibus agimus, amittamus. Ego existimo eã esse Periclymenon Dioscoridis lib. iiij. cap. xv. quod nonnulli eodem autore teste, Æginam, alij Clymenon, alij Carpathon, quidam Splenion, alij Epetitim, alij Axinam maiorem, nonnulli Clematitin, alij Myrsinen, alij Calycãthemon, Magi polion veneris, Ægyptij Turcon, Romani Volucrũ maius, Aphri Lanath appellant.

Lilium conuallium quid propriè sit, supra libro primo cap. 197. docuimus.

περικλύμενον.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Nostro tempore flores in medicina maioris sunt usus, quam fructus aut folia. Temperatura sunt præditi calida & sicca.

INTRINSECVS.

Aqua è floribus distillata, ac aliquoties per diem duabus aut tribus uicibus pota, suspiriosis, tussientibus, prodest, internos stomachi æstus refrigerat. Qui lienis uitio laborant, ij medicamentum ex fructu Periclymeni petant, sic enim de illo scribit Dioscorides. Semen Periclymeni postquam ematuruit collectum, & in umbra siccatum, si drachmæ pondere detur in uino, quadraginta diebus, lienem absumit, lassitudinem discutit.

Baccæ Periclymeni expellendi ui pollent, ideoque cruentam urinam ciere, & partus accelerare ualent.

Aqua distillata usu gratior & minus molesta existit.

EXTRINSECVS.

Hæc ad quosuis calidos oculorum affectus, necnon ad inflammationes hepatis facit, si linteola in ea madefacta foris imponantur.

De Cucurbita. Cap. XCVII.

Cucurbitæ omnis generis.
Allerley Kürbsen.



QVOD CITO FIT, CITO PERIT, SIC VVLGO DICI SOlet. Quod sane dicterium si ulla alia de re, certe de Cucurbita

quam

quam uerissime dicitur. Ea namque una æstate, in sublime ita conscendit, ut fastigia altissimarum arborum attingat: Autumno uero si uel unam pruinam senserit, deijcitur, folijs & palmitibus prorsus marcescentibus. Qui fit ut quotannis Cucurbitam serere necesse sit, id quod in nostris regionibus Aprili mense facere solemus. Tum enim nonnulli ea accipiunt semina quę in uentre Cucurbitarum enata fuere, eorumq; mucronatas partes in terrã defigunt, pollicentes sibi hac ratione fœliciorem Cucurbitarum prouentum. Alij semina priusquam serant, in dulci lacte, aut aqua Sacchari macerant, quo scilicet citius erumpant, & dulcior euadat fructus, id quod non raro contingit. Quamprimum uero bina prima ac pinguia Curcurbitæ folia eruperint, continuo rigare humum oportet, aliter tardius augescent. Iunio mense appetente, cum folia quaterna aut quina Maluæ Romanę haud dissimilia prodierint, tum & capreoli uitium clauiculis similes progignuntur, quibus natura sublimitatis auida, palos, arbores, aut quodcunque apprehenderit, conscendit Cucurbita. Post hæc flos apparet, atque is quidem duum generum. Primus namque lanuginosus, albæ rosæ exiguæ similis, quinis aut senis folijs præditus spectatur, qui tertio ab ortu die sine fructu decidit. Qui hunc subsequuntur flores magis exigui sunt, in quorum fine fructus in formam Pyri syluestris turbinatus, conspicitur, qui indies flore marcescente admodum augetur, ac aut in orbem collectus intumescit, aut in longum propagatur, quidam cornu instar recuruus spectatur, alius recta figura contentus est, alius grandis, alius contra exiguus euadit, quæ sane uarietas, diuersitasq; a seminis natura dependet, quod elegantissimi Columellæ uersus, quos subijciemus testantur.

prægnansq; Cucurbita serpit.
Vna neq; est illis facies, nam si tibi cordi
Longior est, gracili capitis quæ uertice pendet,
E tenui collo semen lege, siue globosi
Corporis, atq; utero nimium quæ uasta tumescit,
Ventre leges medio, sobolem dabit illa capacem,
Nariciæ picis, aut Actæi mellis Hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam, Bacchoue lagenam.
Tum pueros eadem fluuijs innare docebit.

NOMENCLATVRAE.

Germani Cucurbitam Kürbß/ Hebræi קיקיון Kikaion (Ionæ iiij.) Arabes Haraha, & Vlla uocant. Græcis κολοκύνθα ἐδώδιμος, dicitur. Quidam Marcello Vergilio teste inter longas & rotundas eam differentiam statuunt, ut *Serapio cap. 238.* *Auerrh. cap. 41.*

has κολοκύνθας, illas σικύας uocatas uelint. Vulgares Cucurbitæ Plinio lib. xix. cap. v. Camerariæ, & plebeiæ, oblongæ uero Anguinæ appellantur. Syluestris & exigua illa Cucurbita quæ non nisi in saxosis nascitur, Græcis Somphos, Latinis Barbara, & Marina uocatur, nostris regionibus incognita. De Cucurbita satiua Dioscorides egit lib. ij. cap. cxxiij. Huius Columella, Paulus Ægineta lib. j. cap. lxxx. & lib. vij. Galenus item lib. ij. de alimentis, & lib. vij. de Simpl. & Auicenna lib. ij. cap. clxxix meminere.

σομφὸς: Plinius lib. 20. cap. 3.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Cucurbitarum genera, frigidæ & aqueæ sunt naturæ, ut recte dixerit Plinius, Cucurbitam nihil aliud esse quam congelatam aquam. Cucurbitæ ad ardentes febres utrinque usurpatæ mirifice faciunt.

INTRINSECVS.

Quanquam Cucurbitarum usus propter frigidam quam obtinent humiditatem, stomacho non usque adeo conducat, nihilominus tamen culinis passim familiares cernuntur. Sunt enim qui teneras illas & molliusculas adhuc in cibis esitare solent, eo quo sequitur modo. Corticem exteriorem abijciunt, interiorem uero & candidam substantiam una cum mollibus ac immaturis seminibus bulliunt, posteaq; minutim conscindunt, ac cum cepa, butyro & sale coquunt. Hic cibus fere cum Brassica capitata conscissa & cocta conuenit, macilentisq; hominibus prodest. Nonnulli Cucurbitam immaturam orbiculatim instar malorum scissam, cũ butyro in sartagine frigunt. Quidam purgationes ex Cucurbita conficiunt hoc pacto. Cucurbitam recentem excauãt, uinoq; repletam noctis spacio relinquunt, ac mane ieiuno stomacho illud uinum bibunt.

Aqua ex immaturis Cucurbitis distillata, his qui ardentibus febribus ita laborant, ut nullis alijs medicamentis calorem restinguere possint, potanda exhiberi, necnon foris in Epithemate cordi & iecinori, ut reprimatur calor immensus admoueri potest.

EXTRINSECVS.

Aqua ex immaturis Cucurbitis distillata ardori capitis quam Syriasin uocant maxime infantium efficacissime magno experimento in linteolis imponitur. Quod si aqua distillata non suppetat, succus sumatur, pariq; ratione usurpetur.

Eadem, puta aqua stillatitia, & succus immaturæ Cucurbitæ, non tantũ

aurium

aurium dolori instillatu auxiliantur, sed & oculorũ & omnium membrorum inflammationes, & podagras refrigerant.

De Cucurbita ita cecinit Fiera.

Succi aquei, cursus rapidiq; Cucurbita, bilem
Vincit, & Ilia cum non bene cocta ciet.
Quam bene grata tamen, cuicunq; admixta secundat.
Huic externa magis quam sua forma placet.

De Colocynthide. Cap. XCVIII.

COLOCYNTHIS VERA IN NOSTRIS REGIONIBUS prouenire recusat. Equidem sæpenumero vere appetente semina eius terræ mandaui, sed frustra. Nam licet binis rotundis & canis foliolis, sicut & Mali semina, è terra erumperent, tamen nullos facientia progressus, marcescebant tandem. Cæterum nonnullæ quæ ex semine Colocynthidis mihi nascebantur plantulæ, quina aut sena producebant folia, eaq; aspera, cineracea, per ambitum dissecta, formaq; per omnia Bryoniam referentia, sed minora & magis cana. Hæc ubi sese in memoratis plantulis spectanda præbuissent, Autumno deinde accedente euanuerunt. 1. *Colocynthis uera.*

Germanica uero Colocynthis, diuersi plane est generis ab altera, id quod non solum fructus, uerum etiam folia & uniuersa demonstrat forma. Ea Spiræ à nonnullis uoluptatis gratia plantari consueuit. Semine quoque quod habet latum, & Citrullis uulgo uocatis quadamtenus simile, seritur. Folia profert non cineracea, sed nigricantia, aspera, forma uero Cucumerem luteum repræsentantia. Caules eius seu sarmenta rotunda & aspera, humi repunt sicut Bryonia, neque unquam sublimia affectant, humili ac deiecto statu semper contenta. Per terram enim reptant, ita quidem ut una sæpe planta latissimum campum uestiat, nam plures obtinet clauiculas, quibus uicinis se alliget fruticibus. Duo quoque gignit florum genera, & ea quidẽ lutea, ac flori Cucurbitæ consimilia, quorum primum quidem cum nullũ habeat in fine adiunctum fructum protinus euanescit, alterum uero fructũ post se relinquit, in modũ Pyri mediocriter magni, maxime eius q̃d Germani Regelsbyren uocãt, turbinatũ. Is ubi Autumno appetẽte maturescit, citrei cernitur coloris, intus fungosus, ac multis seminibus refertus, impense etiam amarus. Hic bilem & pituitam leniter & citra periculum purgat. Colocynthis hæc arenosa & humida gaudet terra, fructum fert copiosum, ut non raro ducenta lata poma una de planta legerim. 2 *Germanica Colocynthis.*

NOMEN

Colocynthis.

Coloquinten.



NOMENCLATVRAE.

Prior Colocynthidis species, quæ fungosam obtinet medullã, & hodie ex Ægypto & Alexandria ad nos defertur, Græce κολοκυνθίς, Latine Cucubi-
tula,

tula(Germanice Kürbslin/oder Coloquinten) Cucurbita amara(Bitterkürbs) Cucurbita sylvestris(Wildkürbs)Cucurbita caprina (Germanice Geißkürbs)Alexandrina Colocyntha, Thymbra,Autogenes, & Tutrastra appellatur. Mesuas Fel terræ(Erdtgallen) necem plantarum, & Cucurbitam deserti nominat.Serapio Kandel,& Melonem agrestem.cap.cclxxij. nuncupauit. Auerrhoes Haanthal dixit. Colocynthida Elisa propheta,ut sacra testatur historia, coquendo dulcem reddidit iiij.Regum iiij.quo loco Colocynthides פקעות שרה Pakkuoth.Sade,hoc est,Curcurbitæ sylvestres dicuntur ,à singulari nimirum פקעת,Pakkuah, Colocynthis. Cæterum quid in eum locum Rabi Dauid Kymhi annotet,paucis in gratiam rei herbariæ studiosorum annotabimus : פקעות שרה בעין אבטיחים Hoc est, קטנים והם מרים והוא הנקרא בלשון ישמעאל חנרל

Cucubitæ sunt sicut Pepones parui,& sunt amaræ. Vocatur autem (hæc planta)in Ismaelitica lingua Chandel. Hæc ille.

Altera Colocynthis Germanica à nobis cognominata , Teütsch Coloquinten appellabitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtraque Colocynthis uim purgatoriam obtinet, calido & sicco fere temperamento prædita,Medico tantum utilis, nō coquo,nisi illi qui artem Elisæ Prophetæ,qui filijs Prophetarum Colocynthidas dulces reddebat,calleret,iiij.Regum iiij.

INTRINSECVS.

Confectioni quam officinæ Hieram picram nominant;peregrina admiscetur Colocynthis. Quia uero ea non cuiuis commodat, ut quæ sæpenumero non sine damno usurpari potest,ideo ut paretur,nunc commemorare nolumus,rogantes interim probos & integros seplasiarios,quo uelint recto cum iudicio hæc & alia administrare. Nam quanto cum periculo Colocynthidis peregrinæ usus coniunctus sit, dici satis non potest. Agyrtæ illam uino maceratam , aut decoctam , ijs quos purgatos uolunt exhibere solent, ac ita quidem illos purgant,ut plerique fatis concedant. Hac arte omnes fere Iudæi imbuti sunt. Ab his ergo medicis, qui ualetudini suæ recte consultum cupit,abstinebit.

Quod si omnino Colocynthide uti uelis,accipe Germanicam nostram, nam ea non est in expellendo tam strenua & immitis.

Pilam,ergo seu fructum eius Colocynthidis bene maturum excauato, fungosamque eius una cum seminibus medullam cyatho uini inijce, ac quatuor aut quinque horis maceratā, per linteolum exprime,expressumque succum,noctu cum cubitum ire uoles,bibe,quod si feceris,uidebis luce appetente

tente pituitam, crassos & uiscosos humores, necnon bilem citra noxam leniter exigi.

Idem medicamen colicis prodest, & ad putridas uentriculi febres facit, hydropicis apprime conducit.

Plura de utraq; Colocynthide adferre in medium possem, ni uererer, ne ijs medicamentis plerique imperiti Iudęi, & aniculæ ad pernitiem potius quam salutem aliorum abuterentur.

De seminibus Colocynthidis lib. xx. cap. iij. ita scribit Plinius. In morbo regio utiliter semina eius insumuntur, & protinus aqua mulsa. Et paulo post. Præterea mirum dictu, semina eius si fuerint pari numero addalligata febribus, sanare dicuntur, quas Græci Periodicas uocant. Hæc ille, cui fidem adhibeat qui uolet, ego ista expertus non sum.

De Melone, Pepone, Cucumere, & Citreolo. CAP. XCIX.

IN ITALIA ET GALLIA MVLTA PLANTANTVR Melonum, Peponum, & Cucumerum genera, quę & in Germaniam nostram non ita pridem commigrarunt. Habent uero Melones, Pepones, & Cucumeres, eiusdem fere formę, folia, caules, & flores ac humi magis sparguntur, quam in altum sese attollant, clauiculas quibus proximos cõplectuntur frutices, Cucurbita longe magis exiguas obtinet. Folia Melonum & Peponum rotunda sunt, aspera, ac minora Cucurbitæ folijs. Ramuli horum seu uiticulę duplici coq; luteo emicant flore, quorum alter decidit, alter uero hoc est posterior fructum facit, qui nihil aliud est quam Pomum quoddam, sed diuersæ formæ & coloris. Inuenias enim Melones & Pepones alios oblongos, alios rotundos, nonnullos luteos, quosdam uirides. Hij omnes foris cernuntur striati, aut sulcati, intus uero succosi, seminibusq; in utero elegantibus, & liratim digestis, referti, odore suauissimi, iucundissimiq;, sapore uero satis dulces. Melonum & Peponum magna in agro Norimbergensi copia prouenit, necnon in Vngaria.

(1. *Melo.* 2. *Pepo.*)

3. *Cucumis.* At Cucumeris pomum luteum & oblongum, in quo multi prominent undiq; toruli, licet forma & colore elegantius sit, tamen crassiorum est partium, & cibis meo iudicio non perinde gratum atq; superiora, quippe quod peculiarem quendam & agrestem habeat saporem, intus candidum, ac acutis seminibus prorsus repletum. Folia huius asperiora sunt, maiora & latiora, Peponibus, & Melonibus. Gaudet Cucumis mediocriter pingui solo. Radices Peponum, Melonum, ac Cucumerum omnium rectæ sunt, multisq;


Melo, Pepo, Cucumis, Citreolus.

Melonen/Pfeden/Cucumer/vnd Citrullen.



tisq; ac candidis capillamentis fibratæ, sicut & Cucurbitarum. Maturantur uero poma omnium horum generum in nostris regionibus inter æstatem & Autumnum, hoc est Augusto plerunque mense.

Cucumis sylvestris.
Wilder Cucumer.



4\.
Citrullus.

Est & aliud Cucumeris genus, per omnia huic simile, sed magis exiguum, latis & phœniceis seminibus intus refertum. Folia gerit Colocynthidi peregrinæ, aut Bryoniæ similia, multis incisuris dissecta. Hoc genus, Citrullum uel Citreolum uocant.

5\.
Cucumis sylvestris.
σίκυος ἄγριος

De sylvestri Cucumere uide Dioscoridem lib. iiij. cap. cxlix.

Extant fortasse Cucumeris satiui alia et plura quam nos descripsimus genera, quæ, quia non uidimus, de illis nihil possumus scribere. Satis enim nobis est, ea quę uidimus cum alibi tum in hortulis nostris nata, indicasse.

NOMENCLATVRAE.

σίκυος ἥμερος.
πέπων.
Theoph. lib. 7. cap. 4.
Τοῦ δὲ σικύου τρία, (supple γένη) λακωνικὸν, σκυταλίαν, βοιώτιον, τούτων δ᾽ ὁ μὲν λακωνικὸς, ὑδρευόμενος βελτίων, οἱ δ᾽ ἕτεροι ἀνύδρευτοι.

Quemadmodum Dioscorides omnia Melonum, Peponum, & Cucumerum genera sub τὸ ἥμερος σίκυος, & τὸ πέπονος, (hoc est Satiui Cucumeris, & Peponis) uoce comprehendit, ita Germani omnia prædictorum generum poma, Melonen uocant. Plinius lib. xix. cap. v. Cucumerum ex Græcorum sententia, tria statuit genera: Laconicum Scytalicum, Bœoticum. Addit præterea, Cucumeres cum magnitudine excessere Pepones uocari, Germani Pfeden/ Galli Pompons uocant. At rotunda

tunda & citrei coloris poma, Melopepones, et Stapones à forma appellantur, uide Palladium in Martio & Aprili mensibus. Quæ uero ex uiridi colore nigricant gustuque optimo prædita sunt, quidam Hircos, Hircinos (Germanice Bocksḧoden) uocant. Galli Pompons turquois. Cucumerem luteum, Columella Anguinam uocat, atque is Marcello Vergilio præcipuus inter reliquos censetur. Huius poma admodum oblonga fiunt, præsertim si per harundinem flos deducatur. Reliquos Cucumeres, uocant Citrinos, Citrulos, Citreolos, & Citrullos. Serapio cap. ccxxxiiij. ita scribit, Batecha, & Chatha, & Kura, id est, Melo, & Citrullus, & Cucumer. Iacobus Manlius Bathecam Serapionis, & Albathecam Auicennæ (quam nonnulli Cucumerem Sarracenicum, Anguriam, & Languriam interpretantur) unam & eandem esse plantam contendit. Hebræi Cucumeres קשאים Kisschuim, Chaldæi קטיא Kattaia (à quâ uoce Chatheh Serapionis nõ multum abludit) Pepones uero אבטחים Afthichim (quod à Batheca, & Albatheca, nõ mulum abesse uidetur) & ut Thargum habet Hierosolymitanum מלפניא Malpania uocant. Vide Num. xi.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quod de Cucurbita diximus, idem de hisce quoque pomis intelligendũ erit. Sunt enim omnes frigidæ qualitatis, nec cuiuis conueniunt. Qui calidioris temperaturæ sunt homines, aut ab ineunte ætate eiusmodi cibis assueti, hisce uesci possunt. At qui frigidiore sunt præditi uentriculo, si hoc cibo frequentius uti uoluerint, facile in febres incidere possunt.

INTRINSECVS.

Cucumeres, Melones, & Pepones, ad calidas affectiones usurpari possunt.

Melonum omnium semina in medicina ualde commendantur, ut quæ stranguriæ, aliisque renum & uesicæ passionibus prosint.

EXTRINSECVS.

Succus cum semine adiecta farina, siccatus in sole cogitur in smegmata, quæ faciem repurgant, & nitorem afferunt, sed cum uino illinire oportet: Mulieribus hæc medicina conuenit.

De Cucumere ita cecinit Baptista Fiera.

Sic nocet humescens Cucumis gelidusque Citrullus,
Vt tremuli ardores cordis odore leuet.

Ne diuturna tamen sit concomitata caueto
Febris, in aßiduos si datur esca cibos.
Hic bilem, subigitq; sitim, stomachoq; calenti
Gratus erit, medici si sapit arte coqui.

De Cucumere, seu, ut uulgo loquuntur, Zucco marino. CAP. C.

INTRA PAVCOS ANNOS QVAMPLVRIMA PEREgrinarum stirpium genera, e longinquis regionibus in Germaniam deportata sunt. Inter cætera uero, & hæc poma æstiua, quæ una in æstate tota sua substantia adolescunt, florent & maturantur, ad nos commigrarunt. Eorum nonnulla magna, alia parua, quædam rotundę figuræ alia oblonga, rursus hæc dulcia, illa amara, quædam cærea, seu aurea, alia luteola sed pallida, nonnulla candida euadunt. Omnium uero eadem fere folia, idem caulis, ĳdemq; flores, licet hæc in his maiora, in illis magis exigua appareant. Semine quotannis in hortis optimis et apricis proueniunt. Plantatio eorum sic se habet. Aprili mense lata & dulcia semina (quæ Amygdalo putamine detracto ac purgato conferre recte possis) in pingui solo panguntur, sed non nimis profunde, cubitali interstitio ab inuicem distantia, requirunt enim latum spacium, siquidem fœliciter prouenire debeant. Decimo a satu die erumpunt, eruptione binûm foliolorum Cucurbitis similia, inter quæ alia, & maiora, nigricantia, aspera, forma Maluam Romanã, seu hortensem referentia prosiliunt. Cum ergo in caules & uiticulas planta hæc exierit, q̃d unius mensis spacio fit, tum suffulcire illam, ac in altũ adminiculis quibusdam promouere oportet, quod nisi feceris breui totum agrum obducet, solet enim se longe lateq; diffundere, flagellisq; suis pernici reptatu uicinis se alligare fruticibus ueluti Bryonia. Flores fert duplices, luteos, cymbali formam repræsentantes, quorum priores quamprimum nullo post se relicto fructu decedunt, quod in Cucurbitis quoque fieri uidemus. Qui uero superstites manent, campanulæ similes, quinis acuminibus inferiore sui parte serrati, ac in medio aurei quid coloris habentes, odore suaui prædit, capitulis uiridibus e quibus fructus exit, insident. Hĳ cum corrugari cœperint, ilico pomeus fructus consequitur, alius oblongus, alius rotundus, alius læuis glaberq;, alius multis crassiusculis & prominentibus quasi costis striatus, alius albus, alius ex pallido luteus, alius nigricans, qui tamen cum Autumni tempore maturuerit cærei efficitur coloris. Porro omnium horum generum poma corticem, seu cutem exteriorem lignosam habent, intus crocei sunt coloris, maxime ea quę foris nigricant,

Cucumis, seu Zucco marinus.
Meer Cucumern/oder Indianisch öpffel.



gricant, lato & dulci semine copiose referta, ita ut ducenta unum quandoq; pomum contineat. Porro q̃d inter semina & corticem in omnibus generibus mediũ est, præstantissimum censetur. 2. Quæ candida foris, & quæ ex pallido lutea sunt poma, carnem habent candidam, Rapoq; forma & sapore similem. 3. Tertium horum pomorum genus amarum prorsus est ueluti Colocynthides. Vniuersa uero eorũ genera durare per annum possunt, nec interea temporis putrilagini obnoxia fiunt, siquidem rite legantur, eaq; qua decet cura conseruentur.

Postremo quod in his pomorum generibus aureo nitet, seu cereo colore, subinde mutatur, nam uiridem rursus assumit colorem, quem mẽse integro seruat, deinde aureum recipit, atq; sic alternis mensibus, alio atq; alio tingitur colore, quod non semel magna cũ admiratione obseruaui. *Miraculum naturæ.*

NOMENCLATVRAE.

Sunt qui hæc poma Cucumeri adnumerent, asserantq; Turcicos uocari Cucumeres, quorum sententiam probare non possum. Cucumeres enim omnes humidæ sunt qualitatis, putrilagini facile obnoxij, quare du-

rare diu non poſſunt. Ego uero hunc fructum Germanice Summeröpffel/ Indianiſch öpffel/hoc eſt, Mala æſtiua & Indica appello, poſſunt uero cum multa eorum ſint genera, ita ſuis appellationibus diſtingui, ut dicantur,

Mala Indica	Crocea	Germanice	Saffrangäl	Indianiſch öpffel.
	Lutea		bleichgäl	
	Citrina		goldtgäl	
	Nigra		ſchwartz	

Vulgo Zucco marina dicuntur, quod ex ultramarinis regionibus, partim ex Syria partim ex India ad nos primũ uenerint, quod teſtantur appellationes ipſorum. Vulgo enim Zucco de Syria, Zucco de Peru dicuntur. Hæc habui quæ de nomenclaturis huius plantæ dicerem, quibus qui contentus eſſe nolit, is certiora & magis probanda in medium adferat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vt mediam quandam inter frigidum, calidum et ſiccum, temperaturam obtineant uniuerſa hæc pomorum genera, neceſſe eſt, cum tanto tempore à putrilagine tuta ſint, ut diximus. Poſſunt ergo non tantum in cibo, ſed & medicina uſui eſſe.

INTRINSECVS.

Omnium quæ hoc capite recenſuimus pomorum caro, à cute et interna medulla repurgata in olla cum aqua modica, ſale & butyro decoqui poteſt, quo ritu Rapas & Mala decoquimus. Eſtq; hic cibus non contemnendus. Quod ſi loco aquæ uinum ijs adijcias, guſtum ſuauiorem obtinebunt, Maliſq; decoctis ſimilem.


Ex ſemine putaminibus repurgato iuſcula dulcia parantur, inſtar iuſculi Amygdali. Hæc decoctio ſtranguriæ, calculo, ardori urinæ apprime conducit. Si quæ alia huius plantæ ſunt iuuamenta, ea progreſſu temporis cognoſci forte poterunt.

De Lappa maiore. Cap. CI.

INTER VITIA HERBARVM LAPPA MAIOR QVOque numeratur, quæ æſtate puerorum crepundijs inſeruit: Folia

profert

Lappa maior.
Groß Kletten.



profert latissima, & prælonga, Cucurbita aut Lapatio maiora, nigricantia ex altera, sed parte auersa cineracea. Caulem altero demum ab eruptione anno fundit teretem, concauum, multis adnatis surculis ramosum, foliolisq; exiguis, angustis, mucronatis, maxime prope uerticem uestitum. Iulio mense fructus apparet uiridis, & rotundus, ex alis erumpens, multis recuruis spinulis, quibus uestibus adhæret, horridus, Germani hanc ipsam ob causam Kletten uocãt. Flore comat dilutæ purpuræ, uti uulgaris Carduus. Semine cum maturuerit, prægnat oblongo & incano, quod à maturitate in terram spargitur, nouasq; quotannis gignit ex se plantulas, quarum radices rectæ, longæ, foris nigræ, intus candidæ, gustu amaræ fiunt. Cęterum ueteres plantæ quotannis regerminant, nouosq; tum caules, tum fructus generant. Quę uero è semine nuper natæ fuere, altero aut tertio demum anno caules & fructus producunt. Nascitur Lappa maior in humectis plerunq; hortis, iuxta sepes, areis antiquis, prope fimum, & alijs incultis publicisq; locis.

NOMENCLATVRAE.

ἀρκεῖον, ἢ προσώπιον, ἀπροσωπίς. Personata, Personatia, quidam Aparinem cognominant. ξάνθιον.

Nisi hoc loco reprehensio quorundam nobis timenda foret, affirmare non dubitarem, Lappam maiorem primo & secundo anno antequam excaulescit, fructumq́ seu lappas suas profert, Germanis non Kletten/sed Groß letschen/Personatiam, qua de Dioscorides cap. cij. lib. iiij. egit, uocandam: rursus eandem cum caules & fructus produxerit Germanis non amplius Letschen/sed Kletten/id est Lappam à fructu appellari, & ad Xanthion Dioscoridis lib. iiij. cap. cxxxiij pertinere. Huic nostræ sententiæ, tam Personatæ, quam Xanthij descriptiones suffragari uidentur. Sed nihil ita asseueramus, quin eos admissuri simus, qui certiora docuerint, modo suas sententias firmis munierint rationibus. Proinde rogamus ne nobis succenseat quisquam, quod nostram in medium adferimus sententiam. Nam neq́ nos his irascimur, qui Tussilaginem seu Vngulam caballinam, Bardanam, Lappam maiorē & Personatam uocare non dubitant: monemus autē tam hos, quam quoscunque alios qui in re herbaria uersantur, ne quid nobis obtrudere uelint, quod non certitudinem, aut rationem aliquam habere uideatur. Xanthion suum Dioscorides lib. iiij. cap. cxxxiij. alijs Phasganon, alijs Antithesion, alijs Chascanon, alijs Chiradolethron, alijs Aparinem uocari tradit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quæ à nobis nonnunquam uitia herbarum censentur, in medicina sæpenumero præstantissimi sunt usus, id quod nos hæc Lappa maior docere potest, cuius fructus utrisque corporis partibus commodat, temperatura sua fere siccus, folia eius recentia astringentis sunt facultatis, inueteratis ulceribus utilia.

INTRINSECVS.

Radix drachmæ pondere pota, cum pineis nucibus, purulenta & cruenta extussientibus auxiliatur.

Semen Lappæ maioris maturum nonnulli in puluerem redactum, calculosis potandum exhibent.


EXTRINSECVS.

Folia recentia antiquis ulceribus imposita mirifice conducunt, calorem namq́ restinguunt, & dolorem mitigant.

Eadem luxatis & confractis membris imposita prosunt. Semine Lappæ maioris quidam flauos faciunt capillos, adiecto nitro illud illinentes. Vide Dioscoridem in historia Xanthij.

De Lappa minore. Cap. CII.

Klein Kletten/oder Betlerleüß.



QVANQVAM LAPpa minor, quod ad formã, odorem & gustum attinet, diuersum ab eo genere esse uidetur, quod proximo capite descripsimus, nihilominus tamen ijs plantis recte adiungitur, quæ uestibus adhærescere consueuerunt. Nascitur autem illa in ijs potissimum locis, in quibus pecora commorari frequenter solent, in uetustis areis, iuxta sepes & noualibus, in quibus opiliones septa sua sæpenumero habere solent. Planta est alsiosa, & quæ quotannis è semine pullulascit, folijs mollibus, cineraceis, instar Altheæ, aut Vngulæ caballinæ. Cæterum singuli frutices multis adnatis ramulis brachiantur, ut arbusculam repræsentent. Inter folia & surculos fructus nascitur oblongus, aculeatus, Erinaceis animalculis similis, binis plerunque aut ternis lappis cõiunctim erumpentibus. Mirum quod de hoc fructu aniculę, rerumq; naturæ obseruatores quidam affirmãt. Cum namq;

Autumni tempore maturuerint quas diximus lappæ, & apertæ duo hordei grana ostenderint, annum fertilissimum, sin uero auenacea grana bina conclusa illis fuerint, contrarium, hoc est annonæ caritatem portendere asserunt. Hæc ita se habere ipse quoque experientia didici. Sæpe enim eiusmodi lappulas aperiens, in plerisque bina nigra & auenacea grana deprehendi.

NOMENCLATVRAE.

Sed quonam hoc Lappę genus referemus? ad Xanthion ne, an uero ad Tribulos? Equidem Xanthij descriptio non male illi quadrat, Tribuli historia non item. Qui fit ut & hoc loco quod nobis obijciant, aduersarij habeant. Sed quis est qui omnia sarta tecta ausit polliceri. Si namq; ueterum rei herbariæ scriptorum exemplaria genuina, nec à Librarijs adeo corrupta haberemus, dubium non est, quin in plerisque certiora pronunciare possemus. Sed utut hæc se habeant, uocabimus nos Lappam nostram minorem, Tribulum terrestrem, qui apud Dioscoridem lib. iiij. cap. xvi. βατίραλος & ταυρόκερως, quę duo nomina ad aquaticũ (de quo sequenti dicemus capite) proprie spectant dicitur. Serap. ca. cxij. Hasach nominat. Germani Klein Kletten/hoc est, Lappam exiguam, & Betlerleüß .i. mendicorum pediculos nuncupant. Cæterum cum Lappam minorem Tribulum terrestrem uocamus, nemo existimet nos eum intelligere quem Dioscorides describit, illius enim historiam à Lappa hac nostra discrepare iampridem diximus, sed ad differentiam maioris Lappæ, quam & ἄρκειον, & ξάνθιον recte dici posse supra docuimus, ita à nobis uocatam Lappam minorem, qua nihilominus ad Xanthium posse referri non inficiamur.

Τρίβολος ὁ χερσαῖος.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quod si Lappa minor Tribuli terrestris genus aliquod fuerit, certe in medicina usum quoque habere cognoscitur.

INTRINSECVS.

Drachma terrestris Tribuli pota, illita ue ictos à uipera recreat, contra uenena cum uino aptissime bibitur.

Bibitur calculosis utiliter ex uiridibus expressus amborum succus.

EXTRINSECVS.

Folia imposita omnis generis tumores sedant, dolores mitigant.

Herba uino & melle decocta, ulcera in ore erumpentia, putredines, gingiuas tonsillasq; persanat.

Hæc ex Marcelli Vergilij translatione desumpsit autor noster, aliter uero se habet in translatione Ruellij, cuius admonere lectorē placuit, ne cui erroris aut calumniæ occasionem daremus.

Succus

Succus ex his (puta Tribulo terrestri aquatico) colligitur ad oculorum medicinas.

De Tribulo aquatico. Cap. CIII.

Wassernuß.



TRIBVLI TERRESTRIS mentio, ad aquaticum nos deducit, qui non ubiq; locorum, uerum in nonnullis duntaxat fossis aquam continentibus, piscinis & lacubus prouenit, quemadmodum Theophrastus libro quarto. cap. xi (in quo multis & elegãtissimis uerbis historiã Tribuli aquatici ob oculos posuit, quæ in gratiam studiosorum rei herbariæ subijciemus) meminit. Proinde neminem esse puto qui non concauas, leues, nigras & aculeatas, tribusq; corniculis aut acuminibus conspicuas nuces Tribuli aquatici uiderit. Folia huius corniculatæ nucis uiua uidere mihi nondũ cõtigit, depicta in charta uidi, in qua tota planta hanc, quã iuxta apposuimus faciem repræsentabat. Descriptio eius apud Dioscoridem extat luculenta, libro quarto cap. xvi. necnon apud Theophrastum, quæ ita se habet.

Εκαςοι δὲ τῶν ποταμῶν ἐοίκασιν ἴδιόν τι φέρειν, ὥσπερ καὶ τῶν χερσαίων. ἐπεὶ ὁ δὲ τρίβολος οὐ ἅπασ-

σιν, οὐδὲ πανταχοῦ φύεται, ἀλλ' ἐν τοῖς ἑλώδεσι τῶν ποταμῶν. ἐν μεγίστῳ δὲ βάθει πεντεπήχει, ἢ μικρῷ μείζονι, καθὰ οἱ περὶ τὸν Στρύμονα. σχεδὸν δ' ἐν τοσούτῳ καὶ ὁ κάλαμος, καὶ τὰ ἄλλα. ὑπερέχει δὲ οὐδὲν αὐτοῦ, πλὴν αὐτὰ τὰ φύλλα, ὥσπερ ἐπινέοντα, καὶ κρύπτοντα τὸν τρίβολον. ὁ δὲ τρίβολος αὐτὸς ἐν τῷ ὕδατι νεύει εἰς βυθόν. τὸ δὲ φύλλον ἐστὶ πλατὺ, προσεμφερὲς τῷ τῆς πτελέας. μίσχον δὲ ἔχει, σφόδρα μακρόν. ὁ δὲ καυλὸς ἐξ ἄκρου βαθύτατος, ὅθεν τὰ φύλλα, καὶ ὁ καρπός. τὰ δὲ κάτω λεπτότερος ἀεὶ, μέχρι τῆς ῥίζης. ἔχει δὲ ἀποπεφυκότα ἀπ' αὐτοῦ τριχώδη, τὰ μὲν πλεῖστα παράλληλα, τὰ δὲ καὶ παραλλάττοντα κάτωθεν ἀπὸ τῆς ῥίζης μεγάλα. τὰ δὲ ἄνω, ἀεὶ ἐλάττω προϊοῦσιν, ὥστε τὰ τελευταῖα μικρὰ πάμπαν εἶναι. καὶ τὴν διαφορὰν μεγάλην τὴν ἀπὸ τῆς ῥίζης πρὸς τὸν καρπόν. καὶ παραβλαστήματα πλείω, καὶ γὰρ τρία, καὶ τέτταρα. μέγιστον δ' ἀεὶ τὸ πλησιέστερον τῆς ῥίζης, εἶτα τὰ μετὰ τοῦτο, καὶ τὰ ἄλλα κατὰ λόγον. τὸ δὲ παραβλάστημα ἐστὶν ὥσπερ καυλὸς ἄλλος, λεπτότερος μὲν τοῦ πρώτου, τὰ δὲ φύλλα καὶ τὸν καρπὸν ἔχων ὁμοίως. ὁ δὲ καρπὸς μέλας, καὶ σκληρὸς σφόδρα. ῥίζαν δὲ ἡλίκην καὶ ποίαν ἔχει, σκεπτέον. ἡ μὲν οὖν φύσις, τοιαύτη. φύεται μέν τοι ἀπὸ τοῦ καρποῦ πίπτοντος, καὶ ἀφίησι βλαστὸν τοῦ ἦρος. φασὶ δ' οἱ μὲν εἶναι ἐπέτειον, οἱ δὲ διαμένειν τὴν μὲν ῥίζαν εἰς χρόνον, &c.

NOMENCLATVRAE.

Nomenclaturæ Tribuli aquatici, qui Gręcis τρίβολος ἔνυδρος dicitur, supra expositæ sunt. Germani Wassernuß (aquaticam nucem) Weiernuß/ & Seenuß/ hoc est, Lacustrem nucem appellant. De Tribulo Theophrastus lib. vi. cap. j. & iiij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Tribulus aquaticus refrigerandi & spissandi naturam habet, ad inflammationes ergo usurpari potest. Reliquas facultates cum terrestri communes obtinet.

De Tribulo aquatico Baptista Fiera ita canit.

Tribule in undosis si nate paludibus alges
Cur tamen iratæ cornua frontis habes?
Secretas tutamur opes, sub cortice dulcis
Esca latet, dulce hoc nec nisi ab igne datur.
Et mihi ab æthereo numerosa potentia rore,
Me maris & cœli prouida cura fouet.
Languentes uereor fauces: nec mandere lumbus
Discupit, urina huic, cum nocuitúe lapis.
Ex me mica iuuat, grauidas sed contrahit aluos,
Me miserum, mortis dos mea causa mihi.

De Lappa agresti. Cap. CIIII.

1. Lappa agrestis. IN AGRIS QVIBVSDAM FRVMENTARIIS INTER Speltam, aliasq; id genus fruges, Lappæ quoddam genus reperitur,

Lappa agrestis.
Ackerkletten.



ritur, folijs dissectis, caule terete, & cubitali ueluti Corianon, flore in umbellis cãdido Aceri arbori quam similimo, nam qui exteriores in muscarijs partes occupant flores latiores sunt & maiores, ijs qui mediũ obtinẽt locum. Hisdecidentibus, lappulæ subnascuntur asperæ, latæ, aculeatæ, ac undiq; binæ coniunctim prosilientes, duabus rotulis haud absimiles, singulæ uero Cimicis formam repr ę sentãtes, uestibus quoq; ut alia Lapparum genera h ę rentes.

2. Proinde extat in uliginosis quibusdam syluis, nonnullisq; dumetis alia quædam Lappæ species, multos quotannis ex radice cãdida ac serpente tenues, teretesq; coliculos perinde ut Iuncus emittens, eosq; totos teneris, rotundis, & hederaceis uestitos folijs, ac exiguis & candidis flosculis ab imo ad summum usque emicantes, qui & ipsi in minutissimas teretesq; abeunt Lappas, ac ijs quas Agrimonia, seu Eupatorium gerit magis exiguas, uestibusq; similiter adhærescentes. *Lappa syluestris.*

NOMENCLATVRAE.

Primum in hoc capite descripum Lappæ genus, cum frugibus molestũ

& no-

& noxium sit, posset forte Tribulus campestris censeri, cuius Vergilius lib. j. Georg. meminit. Nostri homines Germanica lingua Feldt/oder acker kletten nominant, quas ego hos imitatus, Lappulam agrestem, seu campestrem uoco. Iacobus Syluius excellentissimus nostri temporis Medicus, iuxtaq; doctissimus, existimat hanc plantam Myrrhidam esse Galeni, quod si ita est, facultates eius supra cap. clviij. libri primi commentariorum nostrorum reperies.

2. Alteram huius capitis Lappam, quæ in syluis & dumetis nascitur, nostri Waldtkletten/hoc est, Lappulam syluestrem uocant. Nec dubium est quin ea quoque herbula peculiare in Dioscoride nomen habeat, sed quod nobis hauddum constat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.


Duo hæc Lappæ genera frugibus ut diximus obsunt, forte in medicina præstantioris usus. Cum uero de illis maxime quod ad facultates attinet, nihil certi mihi conpertum sit, missa ea nunc facimus.

De Cartamo, siue Cneco. Cap. CV.

QVICQVID DE EXTERARVM REGIONVM FERTIlitate prædicetur, certe & Germania suas opes quas solum nostrum fundit, ostentare potest, & non minus quam aliæ nationes de uarijs Dei donis gloriari. Habemus autem inter cætera & Cartamũ illum, quem Ægyptij olim Italiæ ignotum sibi uendicarunt, oleo, non cibo ipsis gratum. *Plinius lib. 21. cap. 15.* Atque hic tanta copia apud nos prouenit, ut mercatura ad modum celebri & magna hinc inde distrahatur. Qui fit ut cum quæstuosa sit planta, ab hortulanis Argentinensibus & Spirensibus quotannis inter æstiuas fruges seratur. Sationis uero hic apud illos obseruatur ritus. Aprili mense semina Cartami oblonga, candida, & quadrangula ex ordine panguntur, quæ inter paucos dies à satu erumpere solent, licet dulcia illa semina testaceo quasi cortice operta sint: postquam è terra erupere, breui deinceps tempore in altum tendunt, caulesq; emittunt rotundos & bicubitales, multisq; solidis, angustis & aculeatis folijs uestitos. In cacumine horum quamplurimi uisuntur ramusculi, capitulis rotundis aculeatisq; uerticillorum magnitudine emicantes. Illa Iulio mense in florem sese explicant croceum, odoratum, multiplicem, et qui si seorsim è uasculis extractus spectetur, stellam referat senis radijs distinctam. Hunc hortulani è capitulis aculeatis

Cartamus, siue Cnecus.

Wilder Saffran.



aculeatis euellunt, ac postea uendunt. Atque hic est Crocus ille syluestris. Augusto mense lapidosum semen in capitulis quæ diximus confertim ex ordine inter candidam lanuginem (quod idem in omnibus Carduorum de quibus proximis agemus capitibus, animaduertas) positus maturatur. Ex illo Cartamus ut diximus quotannis reuiuiscit.

NOMENCLATVRAE.

Multi flosculis Cartami aridis in cibis condiendis non aliter atque Croco utuntur. Neque prorsus contemnendum est id condimenti genus. Germani hãc plantam Wilden Saffran/ hoc est, syluestrem Crocũ uocãt. Latini Cartamum, Crocum Sarracenicũ, seu campestrem dixere. Quo loco monendus mihi est candidus lector, ut meminerit aliud esse Cardamum per d scriptum, quod Nasturtium significat, & aliud Cartamum per t, quod est nomen huius pręsentis plãtæ, quæ apud Dioscoridẽ lib. iiij. cap. clxxxij. κνῖκος, Cnicus, uel ut Ruellius legendum censet Cnecus appellatur. De Cartamo Theophrastus lib. vi. cap. iij. & lib. x. cap. j. Plinius

κνῖκος ἀγρία nomen est eius herbæ quam Atractylida, Colum rusticam &c. Dioscorides uocauit lib. 3. cap. 98.

nius lib.xxi.cap.xv scripsere. Auerrhoes de Cartamo ita scribit cap. xli.

Nota. » Elcratis, alias Cartamum, id est, semen de Papaga, ex eo utimur » semine, & est ex medicinis manifestis in purgando phlegma si» ne aliquo timore, & eius nobilitas est quasi super nobilitate om» nium medicinarum purgantium &c. Hæc ille. Ex quibus sane uerbis quantæ sit utilitatis Cartamus intelligi facile potest. Pro illo ergo gratiæ sunt agendæ Deo Opt.Max.ac alto animo reponendum, quantã beneuolentiam Deus nobis exhibeat, in eo quod tot & tam uaria nobis donarit Simplicia, quibus & in cibo & medicina magno nostro cum commodo uti possumus. Quod si hæc beneficia ita à nobis expenderentur uti decebat, sane non uideo cur pro Turbith alijsq; exoticis & peregrinis nummos nostros exponamus. Sed ne mercatoribus aduersari uideamur, emat quisq; quod uelit eoq; utatur, nos nostræ terræ ut debemus dotes exponimus, exosculamur, laudamus, extollimusq;, qui his nobiscum contentus esse nolit, is ex India & Arabia sua petat pharmaca, & usq; pecunijs suis nouos morbos, aduersamq; ualetudinem, & naturæ labefactationem redimere pergat. Nos quoque in Cartami historia pergamus. De illo Serapio duo scripsit capita, nimirum cxxvi. & ducentesimum secundum, in quibus Churtal, & Cartam illum nominat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Tinctores Cartami usum optime norunt, nimirum quod ad inficiendos pannos faciat. Quanquam in medicina suam quoque laudem obtinet, maxime semen, quod calidæ est naturæ.

INTRINSECVS.

Pauperes flosculis Cartami tusis, condimenti uice utuntur, nec male, cibos namq; croceo colore commendant, & aluum emolliunt.

Seminis tusi expressus succus, cum iure gallinaceo potus, non solum aluũ emollit, sed & lentã trahit purgatq; pituitam Dioscoride & Galeno testibus.

Officinæ compositionem habent Diacartamum appellatam, quę ad ea quæ iam diximus apprime conducit, si recte conficiatur.

Semen tusum ac in iure carnium, aut Ciceris arietini bullitum ac potũ, phlegma, lentosq; ac uiscosos humores trahit, non aliter atque Epithymum melancholicos.

EXTRINSECVS.

His floribus panni inficiuntur, & mulierculæ quoq; in liniendis suis lectis ijs utuntur.

De

De Carduo Fullonum. Cap. CVI.

Karten Distel.



IN OMNIVM FERE stirpium genere duo fastigia statuere licet, nimirum ut hoc satiuum, illud uero syluestre aut erraticum dicatur. Id cum in omnibus prope alijs, ut diximus, locum habeat, tum uero in hoc quem nunc describendum sumpsimus Carduo uel maxime habet. Satiuus itaq; Carduus fullonius, qui ab asperrimis ac firmissimis aculeis, syluestris potius dicendus erat, à textoribus & fullonibus in hortis plantatur. Sunt qui totos agros illo conserant, quod in agro Spirensi uidere licet. Planta est elegantissima, nonnunquam uiri proceritatem attingens, radice candida, recta, læui, Pastinacæ hortensis (de qua nos supra cap. cxlvij. lib. j.) simili prædita. Folia quæ primo anno erumpunt, longa sunt & lata, Lapatho eatenus similia, per ambitum incisuris minutis serrata. Altero anno caulis prosilit rotundus, concauus, aculeatus, geniculisq; distinctus. Singula genicula, bina oblonga, sursum tendentia folia, per quæ caulis procerus transit, complectuntur

Carduus fullonius satiuus.

tur

tur è regione inuicem opposita, carinato alarum sunt, qui peluis uel labri modo aquam semper continet, quod in spina quoque albā, de qua sequenti differemus capite, uidere est. Scaporum fastigia echinato minantur uertice, resupina hamulorum flexura, mucronibusq́ leuiter uncinatis, inter quæ exigui & candidi, è minutissimis receptaculis apum fauis similibus prorepunt. A flore semen in iisdem quæ diximus conceptaculis reperitur, Fœniculo aliquanto minus, gustu amarum. Porro dissectis echinatis capitulis, id quod peculiari suo tempore fieri debet, uermiculi in medulla eorum candida, cernuntur, licet nō semper hoc uidere cōtingat. Syluestre seu erraticum Cardui fullonij genus, quod sponte sua iuxta sepes plerunque, ac aliis præsertim humidioribus locis prouenit, satiuo per omnia respondet, nisi quod folia habet magis mucronata & spinosiora. Flos in hoc genere inter spicula echinati uerticis emicat purpureus seu roseus potius. Cæterum hamuli huius uncinati non perinde sunt asperi, atque satiui, quamobrem à textoribus ad læuigandum rude lanificium usurpantur.

2. *Carduus fullonius erraticus.*

3. *Tertium Cardui fullonij genus.*

Tertium huius Cardui genus multo magis exiguum est supradictis, si uel folia uel capitula aculeata spectes, sed caulem habet altiorem utroque iam commemorato Carduo. Vertices echinatos habet exiguos nucem iuglandem paruam, aut nucem myristicam magnitudine fere referentes. Est autem hoc Cardui genus, syluestris plane planta, inter Lappas & cętera herbarum uitia prorumpens. Posset forte ad Atractylydis aliquod genus referri.

NOMENCLATVRAE.

Quanquam plura alia extent Carduorum genera, quæ concauo foliorū quo se in geniculis coniungunt sinu, aquas, rores & imbres asseruent, ut sunt ij quos Germani Vehe distel & Bracken distel nominant: tamen hic noster fullonius Carduus principem inter illa obtinet locum. Hic Gręcis, teste Dioscoride lib. iij cap. xi. δίψακος, (quod nomen à contrario inuenit, quoniam concauo alarum sinu rorem uel imbrem recipiat, quo uelut ad abigendas sitis iniurias abutitur.) Latinis Labrum, seu Labrum ueneris. Recentiores Carduum Mariæ, de quo statim sequenti capite, Labrum ueneris nuncupatum uolunt, quod nos minime offendit, cum Apuleius Dictamnum quoque hoc pacto appellauerit cap. lxij. Germani Kartendistel / Bůben strål / Weber strål. Officinæ Virgam pastoris, & Carduum fullonum nominant, quæ omnia tolerari possunt, modo sciamus Carduum fullonum nihil aliud esse quam Dipsacon Dioscoridis, quem aliqui Crocodilion uocant, alij Chamæleonem, alij Onocardion, alij Veneris lauacrum: Romani Labrum veneris, alij Carduum veneris: Ægyptij Seseneor, alij Chir, alij Meleta, Daci sciaram uocant.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Dipsacos frigidæ & siccæ est qualitatis, qua de causa humiditatē semper appetit. In exterioribus duntaxat corporis partibus usum habet, Radix aliquantulum ad siccam temperaturam accedit.

EXTRINSECVS.

Vermiculi (annotante Dioscoride) capitulorum in folliculo alligati, collo aut brachio appensi produntur quartanis febribus remedio esse.

Folia capiti imposita phrenesim sedare tradunt.

Succus foliorum auribus inditus, uermes eorum enecat.

Aqua è folijs distillata collutu, ulceribus & putredini oris opitulatur.

Sanat rimas sedis, fistulasq́;, si tusa & decocta in uino radix, usque dum sit crassitudo ceræ immittatur. Medicamentum ærea pyxide recondendum.

Aiunt formicationibus, uerrucisq́; pensilibus remedio esse.

Aqua quæ in foliorum concauo reperitur, caliginosis & rubentibus oculis prodest.

Eadem maculas faciei, maxime eas quæ oculis subsunt emendat & exterit collutu.

Mulierculæ formæ studiosæ usum huius optime tenent.

De Carduo Mariæ. Cap. CVII.

CARDVVS MARIAE (VT VVLGO VOCANT) ET ipse siticulosus esse uidetur, siquidem inter caulem & foliorum sursum tendentiū concauos sinus aqua semper colligitur. Folia hic habet permagna, & omni quidē Lactucæ genere latiora, aculeata, multisq́; acutissimis spinulis horrida, insuper lacteis undiquaq́; aspersa maculis. Caulem profert altissimum, teretem, tota sua substantia spinosum, surculosumq́;. Cæterum tam in illius quam surculorum fastigijs capitula echinata rotunda & asperrima emicant, in orbem rotatim spiculis prælongis munita. Hæc Iulio mense florem, quo tempore & Cnecus floret, ostendunt purpureum, quo euanescente semen relinquitur longum & læue Cnico simile, gustu dulce nucleum nucis iuglandis emulans, tenera ac candida lanugine delitescit, quæ & ipsa à maturitate in auras auolat. Carduus Mariæ quotannis ex semine deciduo, ut plæræque aliæ æstiuæ plantæ repullulascit. In hortis nascitur, nam in illis hodie plerunque plantatur.

Carduus Mariæ.

Vnserfrawen/oder Vehe distel.

Spina alba



NOMENCLATVRAE.

Mulierculæ nostræ tam semine quam aqua foliorũ distillata aduersus pleuriticum morbum usurpant, asseruntq; id Cardui genus Marien distel/ Frawendistel/vnd Vehe distel Germanica lingua appellari. Latini uulgo Labrum veneris, Carduum Mariæ uocant. Dioscoridi ἄκανθα λευκή, lib. iij. cap. xij nuncupatur.

VIRES AC TEMPERamentum.

Vires ac facultates Spinæ albæ sub nomenclaturis fere explicatæ sunt. Proinde usurpantur hodie utrisq; corporis partibus medicandis.

INTRINSECVS.

Aqua e folijs Cardui Mariæ distillata, ac quantũ mediocris haustus continet pota, laterũ morbo auxiliatur. Si huic potioni seminis Cardui Mariæ tusi dimidiam drachmam adieceris, efficacius id præstabit, quin & pestilentiali ueneno, & quibuscunq; alijs corporis internis malis exigendis apprime conducit.

EXTRINSECVS.

Aqua distillata inflammationibus incensi epatis, deliquio animi in linteolis foris imposita opitulatur.

De

De Chamæleone. Cap. CVIII.

Chamæleon uulgaris.
Gemein Eberwurtz.



QVANQVAM CHAMAELEON INTER CARDVOS, quos Germani in genere Distel nuncupant, haud postremus

Chamæleon exiguus.
Klein Eberwurtz.



sit, tamen lingua germanica eo quo diximus uocabulo à spinis quibus quamplurimis horret, illum minime appellare uoluit, sed Eberwurtz/quasi verrinã, (Eber enim Germanis idẽ est quod verres Latinis) radicem nuncupat, forte eam ob causam quod in polenta exhibita, sues enecat. Eius duo sunt genera, quorum primum & præstantissimum quidem in Hercynia sylua, in Eiffaliæ etiam ea sylua quæ der Ydar dicitur, alijsq; asperis, & altis montibus prouenit, radice longa, nigra, superiore sui parte quasi dissecta, aut ut Serapio quoq; animaduertit, corrosa quæ quotannis nouos emittit caules, in uertice aculeatis ac pallidulis floribus emicantes. Floret Iulio & Augusto mensibus, quo tempore & Carduus suarius uulgaris floret, Germanis Sewdistel dictus, cui herba, aculeis, colore & flore hic noster respondet Chamæleon.

1. Chamæleon niger uulgaris.

Serap. cap. 265.

Carduus suarius, Sewdistel.

Alterum uero & exiguũ Chamæleontis genus fere ubique locorum prouenit, potissimum uero in asperis montibus, ac forti albaq; terra, radice, folijs & semine Chamæleonti nigro simile, sed magis exiguum. Flos eius aculeatus & purpureus, humi procumbit, caule uacat,

2. Chamæleon albus seu exiguus, Klein Eberwurtz.

& in

Chamæleon uerus.



& in papporum lanugines tandem euanescit. Semine prægnat Cnico assimili. Radices aliquantulum rubicant, grauissimi odoris. Augusto mense florē ostendit in perfectione sua hic Chamæleo, qui Ruellio doctissimo uiro optime fuit cognitus, nam nostri illum minime norunt, licet uulgatissima sit planta, et incultis asperisq; agris, maxime ædito loco sitis, familiarissima.

NOMENCLATVRAE.

Quam Germani Eberwurtz uocāt, eam ego Eryngij, aut certe Chamæleontis nigri (quem Pancarpon aliqui, alij Vlophonon, alij Ixiam, alij Cynomazon, alij Ocimoides, alij Cnidion coccon, alij Cynoxilon, Latini Carduum nigrum, aut Vernilaginem, Ægyptij Sobel uocant) genus esse existimo. Plinius lib. xxi. cap. xvi scribit Chamæleonta in folijs non habere aculeos. Quo in loco aut redundat particula NON, aut necesse est Piniū de alio quopiam Chamæleonte locutum fuisse. Nam lib. xxij. cap. xviij. idem Plinius, Chamæleonē, maxime candidiorem, asperiora habere folia dicit, &c.

Diosco. lib. 3. cap. 9.

χαμαιλέων μέλας. Ixiæ nomen proprie & solum ad Chamæleontē album pertinet, uide Ruellium *de nat. stirp. lib. 3. cap. 9.*

Cæterum innotuit nostris quoque regionibus uerus Chamæleon niger, *Chamæleon niger, uerus.*

ger, elegantissimum sane Cardui genus, pallidulis Carduisq; cæteris simili bus floribus emicans, semine uero oblongo & capillato.

Auicen. lib. 2. cap. 674. Rases de Simpl. cap. 48. Dioscor. lib. 3. cap. 8. χαμαιλέων λευκός.

Exiguum Chamæleontis genus Succhaham Arabum esse semper putaui. Pertinet uero ad Chamæleonta album Dioscoridis, quod descriptio testabitur, quæ huic plantæ ita conuenit, ut nulla nota reclamare uideatur, quod Ruellius præclarissimæ eruditionis & summi iudicij uir, diligenter obseruauit, uide commentarios illius de natura stirpium lib. iij. ca. viij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Agyrtæ & qui radices hinc inde uenales circumferunt, pleno ore Chamæleontis uulgaris radicem prædicant. Ac fieri potest ut ad multa illa utilis sit. Veteres namq; cum multa inuenerint, nobis quoque plura alia ex his quæ ante nos inuenta fuere colligendi occasionem dederunt. Verum enimuero danda est opera ne quid temere plantis affingamus, quod præstare nequeunt. Proinde Chamæleontis utriusq; radices calidæ, & siccæ sunt facultatis.

INTRINSECVS.

Chamæleontis albi radicis tusæ succus expressus, ac mensura cochlearis in acetabulo uini potus tineas interaneorum pellit, hydropicis prodest, urinam ciet, & aduersus quoduis uenenum Theriaca est optima.

Radix in puluerem redacta, ac drachmæ pondere è uino sumpta, pesti aduersatur, quo nomine pecori, potissimum autem suibus nonnulli radicem hanc exhibent, persuadentes sibi hoc pacto iumenta & sues à fœda & pestilente lue conseruari posse.

Aliqui eadem de causa radicem lintri clauo affigunt, ut super hac semper cibum sumant.

Alij escam columbarum quo multas alias uenentur, è radice Chamæleontis uulgaris conficiunt, ea qua sequitur ratione. Radici enim iam dictę, adiungunt limum adustum de clibano aliquo desumptum, mel, urinam, muriamq; qua haleces conditi fuerint, quæ omnia ita temperant, ut in massam redigantur, postea columbarijs imponunt, &c.

EXTRINSECVS.

Ferunt radicem hanc uires his qui eam gestauerint augere, alijsq;, comitibus nimirum, & quibus cum alter degit, adimere. Sed credat hæc qui uolet, ego quod sciam nusquam in scriptoribus eius rei mentio facta legitur.

Chamæleontis nigri radix cum aceto decocta, collutu scabiem, & impe-

tigines, aliaqꝫ difficilia curatu uitia sanat, doloriqꝫ dentium conducit. Quæ uero nunc diximus, non uulgari, sed uero illi ac peregrino Chamæleoni ascribi debent.

Cæterum scribit Dioscorides Chamæleonem album canes & sues, necnon mures occidere, quæ sane de uulgari nostro Chamæleoni intelligi nõ possunt, ut nonnulli statuunt, cum constet illum, maxime uero radicẽ eius suibus salutarem, ea enim de causa ab agyrtis uenalis circumfertur, & à multis ueterinarijs emitur.

De Leucacantha. *Cap.* CIX.

SPIRENSES PVELLAE INTER RELIQVAS CORONARIAS plantas Cardui spinosum quoddã genus plantant, folijs Chamæleonti nigro, seu uulgari adeo cõsimile, ut in initijs anteqꝫ floreat, ab illo uix discerni queat. Hoc altero à satione anno caules emittit altos, asperos & aculeatos, uulgari Carduo syluestri (de quo statim sequenti capite) adsimiles, quamplurima aculeata capitula in uertice gerentes, è quibus flores candidi, beneqꝫ odorati prorepunt, forma alias nihil à cæteris Carduorum generibus distantes. Semine prægnat magis exiguo Carduo Benedicto, candida lanugine inuoluto. À flore & caulis & folia, necnon longa & candida radix protinus pereunt. Puellæ ut diximus magna diligentia hoc Cardui genus plantare consueuerunt, propterea quod flores eius inter Rosmarinum coronas suas nectant. Cæterum nullo alio in loco hanc Leucacantham unquam me uidisse memini.

NOMENCLATVRAE.

Puellæ & mulierculæ Spirenses hunc Carduum Weiß distel/ hoc est, Spinam albam nominant. Quia uero id nominis alteri cuidam Carduo tribuendum erit, ut paulo post dicemus, ideo ad discrimen aliorum hunc nostrum Carduum Meid/ oder Jungfrawen distel/ hoc est, Carduum puellarum, & Zamgartendistel/ hoc est Carduum satiuum hortensem nuncupare placuit. Nobis sane in Dioscoride λευκάκανθα, (quam quidam Polygonaton, alij Phyllon, alij Ischiada uocant, Romani Spinam albam) recte dici posse uidetur, quanquam neminem nostræ sententiæ subscribere cogimus. sed dominum Deum precamur eos nobis donet uiros, qui tam Carduos, quam alias quascunque stirpes discernere nos doceant. Serapio cap. xcix. Spinam albam Bedeguard uocat, de qua uoce multi multa dixerunt, licet plerique illorum non satis ex Spina alba se aut alios extricare queant.

Carduus puellarum.

Carduus satiuus hortensis.

Diosco. lib. 3. cap. 20.

Leucacanthæ uox & Rhamno tribuitur, uide Diosco. lib. 1. cap. 104.

Iacobum Manlium super Syrup. de Eupatorio, & Auicennam lib. ij. cap. lxxxiiij. Hactenus ergo duo proposuimus genera Spinæ albæ, de tertia paulo post.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quod si hic Carduus Spina alba, seu Leucacantha Dioscoridis sit, certe in medicina locum quoque habebit.

INTRINSECVS.

Leucacantha cum radice sua uino decocta, ac per diem uno atque altero cyatho hausta, ueteri laterum dolori, Ischiadicis, necnon ruptis & conuulsis prodesse a Dioscoride traditur. Sed hæ facultates ei potius attribuentur Carduo, quem cap. cxi describemus.

EXTRINSECVS.

Radix Leucacanthæ manducata, dolorem dentium sedare dicitur, sed de his plura paulo post.

De Carduo syluestri. Cap. CX.

MVLTA ALIA CARDVORVM GENERA INTER fruges, potissimum uero auenam enascuntur, quorum alia proceritatem uiri attingunt, quædam humiliore statu contenta sunt, in uniuersum tamen omnia aculeatis, & dissectis folijs caulem ambientibus prædita, necnon capitulis (quorum alia rufos, alia candidos, nonnulla roseos gerunt flores, cætera Carduo puellarum, consimiles) in uertice spinosis emicantia. Eorum semina oblonga apparent, punicei fere coloris, læuia, ac Carduo Mariæ magis exigua.

NOMENCLATVRAE.

Vniuersa Carduorum iam descriptorum genera, quæ agricolis & messoribus subinde impedimento sunt, nos uitia frugum, seu Carduos syluestres esse iudicamus, de quibus Vergilius in hunc modum,

Carduus & spinis surgit Paliurus acutis.

Germani Haber/oder Felddistel uocant. De uero Carduo, seu Scolymo, suo quoque dicetur loco.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Cardui syluestres, seu agrestes non magni sunt usus. Teneros asini cibo maxime expetunt, aliisq; quibuscunque herbis anteponunt. Hoc pacto iumentis pabulo exhibentur in tenera sua ætate, Temperamento calido & sicco præditi.


De Spina alba. Cap. CXI.

HIC VERO TERTIAM HABEMVS SPINAE ALBAE speciem, quæ iuxta sæpes & nonnunquam arenosis & incultis quoque locis prouenit, inter omnia fere Carduorum genera maxima. Hæc folia gerit prælonga, latissima & aculeata, caules emittit admodum proceros & crassissimos, eosq; canos & albicantes, ac si tenuissima candidaq; lanugine, aut tela araneæ obducti essent, quod idem & in foliis spectare licet. Vertices caulium capitula sustinent aculeata, aspera & echinata, quæ Iulio & Augusto mensibus purpureum ostendunt florem, postquam is defloruit, semẽ incanum siue nigricans, candida lanugine occultatur, rotundius magisq; exiguum semine Cartami, amari & feruidi insuper gustus. Radix huius Cardui amara est, & foris nigra. Altero demum anno, florem & semen profert, posteaque suo quasi munere perfunctus tota sua substantia perit, ac subinde è semine deciduo repullulascit.

NOMENCLATVRAE.

Quod nos parui aut nihili facimus, id natura plerunque optime muniuit. Quid enim Carduo contemptius? Rursus quid aduersus omnem iniuriam magis natura armauit hoc ipso Carduo? Siquidem & folia & caules spinis horrida sunt, & capitulũ in quo semina delitescunt acutissimis & ualde asperis aculeis munitur, ita quidem ut frustra hęc natura administret fieri non possit, quin potius peculiare quid per hoc, quod semen adeo diligenti cura conclusum, et à quauis iniuria assertum uoluit, significare uelle uideri merito debet. Sed omissis his, nomenclaturas recitemus. Germani Weißwegdistel/ nominant, & est altera Spinæ albæ, quæ Gręcis ἄκανθα λευκὴ, Arabibus Bedeguard dicitur, apud Dioscoridem lib. iij. cap. xij. quod neminem negare posse puto, qui descriptionem Dioscoridis cum rerum uiuis imaginibus contulerit. Neq; opus fuerit in re manifesta præter necessitatem multa uerba facere. Nos Spinę albæ cognomina pro more nostro recensebimus, sunt autem hæc, Agriocinara, Donacitis, Erysisceptrum, Spi-

Spina alba.
Weißwege Distel.



na alba, autregia. Carduus camptarius. Cæterum multa Carduorum gen era Acanthæ nomine apud Dioscoridem censentur, uidelicet, Spina alba, Topiaria Acantha, Arabica Acantha, & Acantha Agria : sicut et Erysi sceptri uox multis aliis comunicatur plantis, uide Dioscoridem lib. primo. cap. iiii. cap. xix & lib. iii. cap. viii. & lib. iiii. cap. lix. De Spina alba uide Bedeguard Arabũ, & Auicennam lib. ii. cap 680.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Omniũ Carduorum radices & semina fere ueneno aduersantur, potissimũ autem semina, nam calida sunt & sicca.

INTRINSECVS.


Spinæ albæ radix in uino cocta & pota, cruenta & purulenta reiicientibus, & stomachicis prodest.

Semen omni aduersatur ueneno. Idem epotum conuulsis infantibus auxiliatur

Radicis decocto dentes in dolore collui prodest.

De Atractylide, seu Cartamo syluestri.
CAP. CXII.

Atractylis, seu Cartamus syluestris.
Streidistel.



ALIVD PROIN CARdui teneri genus in aridioribus ac incultis graminosisq́ campis reperitur folio instar Cardui syluestris (de quo paulo ante disseruimus) dissecto, cineraceo, aculeisq́ seu spinis mollibus horridulo, radice autẽ breui, & recta præditum. Hoc caules emittit altero demum anno rotundos, cubitales interdum, nec temere altiores, ab imo ad summũ usq; exiguis crispis aculeatis folijs uestitos, eosq́ fere singulares, in fastigijs nonnunquam ternis aut binis, interim paucioribus, pluribusúe ramulis seu surculis brachiatos, capitula in fastigijs aculeata, lutea, seu aurea potius gerentes. Atq; hi illius flores sunt, forma sua stellati, oculumq́ elegantissimum exprimentes. Semen ubi maturuit, id quod appetente fit Autumno, forma sua Cyanũ cœruleum prorsus æmulatur, nisi quod aliquantulũ crassius, fortiusq́ existit.

Anicu-

Aniculæ circa Festum Assumptionis, ut uocant, Mariæ hoc genus Cardui magno studio quærunt, suisq; sagminibus, (ut plena sunt hodie omnia prohdolor fœda superstitione) adiungunt, maxime uero eos expetunt in hoc genere Carduos, qui tres surculos, seu ramulos supra in uertice ostendunt, eosq; ut præstantissimos cæteris anteponunt, unde & nomen Germanicum Dreydistel/ quasi dicas Carduum trium surculorum, deriuatum fuit. Vocant uero & Frawendistel/ quod una cum cæteris sagminalibus herbis die Mariæ virgini sacro in templis consecrari soleant. Proinde silentio prætereundum non est, quod in huiusmodi Carduo olim ipse non sine admiratione uidi. Is enim duorum digitorum latitudinem habebat, utrinque crispis & aculeatis foliolis uestitus, qui cum unicus & singularis esset caulis, unicum quoque latissimumq; capitulum aureo fulgens flore, admixto modico candore, ostendebat, miraculum ab omnibus hauduulgare existimatus.

NOMENCLATVRAE.

Aniculæ ut diximus ad superstitiones suas adhibent, quare Sagminibus illarum hoc Cardui genus relinquamus. Sunt nonnulli qui Germanica uoce Sewdistel/ hoc est, Carduum suarium nuncupatum uelint. Quod uero in Dioscoride nomen habeat, mihi non satis constat, nisi sit σίν φαντυλίς ἄκανθα Dioscoridis lib. iij. cap. lv. quod Ruellius quoque lib. iij. de natura stirpiũ ca. lv. sensit, fusum, seu colum agrestem, & Cartamũ syluestrem appellans.

Fusus agrestis. Colus rustica. Cartamus syluestris.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Semen tusum ac cum uino potum, ictibus scorpionum mederi dicitur.

De Carduo pratensi. Cap. CXIII.

CARDVVS PRATENSIS IN NONNVLLIS PRATIS, unde ei nomen nascitur, folio satis longo, latoq;, utrinque serrato, exiguis, tenerisq; aculeis, spinisu'e exasperato, ex uiridi pene albicante, ac Carduo fullonum quadamtenus consimili, quod in tenera ætate verno tempore a mulierculis inter cætera olera legitur. Iunio mense caules emittit hic Carduus prælongos, oblongis in cacumine capitulis emicantes, flore uero in pallorem languescente, uti Carduus fere benedictus. Cæterum in singulis floribus exigua & purpurea apparent stamina. Flore marcescente semen maturatur, tenera ac candida, ueluti & aliorum Carduorum, lanugine inuolutum, & in pappos tandem euanescens, ali-

quanto

Carduus pratensis.
Wysenkôl.



quanto maius Cyano. Caules huius Cardui teretes, è geniculis singulis bina fundunt folia, quæ & ipsa aquas interdum retinere possunt, sicut & Carduus fullonius. Planta est hyemis contemptrix, & quæ frigora facile ferat. Aprili mēse quotannis noua, candida folia è capillata exeunt radice.

NOMENCLATVRAE.

Cum huius Cardui folia in cibis quoque ut reliqua olera expetantur, ideo à mulierculis Wisenkôl/& Graßkôl, hoc est, Brassica pratensis nuncupatur. Est autem inter omnes Carduos hic tenerrimus, si spinas cōsideres molliusculas. Mihi sane ἀγρία ἄκανθα Dioscoridis lib. iij. cap. xviij. esse uidetur, cuius & Plinius lib. xxij. cap. xxij meminit. Latino & uulgato uocabulo Carduus pratensis, & Brassica pratensis dici potest.

VIRES AC TEMPEramentum.

Quod si hæc planta Acanthus sit syluestris, ut ego conijcio, uiribus ac facultatibus satiuo respondet, de quo cap. xvij. lib. iij. Dioscorides. Proinde cum apud Mediomatrices folia eius ut diximus in oleribus decoquantur, hinc facile colligi potest, plantam no esse insalubrem aut noxiam, præsertim cum temperamento sit prędita medio.

De

De Carduo benedicto. Cap. CXIII.

Cardo Benedict.



Aecloga 3. IVINVS ILLE ALCIMEDON, SIC ENIM A VERGI lio nominatur, Dametæ pastori duo olim fecit pocula, molli ansas

ansas amplexus Acantho. Quodnam uero Cardui genus mollis Acanthus esset, in Germania hactenus cognitum minime fuit. Qua de causa, quē uulgo Carduum benedictum uocant, eum ego Acanthum Germanicum appellare uolui, propterea quod descriptio Acanthi aliquo modo Carduo benedicto respondeat. Is enim hodie in hortis plantatus prouenit, folijs longis Lactucæ similibus, sed angustioribus, per ambitum instar Sinapis albi dissectis, nigricantibus, teneris, mollibus & pinguibus, caulibus nonnunquam altis, & digitali crassitudine præditis, nonnunquam tenuioribus, maxime uero quod ad eos attinet, qui primario cauli adnascuntur, iuxtaq; eundem è lateribus radicis prosiliunt, qui & ipsi minutioribus quidem & crispis, sed oblongis & aculeatis foliolis undiquaq; ambiuntur. In uertice coliculorū Iunio aut Iulio mense, prout serius aut maturius satus fuerit hic Carduus, rotunda & lanuginosa emicant capitula, nucis iuglandis magnitudine è quibus flos prorepit pallescēs, & in luteum colorem uergens. Semen in prædictis capitulis, postquam defloruerunt, reperitur, subluteum oblongum, alba lanugine inuolutum. Radices eius satis longæ sunt, tenerę & succosæ. Tota uero sua substantia, hoc est, folijs, caule, succo & flore, Absinthio amarior est hic Carduus. Delineaui utcunque Acanthum nostrum, quæ sane descriptio non multum ab Acanthi satiui apud Dioscoridem historia abludit, unde cognosci facile potest, quid nos mouerit, ut Carduum benedictum, Acanthum Germanicum uocarem. Quanquam ut & hoc obiter dicamus, nō ita pridem uerus seu peregrinus Acanthus in hortis Germanicis uersari cœpit, qui, ut Dioscoridis uerbis utamur, folia habet multo lactucaceis latiora, & longiora, erucæ diuisura, nigricantia, pinguia, læuia: caulem binum cubitorū, digitali crassitudine, lęuem, prope uerticem ex interuallis circumdatum foliolis, seu nucamenta quædam oblonga referentibus. Hæc omnia peregrino Acantho adamussim respondent.

1. *Acanthus Germanicus.*

2. *Acanthus uerus.*

NOMENCLATVRAE.

Supra in historia Cardui benedicti, qui Germanis Cardo benedict dicitur, indicauimus quonam illorum in Dioscoride referendum censeamus, nimirum ad Acanthum satiuum, quem idem author Herpacantham, propterea quod coliculi eius humi sparsi serpere uideantur, & Melamphyllon à nigro foliorum colore cognominat. Proin quæ eo in capite præter ea quæ recensuimus, nomina extant, ad peregrinum potius Acanthum pertinent, quem nonnulli Welsch Berenklaw / hoc est, Brancam ursinam Italicam, seu ueram nuncupant. Sunt qui Carduum benedictum Atractylidis speciem hirsutam esse statuant, doctissimum uirum Ruellium secuti. Vide de natura stirpium lib. iij. cap. Iv. Ruell.

ἄκανθα Diosco. lib. 3. cap. 17. *ἑρπάκανθα.* *Μελάμφυλλον.*

Branca ursina uera.

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Inter omnes Carduos, Benedictus hic noster Carduus, hodie maxime commendatur, ut qui ad multos uariosq; morbos utrinque adhiberi possit. Temperamentum obtinet calidum & siccum.

INTRINSECVS.

Placet hoc loco ex doctrina recentiorum de Carduo Benedicto, eiusq; usu & facultatibus Emperias aliquot annotare.

Tradunt etenim hanc plantam primum omnium ex India ad inuictissimum Imperatorem Fridericum ante annos aliquot honoris gratia missam, mirisq; laudibus celebratam, ut quæ in cibo & potu usurpata ab immenso illo præseruet capitis dolore, quem Græci Hemicraniam uocant, Germani den Nagel hoc est Clauum, quod in eiusmodi morbo tantus caput tentet dolor, ut clauus inter oculos (nam supra illos maxime grassatur) impactus uideatur.

Eadem in cibo & potu usurpata, contra uertiginem ualere, memoriam bonam facere, & amissum auditum restaurare fertur.

Folia Cardui benedicti in puluerem redacta, ac ex uino pota, pituitam, malosq; humores absumunt, & educunt, maxime si ex illis pilulæ, ut uocāt, conficiantur.

Eadem usurpata uitia pectoris, & sanguinem purgant, phthisicis prosunt.

Folia uino decocta & calida pota, tormiua sedant, sudores eliciunt, calculos comminuunt, menses promouent.

Foliorum puluis mensura nucis iuglandis corticis cum uino potus, aduersus pestem ne noceat præsentissimum est remedium, si intra spacium xxiiij horarum quem corripuisset. Idem præstant folia in uino decocta & pota.

Puluis predictus, & decoctum his exhiberi debent, qui putridis febribus uentriculi & quartana laborant.

Sunt qui puluerem foliorum, aut decoctum, succumue omni ueneno hausto aduersari testentur, asserentes puellam quandam Pauiæ, cum uenenū inscia in pomo quodam sumpsisset, adeo intumuisse, ut nec Theriaca, nec alio quouis antidoto curari potuerit, tandem uero aqua Cardui benedicti distillata sumpta, periculo omni & ueneno liberatam.

Nonnulli etiam referunt serpentem, cum puero cuidam in agro dormienti per os irrepsisset, aqua Cardui benedicti distillata, per inferiora quamprimum secessisse, puerūq; incolumem, omniq; periculo liberū superuixisse.

Erut

Et ut paucis multa dicam, asserunt, folia, succum, semen & aquam stillatitiam omni prorsus, utrinque usurpatã, ueneno aduersari. Hęc fere Emperici illi.

Cæterum si Carduus benedictus, Atractylis ueterum sit, quemadmodũ nonnulli astruunt, talia de eo prædicantur a` Dioscoride.

Coma, semen & folia cum pipere & uino teruntur utilissime contra scorpionum ictus, percussos tradunt quamdiu ea teneatur herba, nullum experiri dolorem, ipsumq; deposita statim recrudescere. Hæc ille.

Ex quibus sane uerbis colligi potest, Carduum benedictum aduersus uenenum facere, quemadmodum experimenta quoque quæ recensuimus, testantur.

Brancæ ursinæ ueræ, seu Acanthi ueri radices potæ urinam ciunt, sed aluum cohibent, ruptis, conuulsis, & tabem sentientibus, mire prosunt.

EXTRINSECVS.

Cardui benedicti aqua distillata, oculis indita, rubedinem & pruritum illorum iuuat. Idem de succo intelligas uelim.

Folia tusa & imposita ambustis igni, anthraci prosunt. Eadem & aqua stillatitia potest.

Folia tusa & imposita scorpionum & serpentium ictibus medentur, hæc de Atractylide quoque dicuntur:

Aduersus cancrum, aliaq; maligna & putrida ulcera uix aliud Cardui benedicti folijs, succo, decocto, aut aqua distillata est præstantius remedium. Ac tradũt nonnulli maxima mala uitiaq; hoc pacto sanata fuisse. Inprimis uero testantur ijs, mulierem quandam, cuius mammæ cancro ad costas usq; absumptæ fuerant, aqua distillata, & puluere foliorum insperso mundatam & sanatam fuisse.

Vaporationes, fomenta, desessiones & balnea sudatoria, calculis & mensibus eliciendis, ex Carduo benedicto parari ac confici recte possunt.

De Scolymo. Cap. CXV.

CVM SVPERIORIBVS ANNIS MVLTA LOCA, HERbarum gratia perlustrarem, forte accidit ut Spiram quoque deuenirem, ubi inter cæteras multas sane & uarias plantas, quas in horto nobilissimi domini, Domini Ioannis a` Lewenstein/ Canonici, ac Cantoris summi templi eiusdem ciuitatis, uidimus, & hæc duo quæ nunc

Scolymus.

Strobildorn.

1. Scolymus.



describẽda sumpsimus Carduorum genera nobis occurrerunt.

Primum in his genus folia ostendebat admodum magna, ex pallido uiridia, per ambitum asperrimis aculeis armata, nonnulla bicubitalis lõgitudinis, humi sparsa, Eupatorij seu Agrimoniæ pene instar utrinque laciniata, sed per omnia maiora, caule rotundo, & crasso è medio illorum erumpente, paucis quibusdam foliolis similiter aculeatis, sed longe minoribus uestito, in fastigio elegantissimis rotũdis, asperrimisq; ac aculeatis capitulis, pineam nucem fere æmulantibus, purpureumq; florem fundentibus, conspicuo. Hæc uero quæ diximus capitula flore pereunte, ubi maturuerant plane, semine prægnabant ex cano albicante, molli lanugine, seu capillitio inuoluto, ad Cnici fere formam accedente. Radix huic prælonga erat, quam, ut tum mihi hortulanus indicabat, Galli & Itali cũ sale, aceto & pipere in cibo esitare assueuerũt, quem admodũ nos Raphanum.

2. *Alterum Cardui genus.*

Alterum Cardui genus, superiori per omnia, quod ad folia, caules, capita, & radices attinebat, similis erat, nisi quod nullis horrebat aculeis, spinisu'e. Hoc præstantissimum Cardui genus esse mihi tum dicebatur, quibus & hoc

& hoc addebatur, utriusque Cardui nunc descripti capitula tenera cum gallinis & carnibus in Gallia coqui, ita quidem ut nullum fere opiparum conuiuium apud hos quidem censeatur in quod non Carduus asciscatur, ut recte hac exclamatione cum doctissimo uiro Ioanne Ruellio nostri sæculi luxum accusare posse uideamur, cum inquit, O gulam audacem, quæ portenta terrarum in luxum & ganeam uertit, quæ nimirum consciæ quadrupedes respuant, tantumque uoluptatibus nostra indulget ætas, ut iam ne quis dies sine Carduo sit. Ea semper est illarum rerum cura, quæ veneris desiderijs obsonantur, & à culinis inserunt, ut magno ueneant, & maximi quæstus existimentur, Carduetis multos nummos ærario redentibus &c. *Ruellius de natu. stir. lib. 3. ca. cap. 14.* NVLLA DIES SINE CARDVO.

NOMENCLATVRAE.

Cum Carduorum nunc descriptorum, loco prædicto nomenclaturas inquirerem: responsum accepi, primum quidem quod spinosum & aculeatum est, Italis Cardchoffil, alterum uero quod aculeis caret, iisdem Cardon nuncupari. Vbi uero super his duobus Carduis scripta ueterum consulere cœpissem, intellexi primum sub Scolymo Dioscoridis lib. iij. cap. xiiij. comprehensum, quem ut ipsemet Dioscorides testatur, Romani Strobilum uocant (à capitulis nimirum quæ pineis nucibus seu Strobilis similia apparent) à qua nomenclatura Chardchoffil non multum abest, licet rectius Srobil dci posse uideatur, nam sic Germanice dicimus Strobildorn / uel Welsch distel / hoc est, Italicum Carduum. Scolymi apud Dioscoridem hęc quoque leguntur cognomina, Pherusa, Pyracantha, & Cnus. De hoc Carduo cap. iij & iiij. lib. vi. Theophrastus egit. σκόλυμος.

Alterum Cardui genus proculdubio Cinara Columellæ hispida fuerit. De Carduo qui esui est, Plinius secundus lib. iiij. de re medica cap. xvi. Galenus de Simpl. facult. lib. viij. *Col. lib. 11. ca. 3.*

De plantatione Scolymi coronidis uice adijcere libet, quæ cap. xiiij. li. iij. de natura stirpium Ruellius annotauit. Si seminum acumina (inquit ille) lapidis attritu retundantur, spinis carebunt, annoque toto per hunc modum Cinaras creari confirmant. Sine aculeis etiã nascentur, si deliberata Lactucę radix in tenues particulas dissecetur, et singula semina singulis indita segminibus obruantur. Si semina madefeceris per triduum rosarum succo, uel liliorum, uel Laurino oleo, uel alterius cuiuscunque suauiter olentis liquore, eiusdem odoris orietur, cuius semina laticem hauserint. Hæc ille.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Itali & Galli rationem apparandi Cinaram, maxime quod ad capitula,

quæ cum recentia tenerescunt, in cibo admodum expetuntur, attinet, optime callent. Sunt autem ea naturæ aliquantum calidæ & humidæ urinamque copiosam fœtidamque potenter expellunt, teste Diosco. Columella addit radicem aqua decoctam potatoribus bibendi appetentiam augere & in venerem stimulos addere. Sic enim in libro de hortorum cultu scribit,

Hispida ponatur Cinara, quæ dulcis Iacho
Potanti ueniat, nec Phœbo grata canenti.
Hæc modo purpureo surgit glomerata corymbo,
Myrtiolo modo crine uiret, deflexaq; collo,
Nunc adoperta manet, nunc pinea uertice pungit,
Nunc similis calatho, spinisq; minantibus horret.
Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.

Huius & Fiera in cœna sua meminit ijs numeris.

Carduus, hortensi cui spina est mollior arte,
Cui calor est modicus, cui tumidusq; liquor.
Et stomacho & lumbis sapidus, si duxit olentem
Vrinam, os redolet, nec sapit Ala caprum.
Hunc tibi ius præpingue coquat præstantior inde est,
Ibit & in numeros sic Venus apta suos.

Cæterum de Cardui uiribus ita perscriptum reliquit Plinius. Item graueolentiam alarum emendat radicis emedullatæ uncia, in uini falerni heminis tribus decocta ad tertias, & à balneo ieiuno, itemque post cibum cyathis singulis pota. Mirum est quod Xenocrates promittit experimento, uitium id ex alis per urinam effluere.

De Resta bouis. Cap. CXVI.

NISI SPINIS ET ACVLEIS HORRERET RESTA BOuis, poterat leguminibus, quod ad flores & semina attinet, recte accenseri. Flores enim profert Iunio mense, alios quidem dilutioris purpuræ, alios uero prorsus candidos, & quod ad formam pertinet phasiolis (quos Germani Fäselen / oder schwartz Erweissen uocant) adeo similes, ut discerni illa duo genera uix queant. Floribus decidētibus, siliquę subnascuntur exiguæ, ueluti Lenticulæ, in quibus semen reperitur latū, forma & sapore exiguam uiciā referens. Rami Restæ bouis, quos habet multos teretes & fruticosos, undique nigricantibus folijs rotundis, Teucrio aut Trifolio pratensi similibus, uestiuntur, aculeisque ac spinis simul asperrimis horrent.

Resta bouis.

Ochsenbrech.



rent. Radicem habet hæc planta prælongam, quo nomine uix eradicari & eijci se patitur. Impedimento est haud uulgari, non tantũ frumentis, sed & pratis. Quin & aratra & falces, necnon fœnisecas, quamplurimum sæpenumero remoratur.

NOMENCLATVRAE.

Quidam Germani hãc plantam Ochsenbrech appellant, quod radices nonnunquam habeat adeo longas, ut aratra, & boues, equosq; arantes impedire & sistere queat. Alij Hewheckel / Heckelkraut / & Stalkraut nominant. Herbarijs uulgo Resta bouis, Remora aratri, Acutella, Vrinalis, Vrinaria. Dioscoridi lib. iij. ca. xix. ὄνωνις, (seu ut alij legendum censent) ὀνωνὶς dicitur, quanquam id nominis Onosmati quoq; tam à Galeno quam à Dioscoride tribuatur. De Onone Plinius lib. xxi. cap. xvi. & Theophrastus lib. vi. cap. v. cuius uerba in gratiã studiosorũ subijcere non pigebit. Ea sic se habẽt.

Galli Suessionenses potissimum Ononim Bugranes & Bugrandes uocant, teste Ruellio.

Diosco. lib. 3. cap. 138. quo in loco ὄνωνιν per ο, non per ω scribitur, licet in exemplaribus Theophrasti Græcis per ω quoq; scribatur Ononis, ut infra patebit.

Ἡ δ' ὄνωνις ἐστὶ πλεορθάκανθον, ἐπίπεδον δὲ φύλλον ἔχει πηγανῶδες παρακατωφυκὸς παρ' ὅλον τὸν καυλὸν ὥσπερ στεφάνου τὴν ὅλην εἶναι μορφὴν, διαλαμβανομένων ὑπ' ἀλλήλων. κολλοβοειδὲς δὲ καὶ ἄλλο

βοτανὴς ἀδιαφθάρτως. φύεται δὲ ἐν τῇ γλίσχρᾳ καὶ γεώδει, καὶ μάλιστα ἐν τῇ σπειρομένῃ καὶ γεωργουμένῃ. διὸ καὶ πολέμιον τοῖς γεωργοῖς. καὶ ἔτι δυσώλεθρος. ὅταν γὰρ λάβῃ χώρας βάθος, ὠθεῖ τὰ κάτω εὐθύς. καὶ καθ᾽ ἕκαστον ὠθεῖται ἀποφύσεις ἀφιμένη εἰς τὰ πλάγια, πάλιν εἰς τὸ ἕτερον ὠθεῖται κάτω. σαθρὰ σκληρὰ οὕτως ὄν. τοῦτο δὲ βραχέως γίνεται τῆς γῆς, καὶ ἀπόλλυται ῥᾷον. ἐὰν δὲ μικρὸν ἀπολειφθῇ, ἀπὸ τούτου πάλιν βλαστάνει. ἄρχεται δὲ τοῦ βλαστάνειν θέρους, τελειοῦται δὲ μετοπώρου.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Veteres hanc herbam antequam spinosa fieret muria condire solebant, cibis gratissimam, ac ab antiquis mire celebratam, ut quæ in cibo usurpata fœtidum oris halitum emendare tradatur. Exhibenda ergo erat his, qui continuas noctes potando traducunt, ut fœtorem halitus corrigerent.

INTRINSECVS.

Radicis cortex ex uino potus, urinam ciet, calcucos comminuit, Plinio & Dioscoride attestantibus.

Idem decoctum per aliquot dies potum latẽtes mariscas elicit persanatq́ue.

EXTRINSECVS.


Radix uino decocta ac in ore retenta, dolorem dentium mitigat.

De Eryngio. Cap. CXVII.

A. Eryngium. ACVLEATARVM GENERIS ET HAEC PLANTA EST, quam modo describemus. Ea in tractu Rheni in nõnullis agris, potissimum uero secus itinera & limites agrorum, prouenit, folio crispo, dissecto, perq́ue ambitum spinis aculeisq́ue acutis exasperato, in tenera ætate uiridi, deinde uero ubi perfectionem suam consecutum fuerit ex pallido albicante admixto modico cœruleo, seu cæsio colore, ut uiride æs colore fere referat. Planta est elegantissima, & quæ altero demum anno caulem emittit cubitalem, surculosum, arbusculam pulchre exprimentem. Singuli ramusculi, seu surculi globosa in fastigijs proferũt capitula, eaq́ue aspera è uiridi pallenscetia, durarũq́ue & acutissimarũ spinarũ ambitu stellatim circumuallata, quæ cum Autumno appetente maturuerint, ex aculeata stellataq́ue rota cui insidebant, excutiuntur. Et hoc illius semen est, cuius singula granula binis aut ternis horrent spinulis, Hispanici oleris seminibus aliquanto minora. Radicem habet hæc planta rectam & prælongam, pollicari crassitudine præditam, foris nigra, intus candida, satis fortis tum saporis

tum

Eryngium.
Manßtrew.



tum odoris. Ea quotannis nouos emittit asparagos, iuxta hos qui aruerũt caules. Nam ij nouis succedentibus folijs & caulibus, decidunt, ac globi instar rotundantur, qui fit ut a uento facile in quasuis partes dispellantur,

unde iocus de Sartore quodam & Eryngio, apud nos uulgo narratur, Is cum in militiam profecturus Eryngiũ à uento agitatum obuiam habuisset, eius crepitatione & stridore ita territus fuit, ut hastam abijciens in fugam conuersus fuerit, periculumq́ quod ab aculeigero & crepitante hoste sibi imminere putabat, effugerit.

2. *Alterum Eryngium.* Alterum Eryngium similiter aculeatarum generis est, stellata & ipsa, folijs tamen angustioribus & nigricantioribus, aculeis & spinis longioribus, asperioribusq́. Capitula quæ quamplurima habent singuli caules & surculi, eaq́ radiata, & spinosa admodum, flosculis emicant purpureis, aut Bersilici potius colorem repræsentantibus. A flore semen in memoratis capitulis inclusum reperitur omni Carduorum & aculeatarum seminijs magis exiguum. Estq́ hoc Eryngium tota sua substantia diuersum ab eo quod primo loco descripsimus.

NOMENCLATVRAE.

Germani Eryngion Wallendistel/Brackendistel/Manstrew/Ellend/vnd Radendistel. Cæterum uariant & in hac planta Herbariorum sententiæ. *Diosco. lib. 3. cap. 20.* Sunt enim quibus ea Aster Atticus esse uideatur, eo quod capitula eius spinarum stellato ambitu circumuallantur, alij Leucacantham Dioscoridis esse existimant, propterea quod folia illius quodam̃odo albicent. At meo quidem judicio, quisquis ueterum, præsertim uero Dioscoridis scripta diligenter excutiet, is deprehendet hanc nostram quam modo tractamus plantam, nihil aliud esse quam Eryngion, quod alias Centumcapita uocant. *ἠρύγγιον. Diosco. lib. 3. cap. 22.* Quanquam non desunt, qui Centumcapita diuersam ab Eryngio stirpem esse contendunt, suamq́ sententiam ex Plinij uerbis stabilire conantur. Is enim cum lib. xxij. cap. vij de Erynge, seu Eryngio scripsisset, statim in sequenti capite, herbæ quam Centumcapita uocant, tanquam diuersæ ab Eryngio, historiam subiungit. Serapio etiam cap. xcvi. duplicem herbam nomine Centumcapita proponit, ac primam quidem uocat Astaraticon, Centumcapita, & Byonyon: alteram Iringi & Centumcapita nominat, cuius descriptionem hisce uerbis exequitur.

Sed Centumcapita alba est species spinæ, & sumitur folium eius sale conditum, in principio augmenti sui, & folia eius sunt lata, aspera, in summitate aromatica, quando gustantur, & quando creuerint, fiunt ramuli rubei & multi, & in summitatibus eius sunt capita rotunda sicut stellæ, & in circuitu eorum sunt spinæ, & stipes eius durus, & color capitellorum eius est similis colori Oleandri, aut albus, & fortassis aliquando sicut color Iacinthi, & habet radices longas & latas, nigras deforis, & interius albas, & in grossitudine

situdine pollicis, boni odoris, nascitur in locis petrosis & asperis.

Hæc ille, quæ omnia recte ex Dioscoridis de Eryngio capite translata esse manifestius est, quam ut multis probari debeat. A nobis uero hæc in medium adferuntur, ut rei herbariæ studiosos admoneamus, prima xcix. apud Serapionem capitis parte, per Centumcapita, non Eryngion, sed Bubonion illud, de quo lib. iiij. cap. clv. Dioscorides quoque egit: rursus posteriore eiusdem capitis parte in qua alia herba similiter Centumcapita appellata depingitur, Eryngion hoc nostrum intelligendum, id quod res ipsa clamat, nec multa opus habet probatione. De Iringis lxxxix. capite idem Serapio sub uoce Secacul mentionem fecisse uidetur, qui fit ut nonnulli asserant, Centumcapita, Iringij, & Secacul, hæc inquam nomina ad unum hoc nostrum Eryngion spectare, propterea quod in Auerrhoa Eryngion hisce appelletur nominibus, Elgarzaria, Panicald, Alchartama, Secacul, & Iringi. Quod si hoc pacto scripta ueterũ conferre uelimus, dubiũ nõ est quin magno id cum fructu facturi simus. Sunt uero, ne id prætereamus, qui Secacul Arabum, non Eryngion, sed Sisaron (quod Germani Gerlin uocant, cuius historiam infra ca. cxxxvi. habes) esse uelint, quorum opinio mihi satis probatur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Eryngion cum Onone temperamento & facultatibus conuenit. Vtraq; enim planta calida est & sicca, calculumq; pellit.

INTRINSECVS.

Radix uino decocta, & pota, iocinerum, lienis & lumborum uitijs medetur, tormina inflammationesq; discutit, menses, & urinas pellit, ueneno hausto resistit, drachmæ pondere cum semine Pastinacæ syluestris tusa, & pota.

Affirmabat quidam (teste Aëtio) assiduo Eryngij usu, nunquam postea minxisse calculos, cum prius eo morbo frequentissime uexaretur.

Pota hydromelite radix opisthotonicis, & comitialibus medetur.

EXTRINSECVS.

Radix appensa strumas & parotidas discutere traditur.

Radix tusa & illita aculeos impactos refigit. Cum salso adipe suillo tusa & imposita carnem ab ossibus recedentem retrahit, & nudata ossa carne operit &c.

Sunt qui Veneri & Sappho mirum in modum se placere posse existimẽt, si radicem hanc secum gestauerint.

De Ammi. Cap. CXVIII.

Ammey.



AMMIOS HISTOriam post Carum, Fœniculum, & Anisum exposuissem, si tum temporis cum dememoratis plantis umbelliferis scriberem, uel in hortis meis, uel aliunde recens & uiride Ammi uidere mihi contigisset. Itaq in hunc locum tractationem eius reieci, expectans dum perfectionem & absolutã omnibus numeris maturitatem consequeretur. Sæpenumero equidem in hortis meis semen Ammios exiguũ serui, sed nunquam in his florem protulit, nisi hoc anno supra millesimũ, quingentesimum, trigesimo sexto, quo hæc scribo. Ac animaduerti semen Ammios in fine Aprilis mensis terræ mandandum, quam requirit soli expositã et apricã. Erumpit autem primo exortu binis exiguis, & acutis foliolis, ueluti Petroselinum uulgare, post quę alia subsequuntur subinde auctiora & latiora, quorum nonnulla Fœniculi equini, aut Leuistici aquatici folijs similia apparent. Ammi quamprimum in rotundos, concauos, geniculatos, & surculosos caules assurgit, in fastigijs magnas

Quo anno Tragus commentaria sua de stirpibus conscripserit

nas

nas & perelegantes candidoq; flore refertas umbellas, Aniso fere aut Coriano similes, Iulio mense gerentes. Semen Ammios exiguum albicansq; Autumno apperente cum Fœniculo maturatur, gustu feruidum & acre. Ammi planta est alsiosa, seu æstiua, ut quæ quotannis semine seri necesse habeat, nam postquam defloruit, semenq; maturauit, tota sua substantia, caules, radix & folia pereunt. Ammi proceritatem uiri nonnunquam adipiscitur, multis ramulis & adnascentijs brachiatur, radicem habet rectam, candidã & lignosam.

NOMENCLATVRAE.

Hippocrates Ammi Cyminum regium nuncupauit, quod Germanice Hertzenkümmel interpretari licet. Ægypto olim familiare fuit, pani enim compinsebatur, sicut apud nos Caros. Hoc pacto usurpatum tormina & inflationes uentris sedandi ui pollere traditur. Dioscoridi lib. iij. cap. lxiij. ἄμμι, Ammium alexandrinum, Cyminum Æthiopicum (Germanice Morenkümmel) nominatur. Recentiores & officinæ Ammiũ & Ammeos uocant, Germani Ammey/ Ammi Serapioni cap. cclxxxvij. Nanochach, Anazue, & pomum ancheninon. De Ammi uide Galenum de Simpl. facult. lib. vi. Auicen. lib. ij. cap. lxi. *Quid Ammion proprie sit, uide Manardum lib. 4. epist. 1.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Semen Ammios calidæ & siccæ est temperaturæ, Constantino teste: miscetur derodentibus cantharidum medicamentis, quæ Ecdoria uocant, potest & introsumi aduersus frigidas affectiones.

INTRINSECVS.

Semen Ammios tusum, ac dimidiæ drachmæ pondere cum uino calefacto potum, torminibus uentris, quæ mulierculæ nostræ die Bärmütter uocant, medetur.

Idem semen pari ratione sumptum, ueneno hausto aduersatur, urinam & menses pellit.

EXTRINSECVS.

Semen Ammios tusum, ac cum melle cataplasmatis instar illitum suggillata tollit.


Suffitum cum uua passa aut resina, uuluas purgat.

Folia & caules Ammios, aridi, fomentis, desessionibus, & balneis utiliter adijciuntur, quibus calculosi, & lumborum dolore affecti utuntur.

De Cumino satiuo. *Cap.* CXIX.

S I CVMINVM SATIVVM HORTIS GERMANICIS perinde familiaris esset, atq; Caros, utiq; primo libro post Carum *1. Cuminum satiuum.*

Cuminum satiuum.
Römischer Kümmel.



rum historiam eius prosecutus fuissem. Nunc uero cum peregrinum sit, inter peregrinas quoque stirpes locum suum sortitum est. Est autem hoc Cuminum umbelliferis plantis, cuiusmodi sunt Anethum, Fœniculum, & Anisum, pene consimile, unico plerunque caule, eoque surculoso, folijs Fœniculo quadamtenus similibus, semine copioso, oblongo, ac tali omnino, quale officinæ ostendunt, radice rotundiore cæteris Cumini generibus supra terram fere sparsa, nec intra humum radicante, uti aliarum umbelliferarum plantarum radices. Verno tempore in locis calidis & humidis seri expetit.

2. *Cuminum syluestre.*

Cuminum syluestre, q̃d folia gerit Gingidij hauddũ uidi, nisi forte id sit quod Romani Roßkümmel/hoc est Cuminum equinum nominant, de quo libro primo cap. cxlij. egimus.

NOMENCLATVRAE.

Theophrastus satiuum Cuminum Hemodoron.

Diosco. lib. 3. cap. 62.

Dioscorides κύμινον ἥμερον, Cyminum satiuum nuncupat. Germani Zamen garten kümmel/oder Römischen Kümmel (hoc est, Romanum Cuminum) uocant, Galli Comin.

Syluestre, Germani Roßkümmel/ Latini Rusticum, & Thebaicum, Græci κύμινον ἄγριον uocant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtrisque Cumino facultas inest excalefaciendi, exiccandi, & astringendi: quare utrinque usurpari potest.

INTRINSECVS.

Cuminum satiuum in cibo ueluti & piper usurpatur. Sunt qui cum Cicere arietino, seu pisis concoquant, nec sine præcipua utilitate, siquidem inflationes quasuis & flatus uentris discutit, phlegmata, lentosque incidit humores, stomachique nauseam tollit.

Sunt qui asserant hoc Cuminum cum uino albo a balneo potum, regium expellere morbum, necnon uertigini prodesse.

Cuminum satiuum ex uino dulci sumptum difficultati & ardori urinæ auxiliatur.

EXTRINSECVS.

Cuminum satiuum tusum naribusque inditum, sanguinem inde manantem sistere dicitur.

Idem probe arefactum ac contusum, cumque melle rosaceo, & cera temperatum, ac impositum, testium inflammationibus, collectionibusque auxiliari dicitur, doloremque sedare.

Quod ad reliqua attinet, conuenit hoc Cuminum cum Seseli, de quo sequenti capite dicemus.

De Silere montano officinarum, & omni Seseli. CAP. CXX.

1\. SATVM ILLVD ET ACRE SEMEN SILERIS (VT VOCANT officinæ) montani, in Germania nostra non prouenit nisi satum. Dominus Georgius Ollingerus Norimbergensis ciuis, in horto suo plantam Sileris montani per duodenos iam annos habet, quæ quotannis florem suum profert. 1. *Siler montanū.*


Duo uero Seselis genera in syluis Germaniæ nostræ proueniunt, quorū alterum procerum fundit caulem, eumque non aliter atque Anethum in fastigio umbellas ferentem, in quibus semen a maturitate uidere est oblongum & angulosum, gustanti acre ueluti Gingiber. Radix huius prælonga est, sicut Pimpinellę magnæ, odoris gratissimi, gustus uero acris. 2.

Alterum caule, & foliis euadit altius & crassius, ita quidem ut non raro caules proferat bicubitales, digitumque crassos, uti Cicuta, foliis paucis, iisque 3.

uulgare

Seseli.

Sesel.



uulgare Petroselinum referentibus, sed maioribus, gustuq; acrioribus, deniq; & nigricantioribus uestitos. Vmbellas hij ferunt, exiguis candidisq; flosculis emicantes, qui in semen abeunt latissimum, perq; omnia Pastinacæ similimum, sed non ita scabrum, uerum acrius eadem. Radicem habet hoc

Seseli admodum longam & teretem instar Fœniculi, hyemis patientissimum. Nascitur in altissimis syluis, humo arenosa.

Tertium Seseli, quod folia habet tenerrima, & admodum dissecta sub Pimpinella descriptum habes lib. j. commetariorum nostrorum. 3.

Quartum Seseli Æthiopicum appellatum, quod folio est hederaceo, hauddum uidere mihi contigit. 4.

NOMENCLATVRAE.

Seseli officinarum, teste Manlio in Lumine Siler montanum uocatur. 1.

At id quod oblongo prægnat semine, Dioscoridi σέσελι τὸ μασσαλιωτικὸν, hoc est, Seseli Massiliense, & σφάγνον dicitur, Hippocrati Seli, & Sili appellatũ. Hoc in Gallia Saxifragia maior ab herbarijs existimatur, uide Ruellium lib. iij. cap. xliij. Germani Sesel/oder Langen waldtkümmel/hoc est, Cyminum syluestre oblongum uocabunt. 2. Diosco. lib. 3.

Quod lato instar Cimicum aut Pastinacæ semine est, nobis πλατυκύμινον, latum Cyminum dicitur, Dioscoridi Peloponesiacum nuncupatum. Germani Breitenwaldtkümmel/hoc est, Cyminum syluestre latum nominare possunt. 3.

Quartum quod folia habet incisa, & gustu Pimpinellam æmulatur uerum est Creticum Seseli, quod alias teste Dioscoride lib. iij cap. lvi. τορδύλιον, τόρδυλον, uel ut habet Ægineta Gordylion uocatur. Cæterum Tordylion, siue Gordilion non est Daucus, quem Germani Beerwurtz nominant, ut quidam asserunt, nihil enim cum Dauco, Tordylon commune habet. 4. σέσελι τὸ κρητικὸν

Postremo id Seseli quod hederacea habet folia Dioscoridi αἰθιοπικὸν dicitur, Germanice Mōrenkümmel appellatur. 5.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Inter omnia Cuminorum genera, Seselis tum odore tum sapore excellit, temperatura sua calidum & siccum, quare ad frigidas affectiones utrinque adhiberi potest.

INTRINSECVS.

Plinius lib. viij. cap. xxxij. scribit fœminas in ceruorum genere ante partum Seseli se purgare. Namque omnem frigidum & aquosum humorem, unde Epialus oriri solet, exigit.

Radix & semen in hoc genere præstant, nam ut paucis multa dicamus, faciunt illa ad omnia interanea, pulmones inquam, stomachum, epar, & matricem.

Semen tusum & cum uino albo potum concoctionẽ adiuuat, tormina se-

dat, frigidam & lentam phlegmata, unde Epialus ortum trahit, discutit, inueteratę tussi medetur, obstructiones iocineris soluit; orthopnoicis prodest, stranguriæ quæ à frigore profecta est, conducit apprime.

Radix aut semen in uino decoctum ac exhibitum, suffocationibus mulierum, uuluæ malo nonnunquam concidentium auxiliatur.

Idem medicamentum non tantum urinam, sed & primos & secundos partus trahit: qua de causa ut scribit Dioscorides, capris, cæterisque pecudibus datur in potu, quo facilius suos fœtus enitantur.

Per niuem ituris cum pipere & uino contra perfrictiones bibitur utiliter.

Ad eadē omnia facit et Creticum Seseli, quod Tordylion cognominant.

De Peucedano. *Cap.* CXXI.

1. *Peucedanon.*

PEVCEDANON IN ALTIS VMBROSIS ET OPACIS syluis, ut est Hercynia, & ea quam Germani den Spessart / & quam den Ydar nominant, necnon in Vuasgoia & Monte tonitrui prouenit, radice prælonga, succosa, & amara, quæ supra terram barbam, seu comam canam setis porci similem obtinet, per quam teres erumpit caulis, folijs fœniculaceis, aut pineis potius, (cum Pino enim plus similitudinis quam cum Fœniculo habent meo iudicio) uestitus. Florem profert in muscarijs luteum, semen eius hauddum uidi. Radix effossu difficilis est, cum prælonga sit, & alte in terram demissa. Præterea dum effoditur grauissimum spirat odorem, ita quidem ut nisi munitus quis illam aggrediatur, odore suo deliquium animi inducere ualeat, qua de causa ueteres priusquam illam colligerent, caput & nares rosaceo perfundebant, ne capitis dolor premeret, & uertiginem sentirent. Autumno mense efficacissima creditur, tum enim temporis non raro radici succus concretus quasi & Thuripe ne consimilis adhærere deprehenditur, quod inde fieri credendū est, quando per uermes, aut aliud quoduis incommodum radix uulnerata fuerit. Cæterum liquor hic concretus in medicina præstantissimus est. Quidam radicem in particulas cultro concidunt, alij integram illam in umbra siccant, quæ ratio mihi magis probatur. Eadem postquam effossa fuerit, nigra euadit, alias albicans existens, gustu acris & amarę instar pene Gentianæ. Hodie in hortis meis magna in copia prouenit.

2. *Peucedani alterum genus.*

Alterum illius genus ad Rhenum in arena tenuissima reperi, folijs angustissimis, ueluti Cuminum equinum.

NOMENCLATVRAE.

Germani Peucedano uarias tribuunt appellationes. Alij namque à coma quæ

Peucedanon.
Harstrang.



ma quæ supra radicem cernitur, Harstrang/alij a foliis, et facultatibus Sewfenchel/hoc est, Fœniculum suarium, alij à croceo illo succo Schwebelwurtz/quasi Sulphuratam radicē uocant. In Dioscoride lib. iij. cap. lxxxiij. hæc leguntur illius nomina, πιτυνίδανον, ἄγριον, ἀγριόφυλλον, ἀγαθὸς δαίμων. Pinastellum Sataria. Serapioni cap. cclxxvi Harbatum dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Radix Peucedani & succus eius in medicina apud ueteres ualde comēdātur. Sunt enim calidę & admodum siccæ qualitatis. Sed quis est qui facultates illius radicis satis explicare possit?

INTRINSECVS.

Peucedani radicem, uiscosos, & lentos humores, necnon bilem educendi facultate pollere ueteres prodidere. Quamobrem radix quidem Peucedani uel uino decoqui, & bibi, uel in puluerem redigi & assumi potest, hoc enim pacto thoracis uitia purgat, lentos & frigidos extrahit à pulmone humores. Eadem succus in puluerem

quoque redactus & usurpatus efficit, imprimis uero tussi inueteratæ, à frigore ortum trahenti utilissimus est.

Succus melli mixtus, ac intro sumptus, stranguriæ prodest, serpentium quoque ea ratione ueneno aduersari dicitur. Quisquis ergo ab his sibi timet oleo cui succus Peucedani mixtus fuerit corpus perungat, quod si fecerit ab iniuria serpentium proculdubio tutus erit, nihil enim minus ferre possunt serpentes quam Peucedanon.

EXTRINSECVS.

Radix in puluerem redacta & ex oleo & aceto illita, neruorum uitijs unice prodesse dicitur, Ischiadicis potenter auxiliatur.

Qui spasmo continuo uexantur, succo eius se perungant, & sanabuntur.

Succus cum aceto temperatus auribusq; instillatus, dolores illorum mitigat. Cauernis dentium inditus, dolorem sedare dicitur.

Infantium ramices & procidentes umbilici, si hoc succo illinantur, persanantur.

Succo naribus obiecto, aut puluere indito, non tantum lethargici, sed & uuluæ strangulatus respirant.

Radix & lachryma eius recentibus uulneribus sanandis experimento singulari conducunt, ita quidem ut uel ex ossibus purulenta extrahant.

Radicis puluis inspersu sordida ulcera purgat, & uetera cicatrice obducit.

Alia ex his quæ retulimus iuuamenta Peucedani colligi facile possunt. Nec enim possibile arbitror, omnes eius facultates enumerare.

De Filipendula. *Cap.* CXXII.

HANC PLANTAM GERMANI NONNVLLI Rotensteinbrech/hoc est, Saxifragiam rubeam appellant, quo nomine post Saxifragiam albam, illius mentio facienda fuerat. Sed quia tum præsto non aderat, reiecimus tractationem eius, in huncusq; locum. Est autem planta sane elegantissima si uel herbam & caules, uel florem aut radices spectes, gignitur in altis & lapidosis montibus, ac rupibus. Folia eius Anserinæ haud multum dissimilia apparent, licet propius quod ad diuisuras eorum attinet, ad formam foliorum Pimpinellæ Italicæ accedere uideantur. Caulem habet teretem, sæpe cubitalem. Florem profert in fine Maij mensis pulchrum, candidum. Radicem obtinet torosam, ut quæ in filamenta extenuetur, sed per extrema glandosa, licet non raro quaterna, aut quina

capita

Filipendula.
Roterſteinbrech.



capita uno dependeant quaſi filo, cuiuſmodi & radix Pœoniæ apparet, licet hæc magis exigua, & guſtu amara deprehenditur.

NOMENCLATVRAE.

Vulgo hanc plantam Filipendulam à torulis illis, qui à radice tanquam à filo dependent, nominare ſolent. Germani à colore radicis, necnon facultatibus Rotenſteinbrech/& Wilde garb/hoc eſt, Saxifragiam rubeam, & ſyluestre Millefolium nuncupant. In Dioſcoride libro tertio capite cxxvi. teſte Othone Brunfelſio (cui ego quoq; in præſentia ſubſcribo) οἰνάνθη, λινανθον, & κιρκωνόμιον dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Oenanthe calida & ſicca eſt, à recentioribus medicis in medicandis internis corporis affectionibus plurimum laudata.

INTRINSECVS.

Folia Oenanthes cum ſemine cum uino & melle decocta & pota, ſecundas eijciunt. Sunt qui ad eaſdem cum aqua & melle deſpumato decoquant.

Radix tuſa & cum uino decocta, earundem eſt facultatum. Præterea uri-

nam pellit, ſtranguriæ & ſtillicidio urinæ, & quemadmodum Ægineta ſcribit, morbo quoque regio medetur, necnon quibuſuis ueſicæ paſſionibus conuenit.

Radix in puluerem redacta, & melle temperata ut Eclegma fiat, ſuſpirioſis, & anhelantibus prodeſt, & tuſſim tollit, ſi Plinio credimus.


De Scordio. Cap. CXXIII.

QVANQVAM PRAESENTEM PLANTAM IAM OLIM uideram, non tamen auſus fui Scordium eam appellare, donec doctiſſimus uir Valerius Cordus palam affirmauit illam eſſe Scordium, quod hactenus Galli & Itali non tantum ſuam duntaxat terram proferre iactarunt, ſed & Germanos adeo cælarunt, ut unciam illius aureo coronato eiſdem uendiderint, cuius rei ueriſſimus teſtis eſſe poteſt Dominus Georgius Ollingerus Norimbergenſis Simpliciſta, qui ipſe tanto ab his emit pretio Scordium. Nunc uero & Germanis ea herba innoteſcere cœpit, ut quæ facile reperiri poſſit. Quanquam enim non ubique locorum gignatur, tamen non in paucis locis affatim luxuriat, potiſſimum uero circa Norimbergam. Cum namque ſuperioribus annis ea in ciuitate comitia celebrarentur, Scordij recens herba ad menſam Sereniſſimi Romanorum regis Ferdinandi allata fuit, quam cum ſereniſſima eius maieſtas (cui non ſolum Scordium, uerum pleræq; & innumeræ aliæ plantæ probe cognitæ ſunt) uidiſſet, mirata eſt ſupra modum Scordium in ſolo quoque Norico gigni. Hæc eo mihi dicũtur, ut nemini obſcurum ſit, Scordium æque in Germania nobis naſci atq; Cretenſibus in Creta, aut Gallis & Italis in Gallia, Italiaue. Proinde ut hiſtoriam Scordij aggrediamur, gaudet illud ſolo humecto, & nullo negotio quocunque in loco ſiue ſemine, ſiue ſurculo ſeratur, germinat celerrime. Ac ubi terræ alicui aſſueuerit, longe lateq; ſerpendo ſe propagat, ac undique exiguis fibris adhæreſcit, non aliter atq; Pulegium. Caules quos in altum erigit, quadranguli ſunt, ac prope faſtigia purpurant, utrinque rugoſis & ſerratis folijs, Gamandreæ uulgari prope cõſimilibus, odore ingrato, & Allium pene æmulantè præditis, ueſtiti. Inter folia & caules flores erumpunt ſubrubri, è folliculis exiguis exeuntes, ſicut & floſculi vrticæ, quam Germani Bynſaug uocant, quibus decidentibus minutiſſimum in ijs uaſculis reperitur ſemen. Radicem obtinet capillatam, cuiuſmodi omnes Serpentariæ plantæ habent. In hunc fere modum Scordium Mithridatis manu depictam, Crateuas herbarius olim uidit.

NOMEN.

Scordion.

Lachenknoblauch.



NOMENCLATVRAE.

Cum secundum paludes nascatur Scordium, præterea odore quoq; Allij sit, uolui Germanice Lachenknoblauch/quod est, si interpreteris Allium pa-

lustre, uocare. Latini à foliorum forma Trixaginem palustrem nominant, rura Gallica, ut inquit Ruellius Chamaram. In Dioscoride lib. iij. cap. cxvi. σκόρδιον, σκόρδιον, πλωρῖτις, ἀύσσομον, καλαμίνθη ἀγρία, χαμαίδρυς, μιθριδάτιον, ἄμα πολύτις, & ἀφῶ nuncupatur. Vtut uero appelletur, Deo agendæ sunt gratiæ, cuius beneficio Germaniæ quoque Scordium innotuit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Scordium uim excalfactoriam habet, & omnia uiscera purgandi facultatem obtinet, qua de causa Theriacæ inter cætera miscetur. Cęterum haud uulgariter hactenus à pharmacopæis erratum fuit, qui pro Scordio tam salutari planta in Theriacos pastillos Allium syluestre inseruerunt. At spero bonos seplasiarios errorem hunc in posterum emendaturos.

INTRINSECVS.

Scordium siue recens, siue aridum è uino potum, serpentium ueneno aduersatur, interanea omnia purgat, urinam & menses cit. Præterea conuulsa ruptaq́ue, & laterum dolores ab obstructione & frigore natos sanat, potu.

Scordium cum Nasturtio sumptum facit ad ueterem tussim, potest uero ad eadem herbæ farina cum melle in eclegmate misceri, præsertim cum exulceratum est pectus & purulenta excreantur.

Succus ex herba expressus & potus ad omnia ea quæ diximus multo est præstantissimus efficacissimusq́ue.

EXTRINSECVS.


Scordium recens impositum uulnera conglutinat, uetera ulcera purgat, & ad cicatricem perducit. Quid multis? ad multa facit tam interna quam externa mala, siue siccum siue recens Scordium.

De Botry. *Cap.* CXXIIII.

INTER OMNES AESTIVAS PLANTAS VIX ALIAM quamcunque reperias, quæ æque copioso tum flore tum semine emicat, atq́ue odorata hæc herba, Botrys appellata, quę tametsi nō omnibus locis familiaris sit, tamen non ita pridem in humidioribus hortis plantari cœpit. Ea Maio mense primo exortu exigua dissecta, rubra & lanuginosa fundit folia, humi procumbentia, post quę subinde longiora subsequuntur instar Cichorij fere, quod Germani Sonnenwürbel uocant, incisa.

Botrys.

Traubenkraut.



sa. Deinceps caules prodeunt teretes, in multas alas sparsi, paucis, & angustissimis uestiti foliolis, florem gerentes, ab imis partibus ad summas usq;, exiguum, copiosum, subluteum. A maturitate, quam Augusto mense consequitur, semine racematim ramulis adnato, suauissimi odoris, rotundo & Coronopi seminio minori prægnans conspicitur Botrys. Radicem insuper habet breuem & lignosam, ueluti Anethum. Botrys alsiosa est, hyemisq; impatiẽtissima, ita ut quotannis e semine proprio repullulascere necesse habeat. Estq; fertilis omnino planta, ubi enim semel sata fuerit, ibi affatim postea luxuriat, nec opus habet ut deinceps seratur, quin sponte sua ex deciduo semine sese ipsa propagat.

NOMENCLATVRAE.

Germani hanc herbam Traubenkraut / a semine quod racematim ramulis adnascitur, necnõ Gewand oder Mottensamen / propterea quod, Parisiensibus matronis magno studio hæc planta quæritur, pecunijsq; redimitur, solent enim illam odoris gratia uestiarijs arcis pannis linteis, curiose interponere, ut odoris gratiã contrahant, uocare possunt. Scribit Ruellius lib. iij. cap. lxi.

Gallis uulgo Piimen, uel Pigmen nominari, quod Germanice Gewandsalben interpretari licebit, quasi dicas vnguentum uestiarium. Dioscoridi lib. iij. cap. cxxi. βότρυς, à semine quod racematim circa totam plãtam nascitur. Alij Artemisiam nominant. Cappadoces Ambrosiam.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Cum gustu amara sit Botrys, calidam & siccam esse iudico.

INTRINSECVS.

Planta est odorata, quæ cum uino pota non nisi recta ceruice spirantibus auxiliatur. Existimo autem herbam in puluerem redactam eclegmati admisceri, & ita ad orthopnœam usurpari posse.

EXTRINSECVS.

Vestibus interposita Botrys iucundo illas commendat odore, quo nomine à Parisiensibus matronis studiose colitur. Vide Ruellium libro tertio de natura stirpium cap. lxi.

De Campanula syluestri, seu Digitali.
CAP. CXXV.

IN ALTISSIMIS, ET OPACIS SYLVIS, NECNON TEnebrosis & uliginosis uallibus Herciniæ, & eius quam den Ydar uocant Germani, & Vuasgoię, potissimũ uero ijs in locis ubi Carbonarij & Fabri ferrarij, carbones & ferrum conficiunt, hæc planta quam modo describere constituimus hac facie prouenire solet. Flores Iulio & Augusto mensibus ostendit, forma campanulas referentes. Folia habet nigricantia, longa & lata, per ambitum serrata, Verbasculo (de quo supra lib. j. cap lxxij) quadamtenus similia, sed nonnihil angustiora. Iunio mense è breui & capillata radice, teretem emittit caulem, cubitalem, à cuius lateribus ordine dependent flores campanulam referentes, eosque in nonnullis luteos, in alijs uero purpureos, omnes uero inodoros. His decidentibus in rotundis calycibus seu torulis potius, Blattariam (de qua infra ca. cxlvi) æmulantibus, semen oblongum, & latum à maturitate reperitur.

Campanulæ syluestris, seu Digitalis duo genera.

NOMENCLATVRAE.

Dioscor. lib. 4. cap. 99.

Quod ad caules & folia attinet, posset hæc planta Verbascis adiungi. At

Campanula syluestris, seu Digitalis.
Waldtglöcklin/oder Fingerkraut.




At si uel florem uel facultates eius spectaueris, uidetur sane ad Galiopsim referenda. Sed appellet eam quisq; ut uolet. Nos a` flore, qui campanulas imitatur, Campanulam, seu Nolam syluestrem, Germanice Waldglöckē/ oder wald schellen/interea nuncupabimus, dum commodius emergat nomen. Sunt qui Digitalem, Germanice Fingerkraut appellent. *Diosco. lib. 4. cap. 90.*

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Cum herba hæc amara sit, facile colligi potest, illam natura sua calidam & siccam esse. Itaque usus illius in ijs extare potest, quæ excalfactionem, extenuationem, abstersionem, & purgationem expostulant.

De Mandragora. Cap. CXXVI.

Mandragora/Alraun.



QVAE DE MANdragora, eiusq; sub patibulis nascẽtis periculosa euulsione, agyrtæ & circumforanei illi impostores fabulentur, hactenus non solũ audierunt plerique, sed & uiderunt, nebulones illos radices humana utriusque sexus imagine insignitas, uenales circumferre. Quas quidem imagines fictitias, manuq; ex Bryonię radicibus factas certo constat. Solent namq; illi Bryoniæ radici (ut diximus) effigiem humanam utriusque sexus insculpere, posteaque in calida arena conseruare, in qua ubi aliquandiu detentæ fuerint eę imagines, contabescunt, ac aliam arte faciem induunt, apparentq; è terra ita natæ. Hoc pacto miseri & imprudentes homines decepti Bryoniam pro Mandragora emunt. Quanquam uero imposturæ tam in his quam in aliis rebus nullus est finis, nemo tamen hodie est, qui illi se opponat, eamq; è medio tolli curet, quin quod deplorandum sane est, cum in mundo hodie summo loco haberi, qui aliis arte quadam imponere nouerit, ut recte ille dixerit, Mundus uult decipi, darumb sein wir hie. Proinde sciant omnes Mandragoras

dragoras agyrtarum, nihil aliud esse quam meras imposturas. Mandragora namque ueterum, licet humano corpori quadamtenus similis esse appareat, maxime si inferiores partes radicis spectes (unde à Pythagora ἀνθρωπόμορφος proculdubio uocata fuit Mandragora, quæ appellatio impostoribus his occasinem fictitiæ suæ Mandragoræ dedit) tamen tota sua substantia Mandragoræ agyrtarum fictitiæ, prorsus non respondet, id quod ex descriptione eius facile intelliges. Ea namque radices habet bene magnas, Raphano nigricanti & longo similes, easq; binas ternasúe inter se conuolutas. Duo Mandragoræ Dioscoridi sunt genera, mas scilicet & fœmina. Maris folia lata, læuia, candida, humi procumbentia ut Betæ. Hic caule uiduus est. Poma fert secundum folia satis magna, colore in crocum inclinante prædita, iucunde cum grauitate quadam olentia. Hoc Mandragoræ genus in syluis opacis & tenebrosis prouenire dicitur. *ἀνθρωπόμορφος.* *1. Mandragora mas.*

Fœmina folijs est angustioribus, & minoribus quam Lactucæ, in terra sparsis, caule & ipsa orbata. Mala gerit secundum folia è radice prodeuntia, pallida, odorata, Sorbis aut Mespilis quod ad magnitudinem attinet similia, in quibus semen ueluti pyrorum. Atque hæc hactenus, nam cum Mandragora mihi nunquam uisa sit, non est quod pluribus de ea agam. *2. Mandragora fœmina.*

NOMENCLATVRAE.

Tempore messis Mandragoræ maturantur, eo namq; tempore à Ruben filio Leæ matri ex agro allatas testatur Moses Genesis xxx. Dicuntur autem Mandragoræ quod ad mandras pecorum aliasq; speluncas proueniant. Dicuntur etiam Latinis Mala canina & terrestria (Germanice Erdtöpffel/vnd Hundsöpffel.) Mandragora mas ueteribus quibusdã Morion, aut Norion, Fœmina Thridacias à folijs Lactucæ similibus appellatur. Mandragoram (quam Germani Alraun uulgo uocant) alij teste Dioscoride cap. lxxiiij. lib. iiij uocant Antimalum, alij Circæam (quod ad amatoria radix eius facere uideatur) alij Xeranthes, aliqui Antimnion, alij Bombochylon, nonnulli Minon, Ægyptij Apemum, Pythagoras Antropomorphon, alij Alæten, alij Thridaciam, alij Cammaron, Zoroastes diamonon aut Archinen, Magi Hemionos, aliqui Gonogeonas) Romani Caninum malum, alij terrestre malum. Serapio cap. cccxxxiij. Iabora uocat. Auerrhoes Lephaa. *Mandragora unde dicta.* *κιρκαία.*

Dauid Kyberus ad Lectorem.

MANDRAGORAM Hebræi uocant דודאים Dudaim, Chaldæi יברוחין Iabruchim pluraliter, Nam singulariter דודאי Dudai, & יברוח Iabruach *Genesis 30.*

Iabruach dicitur. Quid uero Hebræi commentatores de Mandragora sentiant, in gratiam studiosorum tam linguæ sanctæ quam rei herbariæ, annotare non pigebit. Ac primum quidē in Dictionario suo Kimhi ita explicat
והם שרש עשב שהוא כדמות אדם זכר ונקבה מנדרגולש בלעז
Hoc est, Mandragoræ (Dudaim) sunt, radix herbæ, quæ habet similitudinē hominis, tam uiri quam mulieris, & dicitur Mandragoras in uulgari lingua. Rabi Salomon dicit esse herbam סיגלי Sigle, & in lingua Ismaelitica יאסמין Iasmin, cui reclamat Rabi Moses Nehemanides doctissimus interpres, & dicit Iasmin aliam esse herbam quandā hoc nomine apud Arabes uocatam. Addit insuper expositionē ipsius Onkelos Chaldei (qui Mosen in linguam Chaldaicam optime traduxit) accipiendam, qua pro דודאים Dudaim reddidit יברוחין Iabruchin, sic enim apud Arabes quoque Mandragoras uocari. Postea Rabi Abenezræ sententiam citat, qui de Dudaim ita scripsit (Chaldæus Iabruchin transtulit, & sic uocantur in lingua Ismaelitica, & habet optimum odorem, sic enim scribitur in Canticis Salomonis capite vij. Dudaim dederunt odorem, & sunt forma hominis, habent enim similitudinem capitis & manuum, & sunt qui dicant quod prosint ad conceptum, quod tamen ego nescio quomodo fieri possit, cum naturæ sint frigidæ.) Hactenus uerba Abenezræ, quibus iam dictus Nehemanides subiungit. Videtur mihi (inquit) Leam Mandragoris propter bonum odorem delectatam, nec conceptionem medicinali herba, sed precibus a Deo impetrasse. Quare attulit illi Ruben filius ramulos de Dudaim (id est, Mandragora) aut fructus eius qui sunt sicut mala, & sunt bene odorati. Sed radicem (Mandragoræ) quæ habet effigiem capitis & manuum non attulit, de ea nempe dicunt aliqui quod conceptionem iuuet, quod tamen ego in nullis medicorum scriptis unquam legi. Hæc ille. Paulo post recitat idem Nehemanides sententiam quorundam, qui dicunt Dudaim, id est, Mandragoras, herbas esse quæ venerem stimulent, & ad amorem mulierum incitent, unde dicunt hi דודאים Dudaim, a uoce Hebræa דודים Dodim, quę significat amores, deriuari. Hactenus illi: quib⁹ paucis, quid Elias Leuites Germanus in suo Chaldaico Lexico de Mandragoris dicat, subiungemus. Sic ergo ille scribit.

In Serapione ca. 276. herba quædam Iesemin appellata describitur

Serapionis enim Iaboracā Iabruach non nisi mutatis uocalibus distat.

Dioscorides quoque dicit nonnullos Mandragorā Circæam appellare, quoniam uideatur radix ad amatoria conducere.

דודאים בשרת יברוחין בחקלא בראשית ל׳ בלאאלרוינן ובלע״ז
מאנדראגולי הוא מין פרח שריחו טוב. אבל הדודאים נתנו ריח
שיר ז׳ בלא וויאלן
Hoc est,

Et inuenit Ruben Dudaim, hoc est, Iabruchin, id est, Mandragoras in agro, Genesis xxx. significant eæ uoces in lingua Germanica Alraunen, in Hispanica uero Mandraguli, & est species stirpis admodum bene odorata. Sed quod dicitur Canticorum vij. Dudaim dederunt odorem, exponitur in lingua Germanica Veielen/hoc est violæ. Hæc ille. Exposui sententiam

Hebræo-

Hebræorum de Mandragoris, iudicet æquus lector, & in bonam partem, quod bono animo à nobis scriptum est, interpretetur. Et hæc hactenus, nunc ad institutum reuertamur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Mandragoræ mala in ijs regionibus in quibus gignuntur ab incolis interdum eduntur, quæ edenti somnum inducunt, ut quæ natura sua sint frigida & sicca, potissimum uero radicis cortex, qui in aëre suspenditur, & siccatur, ne mucilagine delibratus corrumpatur, earum est facultatum: quare summa cura & cautione illo uti conuenit, præsertim si internis sit adhibendus partibus.

INTRINSECVS.

Multa de Mandragora ueteres scripsere, quæ hic persequi animus non est, satis fuerit unum & alterum medicamentum cui Mandragora admiscetur perstringere.

Succus radicis expressus, duobus obolis ex mulso potus, & ueratrum, per uomitiones bilem atram pituitamq́ extrahit. Insanorum uero hæc est medicina.

Cortices radicis Mandragoræ uino decocti, exhiberi possunt, ante sectiones & ustiones, ne sentiantur.

De Mandragoræ facultatibus qui plura scire laborat, legat Dioscoridē lib. iiij. cap. lxxiiij. & Plinium lib. xxv. cap. xiij.

EXTRINSECVS.

Folia Mandragoræ recentia imposita, recentia uulnera sanare dicuntur. Idem radicem cum oleo & melle tritam & illitam posse asserunt.

Trita radix, ignibus sacris ex aceto medetur, strumas atq; tubercula cum aqua dissipat, articulorum cruciatus, cum polenta sedat.

Si quis nimium Mandragoræ succi hauserit, ita ut nimio ueterno ne opprimatur periculum sit, ei caput rosaceo, & aceto perfundatur, piperq́; aut aliud quoduis quod sternutamenta ciet, naribus olfaciendum obijciatur. Vide Dioscoridem lib. vi. cap. xvi.

De Mandragora tertia, quæ apud Theophrastum Morion cognominatur, supra libro primo, cap. ci, disseruimus. *Mandragora Morion.*

De

De Malis insanis. Cap. CXXVII.

Mala insana.
Dollöpffel.



QVAE VVLGO Mala insana uocantur, ea è Neapoli in Germaniam commigrarunt, quanquam Germanis minus conueniant, ùt quæ non facile, præsertim annis pluuiosis et frigidioribus, in nostris regionibus proueniant. Quod ad me attinet, primum omnium à Domino Ollingero è Norimberga eorum semen, piperi Indico (de quo paulo post) fere consimile, sed non perinde acris gustus, luteumq; colore, accepi. Hoc in fictilibus primum plantare necesse fuit, in quibus angusta, & acuta primo exortu eruperunt foliola, quæ sequuntur alia nigricantia, forma sua Solani syluestri (quod Mandragoram Morion alias appellant) similia, sed tactu aliquantum asperiora. Singuli frutices unico rotundo contenti caule, qui è breui & capillata prosilit radice, dimidium fere cubitum altitudine æquant. Inter purpureum hunc caulem, & folia, elegantissimi prodeunt flores, alij purpurei, alij albi, stellati, singuli asperis pediculis

diculis nitentes, qui Autumno appetente in oblonga abeunt & aspectu ele gantissima mala, granis referta, alia purpurea, alia lutea. Planta est speciosa, aspectu ut diximus, gustu uero & sapore non perinde grata. Est autem alsiosa, frigorisque impatientissima, sicut & Cucumeres, quare quotannis semine seri illam necesse est.

NOMENCLATVRAE.

Germani Italos imitati Melantzan/ & Dollöpffel/ hos fructus appellant, Latini Mala insana, & iure quidem, cum ad sanitatem nihil faciant, & difficulter concoquantur. Hermolaus Barbarus putauit hunc fruticem tertiam esse Mandragoram, Morion cognominatam apud Dioscoridem lib. iiij. cap. lxxiiij. cuius sententia quidam putant minime reijcienda fuerit, cum descriptio Dioscoridis huic plantæ satis fauere uideatur. Cæterũ obseruandum est, Mandragoram Theophrasti lib. vi. cap. ij. (cuius fructum his uerbis autor depingit ἴδιον δὲ ὁ καρπὸς τοῦ μανδραγόρου, τῷ μέλαν τι καὶ ῥαγῶδες, καὶ οἰνώδη εἶναι τῷ χυμῷ) nihil cum his insanis malis commercij habere, est enim alia & peculiaris planta, nimirum ea quam sub Solanis descripsimus.

μανδραγόρας μώριον.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.


Speciosa hæc, sed male sana mala frigidæ sunt & humidæ temperaturæ, & meo iudicio sicubi necessitas id postularit uices Mandragoræ obire possunt. Sed hoc certum est prædicta mala his qui sanitatis studio tenentur minime utilia esse. Qui nobis hac in re credere noluerit, is cruda hæc poma degustet, & sentiet uera nos dixisse. Si quis uero fuerit, qui in cibo his uti uelit, is artem apparandi illa à Gallis & Italis discat. Mihi enim animus non est pluribus illa uerbis persequi, cui satis fuerit in hortis ea, cum elegantia solum & pulchritudine placere possint, inter cætera quæ uisum delectãt, spectare.

De ea quam Stramoniam uocant. CAP. CXXVIII.

HVIVS QVOQVE PLANTAE (QVAE ET IPSA NON minus quam superiori proximo capite descripta, alsiosa est) semen è Norimberga ad me misit Dominus Georgius Ollinger, quod terræ à me mandatum Maio mense prima eruptione duo produxit angustissima & acuta foliola, primis Atriplicis satiuæ recens erumpentis similia, post quæ subinde alia & maiora prosiliunt, aliquantum lata Atripli

cis

Stramonia, seu Pomum spinosum.
Stechöpffel.



cis satiuæ, aut Solatri formam fere representantia, quod ad mucronatos ipsorum apices attinet, tenera, & læuia, cineracei coloris. Hinc caulis subsequitur, binum dodrantum, surculosus tenerrimis uestitus folijs, cui radix est capillata, & contorta, seu implicata. In fastigijs caulis & ramulorum, calyces uirides, rotundi, digitumq; longi tandem nascuntur, qui cum fatiscere cœperint, flores prorumpunt candidi, longi, cymbalaris figuræ, quaternis in extremitate prominentibus apicibus, in modũ pene albi Lilij, odoris gratissimi. His pereuntibus mala demum aspera procreantur, intus granulis seu seminibus exiguis & læuibus referta. Frutex hic frigoris impatientissimus existit, ut qui ne pruinam quidem ferre possit, qui fit ut quotannis semine hunc serere oporteat.

NOMENCLATVRAE.


Venetijs hoc pomi genus Melospinus, & Paracoculi dicitur (alijs Stramonia) Germanis Rauch/ oder Stechöpffel/ hoc est, Malum asperum, seu spinosum appellari potest. Quod ad formam attinet Mandragoris, aut Strychnis accenseri queat.

Facultates

Facultates eius quod ad me attinet experiri nolim. Quapropter eas alijs describendas relinquam.

De Vesicaria nigra, seu peregrina. CAP. CXXIX.

Schwartze/oder welsche Schlutten.



VESICARIA ISTHAEC non tantum peregrina est, sed etiam in nostra Germania cum æstas fuerit pluuiosa, & frigidior paulo, læte prouenire & fructum edere recusat. Caulem habet surculosum, folijs dissectis seu laciniatis, vitis syluestris frondi forma consimilibus, sed uiridioribus, & tenerioribus uestitus, cubitalem, clauiculis quas habet Bryoniæ instar tenuissimas, proximis quibusq; fruticibus sese alligantem, flore emicātem perexiguo, rotundo, ex albo in pallidū uergente. Hic in uesicas abit, in quibus semina reperiuntur nigra, rotunda, Ciceris arietini magnitudine prædita, quæ si singula seorsim spectentur, cordis albi in nigro exculpti & incisi, aut capitis monachi rasi in cuculo nigro effigiē repræsentare uidentur. Et hic frutex alsiosus est, & calidioribus terris fœlicius prouenit.

NOMENCLATVRAE.

Hanc plantam Germanice Münchs köpfflin/hoc est, Caluariam monachi, & Schwartz/oder welsch Schlutten/ id est, nigram seu peregrinam vesicariam uocare in præsentia uoluimus, cum neque de alijs nominibus, neque facultatibus illius quicquam nobis constet.

De Pomo mirabili, siue Hierosolymitano. CAP. CXXX.


1. Balsamina. INTER OMNIA AESTIVA POMA, QVORVM ALIquot genera proximis hisce capitibus descripsimus, hæc quæ modo præ manibus habemus elegantissima & speciosissima sunt. Sed & ipsa quotannis ex semine quod ex cano nigricat, et asperum, ricinoque animali simile apparet, seritur. Folia eius necnon caules Bryoniæ respondent, nisi quod illa uiridiora, speciosiora, teneriora, & hi magis tenues & teneri sunt. Clauiculas multas habet quibus proximis quibusque fruticibus se illigat, quamobrem ubi primum excaulescere cœperit sarmentis seu palis suffulcienda erit ut illis alligata à uentorum iniuria tuta esse queat. Flores ex albo in luteum languescente colore sunt præditi, quæ uero hos sequuntur poma, carnosam habent cutem, per uersus uerrucosam, ac rigidioribus bullis intumescentem, Cucumeris syluestris instar. Tarde maturantur in Autumno, intus speciosa, & sanguinei coloris.

2. Balsamina altera. Aliud uero Balsaminæ genus à nonnullis statuitur, quod huc quoque referunt. Planta est caule ex uiridi rubescente, crasso, folijs Salici similibus, per ambitum serratis, flore purpureo, forma ad Consolidæ regiæ flosculos accedente, post quem mala sequuntur primo herbacea, dein pallida luteaue & pilosa. Hæc in Autumno quoque maturantur, si solem habuerint propitium, quo si destituuntur non proueniunt. Norimbergæ, anno supra sesquimilesimum, quadragesimo, magna in copia hæc poma prouenere.

NOMENCLATVRAE.

In Hetruria hæc planta, Pomum Hierosolymitanum, Liguribus Padanis Balsamina, Gallis Pomum mirabile, Italis Charantia, nonnullis Mamortica, Germanis Balsamöpffel dicitur. Hebræis תפוח ירושלמי Thappuah Ieruschalmi non inepte appellabitur. Barbarus in corollario

Balsamina, seu Pomum mirabile.
Balsamöpffel.



eius quoque meminit, Charatiam nominans, nec plura mihi de nomenclaturis eius constant.

VIRES AC TEMPE-
ramentum.

Cum nihil certi de appellationibus huius plantæ habeam, nihil etiam certi de facultatibus eius affirmare possum. Hermolaus oleum ex Balsamina primi generis seminibus exprimi scribit, ad uulnera præcipuum. Alij asserunt poma hæc in oleo macerari, idq; postea uulneribus glutinandis mirifice prodesse, ita quidem ut si equo nigro auriculam præscindas, albo postea equo, cui itidem sua præcisa sit, ut huius olei agglutinare possis, & contra. An uero sic se res habeat, mihi non constat. Autor Pandectarum multa de illa scribit.

De Saponaria. Cap. CXXXI.

Speichelwurtz/oder Seiffenkraut.



Cvm de herba cruciata libro primo cap. xxxiiij scribere cõstituissem, nondum uideram Saponariam hanc. Ac in ea aliquandiu opinione fui, ut putarim herbam cruciatam eam esse quæ Dioscoridi Struthion, uulgo uero Saponaria dicitur, cum non multũ ei absimilis esse uideatur. Quamprimum uero Saponaria mihi uisa fuit, errorẽ agnoui. Proinde multis hodie etiamnum Saponaria ignota & peregrina existit, quanquam nõ solum utilitatis sed & formæ gratia, notissimam illam esse præstaret. Est enim frutex speciosissimus, caule piloso, & multis geniculis interstincto, folijs angustis genicula ambientibus, quæ Milio solis quadantenus respondere uidentur, licet, si rerum formas exactius considerare uelimus, ad uiolam agrestem de qua supra libro primo cap. cxciiij. quamproxime accedat hęc planta, non solum quod ad folia, sed & flores, caules, genicula, & radices attinet, qui fit, ut ad unum & idem genus Saponariam, & uiolãm agrestem referendam esse nemo mentis compos inficiari possit.

NOMEN.

NOMENCLATVRAE.

Saponariam Germani Spatzenwurtzel/Speichelwurtzel/Weschkraut vnd Seiffenkraut/appellant, propterea quod Monachi nonnulli & Cœnobitæ (præsertim pauperes illi Franciscani qui conqueruntur se non habere pecunias, ut saponem & alumen emant) illa lauandis cucullis alijsq́ʒ uestimentis utantur. Latinis Lanaria, Radicula, Herba fullonum, Saponaria Officinis Condisi, Serapioni cap. ccclij. Condes, Dioscoridi deniqʒ στρύθιον dicitur, alijs Cerdon, alijs Catharsis, alijs Struthocamelus, nonnullis Chamærrhyton, magis Challirrhyton, Ægyptijs Oeno, Pœnis syris, Vide Dioscoridem lib. ij. cap. clij.

Auerrhoes Helleborum album Condisi uocat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Radix hæc ut admodum calida sit, necesse est, id quod non solum gustus, sed & facultates & iuuamenta eius manifeste arguunt. Apud ueteres magni fuit in utrisque corporis humani partibus medicandis usus.

Hinc forte medicis olim Aureum poculum fuit appellata hæc planta.

INTRINSECVS.

—— Radix Saponariæ drachmæ dimidiæ plus minus pondere cum melle sumpta, crassa & glutinosa thoracis uitia incidere & educere dicitur.

Eadem iocinerosis, lienosis, orthopnœæ, tussiqʒ prodest. Vrinam ciet, menses trahit, aluumqʒ soluit. Proin & venerem fatigatam uiris reparare & instaurare traditur.

EXTRINSECVS.

Radix foris usurpata secundos partus, necnon mortuos trahit, quare cum iudicio illa utendum censeo.

Succus radicis, aut puluis naribus attractus, cerebrum purgat, nam sternutamenta mouet, sicuti Helleborus.

Apud ueteres ocularibus collyrijs claritatis causa radix hæc miscebatur.

Eandem tuberculis discutiendis tusam, cum lepras, & malam scabiem tollere cupiebant, aceto uel uino decoctam illam imponebant, uel ex melle illinebant. Hodie ut diximus à mendicantibus nonnullis cœnobitis, eluendis uestimentorum maculis, sordibusqʒ saponis uicem exhibet.

De Staphide agria. *Cap.* CXXXII.

SI PEDICVLARIA ISTHAEC, CVM CAPVT OCTOgesimum tertium primi libri scribere constituissem, ad manus

Staphis agria.

Leüßwurtzel.



mihi fuisset, eo in loco mentionem eius quoque inter cæteras pedicularias fecissem. Sed de ordine fortasse non opus est ut plus æquo solliciti simus, modo stirpes ipsas cognoscamus. Itaque relictis his historiā aggrediamur.

Pedicularia, quam hoc capite tractamus, folijs est plerunque sex aut septem, interim & paucioribus incisuris diuisis, caule terete, flore violæ formam repræsentante, eoq; subcæsio. Hoc decidente folliculos profert herbaceos, in quibus semen acre triquetrum, Ciceris instar, continetur. Herba hæc uoluptatis potius quam utilitatis gratia hodie in hortis plantatur

NOMENCLATVRAE.

Sunt qui præsentem plantam, propterea quod pediculos & lendes enecat, ueram Pedicularíam esse statuant, & eam quidem, quæ Dioscoridi σταφὶς ἀγρία lib.iiij.cap.cl. dicitur. Sed cum descriptio Staphidis agrias non plane huic Pediculariæ nostræ respõdeat, dicemus eam Staphidis agrias speciem esse, non ipsam Staphidem. Alij Pituitariam Latine, Speichelwurtzel Germanice appellant, quod commanducata feruore multam pituitam trahat, non aliter atque Pyrethrum. Quod si Staphidis agrias species sit, quemadmodũ diximus, alij apud Diosc. Triphyllon (nimirum à foliorũ forma) alij Stesion, alij Astaphida, alij Phthiroctonon, alij Phthirion, alij Apanthropon, alij Polyides, alij Arsenoten, Ægyptij Ibesoaden, Romani Herbam pedicularíam uocant. De his appellationibus plura dici possent, sed alijs ea discutienda relinquo. Nos Germanice hanc plantam Leüßwurtzel/Nüßmörder/vnd Speichelwurtzel/semen uero, Meüß vnd Rattenpfeffer/hoc est, Piper murium aut glirium in præsentia appellabimus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pedicularia in quarto est ordine excalfacientium & desiccantium. Debetq; externis potius quam internis corporis partibus adhiberi.

INTRINSECVS.

Grana quindecim si trita in aqua mulsa dentur, crassum humorem per uomitum purgare ueteres testantur.

Ego nucleis eius ad purgationem uti nolim, nam feruore suo fauces lædunt. At gliribus & muribus cibos eo semine condiam, ubi plus æquo mihi molesti fuerint.

EXTRINSECVS.

Eadẽ trita, & ex oleo illita, phthiriasi prosunt, pediculosq; & lendes tam in hominibus quam iumentis, interficiunt, prosunt & prurigini & psoris.

Radix cum semine in aceto decocta, colluto ore dentiũ dolori subuenit.


Vlcera oris manantia sanat, sed melle prius illam temperare conuenit, ne acredine sua & feruore lædat.

Plura alia ex his quæ diximus colligi poterunt. Facit enim hæc planta ad malas scabies, & papulas serpiginesq;, & psoras, aliaq; id genus uitia hominum, necnon iumentorum, quæ nullo alio remedio curari potuerunt.

Pastilli præstantissimi purgandis gliribus, & muribus, si radix uel semen in puluerem redactum cum farina decoquatur.

De Sphatula fœtida, seu Gladiolo Italico. CAP. CXXXIII.

Welsch schwertel/ oder Wandtleüßkraut.



GLADIOLVS HIC in Italia frequens est, apud nos nō nisi satus prouenit. Folia fert angusta, acuta, exigua, uulgari Gladiolo, potissimū uero luteo quadamtenus similia. Caulem habet rotundum, in cuius fastigijs oblongas uidi siliquas, Pæonię pene similes, quæ si Autumno maturitate dehiscere cœperint, semen ostendunt rotundum, & rubrum, & adeo acre ut fauces quasi ureret. Florem non uidi. Radix eius quam uidi candida erat, rotunda, & multis capillamentis fibrata, gustu similiter feruido prædita.

NOMENCLATVRAE.

Hæc planta quibusdam Wandtleüßkraut/hoc est, Cimicum herba dicitur, à necandis cimicibus. Officinis Sphatula fœtida, quod grauem exhalet odorem, appellatur.

VIRES.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vehementer acrem qualitatem, tum radix tum semen Sphatulæ fœtidæ obtinet. Proinde natura sua sicca est, & posset meo iudicio corrosiuis (ut uocant) medicamentis misceri.

EXTRINSECVS.

Succus huius plantæ expressus manantem, humidam, simulq; serpentem scabiem illitu sanat. Si cui libet, is & erodentibus medicinis adijciat, periculumq; quid possit, faciat. Est enim corrosiuum uehementer adurens, ijsq; qui pustulas curant, probe conueniens.

De Cyclamino. *Cap.* CXXXIIII.

A CRES ISTAE PLANTAE QVAS ALIQVOT HISCE capitibus descripsimus, ad Cyclamini mentionem me deducunt. Cyclaminus licet non ubique reperiatur, tamen hodie ut & olim in usu esse haud uulgari cernitur. Nascitur autem in umbrosis & & uliginosis lucis, sub arboribus maxime, radice nigra, rotunda, lata & ueluti nonnihil pressa orbis mẽsarij pene instar, multis & exiguis capillamentis fibrata, folijs humi in orbem sparsis, Hederæ, aut ut ego sentio, Asaro consimilibus, uiroris saturati, altera qua terrã spectant, subruffis, altera fuscq; deq; maculis albicantibus aspersis, inter quæ flores Autumno appetente rosarum effigie emicant. Radix admodum acris est, & linguã gustata, necnon fauces uehementer adurit. 1. *Cyclaminus minor* κυκλάμινος.


Exigua Cyclaminus superiori per omnia respondet, nisi quod non perinde acris est & feruida, ut illa. Nascitur & hæc in umbrosis syluis. Eam ego in Rhetia superiori non procul a Curia oppido primum uidi. Supra cap. lxxv huius libri descripta est, Germanico nomine Waldzeitlosen appellata. Dicebatur mihi tum Hermodactylum eam esse, sed falso, nam Cyclamini exiguæ ueræ species est. 2. κυκλάμινος ἑτέρα.

NOMENCLATVRAE.

Nomenclaturas huius plantæ, quam Germani Waldrüben/Erdrüben/oder Apfel, hoc est, Rapum syluestre, Malum terrestre uocant, supra cap. xix. exposuimus, quæ hoc loco repetere superuacaneum esse duximus. Vnum est cuius candidum lectorem admonitum uelim, nempe Rapum hoc sylue-

Cyclaminus.

Waldtrüben/oder Erdtäpffel.



stre, panis terræ, seu porcini nomenclatura minime insigniendum, cum nullo animali, neque homini, neque porco, aut alīj cuiuis pecori hæc radix pabulis grata sit, ut quidam affirmant, sed perperam, quod proculdubio ita

ſe habere intellecturi eſſent, ſi Cyclamini radicem deguſtarent.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Cyclaminus, quæ & Vmbilicus terræ cognominatur, calidæ & ſiccæ eſt qualitatis, prudenter tamen attendere oportet, ſi quando eius radicem internis partibus medicandis uſurpare uoluerimus.

INTRINSECVS.

Ego ſane hoc nigro & ſyluestri Rapo minime delector. Relinquam autem ijs qui ſtrenue ſe purgare uolunt, & his qui Panem terræ ex ea faciunt, qui tamen non porcis, ut illi aſtruunt, ſed Lupis & vulpibus magis conuenit.

Cyclaminus tribus drachmis pota cum paſſo aut diluto mulſo regium morbum diſcutere traditur. Mihi uidetur drachmam una uice exhibitam ſatis eſſe, licet Conſtantinus in libello aureo cap. xxxiiij. ad prædictum morbum duas uncias ſucci è radice expreſſi exhibendam docuerit. Qui eiuſmodi medicamentis uti uoluerit, is multis ueſtibus contectus, loco calido & à perfrictionibus tuto, recumbat, quo facilius exudet. Vide Dioſcoridem lib. ij. cap. cliij.

Quod ad alia attinet, reſpondet hæc radix Scillæ, de qua proximo capite. Reliqua prudens omitto.

EXTRINSECVS.


Chirurgis, qui ſtrumas, tubercula, excreſcentias, & mariſcas, uel corroſiuis, uel ſectione aut uſtione curare conſueuerunt, hoc quoque Rapum commendabo, ad ea enim quæ commemorauimus, ſicut & quamuis malam ſcabiem & pſoram, uel præſtantiſſimum & efficaciſſimum præbet medicamentum. Vide ſi placet Dioſcoridem.

De Scilla. Cap. CXXXV.

CEPAM HANC PEREGRINAM HORTIS NOSTRIS nunquam ſeruiſſem, neque hiſce commentarijs adduxiſſem, niſi me ueneficiorum & malorum medicamentorum noxa admonuiſſet. Cum namque hodie noui ſubinde prodeant Medici, Iudæi, Errones, qui ſe Ægyptios uocant, Magi, ſeplaſiarij peſſimi (de bonis nihil dico) Rizotomi, denique & agyrtæ, qui non tantum loquacitate ſua ægris, ſed & ſanis multum incommodi adferunt, conſentaneum eſt, ut in poſterum aduerſus

Scylla.

Meer zwybel.



Plinius lib.20. cap. 9. Theoph. lib. 7. cap.12.

sus insidias eiusmodi impostorũ, & me & alios muniam, cõsilio in hoc usus Pythagoræ, qui Scyllam in limine ianuæ malorũ medicamentorũ introitũ auertere tradit. Sed licet fabulosum hoc quidem dici possit, certum tamen est.

est, quotidiana id attestante experientia, usum Scyllæ saluberrimum esse, nec eo nos carere posse, præsertim uero officinas, quorum claræ sunt confectiones, Aceti inquam & Oxymelitis de Squilla, ut uocant. Scylla itaque, cuius radix Cæpe modo multipliciter tunicata corticosaq; cernitur, officinis omnibus cognita est, licet hortis meis assuescere recusarit, quantumuis omni à me impensa opera. Nec cõstat mihi eius rei causa, nisi forte ea sit, q̃d Ficum adiunctam non habuerit, uti Plinius significare uidetur. Sed ut historiam Scillæ absoluamus, caulem profert illa primum omnium, luteo emicantem flore, eo decedente folia consequuntur grandia, longa & lata. Theophrastus Scillam florum ternos prouentus ostendere tradit, quæ uerba ego sic interpretor, ut dicamus, Scillam caulem primum emittere, deinde flores eius uiolæ effigiem referentes emicare, denique uero folia se conspicienda præbere, quæ Satyrioni maiori aliquo modo respondent forma. Scilla in aërem suspensa, non cito arescit.

NOMENCLATVRAE.

Nos cum Iacobo Manlio hanc plantã Cepam muris (Germanice Meüß zwybel) uocamus, quod nominis inde sortita est, quod mures in cibo ab illis esitata enecare ualeat. Vocatur & Cepa marina (Germanice Meerzwybel) & officinis Squilla dicitur; Dioscoridi uero lib. ij. cap. clxij. σκίλλα, Serapioni cap. ccxciiij Haspel; Auerrhoi Halanchat nuncupatur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Magna cura & prudenti consilio opus est his, qui Scilla uti constituerũt, nam quemadmodum non paruæ est utilitatis si rite usurpetur, ita uel maxime incommodat, si secus accipias, præsertim crudam & recentem. Est enim Scylla naturæ acris, & feruentis, & siccæ in tertium usque gradum, ut inquit Christophorus de honestis super Mesuen, qua de causa ut diximus, prudenter ea uti conuenit.

INTRINSECVS.

Propterea quod Scilla cruda usurpata homini noxiam adfert, ideo ueteres diligenter de usu & præparatione eius monuerunt, quemadmodum uidelicet assari, torreri, coqui, liquoribus macerari, & exiccari debeat. Ex his itaq; præparandi rationibus, eam quisq; deligat, quam intellexerit sibi commodiorem.

Squillitici aceti confectio apud Serapionem talis traditur,

Sed aceti squillitici operatio, est in hunc modum, ut accipiatur.

tur Squilla alba, & purgetur bene, & incidatur in frusta, & inseratur in filo lineo, & sit inter utrunque frustum distantia, ne se tangant, & desiccentur in umbra quadraginta diebus, postea de ea sumatur quantitas unius mannes, & ponatur in uase, & proijciantur super eam duodecim Kist aceti fortissimi, & ponatur in sole quadraginta diebus, & uas sit coopertum bene, & clausum, post hoc tempus extrahatur Squilla ab aceto, & exprimatur, & abijciatur acetum, aut reponatur. Quidam uerro accipiunt ex Squilla unum mannes, & proijciunt super eam quinque Kist aceti, quidam autem accipiunt Squillam & mundant eam, & non exiccant illam, sed sic recentem præparant ipsam, proijcientes super unum mannes ex ea acetum, & dimittũt sic sex mensibus, & illud acetum squilliticum factum secundum hunc modum, est magis incisiuum chimorum grossorum, quam aliquod aliud acetum squilliticum. Est autem acetum squilliticum ad multa utilissimum, &c. Hæc ille.

Galenus uero non laudat eorum institutum, qui recentem aceto & crudam macerant Scillam, quare nos in posterum ipsam prius exiccabimus.

Vinum Scilliticum. Sunt qui Autumno Scillam minutim & frustulatim in taleolas concisam musto imponant, simulque ita deferuescere sinant, quibus uini quam aceti Scillitici iucundior est usus.

Sed sciant omnes qui febri aut interno apostemate laborant, ab usu tam uini quam aceti Scillitici sibi abstinendum. Nam utrunque crassos humores incidit, aluum turbat, urinam ciet, & uomitiones.

Constantinus in libello de gradibus scribit medicamentum è Scilla confectum hydropicis, dispnoicis, iocinerosis & splenicis, & omnibus ijs uitijs quæ à lentis & crassis humoribus oriantur, prodesse eaque incidere.

Alij Scyllæ radicem pistorio opere circumlinunt, & in clibanum conijciunt, ut assetur, quod si prima uice non satis assata uideatur, nouum statumen superinducitur, & rursus in clibanum mittitur, quoad probe assata fuerit, & tum frusta eius aëre siccanda suspenduntur.

Nec desunt qui aqua illam discoquant, & aquam subinde mutent, donec ipsa nec acrimoniam, nec amaritudinem habeat, traiectaque lino frusta siccantur in umbra, ita ut ne ulla quidem sui parte se contingant.

Dioscorides Scillæ tres obolos in delinctu ex melle sumptos, hydropicis & stomachicis, quibus innatat cibus, regio morbo, torminibus, tussi ueteri, suspiriosis, & ore reijcientibus unice prodesse tradit, quas facultates

Plinius

Plinius aceto quoque Scillitico ascribit, quod & tineas, & reliqua uentris animalia pellit.

Acetum necnon Oxymel & Eclegma Scilliticum (ut semel finiamus) melancholiam expellunt, apoplexiæ aduersantur, calculos comminuut, & expellunt, uuluas purgant, & coxendicum doloribus prosunt.

EXTRINSECVS.

Acetum Squilliticum colluto ore, mobiles dentes firmat, & fœtidũ oris halitum emendat. Auribus instillatum, crassos & lentos fluxus auditum impedientes discutit.

Oleum in quo Scilla macerata fuerit uerrucas & rimas pedum illitu sanat. Idem capiti oblitum manantia eius sanat ulcera, & furfures tollit. Ictibus etiam serpentium aliorumq; id genus animalium medetur.

De Sisaro, seu Rapunculo hortensi.
CAP. CXXXVI.

CVM DE STAPHYLINIS SCRIBEREM LIBRO PRImo, & huius Sisari mentio facienda erat. At quoniam tum quidem temporis maturitatem suam hauddum assecutum fuisset, uolui historiam illius in hunc reijcere locum. Est autem radix eius dulcis, & boni saporis. Caulem habet satis longum, multis incisis folijs, maioris Pimpinellæ similibus uestitum: Florem in umbellis candidum, qui in latum semen tandem abit, quem diligenter colligere quidam solent, ut postea illud serant &c.

NOMENCLATVRAE.

Huius plantæ cum Rapunculi historiam texeremus, mentionẽ fecimus, & Sisarum Columellæ esse docuimus. Quanquam id nominis uulgari quoque attribuerim eo in loco Rapunculo, quo sane dignum esse censeo. Germani hortense hoc Rapunculum Gamgarten Rapuntzel/Gerlin/Gierlin/& nonnulli Gurgeln appellant. σίσαρον Columellæ.


VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Radices Sisari cibo gratissimæ sunt, calidum fere & siccum temperamentum sortitæ.

INTRIN-

Sisarum.

Zam garten Rapuntzel.




INTRINSECVS.

Quemadmodum Pastinaca, ita & Sisarum à coquis paratur. Illud in cibo usurpatum stomacho gratum est, cibi appetentiam excitat, genituram auget, venerique subinde offensanti prodest, & urinam ciet, teste Galeno.

De

De Rhodia radice. Cap. CXXXVII.

Rosenwurtz.



ET HAEC PLANTA in Germania tanquam aduena & peregrina, uoluptatis gratia in hortis passim plantatur, diciturq; primũ è Græcia ad nos uenisse. Radicem habet satis crassam, multis capillamentis fibratam, quæ si teritur, rosæ odorem spirat. Caules eius neque florem, neque fructũ ostendunt. Folia eam fere plantam æmulantur, quam libro primo. cap. cxxij. descripsimus.

NOMENCLATVRAE.


Hæc planta ab odore rosæ nomen suum apud Latinos, Græcos & Germanos obtinet, dicitur ῥοδία, ῥίζα Græce, Rhodia radix Latine, Rosenwurtz Germanice. Agyrtæ & circumforanei illi Rizophori multa & magna de ea radice prædicant.

VIRES AC TEMPERamentum.

Rhodia radix calidæ est qualitatis, & capitis doloribus tusa & cũ rosacea aqua temperata, frontiq; imposita, uel si linteola in eo liquore madefiaet, & prædicto modo imponantur, mederi dicitur.

De Lunaria. Cap. CXXXVIII.

Mon Rautten.



LVNARIA IN QVIbusdam altissimis sylvis nascitur, rotundo caule, unico, sed utrinque quinis aut senis incisuris dissecto folio, Rutæ prope consimili, semine in fastigio caulis exiguo, copioso, radice frequentibus fibris capillata instar Plantaginis Latifoliæ. Iulio mense apparet hæc planta, deinceps uero non item.

NOMENCLATVRAE.

A' folijs hanc plantam Germanice Monrautten/ (quasi dicas Lunaticã Rutam) appellare libuit. Latine Lunaria uocatur. Aiunt illam cum Luna augeri & decrescere, ita ut quot diebus supra terram Luna fuerit, tot etiam incisuris dissectum Lunariæ folium uideatur. Multi præclara quędam de Lunaria sibi & alijs pollicentur, præsertim uero Chymistæ.

VIRES AC TEMPEramentum.

Lunaria meo iudicio exiccatoriã habet uim, possetq; forte ad calidas uentris fluxiones usurpari. Plura de hac herba quæ dicam equidem non habeo. Si quis tamen præter ea quæ diximus, de facultatibus & usu Lunarię aliquid scire laborat, is agyrtas illos ueteratores, & eos qui Chymistas se esse iactant, Mihi sane nihil de illa compertum est.

De

De Cypero. Cap. CXXXIX.

Wilder Galgan.



YPERVS CAVLEM PRODVCIT CVBITALI ALTI-
C tudine, angulosum, in cuius cacumine minuta folia prodeunt,

inter quæ semem residet. Radices habet rotundas, multas inuicem contextas, quamplurimis capillamentis fibratas, suauiter olentes, & amaras. Hæ quotannis nouos oculos, asparagosq; emittunt, qua ratione propagantur, uti omnia Harundinis, Iunci, & Gladiolorum genera. Gaudet Cyperus humectis & palustribus locis. Asserunt nonnulli Cyperum in tractu Rheni gigni: Ego nusquam illum, quam in hortis satum prouenire uidi.

NOMENCLATVRAE.

κύπειρος, κυπέρος, κύπειρις, tria hæc Græca nomina, licet diuersarum plantarum sint, tamen indifferenter a pleris que huic a nobis nunc descriptæ plantæ attribuuntur, quæ a Dioscoride lib. primo. cap. iiij, Aspalathum quoq; & Erysisceptrum cognominatur, licet & hæ appellationes ad alias quoque pertineant plantas. Cornelius Celsus libro tertio cap. xxi. Iuncum quadratum, Plinius lib xxi. cap. xviij. Triangularem & angulosum uocauit. Germani Wilden Galgan/vnd wolriechende eckete Bintzen / hoc est, syluestrem Galangam, & Iuncum odoratum, angulosum (a caule nimirum) nominant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Radix Cyperi calida & sicca est, & intro sumi, foris uero unguentis preciosissimis mixta, salubriter imponi potest.

INTRINSECVS.

Hydropicis & calculosis in potu radix hæc exhibenda fuerit, nam intro sumpta urinam & calculos mouet, necnon menses. Aduersus etiam scorpionum ictus remedio est.

De Lithospermo maiori. Cap. CXL.

LITHOSPERMON MAIVS IN GERMANIA NON TANtum peregrinum ut paucis cognitum est, uerum etiam tarde maturatur. Folia profert longa, Sphatulæ fœtidæ pene instar. Inter folia & caules, magna, dura, incana, & lapidea semina apparent, nucibus uesicarijs (de quibus infra lib. iij. cap. lxviij.) magnitudine paria, forma uero Ciceri per omnia respondentia. Sunt qui ex his seminibus orbiculos precatorios uoluptatis gratia conficiant.

NOMENCLATVRAE.

Quantum iudico, certe hæc planta Lithospermon est Plinij, quod lapil-

ſos magnitudine Ciceris gerere dixit lib. xxvij. cap. xi. quæ uerba de uulgari Lithoſpermo Milium ſolis uocato intelligi non poſſunt. Germani Groſſen ſtein ſamen/ hoc eſt Lithoſpermon maius, aut Groſſen meerhirſen/ hoc eſt, Milium ſolis maius appellant.

De ea, quam Itali Celoſiam uocant. CAP. CXLI.

HANC STIRPEM DOMINVS GEORGIVS OLLINGErus Norimbergæ in ſuis hortis plantat, & magni facit, ob inſignem coloris gratiam, qua nemini non arridere poſſit. Planta eſt cubitalis altitudinis, folia gerens Perſicæ aliquo modo ſimilia, ſed latiora, puniceo, luteo, & uiridi coloribus mixtim Iridis inſtar prædita, à longinquo aſpectu gratiſſima. Cæterum huius plantæ florem nullum uidi, quanquam gemmantem oculum eumq́ ſubaſperum mihi oſtenderet. Sed quid illo concluſum fuerit, me latet. Diuites uoluptatis gratia in figulinis ante feneſtras plantant, & magno in pretio habent.

NOMENCLATVRAE.

Itali hanc plantam Celoſiam uocant. Ego quia peregrina & mihi incognita eſt Widerſchein/ à coloribus uarijs effulgentibus, Germanice appellare uolui. Quod nomen in Dioſcoride habeat ignorare me ingenue fateor, niſi forte Lycopſios, aut Anchuſę ſit ſpecies, qua de re aliorum & doctiorum ſententias audire cupio.

De Nerio. Cap. CXLII.

NERION PERNITIOSVM PLANTAE GENVS NOſtro quoque orbi cognitum fieri iampridem cœpit. Frutex eſt ſatis elegans, arbuſculæ ſimilis, folijs ueſtitus anguſtis, ſolidis, Lauro conſimilibus. Flores uidere mihi non contigit, ſed fructum uidi, is digitalis erat longitudinis, intus lanugine aut pappis quibuſdam refertus, ſiliquis Aſclepiadicis reſpondens.

NOMENCLATVRAE.

Νήριον Græce, Nicandro Neris. Dioſcoridi lib. iiij cap. lxxx. ῥοδοδάφνη,

Nerion.

Vnholden kraut.



ῥοδόδενδρον, (Germanice Rosenbäumlin) dicitur. Est uero Nerion inamabilis planta, hominibus & iumentis pernitiosa, quapropter Vnholden kraut illam nominare uolui. Dicitur alias Germanis Olander / à uulgato officinarum nomi.

VIRES AC TEMPE- *ramentum.*

Nerion calidæ & siccæ est qualitatis. Ego illud hortis meis abdicaui.

Scribit Dioscorides illud è uino potum, Ruta addita, hominibus contra serpentium morsus præsidiũ esse. Sed eas facultates non ipsi Nerio, quin potius Rutæ attribuerim.

Flores & folia mulis, canibus, asinis, & quadrupedum plurimis uenena sunt.

Imbecillę etiam animantes, ut pecus & capræ, si aquam bibant, in qua folia ea maduerint, moriuntur. Recte ergo Galenus Nerion perniciosum et uenenosum non tantum hominibus sed plerisque etiam pecoribus esse scripsit, lib. de simp. facult. viij.

De

De Rusco. Cap. CXLIII.

Meüßdorn.



VENETIIS QVOTIDIANO in usu spinosus hic frutex habetur, solent enim ex eo scopas conficere, quibus cõclauia purgare queant. Nam ubi Betulæ desunt, (ex ijs enim in nostris regionibus scopę fiunt) ibi Erica aut Rusco contentos esse oportet. Sed non propterea contemnendus est Ruscus, quod ad uilia opera adhibeatur, quin potius magni est faciendus si non ob multas quibus scatet utilitates, certe uel ob æternũ uirorẽ quo tam hyeme quam æstate uigere cernitur. Folia is habet Myrtilli per omnia similia, nisi quod hęc in cacumine aculeata sint, quod in Myrtillis non uideas. Ruscus fructum per maturitatem ostendit a`medijs folijs dependentem, rubrum, Corallij rubri instar, duritia nucleo ossea. Semẽ eius per triennium sæpe intra terram delitescens, tandem erumpit. Radix Rusci recta est & lõga, gustu amara. Frutex est Ruscus non admodum altus, in Italia facile & sponte sua gignitur multis in locis, secus itinera aspera, & sæpes, præcipue prope Bononiam. In

Horridior Rusco, proiecta uilior alga.

Germania noſtra ſeri ſe quidem patitur, & à ſatu ut diximus profilit, & in mediocrem euadit fruticem, ſed fructum non profert, quod rigidiori apud nos hyemi aſcribi debet.

NOMENCLATVRAE.

Multa hic frutex apud Dioſcoridẽ nomina habet quæ ordine percenſebimus, μυρσίνη ἀγρία, id eſt Myrtus, ſylueſtris, μυρτάκανθα, ἱερόμυρτον, ὀξυμυρσίνη, μυάκανθα, hoc eſt, Murina ſpina, Germanice Meüßdorn (propterea quod muribus & gliribus hic frutex aduerſetur. Solent enim rura Italiæ eum caſeis, quos in aëre ſiccare uolunt, & ſalſis ac fumatis carnibus adiungere, ut his ſpinis mures, glires, & veſpertiliones deterriti, carnibus caſeoq; parcant) Agonon, Scincos, Mintha, Catangelos, Anangelos, Acæron, Cinen, Lichene, Chamæpitys, χαμαιμύρτη, Gyrenia, Herculis genitura, Ruſcus. Et hoc quidẽ (de Ruſco loquor) proprijſſimum eſt nomen, quod adiecta à fronte litera officinæ corrupte Bruſcum efferunt. Equidem in his quas enumerauimus nomenclaturis multæ ſunt, quæ huc non pertinent, ſed donabimus illas doctis quibuſdam (qui perplexis & dubijs gaudent) diſcutiendas.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Semen Ruſci in medicina ad calculum, ſtranguriam & menſes mulierum uſurpatur. Dioſcorides quoque decoctum in uino ſemen regio morbo mederi tradit.

Cauliculi recentes, aſparagorum uice in cibo ſumuntur. Noſtris regionibus id genus cibi incognitum & non uſitatum.

EXTRINSECVS.

Supra docuimus Ruſcum Venetijs, alijsq; maritimis ciuitatibus ſcoparum uicem præbere. Deinde & mures gliresq́ ac veſpertiliones illo abigi, quominus caſeos & carnes inuadant.

De Alcea peregrina, ſeu Veneta.
CAP. CXLIIII.

MIRABILIS CVIVSDAM ET SPECIOSAE PLANTAE quæ à Venetis ad nos primum cõmigraſſe dicitur, ſemen ſuperioribus annis è Norimberga ad me miſit D. Georg. Olling. Hoc teres eſt, coloris incani & nigricantis, foraminulentum, quo nomine Aparinę ſemẽ referre uidetur, licet nõ maius ſit Braſſicę ſemine. Cũq; Maio menſe

Alcea Veneta.

Venediger Pappelen.



mense erumpere cœperit, bina primum ostendit rotunda, & maluacea foliola, post quæ alia & maiora subsequuntur, dissecta instar Alceæ. Postea caulis emergit cubitalis, teres, paucis ramulis brachiatus, folijs interim dissectis (ut diximus) uestitus, reliquis cauliculis adnatis humi procumbentibus, nõ aliter ac si primario cauli inseruientes, primum illi floris locum concedere uelle innuerent. Nam nullus ex his in florem erumpit, quoad medius & primarius caulis florere occœperit. Florem uero hoc pacto profert. Iulio mense capitula seu calyces primarij caulis rumpuntur, tum elegantissimi prodeunt flores ex purpura diluta albicantes, effigiem campanulæ, seu cymbali oblongi æmulantes, in quorum medio quatuor aut quinque stamina, & ex his quidem luteum apicem effulgentẽ uidere est. Porro qui uelit hos calathos seu cymbalares rosas apertas contemplari, eum sane occasionem diligenter obseruare oportet, quod meo exemplo quem sæpenumero opportunitatem illam longa expectatione uenari non piguit, facere debebit, quisquis ista uidendi desiderio tenetur. Solent namque hæ rosæ non nisi una hora diei, & ea maxime,

qua sol feruentissimus fuerit, hoc est, à nona usq; ad secundam pomeridianam, ac alias nunquam, sese apertas ostendere. Ac postquam horæ spatio eo quo diximus modo floruerit, rursus clauditur, tandemq; decidit, uti aliarũ Maluarum flores solent. Folliculi qui decusso flore, semen copiosum tenera in lanugine (unde & in auras nisi in tempore colligatur facile abire potest) continent, forsis lanuginosi sunt, multis nigris costis distincti, ac superne quinis apicibus emicantibus, cuiusmodi in seminum Lini conceptaculis hiantibus uidere est, licet hæc uascula illis maiora sint. Radicem habet hæc planta, aliįs Maluæ generibus consimilem, non tantum quod ad formam, sed & saporem & odoorem attinet. Planta est alsiosa, hyemisq; prorsus impatiens, qui fit, ut è semine quotannis repullulare necesse habeat.

NOMENCLATVRÆ.

Cum hæc planta, peculiarem suam habeat horam qua florem apertum ostendit, uolui eam Germanice Wetterröslin/ dicere. Quod ad formam & natale solum, unde primum ad nos allata dicitur attinet, putaui non inepte me facturum, si Venediger Pappeln/ hoc est, Maluam, seu Alceam Venetã appellarem. Conabantur nonnulli nobis persuadere hanc eam esse stirpem quæ Dioscoridi Androsæmos dicitur. Sed errant hįj quidem, nam Androsæmos, uti supra libro primo cap. xxiįj. pluribus indicauimus, ad Hypericon pertinet. Nos existimamus eam congenerem esse uel Altheæ, uel Alceæ, parati interim certiora docentes audire.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Temperamentum & facultates tam Altheæ quam Alceæ, supra lib. primo cap. cxix. & cxxi. exposuimus, quas hoc loco repetere nihil attinet. Proinde Maluam hanc peregrinam illis ut diximus adiungemus, quoad quid possit addiscamus.

De Garyophyllis Indicis. Cap. CXLV.

1. *Garyophylli Indici maiores.* GARYOPHYLLORVM INDICORVM TRIA SVNT genera, exiguum nimirum, medium & grande, quod flores suos Autumno appetente producere solet. Nam exiguum plerun-

2. *Exigui.* que in fine Maįj mensis, medium uero Iunio mense flore comare cernitur

3. *Medij.* Porro tria hæc genera unum & idem habent semen, oblongum scilicet & nigrum, Helenio quadamtenus simile. Hoc binis primum è terra oblongis

& an-

Garyophylli Indici.

Indianisch Negelin/oder Samat rößlin.



& angustis folijs, uti Cicuta fere erumpit. Postea alia subinde folia & maiora, & utrinque dissecta, non aliter atq; Tanacetum (qua de causa à nonnullis hęc planta Tanaceti aut Artemisiæ species cẽsetur.) sequuntur. Caules tandem assurgunt teretes & purpurei, uesuti & Artemisiæ, surculosi, maxime ubi terram nactus fuerit hic frutex, humidam & pinguem, deinde & soli & aëri expositam. Cæterum inter omnes plantas uix aliam quamcunque reperias, quæ adeo sine ullo negotio radicetur, Nam si uento aut alio quopiam casu surculi & ramusculi auulsi, in terrã rursus pangantur, quam celerrime & ipsi radices agũt, quod non semel ipse obseruaui. Flores qui in fastigijs tenuissimis, rotũdis & concauis pediculis insident, tenerrimi sunt, rubri, sed omni odore destituti, ubi uero aliquamdiu superuixerint, in luteum, maxime ea parte, qua terram spectant, languescunt. His decussis semen in oblongis Papaueri similibus uasculis, stipatum reperitur. Radices horum fruticum breues sunt, sed multis adnatis radiculis capillatæ, hyeme pereuntes, qui fit ut semine

mine

mine quotannis seri hanc plantam necesse sit. Folia eius grauem spirant odorem, gustu aliquantulum amara. Flores odore prorsus destituuntur, solaque coloris elegantia commendantur. Hoc genus stirpis non ita pridem Germaniæ innotuit, quippe quod temporibus Caroli V. Imperatoris Romani, una cum cæteris peregrinis plantis, ad nos commigrarit.

NOMENCLATVRAE.

Germani hosce flores Sammatblůmen (quasi dicas Serici uillosi flores) vnd Indianisch Negelin/ hoc est, Garyophyllos Indicos nominant. Mihi uidetur Caltam esse Plinij, cuius folia olere dicit, non flores (Plinius libro xxi. cap. vi.) quæ uerba de ea quam Germani Ringelblůmen/ (de qua nos libro primo cap. xlvi.) intelligi non possunt. Mirari autem satis nequeo, cur nonnulli hanc plantam Artemisiæ adnumerare uoluerint, cum non solum forma, sed etiam odor & sapor manifeste reclament. Multo autem minus Tagetes apud Apuleium fuerit, cum eius historia nulla apud eundem autorem extet. Proinde siue Caltha, siue Scopa regia autumnalis, aut quocunque tandem nomine appelletur, certe mihi est quam gratissima.

Plinius lib. 21. cap. 6.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Odor huius plantæ, necnon gustus eius, calidæ illam qualitatis participem esse arguunt. Sed idem elegantissimæ stirpi, usu uenit, quod honestis & pulchris mulieribus contingere solet, quæ inuidiose nonnunquam propter formam suam traducuntur. Nam fuere nonnulli maleferiati homines, qui præter omnem rationem & experientiam in uulgus iniquos de ea planta rumores spargere non sunt ueriti, dictitantes leprosos eos fieri qui herbã eam secum gestauerint. Atqui quidquid hi quidem blaterent, ego in hortulis meis diligenter Garyophyllos meos excolam, ac obseruabo interea, ad quos illi usus adhiberi possint.

De Blattaria. Cap. CXLVI.

PLANTAE HVIVS LIB. I. CAP. LXXII. SVB VERBAscis à nobis mentio facta fuit, quo tempore nondum mihi uisa erat. Cum uero paulo post Landoiæ forte fortuna mihi oblata fuisset, appellaui eam tum Klein wulkraut/ hoc est, Verbascum exiguum, seu Verbasculum, nam qui illam mihi adferebant, quodnam nomen haberet nescire se profitebantur. Sed age describamus plantam. Folia eius primo

anno

Blattaria.

Goldtköpfflin/Schabenkraut.



anno antequam excaulescat, Verbenæ tam sunt similia, ut discerni duo illa genera uix possint. Altero uero anno appetente Iunio mense teretes prosiliunt & proceri caules, flore emicantes luteo, odorato, forma & odore ad uulgare Verbascum per omnia accedente, quæ mihi ratio fuit, ut Verbasculum hanc appellarem. Postea quam flores deciderint, folliculi apparent Ciceris arietini, aut Ocimastri (quo de supra libro primo cap. vi.) seminum conceptaculorum magnitudine, semine multo minori reliquis Verbascis referti Cumq; fructum hũc suum protulerit, pereunt non tantum folia, caulesq;, sed & breues eius rectę & lignosæ radices. Nascitur secus itinera, & in limitibus vinearum.

NOMENCLATVRAE.

Cum de Verbascis scriberem, incidi in locum Plinij qui extat lib. xxv. cap. ix. ubi in hæc uerba loquitur, Est similis Verbasco herba, quæ sæpe fallit pro eo capta, folijs minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Hæc abiecta blattas in se colligit, ideoq; Romæ Blattariam uocant. Hæc ille.

Quia

Quia uero tum temporis, ut ante dixi, ipsam plantam uidere mihi non liceret, notaui locum, quoad ad manus meas ueniret. Itaque ubi primum illam uidi, uolui quidquid id esset studiosis rei herbariæ communicare. Cæterum considerent studiosi caput Dioscoridis de Phlomo seu Verbasco, uideantq; num Thryallis quoque hæc planta appellari possit nec ne, & quid me mouerit, ut Verbasculum illam uocitauerim primo. Germani qui ad Rhenum habitant Schabenkraut / vnd Mottenkraut nominant, dicitur & Goldtknöpfflin quibusdam.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Blattaria quid possit, libro primo in Verbascorum historia explicatum est. Puellæ folliculos in cuius semina huius plantæ includuntur inaurare solent, coronisq; suis & sertis inserere.

De Vuularia. Cap. CXLVII.


DVO PLANTARVM FERME CONSIMILIA GENERA iuxta sepes & agrorum limites, necnon campis quibusdam et aridioribus pratis gignuntur, caulibus quadratis, altis, folijs
1. *Vuularia maior*
asperis, nigricantibus, vrticæ foliorum effigiem referentibus, floribus purpureis, campanularum formam æmulantibus, Rapunculo maioribus, qui in folliculos demum abeunt, semine perexiguo, canoq; refertos. Radicem habet utraq; rectam & breuem. Exigua huius plantæ species, campanulas
2. *Vuularia exigua.*
seu cymbalares flores fert violacei coloris, in fastigijs caulium coniunctim emicantes. Vtriusq; speciei flores inodorati sunt.

NOMENCLATVRAE.

Quod nomen binæ hæ plantæ in Dioscoride habeant, nihil certi pronunciare possum. Sunt qui Zapffenkreutter/vnd Halskreutter/hoc est, Vuularias & ceruicarias appellent, propterea quod decoctum illarum gargarissatu oris & colli exulcerationibus alijsq; id genus uitijs prosit, ut quæ astringendi & exiccandi facultatem habeant.

VIRES

Vuularia.
Halßkraut.



VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vires Vuulariæ utriusque sub nomenclaturis earum exposui. Nec enim quicquam aliud præter ea quæ adduximus, de his mihi constat.

De

De Siliquastro. Cap. CXLVIII.

Indianischer Pfeffer.



CVM SVPERIORIbus annis Autumni tempore multa Germaniæ loca herbarum gratia perlustraremus, quemadmodum antea quoque diximus, contigit ut inter cæteras peregrinas plantas in hortis generosi domini de Lewenstein/ & hanc uiderem, stirpem sane perquam speciosam, quæ non aliter atque Rosmarinus excolebatur. Iam ut historiã paucis absoluamus, referebat illa arbusculam surculosam, multis enim rotundis & concauis ramulis brachiata apparebat, nigricantibus insuper & teneris folijs uulgari Solano simillimis, sed angustioribus & acutioribus uestita, floribus emicans ex pallido, albicantibus, magnitudine uulgaris Solani flosculis respondentibus. Hi in uirides abeunt siliquas, digitalis longitudinis, quę quidem antequam iustam assequantur maturitatem, nigræ prorsus euadunt, ac demum in rubrũ mutantur Minij colorem, ita ut maturæ illæ siliquæ corallium rubrum, aut cancri cocti pedem repræsentent, semine intus copioso,

pioso, & lato, candido, gustus feruentis immo acrioris ipso Pipere, quo quotannis vere appetente nouæ plantulæ seri possunt, refertæ. Mihi sane uidebatur planta esse alsiosa, & quę hyemem ferre non posset. Sed seram illam in hortulis meis, periculum facturus quid ferre uel possit, uel recuset. Cæterum uidi paulo post huius plantæ alia genera, quorum nonnulla latas, alia longas producerent siliquas.

NOMENCLATVRAE.

Interroganti mihi quodnam huius tam speciosæ plantæ nomen esset, responsum fuit Piper (Germanice Pfeffer) nomenclaturā eius esse. Posteaq; uero scripta ueterum de Pipere excussi, manifesto deprehendi, historiam Piperis huic plantæ nequaquā conuenire, nisi forte peculiare quoddam Piperis genus hæc sit, cuius ueteres, quod tamen haud facile crediderim, meminissent. Quanquam in historia Piperis, nec ueteres inter se consentiunt, neque testimoniis recentiorum respondent, præsertim uero Marcelli Vergilij, cuius uerba de Pipere in gratiam studiosorum rei herbariæ adscribemus, quæ ita se habent.

Credebantur quondam Poëtæ cum in theatris canerent fore aliquando secula quibus Oceanus uincula laxet, & ingens pateat tellus, typhisq; nouos iam detegat orbes, nec sit terris ultima Thyle: ea dicere: quę ad implendos suspendēdosq; nouę rei expectatione et metu plebis animos ingeniose ab eis excogitata magis, quam optanda & speranda sapientibus essent: cum tamen docentibus musis, deoq; pleni ea uaticinarentur: quæ nostra ætas à Lusitanis regibus facta iampridē sensit, & quotidie adhuc fieri uidet. Quorum nunquam satis laudauerit quispiam pro humana re laborem, studium, consilium & regiam operam. Longa siquidem & difficili in Indiam nauigatione incognitum, Europam, Asiam, Lybiamq; incolentibus ad hāc diem orbem nobis aperuerunt. Et quas habet diues illa & beata regio naturæ opes, communes omnibus fecerunt. Licuitq; eorum auxilio diligenter naturam nouisse inquirentibus, quæ antiquis scriptoribus incognita, aut aliter quam nunc inueniantur tractata fuerunt, integre cognoscere. Inter quæ & Piper est, cuius natales & omnem naturam aliter quam Theophrastus, Plinius, & hic ipse, quondam tradiderunt, reuersi ad nos plures inuenisse se narrant. Fruticem enim non arborem Piper ferre affirmant, albæ Viti, quæ in sepibus plerunque inuenitur *Piperis historia.*

similem: propinquas ſcandentem arbores, quæ racemoſum fru-ctum ferat, magnitudine ea qua uidetur, ſed uiridem, nec aliter quam in Liguſtro coaceruatum antequam maturitate nigreſcant, lectumq; æſtate ante integram maturitatem ſub ſole in palmeis tegetibus expandi, caloreq; ſolis & æſtu corrugari & nigrum fieri. Nec longum aut album piper aliquod uidiſſe illic ſe dicunt, eſſe quidem arbores alias quæ ſapore Piperis aliquid ferant, & inter eas cui conferre in noſtro orbe aliquam poſſe ſe negant, quæ oblongum ueluti uillum inter folia ferat, Ponticæ nucis floribus ſimilem, quod illic longum Piper incolæ appellent. Folium Piperis ipſi uidimus ab eis allatum, colore pallido magis quam herbaceo, longitudine quantum diuaricati pollex & index humani digiti aperiuntur: latitudine qua parte maxime patet quatuor digitorũ, Plantaginis figura, præterquam in ſummo, cui habet numero pares, & in figura ſimiles, à tergo fibras ſeptem, per longitudinem extenſas, mediam claudentibus utrinq; trinis: non tamen ut in Plantagine utrinque binæ à media naſcuntur, ſed inæqualibus interuallis utrinque prodeunt: in ſummo faſtigiatum & acuminatius quam Plantaginis extremum folium eſt: Deſinitq; in mucronem eodem quo in malo medica modo uidetur, non omni, ſed in qua folium acuminatum eſt: idq; in Piperis frutice breui pediculo pendet: & qua parte à pediculo incipit, folium paulo minus quam rotundum eſt, &c.

Hactenus Piperis apud Marcellum Vergilium extans deſcriptio, cui ſi uel eam quæ apud Dioſcoridem, uel eam quam Theophraſtus ponit, comparare uelis, nihil magis diſſentire uidebitur, quæ res magnam deprauationis exemplariorum ueterum in multis locis, aut quod parum fideliter aut diligenter à Librarijs olim tranſcripta fuerint, ſuſpitionem parit non leuem. Sed ut pergamus, non ſolum Dioſcorides, uerum etiam Plinius Piper in India gigni teſtatur, cum uiciſſim Aloyſius tertio libro nauigationis ſuæ cap. lxxxiij ſcribat Piper ultra Chalekutt è turri quadam deportari. Poſtremo addere libet & uerba Plinij quæ extant lib. xij. cap. vij. ubi inter cætera dicit, Piperis arborem iam & Italia habet, maiorem myrto, nec abſimilem. Hæc ille. Quæ omnia dicta longius à nobis ſunt, ut ſiniſtram illam ſuſpitionem, qua credunt plantam hoc capite deſcriptam Piper eſſe uerum, animis illorum eximerem. Cum namq; tam ueterum quam recentiorum repugnent teſtimonia, non uideo quo pacto illam Piper nominare

minare

minare possimus. Ne tamen nomine apud Germanos prorsus destitueretur, uoluimus illi Pfeffers/id est, Piperis, ob feruentem gustum, a quo multæ aliæ quoque plantæ Piperis cognomentum accepere, ut est, Hydropiper & Piperitis nomen impertiri, sed non simpliciter, uocabimus. n. Teutschen oder Indianischen pfeffer/hoc est, Germanicum, aut Indianum Piper, alias & Hispanicum appellatur. Et ut tandē nos ab his expediamus, uidetur nobis hoc piperis genus Zinziber esse caninum Auicennæ lib. ij. cap. 748. & Siliquastrum Plinij, cuius lib. xx. cap. xvij. his meminit uerbis. Piperitis quam & Siliquastrum appellauimus, contra morbos comitiales bibitur. Castor & aliter demonstrabat, caule rubro & longo, densis geniculis, folijs Lauri, semine albo, tenui, gustu piperis, utilem gingiuis, dentibus, oris suauitati & ructibus. Atq; hæc hactenus nunc reliqua explicemus, ut finem tandem libro imponamus.

Hebræi Piper פלפל Pipel uocant, teste Elia Leuita

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Piper in medicina a ueteribus plurimum semper commendatum fuit, ex calefacientium & desiccātium ordine. Eiusdem facultatis particeps procul dubio & hoc Indianum piper, seu Siliquastrum fuerit.

INTRINSECVS.

Piper, quo uulgo in condimētis utimur, in medicina haud uulgaris est utilitatis, nam urinam ciet, concoctionem adiuuat, extrahit, discutit, tormina sedat, & caliginem quæ oculis obuersatur abstergit.

Dioscorides Piper potum cum recentibus Lauri folijs, tormina discutere, ad intinctus esculentorum additum concoctionem adiuuare, tussi, omnibusq; pectoris uitijs, siue eclegmate, siue potu succurrere, partus denique extrahere, urinam ciere tradidit. Quid multa, Piper culinis, & officinis, medicinæq; conuenientissimum esse deprehenditur.

EXTRINSECVS.

Piper cum Staphide agria manducatum, pituitam a capite elicit, uitiligines ex nitro emaculat.


Siliquastrum gingiuis & dentibus prodesse, ex sententia Plinij supra docuimus.

De Aloe. Cap. CXLIX.

A LOE PEREGRINA ILLA ET MARITIMA PLANta in quibusdā nunc Italiæ & Germaniæ locis, ut pote Romæ &

Aloe.

Aloe.



Antuerpiæ, in hortis & figulinis plantatur. Folia habet cubitum longa, duosq; fere digitos crassa, plurima, sibiq; inuicem incumbentia, pinguia, gustu amara, odoris fortissimi, utrinq; aculeis, seu spinulis exiguis armata.

Radicem

Radicem uero longam, crassam, adnatis radiculis fibratam. Florem denique quem tamen in nostris regionibus, ut paulo post dicemus, proferre recusat, in cacumine caulium album obtinet, quemadmodum testatum reliquit Dioscorides lib. iij. cap. xxiij.

Aloe apud nos, quod ad folia attinet, nullo negotio prouenit, ac in Autumno lætissimam se ostendit, & per hyemem uiriditate sua uiget. Dominus Georgius Ollingerus Norimbergēsis in hypocausto suo aliquot plantas Aloes una cum radice & folijs aduentante hyeme suspendit, in quo uigorem suum per totam hyemem ita retinēt, ut semper quasi ex horto recens allatæ appareant, quare nonnullas in quintum usque annum incolumes conseruauit, ea qua dicemus ratione. Nam exacta hyeme in hortos illas rursus transfert & plantat, in quibus aliquantulum augentur, postea redeunte hyeme rursus euulsas, ac in hypocausto suspendit, ubi per tres septimanas quasi peritura colorem suum amittere uidentur, cum tamen paulo post non tantum natiuum suum colorem recuperēt, sed & incrementum accipiāt, ac si è mortuis reuixissent. Hyemis tamē frigora in hortis ferre nequit Aloe, nā cum Autumno uiuacissima & lętissima apparet, intēpestiua hyeme nimis cito obruitur, quæ causa est ut in nostris terris florere non queat. Referebat mihi Dominus Ollingerus Aloen partim è Venetijs, partim è Lisebona ad se missam. Dicitur illa primum opera Turci cuiusdam Constantinopolitani, cum is cum Calciano Duce, cuius perfidia superioribus annis aduersus Turcos infœliciter pugnatum est, caperetur, nostris hominibus innotuisse.

NOMENCLATVRAE.

In omnibus linguis unum & idem nomen hæc planta obtinet, quod est ἀλόη, Aloe. Quod si idem alijs quoque plātis contingeret, hoc est, si singulæ unum & perpetuum nomen obtinerent, multo labore, multisque erroribus liberatos nos diceremus, & præclare certe de re herbaria ageretur. Mercatores qui Antuerpiæ uoluptatis gratia Aloen è laquearibus conclauium suorum suspendunt, Semperuiuum, à sempiterno uirore cognominant. Serapioni cap. cci. Saber, Auerrhoi Cauar, Chaldaice אלואון Alluauan Cant. iiij. Psal. xlv. dicitur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Galenus Aloen, maxime uero eā quę in Arabia, India, & calidioribus regionibus proueniat, testatur calidam & siccam obtinere temperaturam,

Aloe in omnibus regionibus ad multa, præsertim uero uarias pilulas conficiendas adhibetur.

INTRINSECVS.

Succus Aloes, qui rufi fuerit coloris, syncerus, dolicp expers, drachmæ pondere e calida aqua potus stomacho apprime conducit, regio morbo medetur.

Hic in pillulis commodissime usurpari potest, qui fit ut in omnibus fere pilulis a quibuscunque expetatur. Quemadmodum autem Saccharum & mel, ita & succus hic uel præcipuum in officinis locum occupat.

Aloes succus ex frigida per se potus, sanguinis eruptiones intus factas compescit, eiusq́ꝫ generis uitia emendat. Quanquam uero quod ad hanc quidem partem attinet uariæ sint medicorum sententiæ, nos tamen ueterum placitis lubentes acquiescimus.

EXTRINSECVS.

Aloes puluis inspersu recentia glutinat uulnera, eacp sanat. Aloe etiam ad genitalia disrupta facit, & exulceratis genitalibus medetur. Mariscas nimio cruore manantes Aloes puluis insperſu compescit.

Aloe liuores & insignita ex melle tollit.

Dolorem capitis sedat, temporibus & fronti illita, ex aceto & rosaceo.

Capillum fluentem continet cum uino.

Tonsillis, gingiuis, & omnibus oris ulceribus, cum melle & uino proficit.

Succus Aloes ad curandas fistulas, & maxime quæ sunt in virga & ano (ut inquit Auerrhoes) conducit.

Succus Aloes cum melle temperatus ac illitus carnem generat.


Breuiter ad multa utilissima est Aloe, sicut & Dulcis radix, de qua nunc agemus.

De Dulci radice. Cap. CL

PRAESTANTISSIMA HAC, NOBILISSIMAQVE PLANta, secundum hunc commentariorum nostrorum librum concludemur, paucula quædam in laudem eius, antequam historiam aggrediamus, dicturi. Quemadmodum enim aliæ nationes Saccharũ prædicant & extollunt, ita Germania de Dulci radice gloriari potest, inprimis uero Pabergensis ager, qui unicus toti Germaniæ satis Glycyrrhizæ suppe-

Dulcis radix.

Süß holtz.



ſuppeditare poteſt. Non ſolum autem radix hæc una cum ſucco extracto magni faciendus, uerum etiam ſuo modo utilior, commodior & ſalubrior ipſo Saccharo eſſe mihi uidetur, ita quidem ſi altero ex his carendum

mihi foret, Saccharo sane quam Glycyrrhiza carere mallem. Pro illo namq; mel usurpare possem, quemadmodum & ueteres non Saccharo, sed melle plæraque medicamenta temperasse legimus. Saccharum equidem sicut & alia aromata ad officinas & diuitum culinas spectare potius uidetur, qui uero tenuioris sunt fortunæ melle & Dulci radice contenti erunt, & plus commoditatis inde quam ex Saccharo & aromatibus percipient. Nemo enim ignorat aromata & Saccharum sitim excitare, quam dulcis radix & succus eius restinguunt. Dolendum est autem tam præpostero nos præditos esse iudicio, ut noxia expetamus, salutaria respuentes, id quod in ægris, præsertim uero febricitantibus comperimus, quibus confectionibus Saccharo alijsu'e aromatibus permixtis, sanitas non confertur, sed aufertur, sitisq; non adimitur sed additur, quæ tamen alijs & commodioribus medicamentis restinguenda erat. Sed relictis his historiam aggrediamur.

Radix dulcis nullo negotio, & quam facilime prouenit, quod ipsi diligenter obseruauimus. Primaria namq; eius radix licet deorsum recta uergat, tamen quotannis alias ex se mittit & multas radices, quæ hinc inde intra humum longe lateq; se diffundunt, non aliter atque Lolij radices. Hæ intus buxei sunt coloris, & ad Gentianam proxime accedentis, foris uero pulli, gustu subacerbę & dulces. Vere ineunte teneros emittunt asparagos, qui in lignosos tandem duûm triumúe cubitorum altitudine præditos caules abeunt. Hi folijs uestiuntur nigricantibus, ac dum tenera adhuc sunt, tactu gummosis, Dictamni uulgaris aut Ciceris similibus. Iulio mẽse appetẽte inter folia & caules, flosculi prodeunt purpurei aut phœnicei, q̃d ad formam attinet Lenticulæ aut Viciæ quam similimi, quibus decidentibus exiguæ & subasperę consequuntur siliquæ, quarum singulæ duo aut tria inclusa gerunt & dura, Lentibusq; similia granula. Dulcis radicis tam folia quam caules hyeme quotannis pereunt, qui fit ut quotannis e' radice omnia hæc noua repullulascere necesse habeant.

NOMENCLATVRAE.

Mirari satis non possum, cur aculeatis plantis Glycyrrhiza a' Plinio adnumerata fuerit, & echinatis folijs descripta, uide Plinium lib. xxi. cap. xv. & lib. xxij. cap. ix. Ac necesse est ut dicamus Plinium folia Glycyrrhizæ nequaquam uidisse, aut asperas illas quas diximus siliquas intellexisse. Sed missa hæc facientes nomenclaturas exponamus. Dulcis radix Latine, γλυκύῤῥιζα, Græce, Süßzwurtzel / aut Süßholtz Germanice dicitur, uulgo Liquiritiam & Glicoriciam nominant. Serapio cap. cxlvij. Sus uocat. Dioscorides

ſcorides lib.iij.cap.v. illam deſcribens plura enumerat nomina, dicit enim Glycyrrhizan aliqui Ponticam,alij Glyceraton,quidam Symphyton,alij Leonticam,alij Glycyphyton,alij Scythion,alij Adypſon,alij Sylithram, alij Libyeſtaſon,alij Homœnomœon,alij Pœntamœon appellauere. In his appellationibus,Pontica,Leontica,& Symphyton ad alias pertinent plantas,nimirum Milium ſolis, & Conſolidam maiorem,de quibus ſupra libro primo egimus. Theophraſtus lib.ix.cap.xiij. Scythicam uocat, & de illa in hunc modum ſcribit, γλυκεῖα δὲ καὶ ἡ σκυθικὴ, καὶ ἔνιοί γε καλοῦσιν αὐτὴν εὐθὺ γλυκεῖαν. γίνεται δὲ περὶ τὴν μαιῶτιν. χρησίμη δὲ πρός τε τὰ ἄσθματα, καὶ πρὸς βῆχα ξηρὸν, καὶ ὅλως τὰς περὶ τὸν θώρακα πόνους. ἔτι δὲ πρὸς τὰ ἕλκη, ἐν μέλιτι. δύναται δὲ καὶ τὴν δίψαν παύειν, ἐάν τις ἐν τῷ στόματι ἔχῃ. διὸ ταύτῃ τε καὶ τῇ ἱππάκῃ, διάγειν φασὶ τοὺς σκύθας ἡμέρας καὶ ἕνδεκα καὶ δώδεκα.

Qui de Glycyrrhiza plura ſcire cupit,is legat Galenum lib. vi.de ſimpl. & Auicennam lib.ij. cap. ccccxlviij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Nulla in uniuerſa medicina radix uſitatior reperitur, nec ſucco eius expreſſo ubique quicquam frequentius,& recte quidem,nam & radix hæc & ſuccus eius ad multa conducunt. Conſtantinus Liquiritiam media temperatura præditam eſſe ait, ut neque nimium calida ſit , neque abundanter exiccet.

INTRINSECVS.

Succus Liquiritiæ omnibus prope affectionibus medetur, nam fabæ magnitudine in ore retentus, quo ad ſenſim liquetur aſperitatem arteriæ & ſcabritiam lenit, æſtuanti ſtomacho prodeſt, thoraci uniuerſo,pulmonibus & iocineri conuenit,apoſtemata emollit, & aſperam tuſſim mitigat,ſanat ueſicæ ſcabiem & renum dolores, ſitim ſedat ualenter.

Qui ardorem urinæ ſubinde patiuntur, hij continuo radicem uel uino uel aqua concoctam bibant.

Dulcis radix cum lacte caprino cocta ad ardorem urinæ uel maxime facit.

Cum itaque dulcis radix ſtomacho,thoraci,pulmonibus,hepati, ueſicæ & renibus conueniat,miſceri poterit, & debet alijs medicamentis , potiſſimum trageis & alijs qui pro ſtomacho conficiuntur pulueribus.

EXTRINSECVS.

Dulcis radix arida ac in tenuissimum puluerem redacta manantibus ulceribus oculis inspersa, fluxum inhibere, & ulcus sanare traditur.

HIERONYMI TRAGI DE STIRPIVM HISTORIA COMMENTARIORVM LIBRI SECVNDI FINIS.

HIERONYMI TRAGI DE STIRPIVM, MAXIME EARVM, QVAE IN GERMANIA NOSTRA nascuntur, usitatis nomenclaturis, proprijsq; differentijs, necnon temperaturis ac facultatibus, commentariorum Liber tertius, Interprete Dauide Kybero Argentinensi.

De Fungorum, atq; Tuberum uarijs generibus. CAP. I.



VLTA EQVIDEM ET VARIA FVNGORVM Tuberumq; genera in Germania nostra gignuntur, quorum præstantissima ciboq; gratissima & commodissima ea sunt, quæ verno tempore ab Aprili mense usq; ad Maij mensis principia in nonnullis hortis graminosis, sub antiquis pomiferis arboribus, nec procul à radicibus earũ prognata cernuntur. Quanquam & ipsa Tubera in quibusdam Germaniæ, earumq; maxime regionum quæ Rheni tractui adiacent, syluis, humo arenosa proueniant.

Hæc, ut formam illorum pingamus, rotunda sunt pileoli instar, foris foraminulenta, non aliter atque fauus mellis, coloremq; canum obtinentia. Maio mense euanescunt, & ab eo inde tempore nusquam apparent, unde uulgato prouerbio apud Germanos dici solent, du nimbst zů wie die Morchellen im Meien / hoc est, Non aliter atq; Tubera Maio mense, crescis & augeris. Hoc Tuberis genus aqua feruente bullitur, posteaque aromatibus & butyro conditum cibis apponitur. 1. Tuber. Morchellen.

At uulgares Fungi, qui uulgo coqui solẽt, in campis, graminosis agris, aridioribus pratis, potissimumq; iumentorum pascuis nascuntur. Iunio mense primum cernuntur (maxime si pluuiosa & humida tum tempestas fuerit) nam neque hæc, neque alia Fungorum genera, nisi pluuiosa cœli constitutione procreantur, quæ etiam causa est, ut hoc anno tardius citiusue quam illo oriantur) & ab eo tempore ad Augustum usq; mensem cernuntur, pileolis rotundis & latis similes, inferius prope terram punicei, superiori uero parte membranulis liuidi coloris tecti, quos antequam in cibos 2. Amanitæ, uel Boleti. Heiderling.

Fungi & Tubera omnis generis.
Allerley Schwemme.



uenīant, detrahere oportet, ac tum demum ipsos Boletos aqua bulli re, butyroq́ & aromatibus condire cōuenit. Sunt qui hos Fungos membrana auulsa super carbones ignitos assare, solumq́ sale aspergere, cibisq́ usurpare soleant, prout cuiq́ uidetur.

3. Boleti orbiculati. Tertium Fungorū genus, cibis expetitum, in altissimis & tenebrosis syluis nascitur, coloris prorsus candidi, rotundum. In quo genere inuenias qui disco latiores sint. Omnes uero cum franguntur, lacteū ac feruentissimi saporis, (nam omni pipere linguā magis uellicant) succū fundunt. Hos, qui syluam uulgo den Odenwaldt cognominatam incolunt pauperes, sale aspersos carbonibus ignitis cibo assare solent.

4. Rheling. Quarti generis & uulgaris quidē ij sunt, qui colorē obtinēt splendidū & luteū. Nascuntur & hi in uliginosis syluis, & coquo quoque inseruiunt. Solent uero bulliri, deinde concidi, butyroq́ demum gingibere & aceto condiri.

5. Digitelli. Huius generis alij quoque Fungi in humectis & uliginosis syluis reperiuntur in digitos quasi dissecti, unde & digitelli dicuntur musco, qui in an-

tiquis adhæret arboribus, quam similimi, iiq; partim lutei prorsus, partim ex albo pallidi, & rosei. Gaudent iuxta putrida fere ligna prouenire. Succosi sunt plane, & meo iudicio frigidi, ac improbæ difficilisq; concoctionis, & prorsus insalubres.

Sexti ordinis Fungi in nonnullis altissimis syluis, ut est der Odenwaldt appellata nascuntur, puniceo præditi colore, pratensium Fungorum, quos Boletos uocant, magnitudinem haudquaquam excedentes, lacteum & dulcem manantes succum. Hi à quibusdam crudi deuorantur, sed qua utilitate ignoro. 6. Brötling.

Inuenitur porro Augusto mense in syluis prope radices quercuum, Fungi aliud genus, & magnum quidem, formam interaneorum vituli repræsentans, incani & plumbei coloris. Decoquitur à nonnullis more aliorum fungorum. 7. Hasenörlin.

Octauo denique Fungi qui edendo est genus in arbustis montanis cęsis reperitur, pratensibus seu Boletis quod ad formam totam attinet, sed coloris pallidioris. In syluæ Germanice der Ydar appellatæ frutetis & arbustis cæsis facile prouenit, sed non prius quàm incendantur illa quæ diximus frutetosa & montana arua, id quod plerunque fit circa diem D. Iacobo sacrũ, tum enim exusta terra frequentibus pluuiis humectata huiusmodi Fungos fundit. 8. Rödling/ Augstschwem

Exposuimus historiam Fungorum, eorum nempe qui in cibos ueniunt, superest ut de pernicialibus & qui edendo minime sunt aliquid dicamus, quis enim omnia genera recensere queat? Vt ergo præteritis multis quædam attingamus, nonne Muscarii passim Fungi cernuntur, partim rubri, partim albi, qui muscis aliisq; animalibus esitati certissimam necem adferunt. 9. Muckenschwemm/ Muscarii.

Quid uero de iis Fungis dicam, qui sub Pinu nascuntur, magni & lutei, quos iumenta magnopere expetunt, licet gustatis illis in morbos incidãt. 10.

Sunt & Oua ti quidam appellati, qui in campis graminosis gignuntur. Hi terrę cohærent nullo fulti pede, in globum, circinati, nec ulla sui parte patentes dehiscunt. Qui cum rumpuntur, atram fuliginem eructant, toto callo in fumum abeunte. 11. Bübenfist. *Crepitus lupi.*

Iam & super fimum, in tectis stramineis domorum, in putridis lignis, & ad arbores, Quercum scilicet, Fagum, Nucem, Betulam, Sambucum, pomiferasq; denique necnon in saxis & antiquis muris quamplurima Fungorum genera prosiliunt, quæ omnia recensere neminem uel peritissimum rei herbariæ posse arbitramur. 12. *Fungorum uaria genera.*

Sed ne Agaricum, qui inter omnes Fungos uel præcipuus est, magniq; apud medicos nominis, prætereamus, sciendum est illum non ubiq; terrarum, sed in Galatia Asiæ, Cilicia & Sarmatia, altissimis & putridis arboribus 13. *Agaricum.*

bus

bus adnasci, quanquam in nonnullis arborum caudicibus, eius Heluetiæ partis quæ Valesia uulgo dicitur, reperiatur Agaricum. Eius duo extant genera, teste Plinio, & alijs rei herbariæ scriptoribus, candidum nimirum & nigrum quod in medicina nullum habet locum. Candidum namq; solū usu receptum est. Hoc putridum lignum ferme exprimit, & in glandiferis maximis arboribus noctu relucens (teste Hermolao Barbaro) apparet, hoc namq; optimum & præstantissimum esse traditur, primo gustu dulce, deinde amarissimum. Electio Agarici apud Mesuen sic se habet, ut sit album, porosum, rarum ualde, frangi facile, leue.

Plinius lib. 25. cap. 9. *Diosco. lib. 3. cap. 1.*
1. *Agaricum mas.*
2. *Agaricum fœmina.*

Possent forte alia plura Fungorum genera à diligentibus enumerari. Nos his quæ in medium attulimus contenti erimus, eorumq; appellationes subijciemus. Nam reliquorum historiam persecutus est Ruellius lib. de natura stirpium iij. cap. cxiiij.

NOMENCLATVRAE.

Fungi, sicut & Tubera neque plantæ, neque radices, neque flores, neque semina sunt, sed nihil aliud quam terræ, arborum, lignorum putridorum aliarumq; putrilaginum superfluę humiditates, id quod inde colligi potest, quod omnes Fungi & Tubera; maxime ea quæ edendo sunt, è tonitribus, & pluuioso cœli statu frequentius nasci solent, quemadmodum Aquinas Poëta confirmat. *Et facient lautas optata tonitrua cœnas.*

Hinc ueteres cum intelligerent Tubera nullo semine procreari, crediderunt cognationem illis aliquam cum cœlo esse. Porphyrius sane Deorum filios Fungos & Tubera uocat, quia prouenire uidentur sine semine. Sed ut ad nomenclaturas tandem ueniamus, scripsit de Fungis & Tuberibus duo capita Dioscorides, quorum prius lib. ij. cap. cxxxiiij. extat in quo ὕδνον, hoc est, Tuber uocauit, quod nostra sententia Morchellen dicunt Germani.

1. *Tubera.* Estq; ea prima hoc capite à nobis descripta Tuberum & Fungorum species, quæ Aprili mense è terra prorumpit. Galli Truffla uocant, nonnulli ut Theophrastus testatur Geranea. Serapio Tubera Ramech appellauit, cap. ccxxxvi.

2. *Fungi.* *μύκητες.* *Serapio cap. 342.* Alterum de Fungis quos Græci μύκητας, Arabes Hatar, Hebræi פטעין Paapuin (Vide Aruch Monsteri) Germani Schwemm uocant, lib. iiij. cap. lxxxi. habetur, quo in loco omnes uno uocabulo dicuntur Fungi, siue edendo sint, siue Pernitiales.

3. *Amanitæ.* *Heiderling.* Recentiores alia quoque nomina & genera dedere Fungis, Boletos, & Amanitas eos uocantes qui in cibos ueniunt. Hos Germani Heiderling/

ling / & Grüschling appellant, quod in campis & aridioribus locis & iumentorum pascuis proueniant. Galli Campiniones nominant. 4. Orbiculati.

Quos uero supra in descriptione tertio loco commemorauimus Germani Pfifferling dicunt, sed rectius Pfefferling / ab acri & Piperis gustu dici poterant. Hos Orbiculatos a` magnitudine nuncupamus. Pfifferling. 5.

Qui lutei cernuntur, quarto ordine supra a` nobis explicati, Germani Rheling uocant Forte in Galeno Amanitæ quoque dicti. Rheling. 6.

At qui quinto loco leguntur in historia nostra, Digitelli a` digito uocantur, Germanis Hendelschwemm. Digitelli. 7.

Quos sexto loco proposuimus, qui syluam Germanis den Odenwaldt uocatam incolunt, Brötling nuncupant. Brötling. 8.

Septimi generis Fungos, Germani Eichschwemm, & a` forma Hasendrling / hoc est, Lepusculos nominant. Lepusculi. 9.

Octauos Germani Rod / oder Augstschwemm / quod in montanis frutetis, ijsq; exustis, & Augusto mense, nec deinceps amplius reperiantur. Augstschwem 10.

Cæterum Fungi qui edendo non sunt, nempe qui muscis pernitiem adferunt, Muckenschwemm / hoc est, Muscarij dicuntur. Muscarij. 11.

Iam qui radicibus arborum, potissimum Populi nigræ adnascuntur Fungi Ægiritæ nuncupantur. Qui uero caudicibus quarumuis arborũ adhærent Arborei dicuntur, cunq; igni concipiendo parantur & usurpantur, Igniarij Germanice Zunderschwemm appellantur. *Varia Fungorũ genera & nomina.* Aegiritæ. Arborei. Igniarij. 12.

Quin & a` forma quemlibet Fungum peculiari nomine insignire licet, ut dicamus, Ouatos, quos alias Crepitum lupi, Germanice Bübenfist appellant, Spongiolos a` Spongia, Porriginosos a` porrigine, oblongos uero Digitellos nuncupantes. Quid quod nonnulli Sessiles, alij Spinuli, quidam Cardeoli, nonnulli Prunuli cognominantur, a` locis uidelicet natalibus. Fungos & Tubera Arabes teste Rhase cap. xviij. Gosia, Fesich, Cautar nominant. Ouati. Bübenfist. Spongioli. Porriginosi. Digitelli. 13.

Postremum Fungi genus ἀγαρικὸν Agaricus, uel Agaricum Dioscoridi lib iij. cap. j. Germanis Holtzschwamm dicitur. Agaricum.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quod cito fit, cito perit, uulgo dici solet, quam autem uerum sit uulgatum hoc dicterium omnia Fungorum quæ humi proueniunt genera nos docere possunt, quorum ortus occasusq; septem includitur diebus, q̃d uero adeo repente e` medio tolluntur, in causa est abundans qua scatent humiditas. Dioscorides de Fungis breuiter in hunc modum loquitur. Fungorum differentia duplex, aut enim manduntur, aut perniciales sunt, quasi dicere

cere uellet. Fungi in medicina nullius sunt usus, propterea quod nullum fere alimentum præstant, sed inflant, ac frigiditate corpus lædunt, pituitam crassam & lentam simulq; frigidam generantes. Fungorum itaque usus minime tutus existit, caueant ergo sibi qui eiusmodi delitijs gaudent, ne idem ipsis accidat quod cuidam sibi probe noto usu uenisse tradit Galenus lib. ij. de aliment. facult. Innocentissimi autem Boleti quorum omnes fere docti meminere ij sunt, quos Germani Morchellen/Heiderling/Rheling/Brötling/Pfifferling nominant, Latine Tubera, Amanitæ, Boleti orbiculati, & ij qui quarto & sexto loco a nobis describuntur. Proinde nisi hi ipsi probe coquantur, aromatibusq; condiantur noxij quoq; sunt & strangulare possunt, uide Æginetam lib. v. cap. lv. de arte medendi.

pratensibus optima fungis, Natura est, alijs male creditur.

Cæterum quod ad Agaricum attinet, laudatur illud si fuerit candidum, leue, fungosum, & friabile, tunc enim ad medicamenta accommodatum est, quippe quod astringendi calfaciendiq; & quosuis crassos lentosq; humores educendi uim habeat.

INTRINSECVS.

Agaricum (ut illius facultates primo loco commemoremus) omnibus prope interaneis aduersus prauos humores auxiliatur, potestq; omnibus hominibus, ætate tamen & uirium robore consideratis, magna uel parua quantitate in uino uel hydromelite aut alio quouis liquore exhiberi, prout morbus ipse expostulare uidetur.

Dioscorides aduersus plerasq; affectiones una uice drachmæ pondere Agaricum præbet, Æginetæ binas Agarici ex melicrato exhibet.

Mihi Mesuæ compositio arridet, quæ hoc modo se habet. Agaricus in puluerem redigitur, cui postea uinum optimum infunditur, singulisq; semuncijs Agarici, drachma gingiberis in puluerem triti, adijcitur, quæ omnia probe commiscentur ut fiat massa, ex qua rotulæ seu Trochisci postea conficiuntur & pilulæ. Et quia compositi medicamenti incidit mentio, bona cum uenia medicorum omnium, in gratiam eorum qui ab officinis seplasiariorum longius absunt, compositionē unam de Agarico ostendam. Recipe Agarici cum gingibere præparati, ut ante dictum est drachmas duas, medullæ candidæ & fungosæ Colocynthidis peregrinæ, tusæ drachmam dimidiam, Mastichæ drachmam dimidiam, Croci tusi oboli pondus, Aloepatici tusi unciam unam. Subigantur hæc omnia bono uino, fiat massa, ex qua pilulæ magnæ aut paruæ quantitatis formari poterunt. Quod si pisi magnitudinem obtinent, numero undecim aut tredecim, interim plures, sæpe pauciores, eas nos sumendas una uice dare solemus. Hoc medicamento per inferiora ea educuntur uitia, a quibus putridæ febres

bres non raro in corpore humano oriuntur. Hæ pilulæ iocinerosis, pulmonum uitio laborantibus, splenicis, hydropicis, morbo regio affectis, & his qui magna cum difficultate urinam reddunt, aut colica passione infestantur, apprime cõducunt. Pallidis item mulieribus, et quibus menses impediti sunt, necnon podagricis & arthriticis. Eędem tineis uentris excutiendis, alijsue noxijs intra corpus sumptis expellendis, magni sunt momenti, quæ omnia de Agarico per se intelligi quoque uolumus.

Quod si quis Fungos uel male coctos aut alioquin noxios deuorauerit, & inde stranguletur, aut torminibus molestetur, is uel Agarici per se, aut pilularum supra propositarum drachmam è uino bibat, & sanabitur.

Quia uero non satis tuti usus sunt Fungi, libet hoc loco coronidis uice adijcere ea medicamenta quibus strangulantem illam Fungorum uim compescere liceat.

Tradunt itaque omnes medici eum qui strangulatus, aut inflationes ex immodico Fungorum esu profectas senserit, confestim uomitiones siquidem possit prouocare debere, ac Oxymel bibere, aut Leuistici siue Angelicę radicem in puluerem redactam, è uino sumere, aut Rhaphanum esitare, aut Absinthites uinum potare. Vide Dioscoridem lib. vi. cap. xxiij.

EXTRINSECVS.

Fungi in externis corporis partibus medicandis non frequentis sunt usus, exceptis ijs qui in Sambuco gignuntur, nam illi omnis generis inflammationes & tumores ex aqua rosacea aut uino impositi, sedare & deprimere traduntur.

Ouati quos Bůbenfist Germani nuncupant, inueteratis & fluentibus ulceribus insperguntur, ea namque deficcant, & quo citius curentur efficiunt.

Muscarij Fungi in lacte decoquendi erunt, ac muscis necandis proponendi, sed danda est opera ne alia animalia eiusmodi lac degustent.

Reliqua Fungorum genera, quæ Fagis, Nucibus, alijsq; arboribus adnascuntur, ad igniarios usus adhibentur, ignem enim quem semel conceperunt non facile relinquunt. Sunt non pauci qui Fungos hos ad id negotij parare norunt, decoquunt enim illos in lixiuio, & siccatos tundunt, rursusq; nitro coquunt, hoc enim pacto ad concipiendum ignem aptiores redduntur. Inuenias qui è Fungis eo quo diximus modo paratis uictum suũ quæritant. Atque hæc habui quæ de Fungis in præsentia dicerem, qui plura de illis cognoscere cupit, Ruellium & alios legat, nos enim defatigati Fungis, historiam illorũ ita tractasse nobis uidemur, ut qui hanc diligenter

euoluerit, illi nihil deesse putemus, quod ad præcipuos & uulgares Germaniæ nostræ Fungos attinet.

De Musco. Cap. II.

Mooß.



QVEMADMODVM uaria Fungorum genera, loco natali differentia numerantur, ita Muscus non unius est generis. Inuenias enim in arboribus tam aridis quam uirentibus, in saxis, syluis, hortis, campis & humidis pratis, alium atque alium Muscum.

1. Muscus arboreum. Est autem Muscus quocunque tandem loco natus, potissimum uero incanus & albidus ille, qui uetustis et aridis arboribus et lignis adnascitur, nihil aliud quam uillosum aut capillatũ quid, quanquam alius in hoc genere magis tenuis, alius crassior, quidam breuior, hic prolixior cernatur, prout arbor uel lignum cui inhæret humidius aut siccius fuerit.

2. Muscus saxatilis aut syluestris. Muscum uero, qui humida & rorulenta sacca in syluis aut humectis & uliginosis pratis reperitur, agyrtæ circumforanei quidã magni faciunt. Coliculos.n. eius & flores, qui nihil sunt aliud quã capilli quidã teretes, læues et punicei (sed cum de his supra libro primo ca. clxxxi. prolixius egerimus, non est quod hoc loco repetantur quæ antea dicta sunt) magno studio quærunt & colligunt.

3. Muscus hortensis. Tertium idemque uulgatissimum Musci genus in hortis & pratis extat, uillosum, sed reliquis generibus gracilius & tenerius, ex luteo uiride. Hoc usitatius est ut diximus.

NOMEN-

NOMENCLATVRAE.

Muscus Latine, βρύον uel Splachnon Græce, Mooß Germanice appellatur. De Musco quoque duo apud Dioscoridem extant capita, nimirum xx. lib. j. & cxxxi lib. iij. Sed posterius ad hunc nostrum Muscum minime pertinet, cum planta eo capite descripta, proprio suo nomine Phyllon, hoc est, Folium dicatur. Cæterum ut relictis his Musci genera suis nomenclaturis insigniamus, Muscum arborum officinæ Vsneam dicunt. Serapio Axneeh & Canianus appellauit cap. xciij. Iacobus Manlius super confect. de Vsnea, aliam quandam Vsneam describit, quam autoritate Serapionis Kali, & Stercus passerũ nominat, & ex ea sal Alkali confici traditur. Sed nos Germanicis plantis libenter contenti sumus, peregrina hæc suis relinquentes regionibus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Dioscorides Muscum cedrinum candidum, deinde populneum commendat, tertio loco quercinum. Muscus astringendi uim habet. Quanquam Auicenna teste, aperiendi, emolliendi & resoluendi quoque facultate pollent Musci genera. *Auicen. lib. 2. cap. 724.*

INTRINSECVS.

Auicenna Musci odorati candidi in puluerem redacti, drachmam dimidiam aduersus urinæ difficultatem, drachmam uero integram ad proritanda menstrua mulieribus exhibet.

Hydropicis idem drachmas tres dare iubet, dicitq; id medicamenti soluendo aquositatem hydropisis educere. Id medicamentum mulieribus ad eijciendos partus mortuos exhibere conuenit.

Muscus quando infunditur in uino diebus aliquot, illud uinum facit dormire dormitione forti. Hæc Serapio ex autoritate Cozi cuiusdam. Hęc medicina inquietis infantibus, & his qui noctu in tempore cubitum se conferre recusant, meo iudicio conuenit. Addit Serapio. Et quando infunditur in uino stiptico, confert stomacho, & curat excussionem uentris, & aromatizat stomachum, & abscindit uomitum.

EXTRINSECVS.

Decoctum uuluis insidentium utile, unguento balanino, oleisq; inspissandi gratia inseritur, thymiamatum acoporumq; compositionibus conueniens, inquit Dioscorides.

Nostri Emperici Musco ad sistendum sanguinem utuntur, ab vrsis admoniti, hi enim quamprimum uulnerati fuerint, Musco sanguinem sistunt.

Vsum proinde Musci norunt qui naues aquatica ædificia fabricant. Muscus qui hortos & prata humecta obsedit, ita ut gramen supprimat, Martio Mense cinere aboletur, sed eo, ex quo lixiuium fuerit confectum.

De Visco. Cap. III.

SATYRION E SEMINE AVIVM MIRO QVODAM modo procreari libro secundo docuimus. Non multo autem aliter Viscum satum nunquam nascitur, nisi per aluum auium redditum, maxime palumbis & turdi. Cæterum in nostris regionibus non in quercubus aut Fagis, sed Malo, Pyro, Populo nigra, Salice, Acere, Cynosbato, Tilia syluestri, Corylo & Betula, Viscum prouenit, licet rarius Betulæ, Corylo, & Tiliæ syluestri apud nos adnascatur. Viscũ (ut ad descriptionem eius ueniamus) quacunque in arbore gignatur, eiusdẽ fere formæ apparet, hoc est, fruticosum, geniculis crebris interstinctum, surculisque frequentibus brachiatum, herbacei coloris, folio uestitum pingui, solido & crassiusculo, maiori etiam quam Buxi: floret in initijs veris, flosculos fundens perexiguos, luteos, qui Autumno appetente in baccas abeunt teretes, candidas, Grossularis (de quo infra cap. xiiij.) fructui adsimiles, intus lento albo, & uiscoso humore repleti. In medio uero eius quem diximus Visci, qui intra baccas cõtinetur, granula nigra reperiuntur, quę uidentur seminis naturam habere, licet sata nunquam proueniant. Breuiter cum in terra gigni non possit, in arboribus tantum nascitur, tanquam in alienis sedibus uiuens. Hyeme turdis cibus est Viscum, æstate insidiæ & pernicies. E corticibus namque huius plantæ Viscum illud fit glutinosum, quo auiculæ capiuntur, ita ut Viscum pariter utile atque noxium auiculis esse appareat, quod (ut uolunt) Plautus de turdis loquens intellexit, cum inquit, ipsa sibi auis mortem creat, cum Viscum ferat, quo postmodum ab aucupibus capiatur.

Ruellius.

NOMENCLATVRAE.


Fuerunt & Magi nonnulli qui crediderunt Viscum aduersus omnia mala facere, quare uocabant Omnia sanantem, uide Plinium lib. 16. ult. cap. in fine.

Lubet hoc loco inserere quæ superstitionem ueterum in colligendo Visco obseruasse Ruellius uir undequaque doctissimus, ætatisque nostræ singulare lumen de natura stirpium lib. j. cap. cxl. annotauit, cuius hæc sunt de ea re uerba.

Druides in Gallia nihil habebant olim Visco & arbore in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. Quare roborum eligebant lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiebant. Vt inde possint [illegible] appel-

Viscum.

Mistel.



appellati interpretatione Græca Druides uideri, & adhuc apud nos ueteris uocabuli relucet uestigium, Dreus pro Druides uocantes. Quidquid illi adnascitur, è cœlo missum putabant. Erat

autem id rarum admodum inuentu, & repertum, magna religione petebatur, & ante omnia sexta luna. Post sacrificium & epulas sacerdos candida ueste cultus arborem scandebat, & aurea falce demetebat, candido id excipiebatur sago: tum demum tauros duos coloris candidi, nunc primum cornibus uinctos immolabant, precantes ut suum donum Deus prosperum faciat. Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animalium sterili arbitrabantur, contraq; uenena omnia esse remedio. Hæc ille.

Huiusmodi superstitiones quamplurimæ apud Christianos etiamnum hodie locum habent. Inuenias enim qui credant Viscum quercinum aduersus amuleta, ueneficia, & ludibria Satanæ efficax esse, ideoque è collo puerorum & infantium suspendunt, quo à ueneficijs & amuletis tuti esse queant. Sed exponamus tandem nomenclaturas, Viscum Latinis, Germanis Mistel/Græcis ἰξὸς, dicitur, non ἰξίαν quæ est uenenosa planta, de qua Dioscorides lib. vi. cap. xxi. & Leonicenus de erroribus medicorum. Viscum Plinius lib. xvi. cap. viij. Stelin, & Hyphear appellari tradit, & quod in quercu nascatur Dryos hyphear. Galli Dreus uocant. Ion poëta uetustissimus Viscum Sudorem quercus appellauit. Arabes Dabach, uel Dibach, & Hele nominant, uide Serapionem cap. clxvij. & Auerrhoẽ simplicia.

Theoph. lib. 3. cap. 16.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Viscum tumores quosuis discutiendi, emolliendi extrahendiq; uim obtinet. Temperaturæ est mediæ, neque nimis calidum, nec abunde frigidum, plus tamen ad aqueam quam siccam accedens. Vsus eius in externis corporis partibus frequentior.

INTRINSECVS.

Quidam Emperici existimant Viscum quod quercui, Corylo aut Pyro agnascitur, si terram non tetigerit, in puluerem redactum, ac è uino potum comitialibus mederi. Itaque eo ex orbiculos præcatorios conficiunt, quos ad eundem morbum facere credunt. Alij argento includunt, & inter alia è collo puerorum & infantium suspendunt.

EXTRINSECVS.

Omnia Visci genera dum uiridia adhuc & recentia sunt tusa, succo extracto auribusq; indito, discutiunt collectiones earum, & emolliunt eas intra paucos dies, doloremq; finiunt.

Viscum

Viscum tusum ac emplastri ritu impositum tubercula, parotidasq; discutit. Vetera ulcera absessusq; quos Cacoëthes uocant, ex thure mollit.

Lienem cum calce, gagate, aut Asio lapide coctum & impositum absumit.

Mistum cum calce & uini fæce scabritiam unguium leuigare dicitur.

Vsus eius maximus ad capiendas aues, confectio eius hoc pacto se habet, teste Ruellio. Viscum fit ex acinis immaturis, hoc est, uiridibus, nondum candidis, qui messium tempore colliguntur. Siccantur deinde, & aridi tunduntur, ac conditi in aqua putrescunt, duodenis fere diebus. Vnumq; hoc rerum putrescendo inuenit gratiam.

Confectionem Visci aliam & quæ mihi magis probatur tradit Serapio his uerbis. Vidi autem in monte Nasca homines, qui faciunt ipsum ex arbore magna quæ nascitur apud eos, quæ nominatur ab eis Tarabella. Accipiunt ergo ramos eius & excoriant eos, & facientes fasciculos, infundunt in aqua, & dimittunt sic mensibus duobus, deinde contundunt contusione forti, & fit inde Viscus bonus.

Quidam putant Viscum in pabulis datum, iumentis efficere ut pinguescant illa & augeantur.

Fœcunditatem eo pabulo dari cuicunque animali sterili arbitrantur. Plinius.


De Erica. Cap. IIII.

INTER OMNES PLANTAS QVAE IN GERMANIA nostra gignuntur, uix aliam reperias qua apes nostræ æque delectentur, atque ea quam Heiden/hoc est, ut uulgo interpretari solent Ericam uocant. Eam namq; magno studio quærunt Augusto mense, quo tempore florem ostendit stellatum in candido purpureum, suauissimumq; ac melleum prorsus odorem spirantem. Hinc sane multi asserunt reipsa & experientia id quoque attestante, optimum clarissimumq; mel id esse, quod ex flore Ericæ apes efficiant. Quin etiam quod mireris, cum Erica non satis læto flore comat, aut aliquid damni patitur, mel quoque quod Autumno colligitur in Vuasgoia nostra, alijsq; montanis locis, non magna in copia reperitur. Hæc mihi propterea dicuntur, quod rei herbariæ scriptores tam Græci quam Latini uno omnes ore pronunciant, mellationem de Ericæ flore minime probatam esse. Qui fit ut unum ex duobus suspicari hoc loco necesse sit. Aut enim hoc quod hi affirmant de Ericæo melle in alijs tantum, non autem nostris contingit, aut certe ueterum Erica non fuit ea quam nos hodie hoc nomine appellamus, id quod magis uerisimi-

1. Erica uulgaris purpurea.

Diosco. lib. 1. cap. 102. Pli. lib. 11. ca. 16.

Erica.
Heyd.



le sit, cum Dioscorides arborem fruticosam hanc appellet. Licet Plinius libro xxiiij. cap. ix. Ericam his uerbis pingat. Ericen Græci uocant fruticem non multum à myrice differentẽ, colore Rorismarini, & pene folio. Hæc ille. Siue ergo Erica hæc nostra eadem sit cum ueterum Erica, siue non sit, certe frutex est elegantissimus, quamplurimis uirgis & ramulis rotundis & purpurantibus præditus, ijsq; minutissimis foliolis, folia Chamæcyparissi referentibus, sed non perinde cineraceis, quin potius uiridibus uestitis undique. Inueniuntur uero huius generis frutices, qui in syluis ad altitudinem duum cubitorũ assurgant.

Erica candida.

Reperias & nonnullos qui florem gerant prorsus candidum, sed rarius est hoc genus. Vtriusque autẽ flosculi Autumno nullo post se relicto uel semine uel frũctu euanescunt.

NOMENCLATVRAE.

Vulgatissimæ plantæ, in lingua latina hodie maxime ignotæ habentur, quod in hoc frutice uidere est, qui Germanis Heid/ Græcis ἐρείκη, & ut nonnulli uolunt Myrica Latinis dicitur. Palladius in Nouembri mense, titulo

viij.

viij. de apibus hunc fruticem Tamaricen appellarẽ uidetur, cum tamen Tamarix, seu ut uulgo dicunt Tamariscus longe alius sit frutex, quemadmodum proximo dicetur capite. Sed parum hæc curanda putarem, si in reliquis certi essemus. Athenienses Plinio teste Tetradicem hanc uocant. Theophrastus lib. vi. ca. iij. Tetralicem, alij Quadrangulam, Quadratam. Amaricum & Amaricen (nam & Columella flores Amaricinos dixit, pro quo rectius Ericæos legi posse existimo, imitatione Pliniana, uide Plinium lib. xi. cap. xvi.) Sisarum denique aut Sisaram uocandam putant. Ruellius Genistellam uocatam officinis, Ericam quibusdam esse tradit libro primo cap. lxxxiij. Proinde ego ijs assentior, qui Myricam Hieremiæ cap. xvij. de hac nostra planta interpretantur. Quid uero proprie Erica sit, infra cap. viij. dicetur. Breuiter Erica hæc nostra Tamarisci exiguum quoddam est genus, sicut & scopæ Amerinæ, de quibus proximo dicetur capite.

DAVID KYBERVS LECTORI HERbarum studioso.

CVM autor noster Myricæ quæ (ut habet uulgata translatio) Hieremię xvij. commemorantur, mentionem fecerit, explicabo paucis quid de ea uoce ueteres Hebræi senserint, ערער. Arear igitur (hæc enim uox a Hieronymo per, Myrica, est reddita) ut inquit Kimhi in suo Dictionario, est arbor quæ in deserto gignitur, & sunt quidam qui dicunt eam esse quæ Arabica lingua Albahel, & lingua uulgari (hoc est Hispanica) Marbi uocatur. Alij dicunt esse Iuniperum. Thargum hoc est Chaldæus paraphrastes interpretatus est eã uocem עבביתא Accabitha, id est, spinam. Accabitha uero exposuit Rabi Haij esse foris spinosum intus uero fructum esculentum, & uocari Hebraice Arear. Hactenus Kimhi. Rabi Salomon ex sententia cuiusdã Menachem dicit esse fruticem aut arborem aliquam syluestrem, olim Hebræis Arear appellatam, sed quæ hodie explicari facile non possit. Hactenus illi.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Paulus Ericæ flores & folia tumores & collectiones citra mordicationẽ aliquam aut adustionem digerendi uim habere cõtendit, qua de causa haud immerito utrinque corpori adhiberi possunt.

INTRINSECVS.

Aquam e floribus Ericæ distillatam colica laborantibus, prę sertim si calor & sitis adsint, utiliter exhiberi expertus sum.

EXTRINSECVS.

Eadém ruborem oculorúm tollit, & dolorem illorum mitigat.

Flores una cum teneris germinibus tusi ac impositi serpentium morsibus medentur, teste Dioscoride, & tumores sedant.

Quidam è recentibus Ericæ floribus, fomenta & balnea sudatoria conficiunt podagricis & paralyticis membris, persuadent namq; sibi hoc pacto inueteratos & uiscosos humores unde morbus articulorum oritur dissolui & discuti.

De Myrica. Cap. V.

IN NOSTRA GERMANIA MYRICAE ALTERVM duntaxat genus habemus, nimirũ syluestre & sterile q̃d florẽ profert muscosum & purpurantem. Nicander Mantin in Theriaca hoc Myricæ seu Tamaricis genus nuncupauit, propterea quod Apollo uaticinaturus, uirgam Tamaricis manu gestare solitus fuerit, quem morem secuti Magi Scythiæ uaticinijs suis Tamaricen adhibuerunt. Ægyptij quoque sacerdotes Myrica seu Tamarice coronati Festum Iouis celebrabant, & ad multas superstitiones tam hi quam alij Tamarisco utebantur, non aliter atq; aniculæ nostræ superstitiosæ Erica candido flore emicante, uti apud nos consueuerunt. Sed facessant deliria, superstitioq;, nos historiam Tamarisci exequamur.

Tamariscus frutex lignosus (nam Tamaricen arborem, quæ fructum gignit lignosum, ut Galla, Ægyptijs & Syris relinquemus) uiri proceritatem apud nos quandoq; consequitur, ramis est ex herbaceo fuluoq; uariegatis, folio magis tenui Erica, cuius iam statim meminimus, aut, à Sabina herba minimum dissidẽte, cinereo, aut ex pallido uiridi. Floret vere, cumq; flores emarcuerint in pappos auolant, non aliter atque Salicis. Nascitur Tamariscus in nostris regionibus ad ripas fluuiorum, potissimum autem ad Rhenum.

NOMENCLATVRAE.

Germani Tamariscum Tamariscen / Portz / & Birtzenbertz appellant. Latinis Myrica, Græcis μυρίκη, Corinthijs Tamarix, Achaiæ Brya, Gallis Bryaria, Nicandro μάντις, Serapioni Tarfa & Carmezit, Auerrhoi Alcarphar. Nec prætereundum est, Serapionem aliud quoddam Tamarisci & & grandius genus describere, cap. xx. sub Athel & Abohainsa nominibus ex quo vtensilia in Babylonia dicit confici.

Serap. cap. 31.

Scopæ Amarinæ

Proinde scopæ quæ ad nos deferuntur, Amerinæ uocatæ, expurgandis uestibus

Myrica.
Tamariscen.



uestibus expetitæ, uirgas ostendentes tenuissimas & ruffas, Tamarisci quoque genus esse uidentur. Vide Ruellium libro primo de natura stirpium cap. xcix.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Tamariscus abstergentis est ac incidentis facultatis, potestq; utrisque corporis partibus utiliter adhiberi.

INTRINSECVS.

Folia, lignum, radices, succusq; Tamarisci in uino decocta & pota, pulmonum, iocineris, lienis, renũ & uesicæ tollunt obstructiones & melancholiam potenter exigunt.

Datur id decoctum cruentæ excreationi in potu, cœliacis, & contra profluuia fœminarum, regium morbum, & phalangiorũ morsus.

Tamariscus ad omnia abundantia profluuia, ac ea uitia quæ ab obstructionibus lienis proficiscuntur unice facit.

Lienosis suibus mederi tradit Democritus Physicus aquam quæ potanda obijcietur, in qua candentes myricæ carbones fuerint restincti; consulitq; hominibus uitio lienis laborantibus, uinum ebibere carbonibus myriceis igni flagrantibus exustum.

Tama-

Tamariſcum uitio lienis præſertim ſuum quamplurimum conducere Columella ſenſit lib. vij. cap. ix, ubi hunc in modum ſcribit.

Solet etiam uitioſi ſplenis dolor eas infeſtare, quod accidit, cum ſiccitas magna prouenit, & ut Bucolicon loquitur poema, *Strata iacent paßim ſua quæq; ſub arbore poma.* Nam pecus inſatiabile eſt, ſues enim dum dulcedinem pabuli conſectantur, ſupra modum æſtate ſplenis incremento laborant, cui ſuccurritur, ſi fabricentur canales ex Tamariſcibus & Ruſco (ſeu ut Ruellius monet legendum, Tamaricis è trunco) repleantur aqua, & deinde ſitientibus admoueantur. Quippe ligni medicabilis ſuccus, epotus inteſtinũ tumorem compeſcit. Hæc ille.

Succus Tamariſci, ſicut & radix (quam imperiti medici Caſiam uocãt, & pro Caſia utuntur) ad huiuſmodi affectiones magis conducit.

Quantarum uero uirium Tamariſcus ſit, ex his quæ è ſcriptis Serapionis annotabimus, intelligi facile poterit. Sic ergo ille cap. xxxi. ſcribit.

Tamariſcus confert frigidis apoſtematibus, quando ſuffumigatur cum eo. Dixit mihi homo fidelis, quod fuit quædam mulier, ſuper quã apparuit lepra & datum fuit ei ex decoctione radicis Tamaraſci cum paſſulis ſæpe, & curata eſt. Et nos quidem experti ſumus hoc in muliere alia, & curata eſt. Et dico ſuper hoc quod iſtud contigit, quia ægritudo ſua prima fuit apoſtema in ſplene, & propter opilationem eius, quæ quidem fuit cauſa non attrahendi melancholiam, & non mundificandi uel clarificandi ſanguinem, quæ fuit cauſa apparitionis lepræ ſuper eam. Quando ergo reſolutum fuit apoſtema, et aperta eſt opilatio propter operationem iſtius medicinæ in eo, quod fuit de natura ſua abſtergere, reuerſæ ſunt ad ſanitatem, &c.

Potorios calices è caudice Tamariſci lienoſis moliuntur, quo datus in his potus proficiat. Dioſcorides libro primo cap. ci.

Vinum Myriceum regium morbum conducere crediderim.

EXTRINSECVS.

Decoctum foliorum cum uino ad dolorem dentium in collutionibus ſalutare.

Folia pallidis mulierculis albis menſibus laborantibus in deſeſſionibus utilia ſunt.

Lixiuium

Lixiuium è cineribus Tamarisci confectum, pediculos & lendes enecat. Cinis Tamarisci ulcera manantia inspersu desiccat, & ambustis igni medetur.

De Thymælea. Cap. VI.

Zeilandt/Kellershalß.



FRVTEX HIC, ET is quem proximo capite describemus, earundē sunt facultatū, ita ut si alterutrū desit, altero uti possis. Vtrumq; tamen meo iudicio noxium est, maxime his qui imbecillo sunt stomacho. Quisquis ergo ualetudini suæ bene consultum esse uoluerit, is sibi ab agyrtis cauendum sciat, quibus moris est, immites istas & à noxijs ac uenenosis plantis petitas purgationes citra iudicium quibusuis exhibere. Thymelæa ut missa hæc faciamus & historiā aggrediamur, arbusculæ instar prosilit, uirgis multis, tenuissimis, tripedaneis, aut breuioribus, folijs exiguis, & pinguibus, flore candido, fructu rotundo, seminibus Cannabis haud maiori, linguam si mandatur adurente, non aliter atque Chamelæa, de qua proximo capite. Thymelæa non ubique obuiū est, sed incultis, altissimisq; mōtibus et syluis prouenit.

NOMEN.

NOMENCLATVRAE.

Germani hunc fruticem Kellershals / vnd Zeilandt appellant, Latini nonnulli Linum sylueſtre, Oliuellam & Leonem terræ. Apud Dioſcoridē lib. iiij. cap. clxvij. θυμελαία, & χαμελαία, dicitur, quanquam poſterior appellatio ei quam proximo deſcribemus capite potiſſimum conueniat. Plinius lib. xiij. cap. xxi. Pyros achnen, Cneſtrōn, & Cneoron uocari tradit. Syri Apolinum nuncupant, Hyginus Caſſiam. Liparonis cuiuſdā Aëtius mentionem facit, quod & Cneſtron nominari tradit, num uero ad hunc fruticem ea pertineat appellatio minime conſtat.

Fructus Thymelææ granum Gnidium, uel Coccon gnidium, ut loquuntur officinæ, appellatur. Errant recentiores qui Cocco gnidium ex Chamelæa naſci exiſtimant. Multo autem maiori in errore uerſantur qui Chamelæam cum Daphnoide ſeu Laureola confundunt, ac ſi ad unam & eandem herbam utraque appellatio referenda ſit. Vide Chriſtoph. de honeſtis, & Iacobum Manlium ſuper confect. Mezereon.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vſus huius fruticis, ſicut & ſequentis, nullus admitti debet, niſi ubi ſumma id neceſſitas expoſtulare uidebitur. Eſt enim uterque uehementer calidæ qualitatis.

INTRINSECVS.

Veteres hydropem inueteratum per inferna, granis Thymelææ uiginti exhibitis purgare ſunt ſoliti. Ne uero fauces adurant, Saccharo priuſquam uſurpentur, obducenda erunt.

Mulieres grauidæ, & qui imbecillum habent uentriculum, ab hoc & illi ſimilibus medicamentis abſtineant.

EXTRINSECVS.


Qui ægre deſudant, trito hoc ſemine cum nitro & aceto inunguntur. Sed neque hoc medicamento unquam utendum, niſi neceſſitate poſtulante, & cum alia nihil proficiunt.

Folia quæ peculiariter Cneorum appellantur, per meſſes colligi debent, & ſiccata in umbra recondi. Hæc tutioris uſus eſſe prædicantur.

De

De Chamelæa. Cap. VII.

Chamelæa, seu Mezereon.
Seidelpast.



APVD MEDIOMATRICES, & in Vuasgoia admodum uulgaris est notitiæ Chamelæa. Reperitur ea in uliginosis, densis & tenebrosis lucis, & dumetis. Februario mẽse antequam folia fundat, florem profert Bersilici colore tinctũ, odoratum, Violæ nobilissimę instar, qui Aprili mense in uirides abeunt baccas, sed Autumno appropinquante rubescentes, cuiusmodi Arum quoq; gerit. Folijs uestitur per omnia Ligustro, aut ut habet Dioscorides, Oleæ similibus. Cortice obducitur hic fruticulus læui & cano, raroq; ad altitudinem binum pedum assurgit, ramis non multo crassioribus culmo. Tota sua substantia grauiter olet, excepto solo flore, qui iucundũ ut diximus spirat odorem. Folia, flores, cortex, & grana gustata acriter mordent, faucesq; ac guttur uellicatu acriori ipso Aro lacessunt.

NOMENCLATVRAE.

Ab huius fruticis usu

uel

in his nominibus quædam ad Thymelæam pertinent.

Oleastelli uox ad Calabricam Oliuam proprie pertinet, de qua Columella lib. 12. cap. 49.

uel ipsæ nomenclaturæ, quibus uulgo Rapiens uitam, Faciens uiduas, hoc est, si interpreteris Germanice Mörder/ vnd Menschendieb appellatur, deterrere nos merito debebant. Dioscoridi lib. iiij. cap. clxvi. χαμελαία, Chamelæa nigra, Pyros, Achne, Heraclion, Bdelyra, Coccon gnidion, Citocacium, Oleago, & Oleastellum nuncupatur. Serapio & Mesue Mezereon uocant. Vide Serapionem cap. ccclij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Cortex Chamelææ igneam quãdam uim habet, unde illi Pyros achnes nomen, nam licet tusus intro sumatur, nunquam tamen confici potest, sed per inferna nulla corruptione alteratus, redditur. Caueant ergo sibi qui uelint ab huiusmodi medicamentis. Ego namque Chamelæa quosdam agyrtas & impostores, non paucos ad orcum mittere uidi. Est enim illa sicca in quarto gradu, quemadmodum autoritate Cuzenæ cuiusdam Serapio prodidit.

INTRINSECVS.

Corticem Chamelææ anteq̃ eo utaris, aceto biduo aut triduo macerare, deinde dulci aqua aliquoties abluere, ablutumq; umbra siccare & ad usum recondere conuenit, Serapio autor est. Nunq̃ tamen exhibendus est per se sed semper Saccharo, aut succo Dulcis radicis miscendus, dimidiæ duntaxat drachmæ pondere. Quod si hoc pacto præparetur, eoq; pondere cum aliis mixtus exhibeatur, medicina fuerit benedicta, aduersus melancholiã & aquam intercutem, aquam citrinam ut uerbis utar Serapionis.

Pilulæ quas è Chamelæa Mesue & Serapio conficiunt, ad hydropem maximi meo iudicio est momenti.

Ego existimo decoctionem florum Chamelææ ad prædictas affectiones tutioris & minus noxij usus esse. Nemini tamen author aut magister hac in parte esse uelim. Quin sequatur quisque quod ex re sua esse certo cognouerit.

EXTRINSECVS.

Folijs cum melle tritis sordida ulcera & crustosa repurgantur.

Mulierculæ quæ formæ student, hoc medicamento uti poterunt, nam faciei maculas intra paucos dies illitu exterit & purgat.

De Genista, & Genistella. Cap. VIII.

GENISTA VVLGARIS APVD GERMANOS NOTItiæ, incultis agris campisq;, neq; non quibusdam montanis arbustis

Genista.
Pfrimmen.



bustis, quæ statis temporibus cædi solent, gignitur. Frutex est surculosus, multisq; uiridibus uirgis ramosus, frõde minuta, rutaceaq; fere foliatus, uiri quandoq; attingens proceritatem. Eius duo sunt genera, quorum grandius idemq; uulgatius Maio mense, nonnunquam & Autumni tempore, exiguum uero Iunio mense floret. Vtriusque flores quod ad formam attinet Cicer arietinum æmulantur. Quanq; ea quam uulgo Genistellam uocant, tota sua substantia breuior & magis exigua cernatur, pręterea & aculeata sit, pungentiq; prædita folio, sicut & Oxyacantha, quam uulgo Berberim nominant. Necubique hoc Genistę genus reperitur, sed in arenosis ac saxosis duntaxat locis prouenit, ut est sylua quam uocant den Ydar/ ad Mosellam, & in Vuasgoia. Flores utriusque in nigras, & incuruas abeunt siliquas Senæ fere respondentes, quinis, interdum senis, quandoque pluribus aut paucioribus seminĳs, forma sua renũculos quosdam repræsentantibus, phasiolorum gustum exprimentibus, refertas, quæ solis calore ruptæ dissiliunt, non aliter atque Cataputia maior, granula sua excutientes.

Genistella.
Stechendt Pfrimmen.



Genista.

NOMENCLATVRAE.

Hunc fruticem Germani Pfrimmen/ Latini Genistam uocant, quoniam genu modo flexilis ad nexus sit, uel quia genibus medeatur dolentibus. Sunt qui existimẽt Genistam & Spartion unum & eundem esse fruticem. Ac fieri potest ut Genistam sub Spartio suo, quod & Lobon, hoc est siliquam, & Lygon, id est, vimen cognominant, descripserit Dioscorides libro quarto cap. cliij. Sed quantũ ad me quidem attinet, intelligere hoc non possum, sicut ipse quoque Plinius lib. xxiiij. cap. ix. dubitat, an Genista sit quam Græci authores Spartiõ appellauere. Quod si ignoscere mihi uelint Herbarij nostri dicere non dubitarim Genistam ad Ericam pertinere Dioscoridis, quã Mesue Albrahim, myrticã & Genestram uocat: rursus Spartion eam esse quam supra lib. ij. cap. viij. descripsimus, exiguam Genistam, Genistellam, quam Germani Klein pfrimmen / oder Stechend pfrimmen nuncupant, sub Spartio, aut quod magis arrideret nobis, Silybo comprehenderim.

De Silybo Dioscorides lib. 4. cap. 153.

VIRES.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Emperici Genistæ flores & semina ad internas quasdam affectiones exhibere hodie solent.

INTRINSECVS.

Aqua è floribus Genistæ distillata, & pota calculosis prodesse traditur, sicut & seminis per se tusi tertia parte drachmæ sumpta, ad sudorem interim eliciendum contecto corpore.

Apes flores Genistæ amant, sed mellatio ex illis facta improbatur. Apes etiam cum fœlici & copioso prouentu hi luxuriant, frequenter moriuntur. Hæc partim ipse quoque Dioscorides animaduertit.

Spartij (quod ego Germanice Gälferb blůmen uoco, de quo supra lib. ij.ca. viij.) flores quinis obolis in aqua mulsa poti, per superna uti fere Helleborus, sed citra periculum purgant. Easdem & semen facultates obtinet, sed eius non nisi dimidia drachma exhibenda fuerit: quę omnia de Chamęspartio (cuius historiam secundo quoque libro cap. vij. tractauimus) intelligenda erunt.

Ramis in aqua maceratis, mox tusis, extractus succus, Ischiadicis & angina laborantibus auxiliatur, si cyathi modum ieiuni bibant.

EXTRINSECVS.

Genistæ seu Ericę (si modo Genista sit Erica Dioscoridis) tam flos quam coma, serpentium ictibus illitu medetur.

Opiliones quidem è Genista unguentum conficiunt, quod scabiei ouiũ medetur.

Genistam tusam cum axungia, genua dolentia sanare Plinius scripsit lib. xxiiij. cau. ix.

Spartij ramorum aqua salsa maceratorum, succus expressus, & clysteri additus strigmenta elicit cruenta.


Ego sane crediderim Spartion, quod nos Gälferb blůmen interpretamur, id esse ex quo Asia lina piscatoria conficere solita est, uide Plinium lib. xix. cap. ij. Ruel. de nat. stirpium. cap. cxlij.

De Colutea Theophrasti, uulgo Senam nominant.

CAP. IX.

QVANQVAM APVD DOCTOS ETIAMNVM HODIE controuertatur, quo in loco Senæ mentionem fecerit Dioscorides, tamen cum Germaniæ nostræ pridem innotescere cœperit,

Colutea Teophrasti, uulgo Sena.
Senet.



Sena uulgaris. non potui committere, quin hoc in hisce nostris commentarijs, uel obiter historiam illius perstringerem. Est autem ex alsiosarum genere Sena, non minus quam Cucurbitæ, aut Cucumeres. Folia gerit Trifolio acuto, aut Fœno græ-

no græco consimilia, sed maiora, caules habet rotundos & lignosos, candi do in fastigiis & Violæ adsimili emicantes flore, qui in nigras abeunt & re curuas instar Genistæ siliquas, semine aliquantulum lato, ac incano, quod à me aliquando satum plantulas Senæ mihi protulit. Sena alioquin ex Italia ad nos magna in copia deportatur, nam in illis regionibus, sicut & in Gallia sponte sua gignitur. *Ruellius de nat. stirp. li. 1. ca. 70.*

2. Præstantissima uero Sena ex Alexandria ad nos defertur. Ea luteos pro fert flores, cætera uulgari similis. *Sena Alexandrina.*

NOMENCLATVRAE.

Miror equidem cur Dioscorides, Plinius, Galenus & Aegineta nullam huius stirpis mentionem fecerint, cum tamen à Theophrasto descripta fue rit libro primo cap. xviii Liparæ peculiarem Coluteam asserente, quæ uer ba ego lubens de hoc frutice intelligo, cum propter exactam descriptionē, tum uero ob insignes quibus donatus est, uires. Quod uero quidam Senā Delphinium seu Alypon, aut Peplium Dioscoridis esse dictitant, nihil me mouet, quo minus Senam cum Ruellio Coluteam Theophrasti esse statu am. Galli hanc Bagenaulde. Serapio cap. lviii. Habohanisa, Mesue Abalze mer, Actuarius fructum siliginosum appellat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Sena mediocriter calefacit & exiccat. Vsurpantur siliquæ & semina, de hinc folia ad purgationes.

INTRINSECVS.

Inter omnes purgatorias, & expultrices medicinas, uix aliam reperias utiliorem, usitatiorem, & minus noxiam. Decoctio namq; Senæ pota, cras sos & uiscosos humores educit, melancholiam expurgat, sanguinem mun dat, exhilarat cor, & omnia interanea.

Decoctionem Senæ ego sic conficio. Sumo Senæ foliorum unciam unā & dimidiam, eaq; probe abluo, caulibus crassioribus & reliqua immundi tie amota, caryophylla xii. gingiberis non tusi radicem minutim cōcisam, seminum Fœniculi, Anisi, añ. drachmas ii. Hæc omnia in olla noua & munda lento igne supra tertias in uino aut aqua pro ægritudinis ratione, decoquo, mox per pannum percolo, Saccarumq; adiicio, quantum mihi quidem uidetur res ipsa postulare, tum ægro mane & uesperi cubitum itu ro, decoctionis huius calefactæ mediocrem exhibeo cyathum, ita tamen ut

nullum postquam potionem accepit, intra quatuor horas cibum assumat. Hæc decoctio citra periculum puero, uel adulto exhiberi potest. Puerperis tamen benedicta est medicina, sed his quidem non cum Saccharo condienda fuerit prædicta potio.

Sunt qui illi pauxillum Rhabarbari tusi admiscent, tum enim efficacius purgabit. Serapio drachmam foliorum Senæ in puluerem redactorum, in iusculo gallinaceo sumptam pares facultates habere tradit.

EXTRINSECVS.

Mesue foliorum Senæ & Chamæmeli decoctum lotione cerebrum neruos roborare, deinde & quouis modo sumptam Senam uisum & auditum firmare, melancholicis & antiquis febribus succurrere scribit cap. de Simp. xv.

De Cappari. Cap. X.

QVANQVAM NON IN OMNIBVS GERMANIAE LOcis Capparis nascatur, tamen culinis præsertim diuitũ admodũ familiaris esse cernitur, nedum autem diuites sed etiam pauperes in usu Capparim habent, sciuntq; non tantum quid Capparis sit, uerum etiam cur illa expetatur, nimirum ut delectet, ciborum fastidia discutiat, & appetẽtiam inuitet. Antequam uero cibis adhibeantur, bulliuntur, ex oleo ac aceto eduntur, quemadmodum Paulus docuit. In quibusdam prouincijs sponte sua, aspera inculta, lapidosa & sabulosa terra Capparis gignitur. Non tamen omnia genera commendantur. Siquidem Apulum uomitus facit, peregrinum quod è Marmarica Libyç deportatur inflationes parit. Itaque usu merito tam hoc quam illud à nobis repudiabitur, erimusq; Italico contenti, quod innocentius est. Capparis cultu & leui uel nullo contenta est: namq; diligentia marcescere uolunt, & quo sollicitius colatur, eo minus læte prouenire. Atq; hæc hactenus præfationis uice dicere uoluimus, nunc historiam subtexemus.

Capparis itaque frutex surculosus est, multis ramulis & surculis, humi stratis aculeatis fruticans. Spinas habet acutas ut Rubus, folia Asari, aut ut Dioscorides inquit, Mali cotoneæ, inter quæ rotunda erumpunt capitula, quæ cum dehiscunt, florem promunt stellatum & boni odoris. Cæterum habet flos quisq; oblongum quoddam stamen in medio capillatarum fibrarum reconditum, quod flore excusso in fructum abit, oleæ pene, aut glandi exiguæ consimilem, acinis refertum, quod in mariscis quoque uideas. Capparis radicem habet magnam, longam, lignosam, acris & amari gustus,

quæ

Capparis.

Cappres.



quæ quotannis noua emitit germina, qua ratione & Dulcis radix repullu-lascit. Cumque semel radices egerit, nisi frequenter & in tempore extirpe-tur, postea non facile eijci se patitur.

NOMENCLATVRAE.

κάππαρις. Diosco. lib. 2. cap. 165.

Capparis quam Germani Cappern/oder Cappres uocant, multa in Dioscoride nomina habet. Nam quemadmodum apud Diosco. annotatum est, aliqui Cynosbaton, alij Capriam, alij Corui malum, alij Ophioscorodon, Phyllostaphylon, quidam Thalliam, aut Petræam, alij Olophyton, alij Ioniten, alij Oligochloron aut Acontion, aut Hippomanes, alij Trichomanes, Magi potera, alij Pentheron, aut cor lupi, alij Alosthorodon, alij Crinon, alij Thlaspin, Romani persicum sinapi aut inturim, Aphri Herbiæathon, appellant. Quanquam inter commemoratas appellationes non paucæ sint quæ ad alias potius referendæ sint stirpes, tamen in præsentia ab eo negotio supersedebimus. Palladius Cappar uocat. Serapio Capparus. cap. cclxxxi.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Capparis non tantum culinis, sed & medicinæ nata esse uidetur. Temperaturam habet calidam & siccam, maxime quod ad radicem attinet, qua de causa utrinque in ijs quæ resolutionem indigent magni est momenti.

INTRINSECVS.

Capparis cruda stomacho aduersatur, aluum turbat, quare coctam prius, deinde ex oleo & aceto esse eam conueniet.

Paralytici, podagrici, plegmatici, & splenici, & mulieres quibus ante tempus menses fluere cessauere, ischiadici & qui magna cum difficultate urinam reddunt, hij omnes continuo in usu Capparim habeant. Nam natura tam florum quam baccarum Capparis ea est, ut discutere, mouere, & expellere quosuis uiscosos humores, urinam & menses ualeant.

Fructus Capparis duabus drachmis in uino potus, quadraginta diebus lienem absumit, & urinam cruentum que excrementum emittit, bibitur utilissime in coxarum doloribus, & neruorum resolutione, item ruptis & conuulsis, menses ciet, caput purgat, aluum soluit, autor est Dioscorides, Serapio Clystere ad sciaticam (ut loquuntur barbari) è succo Capparorum, Rasen magna olim experientia factitasse scribit.

EXTRINSECVS.

Aurium uermiculos infusus Capparis succus enecat: doloremque sedat.

Dentium dolorem sedat semen ex aceto decoctum, colluto inde ore. Aridus radicis cortex ad eadem proficit.

Idem decoctum uitiligines albas absterget, ulcera omnia uetera & sordida, & quæ occalluerunt, expurgat.

Radix

Radix foliaq; intrita strumas ac duritias discutiunt. Lienosis cum farina hordei fructus aut folia illinuntur.

Sed ut hanc tractctionem finiamus, ex his quæ diximus, plura alia quæ Capparis præstare potest remedia colligent prudentes.


De Rubi uarijs generibus. Cap. XI.

SI QVIS EST, CVI PROPAGANDI ARBORES RAtio minus constet, is naturæ in Rubo solertiam consideret, & prudentior euadet. Cum namq; Rubus execranda & plerisque mortalibus inuisa res sit, ita ut neminem facile reperias qui stirpem eam plantare uelit, sese ipsa propagat, miranda proculdubio & singulari id procurante naturæ prouidentia. Nam protinus quam paulo accreuit, retro uergens in terram defigit capita, radicatur, iterumq; ex se nascitur, repletura omnia ni diligens resistat cultura, id quod rusticorum & agricolarum ignauia abunde confirmat. Siquidem cum illi uini tabernas plus amant quam agros suos, & in perniciem illorum Rubo conniueant, quid possint aut quales illorum sint agri, nihil attinet hic dicere. 1. Rubi duo sunt genera, humile *Humilis Rubus.* nimirum & grande. Humilis Rubus ripis fluuiorum gaudet, neq; non humectis nonnullis & macris & incultis agris, in quibus longe lateq; se diffundit, sparsis per terram tenuissimis & aculeatis uirgis. In altum nunquam se attollit, retro in terram ut diximus uergens, ne scilicet nobile genus pereat. Folia tam huius quam alterius Rubi Lupulo pene respondẽt, nisi quod magis nigricant, spinisq; asperioribus horrent. Rubus humilis (ut ad illũ redeamus) flores gerit ex candido roseos, stellatos, Maio mense erumpẽtes, Fragariæ forma sua similes. Mora flore excusso subsequuntur, primo exortu uiridia, paulo post rubra, per maturitatem uero cæsia, non iniucundi gustus sicut & mora (ut Barbari uocant) celsi. Radix omnium Rubi generũ nodosa est admodum, maxime cum illi cultura non aduersa fuerit.

2. Rubus grandior per dumos repit, & in syluis inter cæteras sentes & aculeatas plantas, neq; non ad sepes, & agrorum limites reperitur. *Rubus grandis.* Hic in altum crassiores emittit uirgas, quæ tamen & ipsæ gracilitate & proceritate nimia in terram retroactæ, capita defigunt & radicantur (ut de altero quoq; genere diximns) ne scilicet tam utile fruticis genus nulla post se relicta decedat prole. Rubus hic minaces ostendit spinas, nocentes, aduncas, ac pungentes non minus quam felium ungues. Folia gerit asperiora prædicto genere, & duriora, & quæ hyeme raro à uirgis suis excutiantur, quas non facile deserunt, nisi alia in locum ipsorũ succreuerint. Flos huius & fructus priori

Rubus.
Brombeer.

3. Rubus Idæus.



generi per omnia respondet, nisi quod mora huius Rubi, per maturitatem quã Augusto mense & circa Autumnum assequitur, non cæsia, sed plane nigra euadunt, gustu dulcia, modica admixta amaritudine. Hęc à merulis, auibusq́ cęteris expetuntur, & in cibos quoque ueniunt pauperum, qui alios non habent, nisi publicos hos, & à diuitibus qui aurũ sequuntur, & quidquid peregrinum ac sumptuosum fuerit, neglectos prouentus.

At Rubus Idęus, uirgas, folia & spinas habet teneriores, ac inter omnia genera Rubi innocentissimas, multo enim clementius pungũt, quam reliquorum Ruborum. Inuenias in hoc genere qui prorsus non pungãt, maxime ij qui primo anno è terra prosilierunt. Rubus Idæus folia habet qua terrã spectant albicantia, ut farina aspersa uideantur, tactu mollia & tenera. Floret Maio & Iunio mensibus, rotundos et ex albo pallidulos proferens flosculos, qui Iulio mense in rotunda, concaua, rubra, dulcia, & iucundum odorem uti fere Viola Martia, spirantia, abeunt mora, rubris & pilosis pileolis similia. Fructus hic diu sub sistere nequit, intra paucos enim dies vermiculi in eo nascuntur,

& tum

& tum protinus pereunt. Frutex hic uliginosis & umbrosis syluis, locisq; minime apricis, neque non rorulentis & arenosis saxis gaudet, Vuasgoiæ & syluæ quam uocant den Ydar familiaris.

NOMENCLATVRAE.

Omnia Rubi genera aqud Germanos Brombeerhecken / & Bremen / Latinis Rubi, Græcis Bati nuncupantur. Sed ut suis nomenclaturis singula genera insigniamus, putamus humilem Rubum, primo loco à nobis descriptum, eum esse quem Theophrastus lib. iiij. capite xviij. χαμαίβατον, & Theodorus interpres illius Humi rubum appellauit. Grandem autem illũ qui secundo loco à nobis describitur eum esse statuo qui Dioscoridi libro quarto cap. xxxv. βάτος, simpliciter dicitur, & ab alijs, eodem autore annotante, Cynosbatos, ab alijs Selinorition, ab alijs Asyntrophos, ab alijs Titani sanguis, ab alijs Ibidis sanguis, à Romanis Rubus, ab alijs Sentes, à quibusdam Mora baticana, à Dacis mantia, Ægyptijs Hæmos, alijs Ametros appellatur. Serapio Rubum, Buleich nominat cap. cxxiiij. Hebræi סנה Sene, Exodi iiij. sic enim fere illam dictionem interpretes Bibliorum reddunt.

Titani sanguis, Hæc appellatio à Dioscoride lib. 2. cap. 125. Lactucæ agriæ attribuitur, & potest fieri ut Rubo propterea communicata fuerit, quod mora illius sanguineum compressa succum reddant.

Tertium genus Germani Hymbeeren / Horbeeren / vnd Hundtbeeren uocant. Recentiores medici Cynosbaton uocant, sed quæ uera sit κυνόσβατος cap. xviij. infra dicetur. Ego in ea plane sum sententia, ut credam hoc Rubi genus id esse quod Dioscoridi cap. xxxvi. lib. iiij. βάτος ἰδαία, hoc est, Rubus Idæus dicitur, quoniã passim in Ida proueniat. Galli teste Ruellio li. iij. de na. stirpium cap. xciij. Frambosciam nuncupant. Nicander Rubum polybateam à copia mororum nominat. Neque me latet recentiores quosdam Fraga per Rubum Idæum intelligere, at quam recte ipsi uiderint, per nos enim his licebit, quicquid illi sibi arrogauerint.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quotquot de re herbaria scripserunt, folia, flores, germina, fructusq; Rubi astringere & exiccare traduntur. Vsurpantur fere intrinsecus ad cohibendas & refrigerandas quasuis calidas fluxiones, & utrinq; aduersus serpentium & scorpionum ictus uenenatos adhibentur.

INTRINSECVS.

Galenus lib. ij. de aliment. facult. frequentem fructus Rubi usum dolorẽ capitis inducere iudicat. Quod an ita se habeat necne, hauddum expertus sum,

sum. Verum de Rubi Idæi fructus immoderato usu id testari possunt, quod mora illa uehementer refrigerant, ita quidem ut si quis aquam superbibat, eum horrores febriles continuo obruere facile posse. Quod si moderate illis utamur, quasuis ardentes febres refrigerabũt; ad quas affectiones aqua è moris Idæi Rubi (quæ Germanis Himbeer dicuntur) destillata utilis est, sed & iucunda & grata ægris cum propter manifestam refrigerandi facultatem, tum propter suauissimum quem exhalat odorem violaceum.

Si fructus in promptu non sit tenellæ Rubi Idæi frondes, aut folia aqua decoquantur & ægris exhibeantur. Ea decoctio foris, inq; inflammationibus conuenienter in linteolis imponetur, nam sedandi illas, & restinguendi ui pollere id medicamentum certa experientia docuit.

Qui cibos in uentriculo continere nequeunt, & frequentibus uomitionibus infestantur, hijs fructus Idæi Rubi deuoratus, & folia recentia tusa, ac foris stomacho imposita, mire prosunt.

Folia Rubi arida, necnon summa uirgarum fastigia, uino, aquaue decocta ac pota, dysenteriam potenter cohibent, & mulierum abundantia profluuia. Iisdem facultatibus & mora immatura & folia in puluerem redacta, necnon flores pollent, sicut & è teneris coliculus expressus succus, quē nõnulli sole cogi sinũt, singulari remedio cõtra omnia quę modo dicta sunt.

Rubi omnium generum flores & fructus uino decocti & poti remedio sunt & antidoto efficacissimo his qui serpentium, aliorumq; uenenatorũ uermium & scorpionum ictus senserunt, testis est Nicander in Theriaca.

Radices Ruborum omnium Galeno lib. vi. de Simpl. facult. astruente, magis astringunt quam uel folia uel fructus. Estq; Galenus in ea sententia, ut credat calculos renum his radicibus comminui, si uel uino decoctæ, uel in puluerem redactę assumantur.

EXTRINSECVS.

Foliorum & ramorum decoctum collutione gingiuas putridas non solum purgat sed & firmat, & oris uitijs medetur, prodest & anginę hæc decoctio si gargarissatur, licet fructus in eclegmate ad eam affectionem conuenientius ab ægris sumi possit.

Decoctum cuius iam meminimus lauamentis chirurgorum utilissimũ est, nam illo omnia manantia ulcera scabiesq; capitis, oculorum, sedis & genitalium lauantur & purgantur.


Eadem potest succus expressus sole coactus ut mellis instar spissetur.

Folia Rubi lixiuio decocta, si illo caput aliquoties abluas, capillos denigrant.

Folia Rubi Idæi recentia trita & inflammationibus epatis & stomachi foris imposita, calorem remouent, deliquiumq; animi & uires ægrotis addunt,

dunt, quod omnia aqua distillata efficacius pręstat, potu & illitu, quemadmodum supra quoque meminimus. Ictibus serpentium illita folia addito oleo & uino ueneno aduersantur.

De Chamæbato, seu Rubo Idæo altero, Germani Bocksbeeren appellant. CAP. XII.



SVPEREST RVBI aliud genus, quod nunc perstringemus. Hoc non ubique locorum, sed in uliginosis & umbrosis arbustis prouenit, uirgis tenuissimis humi sparsis, quæ non aliter atque Fragariæ aut Rubi uulgaris coliculi, sese ipsę propagant. Folia gerit hic frutex Rubo adsimilia, sed magis exigua, nullis spinis horrentia. Fructum ędit Augusto mense, sed non copiosum. Atq; is nihil aliud est quam morũ rubrũ magnitudine Fraga non excedens, ternis aut quaternis acinis constans, fructui Rubi exiguo similis, gustu uinum referente sed pergrato præditus. Radix gustum obtinet asperum, & ad amaritudinem quandam uergentem. Ea quotannis nouos emittit & teneros coliculos

NOMENCLATVRAE.

Hæc mora in Vuasgoia nostra & apud Mediomatrices Bocksbeer uocant. Ego

Ego existimo Chamæbati speciem esse, aut certe non male Rubo Idæo coniungi posse. Nam in altissimis montibus gignitur, neque alibi unquam illum me reperisse fruticem memini. Cæterum cum in hortulos meos illum transtulissem, in Rubum Idæum mutatus est.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quæcunque superiori proximo capite de Rubo diximus, ea puto huic quoque frutici recte attribui posse. Qui tamen uires illius cognoscere cupit, periculum faciat de illo, mihi satis est, si mea opera cognitus fiat hic frutex, omnesque sciant in Rubum Idæum illum quemadmodum diximus mutari.

De Myrtillo. Cap. XIII.

CVM E DVMETIS ET SENTICETIS SYLVARVM proreperem, inter cæteras stirpes Myrtilli, quos non solum forma, sed & saporis suauitas plurimum commendat, primi sese nobis obtulere, & hij quidem duum generum, exigui scilicet & maiores, quanquam exiguorum, ut omnibus fere passim cogniti sunt, ita maior undique apparet copia. Nam ubi hoc genus Myrtilli in syluis (nascitur autem in ijs potissimũ, quas Germani den Schwartzwaldt/ den Odenwaldt/ den Spessart/ den Ydar/ den Hemrich nuncupant, neque non in Vuasgoia) ibi quamplurimi luxuriant fruticuli, uirgis præditi tenuissimis, quadratis, uiridibus uti Genistæ, folijs uestiti speciosis, herbaceis, solidis, Buxi per omnia similibus, sed teneríoribus. Maio mense inter folia teretes enascuntur flosculi, singuli, singulis pediculis dependẽtes, ex puniceo rosei coloris, forma sua campanulam referentes, ac in medio rufum quasi pistillum aut stamen obtinentes, quod in baccam rotundam & rubescentem abit. Hæc cum maturatur eo tempore quo & Cerasa maturitatem suam consequuntur, ex cæsio nigricat, colore baccas Iuniperi æmulans, gustus dulcis & suauissimi, pueris & syluestribus auiculis cibo gratissima.

1. *Myrtillus exiguus.*

2. *Myrtillus grandis.*

Myrtillus grandis non in omnibus syluis gignitur, sed in uastis desertis, uliginosis & tenebrosis uallibus, alijsque humectis locis Vuasgoiæ, Comitatus Bidiscensis & Bipontini territorij, prouenit. Quanquam autem hoc genus Mytilli priori quod ad baccas, flores, & folia attinet quadamtenus respondeat, tamen ingens discrimen hæc duo separat à se mutuo genera. Siquidem maioris Myrtilli qua terram spectant cineracea prorsus apparẽt: deinde caules rotundi, proceri uidentur, ita ut arbusculam repræsentent, tertio ramusculi seu surculi itidem teretes sunt & punicant, quæ omnia in

altero

Myrtillus.
Heidelbeer.



altero genere diuersa reperiuntur. Preterea fructus quoque huius magnitudine superat alterum genus, qui antequam maturetur, exuiridi albicat, postea rubescit, sapore uini præditus, demũ ex cæsio niger apparet, & dulcior baccis Myrtilli exigui. Radices tã huius quam alterius longe lateq; intra terram sese diffundunt, ac subinde noua exerũt germina. Atque hæc est Myrtillorum propagatio.

NOMENCLATVRAE.

Primum genus Germani Heidelbeeren/vnd Staudelbeeren/alterum Roßbeeren/Drumpelbeeren/vnnd Brůchbeeren nominant. Plerisque hodie Myrtilli latine dicuntur, quæ appellatio si formam fructus consideremus, non ita male huic frutici quadrabit. Atqui hos fructus vaccinia nigra appellant, autoritate Vergilij nitentes, ne illi mihi terq; quaterq; insulsi homines uidentur. Nam Vergilius non de fructu aliquo, sed de floribus quibusdam Ægloga secunda loquitur, & per vaccinia nigra Hyacinthum eum intelligit, cuius Dioscorides historiam lib. iiij. cap. lxi. proponens Romanis Vaccinium dici testatur.

Cæterum

Cæterum de appellationibus Myrtillorum nihil peculiare in scriptis ueterum reperio, nisi quod Auerrhoes lingua sua Arabica Hes uocat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Res ipsa clamat, & experientia testatur, hisce baccis terream & frigidam inesse substantiam, quare meo quidem iudicio cibo quam medicinæ accommodatiores sunt.

INTRINSECVS.

Pueri, necnon pastores & alij pauperculi, hisce baccis & ijs similibus fructibus, mense Iunio plurimum gaudent. Naturam habet refrigeratoriam, ueluti fructus Rubi Idæi.

Quidam seplasiarij Syrupum (ut uocant) è Myrtillis ad inueteratam tussim, pulmonisque uitia & exulcerationem conficiunt, asserentes illum & stomacho prodesse non secus atque Syrupus de Agresta. Confectio prædicti Syrupi ita se habet. Accipiantur succi Myrtillorum probe percolati libræ sex, Sacchari puri & bene purgati libræ tres cum dimidia, aut tres duntaxat, quæ omnia lento igne super prunas simul decoquantur, quoad mellis instar aut Syrupi spissentur. Hanc decoctionem officinæ Syrupum de granis Myrti, & Chesmes nuncupant. Sed meo iudicio hæc non de nostris Myrtillis quos Germani Heidelbeer uocant, intelligenda erunt, sed de Myrti fructu. Nam quidam ita loquuntur, Myrtillum esse fructum Myrti, Vide Manlium super oleo Myrtino, & Columella lib. de re rustica xij. ca. xxxviij.

EXTRINSECVS.

Qui chartulas (ut uulgo nominant) lusorias, aut alias picturas coloribus uarijs illustrant, ij succum Myrtillorum cum alumine & Galla temperant, coloremque hoc pacto Venetum uel dilutum uel saturatum conficiunt.

Qui pannos, lanam & fila inficiunt, ij Vrceo (Germani ein Kübel nominant) Myrtillorum succi expressi cyathum aceti de uino, aluminis tusi unciam unam, squammæ æris Germanice kupfferschlag tusæ drachmas duas miscent. Hæc omnia simul decoquunt, cumque decoctio illa refrixit, ita ut manum tuto immergere possis, tum fila aut pannos tingendos demergunt in eam decoctionem, posteaque in locum aëri peruium suspendũt & siccant, tum denouo ex frigida aqua lauant, & ita blaui seu veneti coloris erit ille pannus. Quod si cupiant eum colorem dilutiorem esse squammam æris non inijciunt decoctioni, sin uero probe saturatum uncia gallæ tusæ adijcitur.

De Vua crispa. *Cap.* XIIII.

Groſſel/oder Krauſſelbeer.



VVA CRISPA TERritorio Treuirenſi admodũ familiaris eſt, quo in loco ſecus itinera, & in limitibus agrorum magna in copia & fœlicius quidem cæteris ſentibus, prouenire cernitur, quanquam & apud Mediomatrices, aliosq́ꝫ aſpera & lapidoſa terra gignatur. Frutex eſt ſurculoſus, multisq́ꝫ uirgis & adnatis ramuſculis brachiatus, qui omnes undique acutis, exiguis, rectis, ac minime recuruis ſpinis ijsq́ꝫ plerunque binis, aut ternis coniunctis, ut cornua capri repræſentent, horrent. Caudex eius non in altũ attollitur, ſed in multos ut diximus ſurculos ſeſe diffundit, frequentes emittens adnaſcentias, ſeu ramos, qui quotannis ſub finem Februarij menſis teneram proferunt et nigricantem frondem, ſerratam, folijs Ribes pene aut Cynosbato (de qua infra cap. xviij.) ſimilem, ſed magis exiguam & tactu aſperiorẽ, atque tum demum uetera decedunt folia. Martio menſe flores prodeunt, concaui, exigui, purpurei, quos ſi ſingulos per ſe intuearis, animaduertes illos intus

apiculos quinos tenuissimis quasi capillis suffultos ostendere, campanulamq; paruam referre, nec magnitudine Myrtillorum flores excedere. Ex his acini fiunt sublutei coloris, rotundi, nigrum quid in superiori sui parte obtinentes. Maturantur autem illi circa diem D. Ioanni sacrum, gustuq; dulces sunt, admixta quadam sed grata acerbitate.

NOMENCLATVRAE.

Ab acinis suis, frutex hic apud Germanos Grosselbeeren dicitur, Latine Grossularis, nimirum à dura illa membrana, seu cuticula, qua obducuntur acini isti, siquidem manducati crepant, instar membranæ quæ disrumpitur. Meo sane iudicio hic frutex ad tertium Rhamni genus pertinet. Rhamni apud rei herbariæ scriptores hæc leguntur cognomina, Persephonion, Leucacantha, hoc est, spina alba, Cerualis spina, Atadim, inter quæ spinæ quidem albæ appellatio ad eam proprie plantam spectat, quæ à Dioscoride lib iij. cap. xx. & xij. describitur. Serapioni Hausig, & Ausig cap. ccxxvi. dicitur, Hebræi Rhamnum אטד Atad uocant, Iudicum ix.

ῥάμνος τρίτη, Diosco. lib. 1.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Acini Grossularis, seu Vuæ crispæ frigidæ sunt qualitatis, cibo quam medicinæ magis accommodati.

INTRINSECVS.

Hij antequam maturuerint prorsus acerbi seu acidi sunt gustus, sicut immaturi botri, quare à prudentibus mageris cum carnibus & piscibus concoquuntur, quo cibos palato gratiores reddant, & acido sapore appetentiam inuitent. Prosunt autem hoc pacto usurpati cholericis calidis & ægrotantibus.

Ex ijs etiam, immaturis inquam Grossularis baccis salsamenta ad intinctus parari possunt, sicut & ex immaturis uuis Omphacium conficere solemus.

Grossularis acinis iam maturis pueri delectantur. Quidam ut famem compescant, alij uoluptatis gratia hos esitare solent.

EXTRINSECVS.

Omnium Rhamnorum folia igni sacro, & serpentibus ulceribus efficaciter illini scribit Dioscorides, quæ quidē ego illū crediderim de prioribus duobus Rhamni generibus intelligere. Addit deinde, Fama est ramos

huius

huius ualuis fenestrisu'e impositos ueneficia depellere. Ego aliud & certius quidem docebo. Nam si ordine multos Grossularis frutices ponas, sepem efficies perpetuam & præstantissimam, quam nulla poterunt animalia penetrare, hortisq; nocere.

De Rhamni alia specie. *Cap.* XV.

Wegdornbeer.



NASCITVR ET Alia Rhamni species in tractu Rheni, secus itinera, inter pruna syluestria, & Cynosrhodon, frutice arborescente, aculeato & spinoso, cuius caudex puniceo obducitur cortice, non multo aliter quam uel Cerasus, uel ea arbor quamproximo describemus capite. Cortex interior uiridis est, ipsum uero lignum subluteũ. Flores profert hic Rhamnus Maio mense, eosq; exiguos & singulos singulis petiolis dependentes stellatos, quatuor apicibus diuisos. Rami multis & rectis spinis horrent, instar Cynosbati, folijs uestiti molliusculis, leuibus, pomi syluestris pene similibus, sed quadantenus minoribus. Multos hic Rhamnus & uirides gignit acinos, qui messis tempore leguntur, & sole siccantur, cumq; Autumnum attigerint ac maturuerint molles & nigri euadunt, gustu iniucundo præditi, magnitudi-

ne baccas arboris, cuius iam statim historiam subtexemus, nequaquam excedentes.

NOMENCLATVRAE.

Hunc fruticem Germani Wegdornbeer uocant, a`uijs proculdubio tracta etymologia, nam nusquam illum maiori in copia inueni quàm in dumetis secus itinera & uias sitis. Alij Wersenbeer nominant. Quo uero loco apud ueteres habitus fuerit, mihi non satis constat. Equidem nisi folia illius hyeme decuti scirem, facile speciem Rhamni alteram apud Theophrastū lib. iij. cap. xvij esse dicerem. Quanquam id obstare non possit quo minus Rhamnis accenseatur. Siquidem nec Dioscorides, nec Plinius perpetuo uirentium Rhamni foliorum ullam fecere mentionem. Quapropter præsentem fruticem Rhamni speciem esse dicam, quoad alij certiora de nomenclatura eius docuerint.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

In scriptis medicorum non multa de facultatibus huius Rhamni leguntur. Veteres teste Dioscoride crediderunt ramos ex Rhamnis foribus & fenestris additos, remedio esse contra ueneficia. Folia huius nostri fruticis frigidæ & siccæ sunt naturæ.

EXTRINSECVS.

Folia igni sacro & serpentibus ulceribus efficaciter illinuntur.

Quædam mulierculæ uel folia, uel interiorem corticem cum modico aluminis uino decoquunt aduersus oris ulcera & putredines, quibus hoc medicamento gargarissatu singulari experientia succurrunt.


Baccæ huius fruticis messis tempore lectæ, arefactæ & tusæ in aqua & alumine maceratæ, luteum, seu croceum potius reddūt colorem, quo librarij olim libros pingere consueuerunt. At hodie cum auripigmentum usu recipi cœpit, repudiati sunt acini isti, quanquam locum adhuc habent apud eos qui chartas depictas, & lusorias, necnon coria colore flauo inficere solent.

Autumno cum baccæ istæ maturitatem suam assecutæ nigræ euaserint, leguntur & tusæ in uase æreo asseruantur, & pulchre uiridem exhibent colorem, unde nonnulli eum uiridem colorem ex his parant, quem safft grün lingua Germanica uocamus, qui pictoribus accommodatissimus est & in magno usu.

Hi acini cum circa Festum D. Martini in arboribus adhuc hærent, legi solent, & ad puniceum colorem conficiendum ab his qui coria inficiunt, &

depictas chartas coloribus illustrant. Ex his quæ hactenus de acinis huius Rhamni diximus facile liquet eos quam utilissimos esse, ut qui tria genera colorum præbeant, croceum inquam uiridem & puniceum.

De eo Frutice, quem Germani Faulbaum *uocant* CAP. XVI.



PRAESENS ISTE frutex, qui in syluis arborescens, & in altum sese attollere, plurimisq; ramis brachiatus conspicitur (nam inter cæteras sentes in dumetis & frutetis humiliori statu contentus plerunq; gignitur) medullam intus habet spadicei coloris, cortice forinsecus obductus fusco. Folia huius Cerasi syluestris pene consimilia sunt, sed magis rotunda & nigricantia, iuxta quæ perexigui & ex pallido albicantes prorumpunt flosculi, singuli singulis nixi pediculis. Hij progressu temporis in rotundos paruos & uirides abeũt acinos, qui æstate rubescẽt, autumno uero plane in nigrum mutantur colorem, adeoq; Myrtillis similes apparent, sed ingrati plane ac maligni saporis.

NOMENCLATVRAE.

Si hæc arbor, aut frutex, utroque enim modo appellari potest, ut supra docui,

mus, spinis horridus esset, sane nullum alium in locum illum conijcere possem, quam ad Rhamnos. Quia uero aculeis destituitur, incertus sum quo nomine uocari debeat, auditurus aliorum de hac re sententiam. Germani quidam Zapfenholtz uocant, propterea quod uietores ex hoc ligno epistomia conficiant. Nostrates Faulbaum & Leüßbaum/ a` foetido tum odore tum sapore.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Frutex hic una cum fructu suo non magni in medicina est usus, praesertim quod ad internarum partium remedia attinet, nam foris tantum imponi consueuit, quemadmodum nunc dicemus.

EXTRINSECVS.

Flauus huius arboris & medius cortex cum aceto tritus, & scabiei illitus, intra paucos dies illam sanat & exiccat. Estque hoc experimentum singulare.


Idem cortex in aceto decoctus putridis dentibus collutione prodest, nam & dolorem mitigat, & dentes ipsos purgat. Neque quicquam praeter ea quae nunc diximus, de hac arbore compertum habemus.

De Carpino Theophrasti. Cap. XVII.

ANTEQVAM AD SPINOSOS ET ACVLEATOS REdeamus frutices de Carpino nonnihil dicemus, qui & ipse inter caeteras spinosas stirpes iuxta uias plerunque reperitur. Is quod ad frondem & pallidos flosculos attinet, Rhamno, cuius altero ab hinc capite meminimus, adsimilis existit, nisi quod Carpinus hic noster uno in pediculo plerunque quinos aut senos stellatos flosculos ostendit, quod in praedicto Rhamno non uideas. Caeterum & folia Carpini teneriora sunt, & magis nigricant quam Rhamni. Caudicis cortex incanus cernitur, sed in germinibus anniculis uiridis plane apparet, lignum flauum est & praedurum, pauca medulla refertum. Flosculi in siliquas abeunt quadrangulas, quales fere Lathyris proferre solet, quae Autumno appetente purpureo tinguntur colore, puerorum lusibus expetitae, in quibus grana solida crocata membrana clausa reperiuntur, testiculis auium similia, unde a` nonnullis Germanica uoce Hanhödlin/ quasi galli testiculus dicitur. Autumni tempore siliquae sua sponte rumpuntur, & tum semen quod gustatum nescio quid resipit, in terram conijcitur.

NOMEN.

Carpinus Theophrasti.
Spindelbaum/Hanhödlin.



NOMENCLATVRA.

Theophrastus lib. iij. de historia plantarum cap. xi. inter cæteras arbores, & Carpini meminit, quem nõ Acerem ut quidam uolebant, sed Gallicam, & Græce ζυγίαν, hoc est, Iugalem, quod ex ea iuga & uarij generis instrumenta uasa olim conficere solebant, appellandum contendit. Nos eam arborem quam Germani Spindelbaum, hoc est, Fusariam (nam ex ea fusi muliebri netu celebres apud nos conficiuntur) vnd Hanhödlin/hoc est Galli testiculum uocant, Carpinum esse iudicamus. Ruellius illam sub Euonymo quidem describit, sed in fine hæc subijcit uerba. Sed an sit Euonymos, etsi multæ delineationes faueant non ausim affirmare.

Quid uero Acer & Celastrus sit, suo quoqe uoco docebimus.


Ruellius de nat. stirp. lib. 1. cap. 77.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Ad quid huius arboris cum folia tum fructus faciant, nihil habeo in præsentia certi, nisi quod nostri tornarij eius ligno ad uaria instrumenta & uasa utuntur. His ergo explicatis ad spinosas reuertamur stirpes.

De Cynosbato. Cap. XVIII.

Hagendorn.



INTER OMNIA FRVticum arborumq́ aculeatarum genera, uix elegantiorem Cynosbato reperias. Siquidem ille copioso & cōiunctim posito flore, eoq; Cerasi aut pruni consimili, sed magis exiguo in principio Maij mensis emicat. Singuli flosculi quinis constant foliolis candidis, in quorū medio multi albi ceu capilli apparent, apices roseos sustinentes, quod in omnibus pomorum floribus uideas. His decidentibus fructus subsequitur exiguus, oblongus, uiridis, per maturitatē quam Autumno appetente assequitur, rubeus, nucleo oliuæ minor, foris in superiori sui parte nigrum quid obtinens, intus nucleis exiguis et osseis, aspera candidaq; lanugine inuolutis refertus, gustu subdulcis, sed asperior propter lanuginē & flosculos duriusculos. Folijs uestitur Cynosbatos pulchre uiridibus, ternis, quandoque quinis aut pluribus fissuris dissectis, ita ut manus explicatæ formam ferè representent. Caudice assurgit hic frutex duro, lento cortice cinereo obducto, ramoso, aculeis firmis & maxime noxijs undique armato.

armato, medulla carente. Gaudet argillosa terra, montibus, syluisq; & sepibus secus itinera positis admodum familiaris. Hoc pacto fere & Theophrastus Cynosbaton suum lib. de historia stirpium iij. cap. xviij. deliniat.

NOMENCLATVRAE.

Germani hunc arboscentem fruticem Hagendorn/& fructum eius Hagöpffel nominant. Est hic uerus Canis sentis seu Rubus (German. Hundtsdorn) Græcis κυνόσβατος appellatus. Dioscorides libro primo cap. cviij. illũ describit, dicitq; quosdam Oxyacantham eum appellare, sed pertinet id nominis ad Berberim uulgo uocatam, de qua paulo post. Cynosbaton Plinius lib. xxiiij. cap. xiiij. Cynospaston, & Neurospaston appellat. De Cynosbati appellatione plura supra cap. xi. habes, cum de Rubi generibus ageremus. Sunt qui fruticem hunc, quem Germani Hagendorn appellant Arbutum esse contendunt, quod illis per nos quidem licebit, modo Dioscoridẽ & Theophrastum nobis excutere nolint.

Rubus canis, Theodoro Cani rubus appellatus

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Fructus, folia & flores Cynosbati siccæ & astringentis, seu constipatoriæ sunt facultatis, possuntq; tam flores quam fructus in medicina utiliter usurpari.

INTRINSECVS.

Flores Cynosbati uino ueteri per triduum macerati, deinde in uitro distillati remedio sunt præstantissimo, pleuriticis & quos tormina exercent. Aqua etiam ex solis floribus per artem distillatoriam extracta alui fluxiones sistit, si aliquoties per diem bibatur.

Ad eadem faciunt acini, seu baccæ Cynosbati, arefactæ, inq; uino decoctæ & potæ, exemptis tamen prius interioribus floccis, quod nisi fiat arteriam facile læderet hoc medicamentum.

EXTRINSECVS.


Aqua e floribus Cynosbati distillata, non tantum refrigerandi uim habet, sed etiam aculeos carni inhærentes refigit, si linteola in illa madefacta imponantur, adeo attrahendi magna facultate pollet. Estq; hoc singulare experimentum.

Lignum Cynosbati flagellis idoneũ est, quo remedio desidia & insolentia seruulorum & male morigeræ familiæ quam efficacissime emendari possunt.

De Cynorhodo Barbari. Cap. XIX.

Rosa. Κυνόρροδον. *Canina rosa.*

Zam Rosen. Wildheckrosen.



NISI ME ODOR ROSARVM TAM HORTENSIVM quam syluestrium fragrantissimus recrearet, mirum si non de

Rosis

Rosis scripturum multiplices illæ ac confictæ Poetarum fabulæ opprimerent. Ne uero & nos tempus inutilibus nugis & figmentis teramus, nunc non dicemus quo pacto Rosa non nisi candida per initia, mox uulnerato veneris pede, dum Adonidi opem latura præcipiti cursu per dumeta rapitur, adrubuerit, quin potius Rosæ genera tam satiua quam syluestria, quæ sane multa & uaria in Germania nostra reperiuntur, exponemus, a` syluestribus initium facturi. Rosæ syluestris quatuor fastigia constituere licet, quæ omnia idem fere lignum, eosdem aculeos, easdemq; frondes ostendunt, rursus uero in his aliud grandius, aliud exilius, aliud fortius, aliud tenerius, totaq; substantia gracilius, aliud odoratius, quoddam minus odoratum cernitur. Caudex namque uulgaris syluestris rosę admodum procerus euadit, asperrimis undiquaq; & uncinatis spinis ab imis ad summas usq; partes armatus. Quanquam autem omnium Rosarum lignum forte & solidum est, tamen in medio fungosam quandam, sicut vitis pene, medullam obtinet, licet huius primi generis, de quo nunc sermonem instituimus, solidius aliquanto atq; durius quam cæterorum omnium sit. Iam ut in historia pergamus, folia eius aliquo modo spinis uncinatis horrent, quina interdum & septena uno pediculo dependentia, per ambitum exiguis incisuris serrata, & qua terram spectant cineracea, Iunio mense appetente tam hoc quam alia quoque omnia fere syluestris Rosæ genera, calyces proferunt, quinis asperis & uiridibus corticibus munitos, quibus dehiscentibus, rosæ prodeunt ex purpura diluta albicantes, quarum singulæ ut plurimum quinque constant folijs. Flos interior qui e` medio relucet Rosæ multos ostendit capillos eosq; tenuissimos, qui in uertice puncta quædam exigua Milij grano haud maiora sustinent, odoris perquam gratissimi. His non tantum apes, sed & alia insecta, nempe & quę Germani Goldtkeferlin/ q. d. aureos scarabeos, ab aureo nimirum colore uocant, insidere solent, & inde pastũ suum quæritare. Cumq; folia Rosæ deciderint, id quod plerunque altero ab ortu die contingere solet, manent nihilominus rotunda & uiridia capitula, quę Autumno appropinquante rubescunt, intus præduris seminijs, quæ dura lana inuoluuntur, referta sunt, foris uero in cacumine nigro quasi operculo aduersus imbrium iniuriam munita. Hac forma ut plurimum omnium Rosarum tam domesticarum quam syluestrium sub Autumnum, apparent fructus.

1. Vulgare syluestris rosæ genus.

Alterum Rosæ syluestris genus, tota sua substantia (hoc est, ligno, folijs, aculeis, & rosis) prædicto magis est exiguum, sed spinis & folijs asperioribus, floribus ex purpura saturata candicantibus, & odore iucundiore ac uehementiore præditis. Quin & folia cineracea odorem spirant suauissimum maxime uento flante.

2. Syluestris rosæ aliud genus.

Tertium

3. *Syluestris Rosæ genus tertium.*

Tertium syluestris Rosæ genus, quanquam magnitudine foliorum secundum antecedat, tamen spinas gerit non perinde minaces, & frondem prorsus inodoram, Rosæ quoque huius generis aliquanto sunt maiores, colore magis rubro & elegantiore tinctæ, odoris meo quidem iudicio inter omnia genera suauissimi, tactu pinguiores & magis lentæ. Luxuriat hæc Rosa plerunque in humectis ac minime fertilibus auenaceis agris, aliisque nonnullis dumetis, raro supra altitudinem trium cubitorum sese attollens, & quæ intra humum hinc inde serpentibus radicibus subinde iuuenescat, facileque & nullo negotio plantari queat.

4. *Rosæ syluestris quarta species.*

Quarta syluestris Rosæ species proximæ per omnia respondet, nisi quod rosas profert prorsus candidas, odoris non tam iucundi ut illa. In siccaneis agrorumque limitibus, iuxtaque itinera Iunio & Iulio mensibus in flore suo apparet. Hæc omnium Rosarum uilissima est, & in nostris regionibus non magni est nominis.

NOMENCLATVRAE.

Quanquam ueteres diligentissime Rosarum nomenclaturam uariam distinxerint, tamen omnium siue hortensianarum, siue syluestrium uulgare & usitatum est nomen apud Græcos quidem ῥόδον, Latinis uero Rosa, & Germanis Rosen/ Arabes hanc Nard uocant teste Serapione cap. cviij. Hebræi ורד Vered, & ורדא Varda: hinc מי ורדין Me vardin, aquam rosaceam in scriptis Hebræorum medicorum appellant. Hæc generales omnium rosarum nomenclaturæ sunt, at si partium Rosæ appellationes desideres, paucis quæ subiiciemus accipe.

1. Folia Rosarum, Rosenbletter.
2. Vnguis, das vnderst weiß an den blettern/ Græci ὄνυχα dicunt.
3. Calyx, der oberst rosen knopff ehe der auffgangen ist
4. Cortex, die fünff eusserſten schelet/ oder rinden desselben knöpfflins,
5. Flos Rosæ, die gäle düpflin in der rosen/ oder die blüm.
6. Capillamenta, seindt die härlin darauff die gälen düpfflin stehen.
7. Caput, der rosen haupt/ oder das vnderst am rosenknopff so gegen herbst roht würt.
8. Semen, der samen/ nemlich die harten steinlin so im rosen haupt gefunden werden/ hoc est, lapilli illi duri qui in capite Rosæ includuntur, ex quo nouæ plantulæ Rosarum proueniunt, sed tarde. Qui Rosarum semen Antheram uocant, decipiuntur illi, uide Celsum.
9. Lana, seindt die rauhe härlin darinn der steinecht samen verwicklet ist
10. Fructum Rosæ maturum & rubrum, Germani Büttel/ Butten/ Arßkitzeln nominant. Exposui paucis ex sententia ueterum, partium Rosæ nomenclaturam, nunc de appellationibus syluestris Rosæ, quam hoc capite pecu-

te pecu-

te peculiariter tractandam suscepimus, aliquid dicamus. Primum genus syluestris Rosæ, quod meo iudicio Cynorhodon Barbari fuerit, Germani Wildtheckrosen/Hanbüttel/vnd Büttelrosen nuncupant. His spongiolæ seu pilæ quædam crinitæ, rotuudæ & subpurpureæ adnascuntur. Germani Schlaffkunz appellant.

Alterum genus Germanis nonnullis Weinrosen/Frawen dorn/ Marien dorn/hoc est, si interpreteris, Spina Mariæ nominatur.

Tertium & quartum genus Hanrosen / Haber rosen / vnd Feldtrosen Germani uocauere. Rosa campestris

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Rosarum tam syluestrium quam domesticarum genera refrigerantis sunt & astringentis naturæ, præsertim uero Rosæ syluestres aridæ, quarum in multis magnus existit usus.

INTRINSECVS.

Syluestrium Rosarum maxime earum quæ Haber rosen appellantur, aquam distillatam nonnulli maioris faciunt, & efficaciorem credunt, quam domesticarum. Ea namque quibusuis calidis affectionibus prodest, refrigerat namq; & reprimit omnes cholericas & acres exhalationes, & cor in deliquio animi confortat. Ad confectiones quas uocant Manus Christi, & Zulapium rosatum, ego primo loco eas quas uocant Haberrosen/ secundo quas Frawen rosen/tertio rubras domesticas eligerem.

EXTRINSECVS.

Aqua ex ijs rosis quas nunc commemorauimus distillata, doloribus capitis in linteolis imposita, neque non fronti pari ritu applicata epiphoris oculorum unice prodest. Si quæ uero aliæ sunt Rosæ tam syluestris quam domesticæ facultates, eas statim sequenti capite docebimus.

De Rosa hortensiana, cuius effigiem proximo superiori habes capite. CAP. XX.

ROSAE HORTENSIS MVLTIPLEX EST DIFFErentia. Alia namq; candida, alia ex purpura albicans, quædam rubra. Rursus inuenias in hoc genere, quę simplici, deinde et quę

mul-

multiplici foliorum ordine contextæ uideantur. Omnium uero generum eadem facies, quod ad frondem & aculeatas uirgas pertinet, licet candidæ proceritate rubras superent.

Rosarum uaria est electio. Mihi quidem syluestris quas præcedenti capite tertio loco descripsimns, deinde domesticæ rubræ simplices, postea rubræ ex et purpura albicantes, eæq; multiplices, deniq; albæ & ipsæ multiplici foliorum ordine intertextæ arridēt. Rosam recentem a`longinquo olere, siccam propius, scripsit Plinius lib. xxi. cap. vij.

NOMENCLATVRAE.

Nomenclaturas Rosæ tam syluestris quam domesticæ, nec non partium illarum superiori proximo capite tradidimus. Quanquam autem ad multos alios flores, præsertim in linguam Germanica uox Rosen/hoc est, Rosę accommodetur, uidelicet cum dicimus Winter rosen/hoc est hyemis rosas, & Damascener rosen/hoc est, Damascenas rosas, &c. tamen de illis hoc loco non est instituta oratio. Nam in hoc capite de illis tantummodo agimus quas horti nostri nouerunt, quasq; ueteres Puniceas, Milesias, Rubras (Germa. rot rosen) Albas (Germa. weiß rosen) uocauere, Latini multa fecere huius genera, nempe quasdam prænestinas, alias Campanas, nonnullas cerotinas, aliquas Trachimas, has Alabandicas, illas Spermonias appellantes, ut interim Græcas, Græculas, & Centifolias prætercam, quarum cognitionem quisquis exactam desiderat, legat quæ Ruellius uir doctissimus de natura stirpium libro primo cap. cxxvij. annotauit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Veteres quæcunq; Rosa contineret, tanquam quæ in medicina magni esse possent usus, diligentissime asseruabant. Neque quemquam esse puto, qui omnes Rosæ facultates explicare sermone queat. Ex ea namque non tantum succus & aqua distillata, uerum etiam Serapia, Electuaria, conseruæq; & alia id genus conficiuntur, ut interim mel, Saccharum, acetum, oleumq; rosaceum taceam, quæ omnia quanti in medicina momenti sint, neminem ignorare arbitror.

INTRINSECVS.

Quo pacto uoro aqua, Saccharum, mel & acetum rosaceum conficiatur, omnibus fere notum est, his enim in calidis affectionibus & febribus magnus & frequens ubique est usus, & maxime probandus. His enim non tantum refrigerantur, sed corroborantur tam cor quam cerebrum

brum, id quod experientia manifestius fecit, quam quod probatione egeat. Veteres non solum recentes Rosas magni fecere, sed & omnem dederunt operam ut semper earum usus esse posset. Quare partim succum folijs exprimebant, defectis forfice unguibus (sic appellantur candidæ foliorum partes) reliquum in pila prementes, & terentes in umbra donec cogeretur, qui ad uarios postea usus recondebatur: partim folia Rosarum siccabant, quibus ad profluuia uentris postea utebantur, hoc quo dicemus modo. Decoquatur manipulus foliorum rosæ rubræ aridorum, in dimidia mensura uini albi, & exhibeatur his qui fluxionibus alui laborant, aliquoties per diem bibendus. Quod si morbo prædicto calor coniunctus fuerit, aqua rosæ decoqui debebunt.

Ad eadem faciunt rosarum arida capitula eo quo diximus more parata.

Rosæ recentes earumq; succus pro ratione ipsius morbi sumptus aluum duram emollit, id quod experientia confirmat.

Semina dura quæ capitibus rosarum insunt, in puluerem redacta, ac e uino pota, calculum traduntur pellere.

Easdem facultates nonnulli Spongiolis (Germanis Schlaffcüntzen uocatis) quæ syluestribus adnascuntur Rosis, si in puluerem redactæ, aut in uino decoctæ calidę sumantur, tribuunt.

Fructus Rosarum rubeus ubi maturuit, tota sua substantia tundi debet, & succus exprimi, posteaq; siccari, demum in puluerem redigi. Hic gonorrhœę, & tam rubris quam albis mulierum mensibus singulari experimento medetur.

Possunt rubra illa capita, antequam maturitate mollescant, integra conseruari & siccari, & ad prædictas affectiones uino decoqui & potari, quod medicamentum & dysenteriæ & cruentis excreationibus unice prodesse experientia non semel docuit.

EXTRINSECVS.

Rosæ rubræ aridæ uino decoctæ tũ percolatæ, ac probe expressę, succus siue decoctum salubriter calidis capitis doloribus, necnon aurium, oculorum, gingiuarum, sedis, & uuluæ, pinna illitum, siue infusum auxiliatur.

Idem expressus rosarum liquor mediocriter calidus, inflammationibus præcordiorum, humidis stomachi uitijs, ignió; sacro utiliter imponetur.

Ad easdem affectiones non tantum acetum, sed & oleum rosaceum usurpari potest, prodestq; oleum rosaceum urentibus pustulis, singulariter tempore pestis.

Flos qui in medijs rosis inuenitur, siccatus, gingiuarum fluxionibus efficaciter inspergitur.

Breuiter

Breuiter quæcunque calidæ & cholericæ passiones uexant, eæ Rosis, aut earum aqua distillata, aceto, oleóue compesci poterunt. Odor namque fragrantissimus Rosæ doloribus & imbecillitati capitis uel maxime prodest.

Plura alia Rosæ iuuamenta ex his quæ diximus, quotidie colligi possunt.

De Oxyacantha. Cap. XXI.

SPINAM HANC ACVTAM FACILE IN HORTIS MEIS patior, cum propter elegantissimos quos profert flosculos, tum uero maxime quia racemoso commendatur fructu. Solet autem hæc in asperis & lapidosis agrorum limitibus nullo negotio prouenire, nõ enim hanc tantum Olympus, sed & Germaniæ multæ prouinciæ habent, utpote Hassia, Rhenique tratus, necnon asperrimi montes ad fluuium die Nahe Germani dictum siti, in his inquam locis Oxyacantha luxuriat. Spinosa hæc arbor sæpe multos ab radice mittit caudices, acutissimis undique spinis, iisque stellam pene dimidiam, aut aculeos Vuæ crispæ referentibus, sed aliquanto asperioribus armatos. Folia Cydoniæ mali haud multum dissimilia apparent, nisi quod angustiora sunt, uiridiora & solidiora, per ambitum aliquantulum serrata, gustu acido & subaustero ueluti Oxalis prædita. Flores profert hæc arbor Maio mense, eosque speciosos, multiplici foliorum textura stipatos, stellatos insuper, & cærei coloris, quinos aut senos sæpenumero tenuissimis petiolis coniunctim insidentes. Hi autumno appetente in acinos abeunt oblongos, botris exiguis similes, coralli rubri colore tinctos, gustum acidum & subausterum obtinentes, intus nucleos suos uti & alia id genus fructus, habẽtes, è quibus plantulæ Oxyacanthæ sed admodum tarde gignuntur, quare surculis potius quam semine hanc arborem seri consultius est. Nam consueuit hæc arbor quotannis è radice quamplurima noua germina protrudere, quod & Cydonia arbor facit quas subinde plantare licet. Radix Oxyacanthæ admodum capillata existit, longisque fibris luxurians. Lignum eius cærei est coloris, medullamque obtinet fungosam.


NOMENCLATVRAE.

Germani hunc fruticem ab acido sapore acinorum & foliorum Sawrach/ alij Versing/ vnd Erbsal uocant. Estque is proculdubio id spinæ genus quod Dioscoridi libro primo cap. cvij. ὀξυάκανθα, hoc est, Spina acuta, Pyrina & Pyxacanthos dicitur. Officinæ Berberim uocant. Serapioni cap. ccxix. Amirberis, Acsa, & fructus eius Zaitah dicitur.

VIRES

Oxyacantha, officinis Berberis.

Sawerach.



VIRES AC TEMPE-
ramentum.

Oxyacantha frigida est & sicca, potestque ad calidas affectiones utrinque, necnō cęliacos affectus usurpari.

INTRINSECVS.

Quidam ex acinis Oxyacanthæ uinum exprimunt, quod per totum asseruant annum, Estque hic liquor alui quibusuis fluxionibus, qui à calore originem trahunt, cuiusmodi eo tempore pleræque sunt, quo dysenteria homines uexantur, utilis, non solum enim sitim immodicam restinguit, sed etiam continuos ac diuturnos alui fluxus cohibet.

Idem abundantiam mulierum sistit, stomachum & hepar corroborat.

His facultatibus acini Oxyacanthæ melle aut Saccharo conditi pollent.

Ad eadem etiam Maio mense aqua è floribus & folijs distillari potest.

Quin & maturos acinos si siccentur, posteaque aqua uiua mollescant, ad ea quæ diximus exhiberi cōueniet.

Qui in calidis morbis uomitionibus continuis infestantur, bilemque euomunt, his Oxyacanthæ usus salutaris est.

Folia tenera Maio mense, acini Autumno intinctibus quam accommodatissimi sunt.

EXTRINSECVS.

Tradunt nonnulli acinos Oxyacanthæ maturos tusos, ac cataplasmatis instar illitos non solum abscessus calidos lenire dolore mitigato, sed & illos rumpere & ad sanationem promouere.

Quodque mirum uideri merito debet radicem illitam aculeos & spicula extrahere quidam asserunt. Ego corticem radicis magis probo, nam radicum cortices plerunque humidioris sunt qualitatis & efficaciores. Faciant ergo periculum Chirurgi quid is cortex possit.

De Ribe. Cap. XXII.

1. Ribes hortense. ARBVSCVLA HAEC TENERA ET SVRCVLOSA, qua acinos illos acidos profert, in hortis hodie plātatur. Caudicē, ramosque habet spadiceo cortice uestitos, folia uero nigricantia & serrata, vitis pusillæ similia, formamque Grossularis, seu Vuæ crispæ frondis æmulantia, sed aliquanto maiora & nigriora. Maio mense pallidi, exigui, & stellati emicant flosculi, qui in rotundos postea abeunt acinos, eosque senos aut septenos tenuissimo pediculo ex ordine dependentes. Hi circa Diui Ioannis natales ferias maturitate rubescunt, gustu acidi, sed iucundiores fructu Oxyacanthæ.

2. Ribes syluestre. Syluestre Ribis geuus in littoribus fluuiorum, & torrentum quandoque reperitur, uirgis, folijs & fructu hortensi consimile, nisi quod longe alium baccæ eius saporem habēt, nimirum iniucundum, gustatæ namque uomitiones cient, & fastidia pariunt.

3. Halimus. Extat porro alius frutex baccas proferens plane rubras, coralliis rotundis forma similes, acinis Ribis haundquaquam maiores, easque plerunque binas coniunctim instar gemellorum uno pediculo suffultas, gustu ingrato præditas, ut quæ gustatæ nauseam & uomitus cieant. Caudex huius & ramuli cineraceo cortice uestiuntur, folia altera parte incana cernuntur, forma Cydoniæ mali frondem referentia, sed longiora, ita quidem ut ad Oliuæ folia accedant, nisi quod illis multo sunt latiora. Nascitur hic frutex inter cæteras sentes in dumetis & frutetis, Alsatiæ admodum familiaris, qua in regione secus itinera, & uiuis sepibus inuenitur.

NOMENCLATVRAE.

Si spinis armatum esset Ribes ueluti Vua crispa, non dubitarem illud

Ribes.

Sanct Johans treübel.



Rhamnis accensere. Cum uere aculeis careat, uocabo cum reliquis RIBES, quoad emergat aliquis, qui nobis genuinum eius in Diosco. alijsue rei herbariæ scriptoribus ostendat nomen. Placet autem in præsentia cum bona omnium herbariorum uenia, Grossulam hortensem, siue rubrã, hoc est, Germanice Zamme grossel/ oder rote Grosselbeerlin nominare. Ruellius de natura stirpium libro primo cap. cvi. quosdam Grossulam transmarinã appellare scribit. At fruticem quem tertio loco delineauim⁹, & Alsatiæ familiarem esse diximus, Halimum, seu ut alij legunt Alimum Dioscoridis libro primo. cap. cv. descriptum esse existimo.

Serap. cap. 291. Auicen. lib. 2. cap. 588.

ἅλιμος.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Arabes rei herbariæ scriptores uno ore Ribes frigidum & siccum esse pronunciant. Debet uero ad ardentes febres, & calidas alui fluxiones, non aliter atque Berberis usurpari.

INTRINSECVS.

Quæ de fructu Oxyacanthæ proximo capite diximus, ea de acinis Ribis

quoque fere intelligi debent. Exhibendi sunt illi ægris, qui ardentibus laborant febribus, neque non his qui calidas alui fluxiones patiuntur. Namq; hi acini sicut & Serapia & eclegmata, atque Rob (ut uocant) de Ribes, sitim immensam restinguunt, uomitiones sistunt, cibi appetentiam inuitant.

Quidam Saccharo has baccas condiunt sicut & Cerasa, quo pacto pueris uariolis, alijsq; alui calidis profluuijs laborantibus apprime conducũt.

Baccæ Ribis in sole siccatæ, ad easdem affectiones asseruari poterunt. Reliquas cum Oxyacantha easdem uires obtinet Ribes.

Radicẽ Halimi conuulsa, rupta, torminaq; mitigare, drachmæ pondere in aqua mulsa potam tradunt. Ego nondum expertus sum utrum sic se habeat nec ne.


Solinus Halimum famem compescere scribit, quod equidem facile crediderim, siquidem ubi baccas illius uel semel degustassem, quamprimum satiatus fui, nec ab eo tempore unquam tanta me inuasit fames, ut prædictũ deinceps appeterem fructum.

De Sambuco. Cap. XXIII.

SAMBVCVM NEMINI IN GERMANIA IGNOTVM esse arbitror, quapropter quo pacto, quo in loco & quo tempore ille gignatur, multis exponere nihil attinet, cum omnibus quę
1. *Sambucus uulgaris.* sit Sambuci facies, constet. Vix enim inter omnes arbores aliã quamcunq; reperias uulgatiorem, & quæ adeo sine ullo negotio & plerumq; humectis & tenebrosis locis, iuxta muros, sæpes, alijsq; incultis nascatur atq; Sambucus hic noster. Quæ quidem quod ad frondem, flores, fructum & odorẽ attinet, Ebulo ita similis existit, ut ueteres Sambucum & Ebulum sub uno semper genere comprehenderint. Folia namq; gerit per interualla quinq; plerunque, interdum & septem, rarissime autem octo ex uno pediculo dependentia, similitudine fere nucis iuglandis, sed per ambitum minutim serrata, grauissimiq; odoris. Florem fert in umbellis copiosum, & frequentẽ, ac uno quidem eoq; grandiusculo pediculo subnixum, qui Maio mense gratissimum spirat odorem, & in uirides tandem acinos abit. Hi Autumno appropinquante maturitate nigrescunt, non aliter atque Ebuli baccę, cibo auicularum, utpote passerum, sturnorum, & turdorum magnopere expetiti, grana intus continentes exigua, sesamacea. Atque hoc Sambuci est semen, ex quo frutices noui prægigni queant si seratur.

2. *Sambuci aliud genus.* Aliud proin Sambuci genus quibusdam in locis a me obseruatum olim gignitur, quod baccas fert in maturitate sua ex candido luteas, quod ad cætera

Sambucus.
Holder.



tera, hoc est, caudicem, corticem, folia, flores, & gustum, attinet Sambuco uulgari consimile. Neque tamen ubique locorum hoc Sambuci genus reperias. Ac credo equidem non multis usum aut obseruatum fuisse.

Sunt qui Sambucum medulla carere asserant, cum tamen nulla arbor magis conspicuam, & fungosiorem habeat, Sambuco ipsa, maxime quod ad anniculas uirgas attinet, quæ multam sane ostendunt medullam. Solent autem pueri non tantū lignum uerumetiam iam dictam medullam crepundijs suis usurpare. De Sambuco Theophrastus lib. iij. cap. xiij. copiose in historiam illius uniuersam complexus.

NOMENCLATVRAE.

Quam Germani Holder oder Holunder dicunt, Latini Sambucum, ab autore (quemadmodum libro primo de natura stirpium cap. cxxix. annotauit Ruellius) cui Sambyx nomen fuerit, nominant, Galli Sus, aut Suin. Sunt qui non Sambucum sed Sabucum, à Sabuco instrumento musico appellatam uelint, inter quos est Serenus poëta, cuius hæc extant uicesimo septimo opusculi eius capite carmina.

Conueniet teneræ radix decocta Sabuci
In geminis calidi cyathis potanda Liæi.

Dioſcoridi lib. iiij. cap. clxviij. ἀκτὴ dicitur, quam alij δένδρον ἄγριον, alij ζυγεν, Galli Scobiem, Daci Sebam uocant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Sambucus Galeno exiccandi, conglutinandi, modiceq; digerendi facultatem obtinet. Meo iudicio tam folia quam flores Sambuci recentes refrigerandi ui pollent, potiſſimum autem earum facultatum eſt aqua è floribus diſtillata, quæ utiliter utrinq; uſurpari poteſt.

INTRINSECVS.

Sambucus intro ſumpta efficaciter expellendi uim habet. Radix namq; eius uino decocta & pota hydropem potenter exigit. Cortex medius efficaciſſimus eſt, quapropter prudentia & maturo conſilio opus eſt, ſi quando hiſce uti uelimus.

Turiones ſeu folia tenera vere lecta, modo quo diximus uſurpata non perinde ſunt efficacia, & imbecillioribus magis conueniunt.

Sambuci turiones in puluerem redacti, ac ex iure piſorum poti duram aluum emolliunt.

Eaſdem facultates habet aqua è medio cortice diſtillata.

Coqui ex acinis Sambuci eclegma præſtantiſſimum diſcoquunt, quod ad ſupradicta uſurpari poteſt.

Quędam mulierculæ caſeos flore Sambuci quaſi condiunt, ut alios Sambuci culinarios uſus qui apud ueteres olim fuere, prætercam. Vide Platinā de honeſta uoluptate.

Floſculorum conditura Gallos pretioſius acetum facere teſtatur Ruellius.

EXTRINSECVS.

Aqua Sambuci illita calorē à ſole profectum reſtinguit, ſiue is caput, ſiue quamcunq; aliam cutis partem tentarit.

Eadem ardentes & ſubitos capitis dolores & quaſcunque inflammationes ſedat, ad quam rem Fungi incani qui Sambuco prope radicem adnaſcuntur in aqua florum Sambuci, aut roſacea prius macerati, deinde impoſiti uel maxime conducunt.

Aduerſus ictus ſerpentium & uiperarum folia Sambuci recentia utiliter imponuntur, quæ ſi deſit, in locum ſuccedat aqua è floribus diſtillata,

quæ

quæ & ulcera in fistulam dehiscentia agglutinat.

Sambucus uuluas emollit insidentium decocto.

Iis qui podagra tentantur, cum seuo taurino aut hircino prosunt illita folia.

Succus ex acinis Sambuci expressus cœruleo colore inficit uestes laneas. Tradunt etiam nonnulli hunc capillos illitu denigrare.

De Sambuco syluestri. Cap. XXIIII.


HIC VERO NOVVM ET INCOGNITVM SAMBVCI genus, & elegantissimum quidem habemus, quod ex opacis uliginosisq; syluis & ferarum lustris proferimus, quo in posterum & ipsum innotescat rei herbariæ studiosis. Ac non dubito si uel in scriptis aliorum uel nostris, hanc Sambucum nostri sæculi Herbarij nonnulli reperire potuissent, quin sibi, ut sunt laudis, & alienorum laborum cupidi, illum magno cum fastu uendicassent. Inuenias enim ex eorum numero quosdam qui cum omniū stirpium cognitionē sibi arrogent, nihil tamen in medium adferant, nisi quod uel ab alijs prius tractatum, aut certe uulgatissimum alioquin extiterit. Quanquam uero non erat cur magnopere sibi in his placerent, aliosq; à quibus ea mutuati fuerant, uel contemnerent, uel cõuitijs incesserent, tamen mir ūquam alienis plumis superbiant, sibiq; persuadentes à nemine animaduerti posse, quod alienos sibi usurpent labores, & utcunque animaduertatur licere sibi quodcunq; lubet arbitrantur. At quamuis impune hæc illi faciant, summamq; nihil minus inde laudem & gloriam aucupari studeant, non tamen obstare poterunt, quo minus suas quæq; auicula plumas agnoscat. Sed relictis his historiam syluestris Sambuci prosequamur.

Ea fronde, cortice, ligno, medulla, odore denique & sapore per omnia uulgarem refert, floribus duntaxat & fructu ab eadem dissidens. Flores namq; subluteos, formaq; stellatos, non in umbellis ut illa, sed compactos instar vitis aut Ligustri, & multo etiam celerius, nempe Aprili mense, profert, qui in acinos abeunt Augusto mense rubescentes, minijq; colore tinctos, racematim è pediculis dependentes, iniucundi plane saporis, è quibus nouæ plantulæ si serantur progignuntur, abeunt.

NOMENCLATVRAE.

Omnis Sambucus apud Germanos Holder dicitur, quod excauari facile queat, cum habeat medullam fungosam. Præsentem uero Sambucum

Sambucus syluestris.
Waldtholder.



cum Gallorum cantum nō exaudiat, Wildenwaldt holder/oder Hirschholder/hoc est, Sambucum syluestrem, aut ceruinam appellare necesse fuit, propterea quod in syluis proueniat, & a ceruis magnopere expetatur. Quod si uero Herbarij nostri id minime cognitum habeant, uti non dubito, non grauabor illis quod me experientia docuit indicare. Nam & ego nō parum temporis syluis stirpium gratia peragrandis impendi, didiciq; Ceruum hanc Sambucum syluestrem, sicut & Solanum hortense, cuius libro primo cap. ci. meminimus, magno desiderio inquirere. Vbi namque locorum duas eas stirpes prouenire intellexerit, eo se confert. Quodq; mirari subit, solent binæ hæ stirpes plerunque eosdē situs occupare. Hisce ceruus unice delectatur, folia utriusque non baccas decerpens, unde intelligi potest, fructus hosce frigidioris esse qualitatis, ac feris, nedū alijs iumētis & hominibus minus salutares, id quod natura bestias docet, quod idem in Esulis a' quarum esu animalia tam syluestria quam domestica abstinent, animaduertere licet. Præterea quod non minus admiratione dignū censeo, obseruaui Ceruum solum folijs harum plantarum uesci, non autem Ceruam,

Ceruam, nisi ea prægnans fuerit, & ceruum in utero gestauerit, tum enim & ipsa harum stirpium desiderio renetur, & illarum folia degustare solet, aliàs nunquam. Iam licet in Galeno & Auicenna alijsu'e ueterum scriptis plerique non legerint, uera tamen sunt. Neque mirum si quotidie multa alia de quibus ueteres nihil scripsere contingant. Est enim natura miraculorum plena, & plura efficit quam ingenium humanum comprehendere queat. Sed quoniam Solani hortensis mentio incidit, dicemus obiter, illud nobis Mandragoram eam uideri quam Theophrastus lib. vi. cap. ij. sub finem describit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Sambucum syluestrem frigidæ naturæ esse iudico, ita quidẽ ut pro Mandragora si illa desit usurpari queat, quod idem & de Solano hortensi intelligi uolo.

Verum enimuero quia Solanum hoc supra libro primo suibus conferre aduersus ardentes febres docui, quemadmodũ & rei ueritas habet, nonnulli in malam interpretantur partem, quod iumentorum & pecorum, & quo pacto morbis illorum subuenire possimus; mentionem aliquando faciamus. At suibus quidem sua quoque remedia à Domino Deo proposita sunt, siquidem & suum & medicinæ creator & autor est Deus. Præterea uidemus clarissimos quondam uiros, Catonem inquam, Varronem, & Columellam remedia quibus pecorum morbis mederi conueniat, quam diligentissime descripsisse. Cur itaque hij nostram diligentiam nostrosque labores tam inique traducunt? Quasi uero tantum peccatum sit, si in hisce commentarijs auxilia quibus morbis iumentorum succurrendum sit, commemoremus.

Dissimulandum uero non est, baccas Solani hortensis somnum inducere, quod ipse tribus aut quatuor ex eo genere degustatis acinis expertus sum. Admonendi sunt ergo omnes ut à nimio eorum usu abstineant. Scripsit ad me D. Georgius Ollingerus Norimbergensis ciuis, quosdam pueros per imprudentiam quandam aut certe famem, plures quam par erat Solani hortensis acinos deuorasse, ita quidem ut duo ex illis occubuerint, tertio superstite.


De facultatibus acinorum Sambuci syluestris nihil dum obseruaui, nec quicquam de usu illorum compertum habeo.

De Sambuco aquatica. Cap. XXV.

S I MIHI HAEC ARBOR IN THEOPHRASTI ET DIOscoridis scriptis tam nota esset, quam est Bonosis auibus in syluis

Sambucus aquatica.

Schwelcken.



cognita, fœlicius historiam illius tractare possem. Nunc cum mihi in dumetis et torrentum ripis duntaxat, non autem in libris ueterum reperta sit, quid faciam aliud nescio, nisi ut faciem illius paucis conspiciendam proponam, quoad uberior & certior ésq; ueteribus rei herbariȩ scriptorib9 desumpta, cognitio eius arboris nobis manifestetur. Habet caudex & lignum eius fungosam intus medullam, sicut & Sambucus, folia dissecta, Aceris fere aut Torminalis (de quo infra cap. xxx.) similitudine. Flores fert in fine Maij mensis, eosq; compactos & stipatos, flori Sambuci quodam̃odo similes, sed per ambitum violis magnis & candidis, quæ quatuor constāt folijs, & cæteros in umbella constitutos flores, quasi custodes defendant, circumuallatos, quibus decidentibus baccæ subnascuntur Zinnabaris colore tinctæ, magnitudine acinos Sambuci multum superantes, quæ Autumno appropinquante maturantur, ingrati plane saporis, ita ut ei qui illas degustarit, nauseam & fastidia continuo pariant. Has Bonosæ hyemis tempore summopere expetunt, ut non raro etiam illis inescatæ decipiantur ab aucupibus.

NOMEN

NOMENCLATVRAE.

Hic frutex quod ad medullam fungosam & flores quos in umbellis gerit Sambuci species, & aquatica quidem censeri poterat, & Germanice Bachholder appellari, propterea quod plerunque ad ripas torrentum inter alnos proueniat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quasnam facultates baccæ huius Sambuci obtineant, compertum nihil habeo, nisi quod meo iudicio in eclegmate exhiberi possint ad uomitiones ciendas.

Flores cum suauiter odorati sint, solent æstate uoluptatis gratia legi, & conclauibus inferri. Neque alius eorum apud nos quod sciam existit usus.

De eo Frutice, quem Germani Hartriegel nominant. CAP. XXVI.


INTER CAETEROS FRVTICES QVI IN DVMETIS nascuntur, & hic in altum assurgit, multis ramulis, surculisque brachiatus, folijs uestitus nigricantibus, Alni fere similibus, flore comans Iunio mense ex pallido albicante, similitudine pene Ebuli, sed magis exiguo, eoque multiplici uno insidente pediculo. Hic in uirides abit baccas, quæ Autumno imminente nigrescunt, Ligustri, de quo paulo post, acinis pene similes. Stipitem habet durum, terebro cæterisque fabrorum instrumentis contumaciter renitentem.

NOMENCLATVRAE.

Quia fruticis huius lignum, maxime cum aridum fuerit, securi & terebro mirum in modum ut diximus repugnat, ideo apud Germanos id nominis sortitus est, ut Hartriegel uocaretur, licet ea appellatio Ligustro quoque à nonnullis tribuatur, sed perperam. Quod si hic frutex arborescens hyeme folia sua non amitteret, uocarem illum Celastrum Germanicum.

VIRES

Hartriegel.




VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quæ ex hoc frutice utensilia & rustica instrumenta, potissimum uero ad carros pertinentia conficiuntur, ea diu durant, nec facile corrumpuntur. Quid in medicina possit mihi sane compertum non est.

De

De Ligustro. Cap. XXVII.

Beinhültzen.



LIGVSTRVM IN GERmania omnibus fere quam notissimum est, nihil enim illo frequẽtius in uepribus, dumetis secus itinera & limites agrorum, maxime in ripis fluuiorum (nam in his locis inter cæteros frutices prouenit) reperitur. Lignũ eius durissimum est, cineraceoq́ʒ uestitur cortice. E radice Ligustri, potissimum si humectus locus fuerit, multæ quotannis & tenues lentæq́ʒ uirgæ prorepunt, folia proferentes, oblonga, angusta, uiriditatis saturatæ, Salicis similitudine, quæ uel ad hyemem usque rigidam uigere conspiciuntur. Ligustrum apud nos Iunio plerunque mense, florem gerit candidum, racematim compactum vitis uiniferæ instar, suauissimi odoris. 1. *Ligustrum uulgare.*

Huius generis nonnulli frutices subluteo comãt flore, atque ij quidem inuentu rariores sunt. Cæterum utriusqʒ generis flores Autumno mense in acinos desinunt, nigros, gustu mediocriter dulces, quo nomine hyeme præsertim rigidiore, nec aliàs ab auiculis magnopere expetuntur. 2. *Ligustri alia species.*

NOMEN.

NOMENCLATVRAE.

Non ignoro quosdam hunc fruticem phillyream Dioscoridis interpretari. Diosco. lib. i. cap. 109. Mihi uero quidquid hij dicant κύπρος est Dioscoridis, quem Latini Ligustrum uocant, Germani Hartriegel/ à duritie ligni appellant, sed perperam, ut proximo capite docuimus, nam genuinum ipsius nomen apud Germanos est Beinhültzen/ Alij Reinweiden à foliorum cum Salice similitudine, nonnulli Mundtholtz à facultatibus, alij & Geißholtz appellant. Ruellius officinis Alcannam & Henne dici testatur lib. de nat. stirpium cap. xciiij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Folia, flores, & acini Ligustri astrictoriam uim habent. Hodie apud nos extrinsecus fere usurpatur.

EXTRINSECVS.

Aqua è teneris Ligustri folijs, Maio mense, aut è floribus Iunio mense distillata, gargarissatu exulcerationibus oris auxiliatur, neque non feruidis inflammationibus, carbunculisque & pudendorum ulceribus ambustisque igni prodest collutu. Hoc enim remedio ad prædictos morbos Chirurgi pene omnes utuntur.

Flosculi aceto macerati frontique impositi capitis dolorem sedant.

Acinis Ligustri maturis quidam rubello uino nigrum inducunt colorem, & ut crassius euadat efficiunt, quo magis sit uendibile.

Solent etiam illi tam nigrum quam uenetum colorem præstare, quo nomine ab his qui chartulas lusorias, aliasue picturas coloribus uarijs illuminant, leguntur. Ego ex his atramentum meum olim conficere solebam.

De Ligustro potissimum ad fructum respiciens
Columella lib. x. ita cecinit.

Per calathis Violam, nigro permixta Ligustro,
Balsama cum casia nectens croceosque corymbos.

Nam florum hoc uersiculo Maro meminisse uidetur.


Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

De arbore, seu frutice, quem Germani den kleinen Mälbaum nominant.

CAP. XXVIII.

QVAM GERMANI den kleinen Mälbaum VOCANT, EA INter

Kleiner Mälbaum.



ter cæteras uepres & sentes in dumetis nascitur, humo gaudens argillosa & forti. Frutex est arborescens & grandis quandoque, licet in amplitudinem magis diffundatur, quam in altum assurgat. Caudex & uniuersum eius lignum fungosam intus continet medullã. Folia gerit alni similitudine, sed maiora, rugosa, ac farina quasi aspersa, unde illi nomẽclatura apud Germanos nata, & qua terrã spectãt prorsus albicantia. Iunio mense florem producit hic frutex, compactum & stipatum, candidum, per omnia Sambuci similem, odoris satis iucundi, stellatum. Hic in uirides abit baccas, aliquantulum latas, ac uelut conquassatas, per maturitatem uero prorsus nigras, gustu dulces & uiscosas. Quanquam uero non ubique locorum in Germania hic frutex gignatur, tamen in Alsatia & apud Mediomatrices neque non in monte tonitrui magna in copia reperitur.

NOMENCLATURAE.

Cum folia huius arboris farina quasi aspersa uideantur, apud Germanos der klein Mälbaum uocata fuit, quo loco notandum, uocem der klein / hoc est minorem, differentiæ gratia adiectam esse. Est enim alia quædam arbor de qua proximo capite agemus, quam Germani similiter Mälbaum / sed dis

scri minis

scriminis causa, den grossen/hoc est, maiorem, appellant. Nonnulli alij hūc fruticem Schwelcken quoque uocant, quę appellatio ad Sambucum aquaticam, de qua supra cap. xxv disseruimus proprie pertinet, propterea quod cum illa floribus & baccis conueniat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Ad quid faciant tam flores quam baccę huius fruticis, nihil certi habeo, præsertim cum quod nomen obtineat ignorem. Audiam ergo & hoc loco doctiorum sententias.

De Fraxinea arbore, quam Germani den grossen Målbaum nominant. CAP. XXIX.

CVM HAEC ARBOR QVOD AD APPELLATIONEM attinet ei frutici, quem superiori proximo capite perstrinximus, iungēda uideatur, ideo hoc loco mentionē eius facere uoluim⁹. Solet uero illa in altū assurgere, uliginosis & opacis syluis, & in uallibus, ripis torrentum maxime gaudens, ligno, & nigro cortice alno quadamtenus consimilis existens. Nam folia Sorbo adeo respondent, ut discerni duo illa genera uix queant, licet huius quidem magis sint exigua illius folijs. Iunio mense candidum florem hæc arbor profert, racematum instar Ligustri, sed maiorem & pleniorem, odoratum. Hic Autumno appetente in rubros abit acinos, Sambuci aquaticæ similitudine, saporis plane ingrati, ita quidem ut nimio esu nauseam excitent.

NOMENCLATVRAE.

Sed bone deus ubi in Theophrasto, Dioscoride & Plinio huius arboris inueniam nomenclationes? Proinde licet in his quidem authoribus, quo loco mentio huius arboris sit facta nobis non constet, tamen in gratiam nō eorum qui omnia se scire somniant, quoscunq; interim spernentes & calumniantes, sed eorum qui ueritatis & rei herbarię cognitionis studio tenentur, sententiam nostram in medium adferre non pigebit, qua putamus, putamus inquam, non asserimus, ne Zoili nostri quod calumnientur habeant, eam Fraxini esse speciem, & eam quidem, cuius doctissimus uir Ruellius de natura stirpium libro primo cap. lxxxij. hisce uerbis commeminit:

Vidimus tamen frequenter baccas ex quadam Fraxinea arbore ex rubro nigricantes, quibus per inopiam frugum annonæ rura uescantur.

Grosser Målbaum.



uescantur. Ea arbor est Fraxino aliquantum hu milior, folio serratiore, & per ambitum hispidiore, cætera Fraxinum æmulantur, ideo genus hoc fructiferũ apud nos tantum putauerimus. Hæc ille, quæ omnia eo adduximus, ut rei herbariæ studiosis ansam de hac arbore cogitandi præberemus.

D. Michael Hero piæ memoriæ uir, Lentiscum ueterum per Germanicam uocem Målbaum in Columella interpretatus est, sed nihil Lentisco, cum hac Fraxinea arbore.

VIRES AC TEMPEramentum.

Si hæc arbor Fraxini species fuerit, facultates eius paulo post descriptas sub Fraxino reperies. Nihil uero de usu eius nobis constat, nisi quod scimus baccas, à merulis, turdis, & bonosis auibus hyeme magnopere quæri.

De Sorbi quarto genere, quod Torminale uocant Latini. CAP. XXX.

Wilder Sperwerbaum/Eschrösel.



YLVETREM NVNC NEC OMNIBVS NOTAM PRAE
5 manibus habemus arborem, quæ in altissimis syluis humo can-
6 dida

dida & forti inter Fagos gignitur, licet inter domesticas arbores, siquidem e sylvis in hortos translata plantetur, nullo negotio proueniat. Corticem habet, quo caudex uestitur, læuem, & albicantem, folia Sambuci aquaticæ similia, sed magis exigua, & quæ pedem anserinum forma sua representēt. Florem fundit hæc arbor ex pallido album, coactum, uti fere Sambucus uulgaris, quo decidente pyra subnascuntur exigua, incana, oliuarum magnitudine, aspera, & Mespilorum instar gustu astringentia, quæ tamen non lapideum semen, sed nucleos nigros ueluti pyra syluestria intus continent. Hæc cum Autumno mollescunt, deuorantur non aliter atque alia poma, tum enim gratiora sunt palato & acerbitatem deponunt.

NOMENCLATVRAE.

Quanquam quod ad plantarum stirpiumq́; cognitionem attinet, maxime eam quæ ex scriptis Theophrasti, Dioscoridis, Plinij, aliorumúe percipitur, nullus unquam mihi ductor extiterit, nihilominus tamen non cælabo sententiam meam qualis illa sit, si forte hoc pacto doctissimos illos magistros qui omnia se scire putant, prouocare queam, ut ipsi certiora nos doceant. Dico ergo hanc arborem quam Germani Aressel / oder Eschröselbaum appellant, Sorbum esse syluestrē (Germanice wilder Sperwerbaum) nempe eam, quam Plinius lib. xv. cap. xxi. quartum genus Sorbi constituit, Torminale illud uocans. Huic nostræ sententiæ suffragatur excellentissimus uir Ioannes Ruellius, qui hac quoque arborem agnouit. Vide historiā illius de natura stirpium lib. j. cap. cxxxij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Fructus Sorbi Torminalis aluum astringit, sicut & Mespila, de quibus altero ab hinc dicemus capite.

De Sorbo. Cap. XXXI.

SORBVS ARBOR EST NON TANTVM PROCERA, sed & amplitudinis magnæ, ut quæ ramos suos longe lateq́; diffundat, maxime ubi spacio non destituitur. Gaudet alsiosis montibus, & lapidosa terra, tractui Rheni, neq́; non syluis Mediomatricum ad fluuios Saram & Blisam dictos sitis admodum familiaris, ut uel hinc luce clarius fiat Sorbum frigidos tractus natura sua, magis amare, quam feruentia loca, quemadmodum & Theophrastus lib ij. cap. iij. annotauit.

Sorbus.

Sperwerbaum.



Sorbus frondem gerit pinnatam, ita quidem ut uno e pediculo dena aut duodena dependeant folia, alæ modo in lateribus emicantia, per ambitum serrata, Lauri folijs teste Theophrasto quadamtenus similia, licet hæc ma-gis

Theoph. lib. 3. cap. 12.

gis sint exigua & breuiora. Flore emicat candido, copioso. Hoc decusso fructus subnascitur, alius orbiculatæ, alius ouatæ figuræ, qui Autumno appropinquante luteus euadit, ex una parte, maxime qua soli appositus fuit, gustu aspero & astringenti præditus, & qui antequam mollescat, esitari non queat, fuscis & latis nucleis quibus prægnat, Sorbus seri posset, mihi tamen insitio magis placet. Inseritur autem malo Cydoniæ, Pyro, Cynosbato, & Sorbo torminali.

NOMENCLATURAE.

Fructum Sorbi, Hebræi (teste Aruch Monsteri) טורלש Tolesch, Græci οὔα, Latini Sorba, Galli Corma, uel Sorba, Germani Sperwel frucht vnd Speirling uocant. Arbor Græcis ὀΐη, Latinis Sorbus, Germanis Sperwerbaum dicitur. Diosco. lib. 1. cap. 141.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Quemadmodum Sorbi Torminalis, ita & huius fructus astringit, minus tamen quam Mespili, teste Ægin. Sunt autē Sorba in medicina utilissima.

INTRINSECUS.

Sorba quocunque modo præparata medicinis aluum sistentibus adhiberi possunt. Quidam autumno in clibano instar Pyrorum hos fructus torrent. Alij ea poma in quatuor dissecant partes, quas in aëre siccandas suspendunt. Nonnulli melle Sorba non aliter atque mala Cydonia condiunt.

Alij Sorba recētia in uino dulci cocto seu Sapa cōseruant. Vtut uero parentur uentris profluuijs accommodata sunt. His ergo in cibo utentur, qui lubricam habent aluum.

Particulæ arefactæ uel in puluerem rediguntur, aut calida aqua molliuntur, uel denique uino decoquuntur ad cohibendam aluum. Breuiter facultates Sorborum pacissimis hic exprimit uersiculus.

Sorba sumus molles nimium durantia uentres.

EXTRINSECUS.

Sorba tusa & cum folijs suis aqua decocta, alui profluuijs & sedi procidenti prosunt in solio aut dessionibus.

De Mespilo. Cap. XXXII.

TRIA MESPILI GENERA VETERES REI HERBARIÆ scriptores ponunt. Ego in Germania nostra unum duntaxat

Mespilus.
Nespelbaum.



genus obseruaui, quod licet in plerisque locis sponte sua prosiliat, tamen non ubique nisi inseratur fructum præstantem ædit. Quo uere illum & fœlicius & meliorem reddat, solemus Mespilum inserere Pyro syluestri aut

Cynos-

Cynosbato. Folia eius maiorem cum Lauro quam fructus affinitatem contraxisse uidentur, licet sint aliquantulum longiora folijs Lauri, & minime serrata. Mespilus flores profert in fine Aprilis mensis, quandoq; & Maio, eosq; candidos, Amygdalæ similes, & singulos singulis pediculis suffultos, instar Cotoneę mali, sed candidiores, qui progressu temporis in rotunda abeunt & incana poma, quinis superiore sui parte quæ umbilico similis apparet apicibus uiridibus emicantia, tarde maturescentia, & quæ non sint edendo antequam mollescant, propter insignem quam obtinent acerbitatem. Hæc apud nos non tria duntaxat, sed quinque utplurima ossea & prędura continent semina, unde uulgatum apud nos iactatur prouerbium,

Kein Jungfraw ward nie so rein/
Esse sie drey Nespeln/sie geb von jr fünffzehen stein.

Mespilus non magna indiget cura in plantando, nam asperis & incultis locis gaudet. Inter Argentinam & Badenses thermas inferiores in sylua sponte sua luxuriat, ac omnino eos fere tractus amat, quos & Sorbus quærit. Mespilum qui folijs est Apij instar dissectis, ac tribus in fructu ossiculis, nondum uidi.

NOMENCLATVRAE.

Mespilus hæc posterior Dioscoridi libro primo cap. cxxxviij. μέσπιλον ἀνθηδὼν & ἀρωνία: fructus eius τρίκοκκος dicitur: alteram uero idem autor quosdam ἐπιμηλίδα, alios σητάνιον nominare tradit. Hanc Serapio cap. 109. sub uoce Zaror, hoc est Sorbo describit.

Nostram Mespilum ego crediderim Cratægum, seu Cratægona Theophrasti esse. Sed nemini nostra præiudicet sententia, nostra enim ita proponimus, ut interea liberum cuique esse uelimus, ut sequatur quod sibi magis probabile uideatur. Theoph. lib. 3. cap. 15. κράταιγος. Germani Nespelbaum arborem ipsam, fructum Nespeln uocant. Hebrei teste Elia חמישיות Chamischioth, a quinque nimirum ossiculis. Galli teste Ruellio de natura stirpium libro primo cap. xcviij. Meslierum, & Neplierum nuncupant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Mespila & Sorba utriusque generis frigidæ & siccæ fere omnia sunt qualitatis, aluo sistendæ utilia.


INTRINSECVS.

Quæ de Sorbis diximus, de Mespilis quoque intelligi uolumus, neque enim opus est ut quæ iam ante dicta sunt hoc loco repetantur.

Solent nostri Mespila melle condire sicut pruna syluestria, quo ritu parata, calidis uentris in æstate profluuijs conducunt.

De Pruno syluestri. Cap. XXXIII.

Schlehendorn.



1\. Prunus syluestris uulgaris

PRVNA SYLVEstria alia magna, alia exigua, nonnulla rotunda, quædam oblonga spectantur. Qui hæc præcedit flos candidus est, sicut & Pruni domesticæ. Atque is quidē ante folia erumpit, id quod ut plurimum in fine Martij mensis cōtingere uidemus. Obseruatum est hunc florē quam rarissime frigora effugere etiam exacta iam hyeme. Singuli uero Pruni syluestris flosculi quinis constant candidis foliolis, in quorum medio duodeuiginti candida capillamenta seu stamina uisuntur, apicem singula sustinentia exiguum & luteum. Hac fere forma omnium pene pomorum, Cerasorū inquam, Prunorum, Pyrorum, & Malorum flores præditi sunt, nisi quod plura quandoq; capillamenta, apicesq; ostendant, quam huius syluestris Pruni flores. Folia illius rotunda sunt, Teucrij folijs nequaquam maiora.

Prunus syluestris inter cæteras spinas in dumetis, secus itinera affatim luxuriat, & ipse spinosus, durusq; quod ad lignum attinet.

Prunus

Pruna ſylueſtria pręſtantiſſima quę & ſatis magna apparent, ea ſunt, quę auguſto mēſe maturantur, quod in pruno ſylueſtri uulgari nō contingit. Illius namque fructus ſicut & flos ut ante diximus frigoribus occupatur anteq uam maturetur. Niſi enim hoc pacto ea pruna molleſcant edendo non ſunt, propter immenſam ipſorum acerbitatem. Pauperes pruna ſylueſtria igne quandoque uſtulare ſolent, ut commodius illis ueſci queant. Fames ingenioſa certe eſt, & multos uarioſq; oſtendit cibos, neque quicquam ſibi præſcribi patitur.

2 Pruni ſylueſtris altera ſpecies.

NOMENCLATVRAE.

Pruna ſylueſtria maiora Germani Haberſchlehen (quaſi dicas auenaria, à comitatu nimirum eius frugis ita appellata) reliqua Schlehen ſimpliciter nominant. Latinis Pruna ſylueſtria, Græcis προῦμνα, & ἀγριοκοκκυμῆλα, Gallis Prunula, Prunelles, & Plelouſes dicuntur. Neque eorum ſententiæ ſubſcribendum eſt, qui Acacia illa & Poteria nominant. Arbor ipſa, Prunus ſylueſtris κοκκυμηλία ἀγρία, & Spinus dicitur, ſic enim apud Vergilium legimus. *Et ſpinos iam pruna ferentes.* quo loco de præſenti noſtro & arboreſcente frutice authorem loqui exiſtimamus.

Dioſcor. lib. 1. cap. 142.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pruna ſylueſtria refrigerantem & aſtringentem uim habent, quare aluū ſiſtendi facultate pollent. Apud noſtros uoluptatis magis gratia quam medicinæ uſurpantur.

INTRINSECVS.

Pruna ſylueſtria melle condita non tantum commeſſationibus nocturnis proponenda ſunt, ſed dyſentericis etiam, & alui profluuijs laborātibus exhibenda.

Ad eadem facit uinum ex his fructibus confectum, quod ad Iulium & Auguſtum uſque menſes diligenter aſſeruare conuenit, quo tempore dyſenteria plurimis moleſta eſt. Earundem facultatum eſt & decoctum Prunorū ſylueſtrium.

Aqua è floribus illorum diſtillata & pota, ad laterum dolorem ſingulari facit experimento. Ea uero efficacior fuerit, ſi flores Pruni ſylueſtris recentes per noctem uino forti & optimo macerati in balneo ut uocant Mariæ diſtillentur. Hac aqua multis profui, ea namque lateris, cordis & ſtomachi quoſuis dolores ſeu compreſſiones & puncturas diſſolui.

EXTRINSECVS.

Aduerſus uini penduli uitia nihil efficacius Prunis ſylueſtribus reperi-

tur, si hoc quo dicemus modo usurpentur. Pruna antequam blauo tingantur colore leguntur, & in mortario tusa, pro magnitudine & exiguitate uasis multa aut pauca uino inijciuntur, cumq; probe uino agitatione crebra cōmixta fuerint, obturatur uas per dies octo aut decem, tum intra paucos dies uinum restituitur. Cæterum possunt Pruna syluestria tusa, & in aëre siccata ad eos usus per totum annum conseruari.

Sunt qui ex immaturis Pruni syluestris fructibus aquam distillatam ad nescio quas artes adhibent, quæ omnia studiose prætereo.

De Pruno. Cap. XXXIIII.

QVANQVAM PRVNI VARIA GENERA TARDE ad Gallos & Germanos commigrarunt, tamen hodie ubiq; locorum siullum pomi genus, certe hoc uel notissimum est. Prunorum secundum uaria genera, differentiæ multæ, ita quidem ut omnia enumerari uix possint. Conabimur tamen uel uulgatissima apud nos referre Pruna. Sunt ergo alia magna & nigra quædam cærea, hoc est coloris ex candido in luteum pallescentis, nonnulla purpurea, ut Fici, alia denique exigua, & uiridia Autumno maturescentia. His quasi summis generibus, multæ aliæ subsunt species, magnitudine, forma, gustu, &c. differentes. Sunt enim Pruna alia oblonga, alia rotūda, alia dulcia, alia acida, alia sicca, nonnulla postremo succosa. Quis enim omnia genera discernat? Omnium uero Prunorum caudex intus subruber, & folia nigricant, & minora Mali folijs apparent. Prunus flores profert candidos, maioresq; pruno syluestri. Floret plerunque cum Ceraso Aprili mense. Fructus os non perinde durū atque Persicæ intus continet, in quo nucleus clauditur, quod semen Pruni est, quo seri potest, & intra paucos annos adolescere.

NOMENCLATVRAE.

Prunus Latinis, κοκκυμηλέα Græcis, Pflaumenbaum Germanis, vng prunier Gallis appellatur. Fructum eius Hebræi כשה Kæschæph (teste Elia Leuita) Græci κοκκύμηλον, Latini Prunum, Germani Pflaumen/Kriechen/ Galli vne prune nominant

Multa sunt ut ante quoque diximus Prunorum genera, inter quæ primū
1. apud nos locum obtinent Damascena uocata, Theocrito Brabyla, Athenæo Badrya, & Madrya cognominata, Germani Damascenen pflaumen/ vnd Quetschen uocant.

Deinde

Prunus.
Pflaumen.



Deinde ponuntur purpurea, quæ ex Hispania uenerunt, Iberica, & Pertigona uocata.

Tertias partes sibi uendicant cerea, seu cereola, Germanis gæl Kriechen/ vnd Spilling dicta.

Quarto

4. Quarto ordine collocanda sunt oblonga illa & cœrulea, alias Prunidactyla, Germani blaw lang Pflaumen / blaw Spilling / vnd Bülsen pflaumen nominant.

5. Quinto loco exigua illa (nec enim nuce auellana maiora sunt) & Autumno prouenientia pruna Germanis Klein Herbstpflaumen dicta.

6 Postremo sunt & alia genera, utpote nigra illa quæ uocant groß Roßpflaumen / & rotunda illa, magna & dura Pruna, quæ Autumno appetente maturantur, Germani Schaaffpflaumen / Latini Asinina & Pedicularia nuncupant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Prunorum genera tum sunt utilia cum humectare & refrigerare mediocriter uentrem statuemus. Porro ab his minimum alimenti accedit, licet non minus quam Ficus recentes aluum subducendi ui polleant. Æstate itaque, potissimum Augusto mense ab his abstinendum fuerit. De Prunis & eorum natura uide Galenum lib. ij. de aliment. facult.

INTRINSECVS.

Pruna arefacta & tosta aliquanto sunt siccioris naturæ quam recentia, inter quæ Damascena, & Cereola maxime commendantur. Qui fit ut in coquinis magnorum dominorum suum quoque iampridem obtineant locū. Ex his enim tucetæ, & eclegmata compotationibus nocturnis conficiuntur. Seplasiarij maiori cum emolumento illis utuntur, ut qui ex his electuariam Diaprunum appellatum conficiant, quod ad omnes calidas & siccas febres unice facit, quippe cum humectandi & refrigerandi ui polleat. Hæc confectio mihi bene placet, nam quæ Scammonium, aut Diagridium recipiunt eas prorsus detestor.

Crediderim Pruna, quorum nunc statim meminimus arida, uino bono & dulci decocta ac usurpata, calido & sicco stomacho prodesse, eumq; si durior sit emollire, licet diuersum sentiat Dioscorides libro primo cap. cxlij.

Homines tenuioris fortunæ arida (quæ diximus) Pruna, uino aut uiua aqua molliunt, ijsq; in calidis affectionibus ad restinguendam sitim & calorem utuntur.

Omnia Prunorum domesticorum genera laxant & emolliunt uentrem, contra astringunt eundem syluestria Pruna, quorum præcedenti capite mentio facta est. Gummi Prunorum calculos comminuere dicitur.

EXTRINSECVS.

Folia Pruni in uino decocta collutione & gargarissatu uuam, gingiuas, & tonsillas fluxione laborantes reprimunt.

Gummi

Gummi ex aceto illitum (quod idem de folijs quoque intelligas) lichenas infantium sanat.

Ligno Pruni arboris cultrorum manubria quidam conficiunt, prius tamen lignum lixiuio decoqunnt.

De Myxarijs. *Cap.* XXXV.

Sebesten.



QVANQVAM PEREgrinum hoc pomi genus in Germania nostra hauddũ proueniat; tamen in Italiam pridem deuenit, ubi, quantũ audio, Sorbis inseri consueuit. Nec dubito si cultura diligens accederet, quin et hortis nostris assuefieri facile possit. Eius fructus qui intus osse nucleum clausum habet, oliuę similis existens, omnibus hodie officinis notissimus est. Aiunt caudicem arboris candido, ramos uero uirente cortice uestitos, folia esse rotunda ac mediocriter magna, fructum candido lentore plenum racematim fundi. Hodie aridus ad nos defertur.

NOMENCLATVRAE.

Arabes hunc fructum nobilitauerunt, à ueteribus minime descriptum. Seraca. viij. Sebesten, Abahamsa, Moteica, & Mokaita nominat. Græci Myxa & Myxaria à lento succo uocant, nam

nam ex his in quibusdam regionibus uiscum fit. Galeno quidam Serica dicta uolunt.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Myxa mediam sortita sunt temperaturam, neque nimium calida, neque abunde frigida. Quod ad qualitatem attinet, multum cum Prunis affinitatis habent, Ægineta & Aëtio testibus. Hodie magnus eorum in medicina usus est.

INTRINSECVS.

Fructus Sebesten per se aut decoctione, in ardentibus febribus, potissimum si aluus sit astrictior usurpare potest.

Idem uel per se aut decocto infantibus aduersus tineas uentris exhibetur utiliter, maxime his qui alia medicamenta respuunt.

Myxa uel per se deuorata, uel decocta & introsumpta, calidæ & siccæ tussi prodesse, lenire pectus, catharrum denique calidum sedare, ardori item urinæ qui fit propter mordicationem choleræ in uesica & in renibus conferre scripsit Serapio.

Rhases cap. xlij. uno uerbo inquit, Seuesten guttur & pectus lenit.

Quod si Sebesten Serica sint Galeni ut quidam putant, exigui sane sunt alimenti & concoctu difficilia. Nonnulli tamen Iuiubas per Serica Galeni intellexisse contendunt. Quare deinceps de illis agemus.


De Zizipho. Cap. XXXVI.

QVAECVNQVE HODIE IN OFFICINIS ADVERSVS asperam tussim & catharrum conficiuntur medicamenta, ijs Sebesten & Iuiubas (sic enim fructum Ziziphi appellant) non postremo loco admiscent. Cum itaque Iuiubæ in medicina hoc tempore tam celebres sit, non potui committere quin hoc loco earum mentionem facerē. Sic namque affecti omnes sumus, ut peregrina admiremur, nostra negligamus, cum tamen luce clarius sit, quæ nostra tellus fundit, peregrinis sæpenumero ac longe petitis anteire. Arborem quæ Iuiubas fert nondum uidi. Columella lib. ix. cap. iiij. duo eius genera ponit, albam nimirum & rutilam statuens Ziziphum. Tradunt flores utriusque sicut & fructum, oliuæ haud admodum absimilem esse.

NOMENCLATVRAE.

Iuiubas Arabes primi celebrarunt, sequentibus nomenclaturis apud Serapionem

Iuiubæ.
Brustbeerlin.



rapionem cap. lxxxvij. insig nitas, Hunen, Zufaizef. Posterior appellatio a Ziziphо haud multum abludit: uolunt enim omnes Ziziphũ Iuiubas proferre, quæ Galeno quidam Serica, alijs Aedesina dicta sint. Germani Brustbeerlin uocant.

VIRES AC TEMPE-
ramentum.

Arabes in Ziziphi facultatibus cōmemorandis nequaquam consentiunt. Serapio siquidem una cum Rhase Iuiubas calidas & humidas esse contendit. Contra Auerrhoes frigidas & humidas pronunciat. Cæterum potest is fructus pectoris uitijs adhiberi.

INTRINSECVS.

Ad asperitatem arteriæ, & asperam tussim Iuiubæ prosunt. Ex his officinæ potiones, electuaria, & alias confectiones parant.


Serapio ex autoritate Aben Mesuai acuitatem cholerici sanguinis extinguere tradit.

Iuiubæ in cibo usurpatæ nullius sunt utilitatis, præterquam enim quod difficilis sunt & tardæ concoctionis, nihil etiam nutrimenti corpori humano afferunt. Atque hæc hactenus, nunc ad alia progrediamur.

De

De Corno. Cap. XXXVII.

Welsch Kirsen.



C ORNI IN GERMANIA NOSTRA VNVM DVNTAxat genus habemus, nempe id quod rubeas fert baccas. Cornus ea fre-

ea frequenter in dumetis instar aliarum syluestrium arborum inter Metensium & Treuirorum urbes. Atquæ ad Mosellam & Rhenum fluuios sita sunt loca, & in Alsatia, in his inquam regionibus in hortis seritur, uel semine uel surculo auulso. Arbor ea lignum habet durissimum, omni medulla carens. Rami qui à caudice sese diffundunt folijs uestiuntur nigricantibus, Cotoneę mali aut illius arboris quam Germanis Hartriegel uocare supra cap.xxvi. docuimus, pene similibus. Floret Cornus antequam folia erumpant, Martio mense, quandoque & in Februario, flore ex candido in luteũ pallescente, stellato, foliato, qui in baccas tandem abit oliuæ modo oblongas, eicꝫ per omnia similes, primum uirides, nam per maturitatẽ quam Augusto mense adipiscuntur, rubescunt, gustu asperę, ubi uero emolluerint, dulcissimæ, seminia seu ossa intus occultantes oliuæ instar durissima. Cornum quæ cereos ferat fructus hauddum uidi, neque baccas eius degustaui.

NOMENCLATVRAE.

Quæcunque apud nos peregina sunt, ea Welsch/id est, Italica, seu Gallica uocare consueuimus, qua ratione fructum huius arboris Welsch kirsen/ hoc est, Italica cerasa nominare solemus. Arbor ipsa Dioscoridi libro primo cap.cxl. κρανία, Cornus dicitur. Fructum Cornum in neutro genere nominant Germani, non inepte Cornelbaum/ aut Kurbeerbaum appellare possunt. Quidam Thierlinbaum uocant. Galli Cormier ou Cornier.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Tam fructui quam folijs Corni cum siccitate astringendi & obstruendi inest facultas. Fructus intro sumuntur, folia foris uulneribus recte imponuntur.

INTRINSECVS.

Fructibus Corni, qui ad Mosellam & alia in quibus hæc arbor luxuriat loco incolunt, sues saginare consueuerunt. Non tamen suibus duntaxat Corna nata esse credamus, quin potius homini præcipue cui aduersus dysenteriam & alui profluuia prosunt uel maxime, nam potenter astringunt, non minus atque uel Pruna syluestria uel Mespila. Ad quæuis ergo alui profluuia merito adhiberi debent.

Corna uel torreri uel sale condiri possunt, sicut & oliuæ, qua de re uide Columellam. Quidam Saccharo & melle ea condiunt, sicut Cerasa & Pruna syluestria, quo pacto parata & esitata dysentericis magnopere prosunt.

EXTRINSECVS.

Folia, aut recentes turiones uino decocti, aut per se impositi quæuis manantia uulnera exiccant, sanantꝗ.

De Ceraso, Cap. XXXVIII.

Kirßbaum.



1\. Cerasus satiua. A THENAEVS MEMORIAE PRODIDIT, LVCVLLVM Romanorum Imperatorem, posteaquam debellato Mithridate uictoria

ctoria potius esset, primum arborem hanc a Cerasunte pontico municipio in Italiam detulisse, fructum quam gentilitio nomine Cerasium appellasse. Cerasus hodie adeo frequens ubique locorum, nulloque negotio prouenit, ut etiam syluæ nonnullæ ea scateant. Facilis est cultura & plantatio eius, multiplex nihilominus quod ad fructus attinet differentia. Inuenias namque Cerasia satiua, syluestria, magna, exigua, oblonga, rotunda, dulcia, acida. In colore etiam magna diuersitas eorum deprehenditur. Sunt enim quædam candida, alia rubra, nonnulla nigra, quædam punicea, & ex roseo rubicantia. Cerasus omnis in nostra Germania Aprili mense florem fundit candidum ueluti Prunus, copiosum, racematim congestum, qui in medio multa ostendit capillamenta quibus lutei insident apices, quod idem in Pruni syluestris, Amygdali, Pruni satiuæ, Mespili, aliarumque pomiferarum arborum floribus uidere est, demptis Pyri, & Cynosbati, in quibus capillamenta nõ luteos sed rubros, hoc est, Bersilici colore tinctos apices sustinẽt. Floribus ergo decussis poma sequuntur exigua, uiridia, quæ in suo quæque genere, aut rubent, aut nigricant, aut albicant, aut punicei sunt coloris. Caudex Cerasi quæ dulcia gignit poma cæteris procerior euadit & diutius durat. Huic si exteriorem & incanum corticem detraxeris nihil detrimenti accipiet, sed cum interior & uiridis cortex ad lignum usque ipsi contiguum incisus fuerit, statim insequenti anno gummi quoddam medicis usitatum ex eo uulnere exudabit. Folia Cerasorum omnium modice serrata, ac Mespili aliquo modo similia apparent.

Cerasiorum uaria genera.

Theoph. lib. 1 cap. 13.

2. Cæterum in tractu Rheni syluestre quoddam & humile Cerasi genus reperitur, ripis fluuiorum potissimum gaudens, ligno & fronde satiuo per omnia simile. At poma eius longe sunt minora satiuis, nec enim uulgare hortense pisum magnitudine excedunt, colore fere nigricante tincta, singula singulis suffulta pediculis, dulci sed ingrato, & qui nauseam uomitionesque excitet, gustu prædita.

Cerasus syluestris.

NOMENCLATVRAE.

Cerasus Latinis, κέρασος Græcis, Kirsenbaum Germanis ipsa arbor dicitur. Fructum Latini Cerasa uocant, Græci κεράσια, Germani Kirsen. Hæc Iudæi גודגניות Gudgannioth, teste nomenclatura Eliæ Leuitæ.

1. Iam ut Cerasiorum uaria genera per appellationes, quantum fieri potest distinguamus, primum locum obtinent apud nos Germanos, quæ punicei sunt, seu spadicei coloris, & acidi saporis, Amarellen / Wichselen / Weinstell / nobis appellata. Hæc forte sunt quæ nonnulli Macedonica, Merasia, & Guindola uocant.

Satiuorum Cerasiorum uaria genera.

2.

2. Acida uero & uulgaria Cerasia Emmerling vnd Bloderkirsen Germanice dicta, forte Aproniana appellari poterunt.

3. Nigra, German. Wildvogelkirsen / Cerasia actiana Latinis nominantur.

4. Quæ iucundissimi sunt saporis & Germanis Großbundtkirsen nominantur, Iuliana Latine dicuntur.

5. Rotunda Cerasa, Cessiana & Ceciliana: Dulcia plane, cuiusmodi sunt al
6. ba (German. Weißkirsen) Duracina & Pliniana, quæ Lauro insita fuere, & amara prorsus sunt Laurea & Amarasia nuncupantur.

2. χαμαικέρασος. Syluestre Cerasi genus, cuius fructus manducatus nauseam & dolorem capitis parit. Pumila Cerasus, aut Chamæcerasus dici potest. Vide Ruelliũ libro primo. cap. lxiiij.

Quo pacto uero Cerasus plantari & inseri debeat, maxime ut fructus ossiculis careat, Vide Palladium lib. xi. cap. xij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Diphilus Siphnius, uir arte & facundia celebris, longis annorum curriculis uetustior ipso Lucullo, cuius ab initio capitis mentionem fecimus, utpote qui Lysimachi regis successori Alexandri ætate, uixisset, Cerasiorũ meminit. Cerasia inquit bonum succum creant, sed parum subministrant alimenti. Stomacho grata sunt, & eidem auxiliantur in frigida sumpta. Sed rubentiora præstant, & milesia, quod urinam pellant & pituitam incidant.

INTRINSECVS.

Cerasia acida bonum sanguinem creant, cibi appetentiam inuitant, pituitam incidunt, crassosq́ humores, urinam pellunt, & aluum emolliunt, siquidem recentia fuerint. Quamobrem solent illa Saccharo quandoque condiri, ægris inflammationibus & calore uehementissimo laborantibus gratissimo cibo. Cerasia arefacta, aut in clibano tosta aluum sistunt; debent ergo ad profluuia alui seruari.

Quidam ex Cerasis nigris syluestribus aquam distillant, quæ amissam loquelam restituere dicitur.

Garrulitati uero pertinacium mulierum lignum Cerasi meo iudicio unice prodesset.

Gummi quod ex Ceraso destillat, uino emollitum & potum inueteratam tussim sanare traditur.

EXTRINSECVS.

Gummi aceto liquefactum lichenas infantium illitu sanat.

De Persica arbore. Cap. XXXIX.

Pfersing baum.



Q VATVOR PERSICAE POMORVM GENERA ERV-
diti proponunt. Germania nostra, si exactius nostras opes cen-

ſeamus, non minus quam aliæ nationes, quatuor, aut fortaſſe plura Perſicæ mali genera, profert.

1. Eſt enim quæ uulgare, candidum & ſucculentum, eſt quæ luteum plane,
2. eſt quæ rubrum, & denique quæ exiguum quoddam & pręcox gignat po
3. mum, quippe quod circa feſtum D. Ioannis apparet. Perſica arbor quo
4. rumcunque tandem generum cum Amygdalo floret, ſed florem profert ma
gis rubrum quam Amygdalus, cui caudice, gumma, folijs & flore ſatis per omnia reſpondet, niſi quod folia & flores guſtu amariores habet. Gaudet uero Perſica arbor arenoſo & arido ſolo, maxime autem aprico. Vere cum nuclei è terra erumpere cœperint, breui tempore in altum aſſurgit Perſica, & intra triennium, aut quadriennium in arborem pomiferam euadit, quod in uulgari eius genere frequenter uidimus. Quemadmodum uero intra paucos annos Perſicam arborem admodum augeri docuimus, ita minime durabilis eſt fructus eius.

Extat Perſicæ arboris aliud genus, cæteris quæ hoc in capite deſcribuntur, per omnia ſimile, niſi quod fructus eius, quem Augusto menſe profert, admodum exiguus eſt, nulla ut cæterarum lanugine obductus, ſed glaber prorſus, ueluti mala, uiridis, ac à ſole rubicundus, glandem intus gerens exiguam, nec adeo ſcabram ut cæterarum, guſtu uinoſo aut acido, eoque gratiſsimo præditus, neque abunde ſucculentus. Hoc genus Gēgenbacchi uidimus.

Perſicus rubeſcit authore Didymo, quæ Platano inſita coaluit.

Quo pacto uero Democritus & alij inſcripta naſci Perſica docuerint, copioſe ac diligenter tradidit Ruellius, libro primo cap. cxi.

NOMENCLATVRAE.

Quæ Germanis Pferſingbaum/ & Latinis Perſica arbor, & Perſica malus, quod ex Perſide primum aduecta ſit, ea Gręcis περσικὴ μηλέα nominatur. Poma ipſa quæ ab hac arbore procreantur, Latini Perſica, & Perſica mala, Hebręi (teſte Elia Leuita) אפרסקים Apharſekim, Germani Pferſing/ Galli Peſche uocant. Sed cum multa ſint Perſicorum genera, diſtinguamus illa ſuis nomenclaturis, Perſicum uulgare, Latini populare, & quod ægre à nuce ſcabra diuelli ſe patitur, Duracinum & Doracinum nominant. Sunt & alia Supernatia à Sabinis cognominata, Germanis Sabiner Pferſing. Poſtrema quæ Germani gål ſummer Pferſing/ Möllelin/ vnd Molleten uocant, ſunt Trecacina doctorum & Armeniaca, ac Præcocia Dioſcoridi libro primo cap. cxxxvi. Sunt tamen quidam qui hoc Perſici genus ad Perſeam Dioſcoridis libro primo cap. cl. referendam uelint. Mihi tamen diuerſum uidetur, cum longe aliter fructum Perſeæ deſcribat tum Theophraſtus, tum Plutarchus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia Perſica frigidæ & humidæ ſunt qualitatis, minime durabilia, & quæ facile putreſcant, ſtomacho non incommodant, modo ante reliquos cibos ſumantur, quemadmodum de alimentis ſecundo libro bene monet Galenus.

Rurſus

Rursus flores, folia, & nuclei calidæ & siccæ sunt temperaturæ, & utrinq; in medicina utiles.

INTRINSECVS.

In ardentibus febribus Persica mala uel per se uel condita prosunt. Sed alioquin continuus eius usus damnatur, propterea quod multa phlegmata generent, & corpus nimium refrigerent, ac putres febres excitent.

Trecacina (Germanis Möllelin dicta) meo iudicio omnibus aliis tanquam præstantissima præponenda erunt.

Quidam conseruas ex floribus cõficiunt, alij Saccharo condiunt, quemadmodum Rosæ condiri solent. Aiuntq; id conditum stomacho prodesse.

Gummi quod ex arbore Persica effluit uino mollitum aut bullitũ ac potum, sanguinem excreantibus unice auxiliari dicitur, propterea quod obstructos pulmonis & pectoris meatus purgat, sanatq;, & quemadmodum alij tradunt, calculos uesicæ comminuit hoc medicamentum.

Quod si illi Crocum adijcias, raucedinem iuuare dicitur, nam tumores discutit, & arteriæ scabritiem lenit & emollit.

Folia Persicæ arboris tusa, succo poto, aut umbilico imposito, tineas uentris enecat, teste Galeno. Nuclei esitati tormina sedant.

Serenus cap. xxij.

Est & uis morbi quod telum commemoratur,
Cum subito dolor insanus furit, incitus ictu
Persicon, huic potum è nuce traditur interiore.

EXTRINSECVS.

Nuclei tusi ac rosaceo aceto temperati ac illitu dolores capitis sedant.

Gummi Persicæ arboris aceto bullitum ac illitum lichenas papulasq; sanat.

De Citrea, seu Medica malo. Cap. XL.

PERSICAE ARBORIS FRIGIDVS HVMIDVSQVE fructus mentionem Citrorum quæ & ipsa frigidæ sunt temperaturæ, ut faciam me admonet. Quanquam uero Citrea malus in Germania non perinde frequens reperitur atque in Italia, Galliaue, propterea quod partim ignota & peregrina plerisque sit, partim uero rigida illi apud nos obstet hyems, tamen non potui committere, quin elegantissimi, oblongi, aurei & odoratissimi pomi historiam hisce nostris commen-

Citrea mala, **Citrinaten.**
Limones, **Limonen.**
Poma Nerantia, **Pomerantzen.**



tarijs insererem, posteaq̃ tantis, quemadmodum dicetur facultatibus pollere cognoscitur.

Medica malus è Media primum & Perside in Italiã, diligentia Palladij, postea in alias nationes translata fuit. Mediæ uero & Persidi, tantum familiarem olim fuisse eam arbore Theophrastus de historia plantarum lib.iiij.cap.iiij. annotauit.

Per mercatores & Iudæos, quorum singulę quotannis familiæ singula Citrea mala ad Festum palmarum (de quo paulo post nõnihil dicemus) obseruandum & colendum, magnis interdũ sumptibus comparare coguntur) citra apud Germanos primum innotuerunt, qui factum fuit ut nonnulli granis satis, Citream arborem plantare, summaq; diligentia & studio excolere cœperint, ita ut hodie quibusdam in locis eas arbusculas uidere liceat.

Habet autem Medica arbor caudicem, Pomorum nerantiorum pene consimilem, folia Lauri, perpetuo uirentia, ramulos fastigijs spinulentis

ſpinulentis hiſpidos & aculeatos. Cumq; ea arbor poma ferre occœperit, tanta illi ubertas ineſt, ut onere prouentus ſemper grauetur, alijs cadentibus, alijs matureſcentibus, alijs uero ſubnaſcentibus malis. Sed hæc fœcunditas Medicam arborem comitatur, non in frigidis, ſed calidioribus regionibus enatam.

Pomi quod nonnunquam grandius, quandoque magis exiguum apparet, effigies caperata rugis, prælonga, interdum rotundior. Odor pluſquam iucundus, & qui Martias uiolas fere referat, acidus ſapor, amara intus grana. Hæc poma ſeplaſijs quam culinis potius nata uidentur. Celebrata hæc arbor ijs carminibus quoque Matuanis in ſecundo Georgicon.

Media fert triſtes ſuccos, tardumq; ſaporem
Fœlicis mali: quo non præſentius ullum
Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ,
Miſcueruntq; herbas, & non innoxia uerba,
Auxilium uenit, ac membris agit atra uenena.
Ipſa ingens arbos, faciemq; ſimilima Lauro:
Et ſi non alium late iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud ullis labentia uentis:
Flos apprime tenax: animas, & olentia Medi
Ora fouent illo: & ſenibus medicantur anhelis.

NOMENCLATVRAE.

Arbor ipſa μηλέα μηδικὴ ἢ περσικὴ, hoc eſt, Medica, aut Perſica, Plinio uero Malus Aſſyria lib. xij. cap. iij. appellatur. Vnde conijcio ex Aſſyria ad Iudæos mala citria fuiſſe olim allata. Galenus li. de Simpl. med. facult. vij. fructum eius Citrium uocari paſſim tradit. Theophraſtus μῆλον τὸ μηδικὸν καὶ τὸ περσικὸν κίτριον. nominauit. Athenæus memoriæ prodidit Iubam Mauritanorum regem peritiſſimum in ijs quos de Libya ædidit commentarijs, ſcribere Citrum apud Lybes Heſpericum malum dici, & ab Hercule tranſlatum id in Græciam, dictumq; inibi à quadam auri ſimilitudine, aureum malum, quod ædidiſſe Tellurem nunciato Iouis & Iunonis connubio fabulantur, unde nuptiale hoc pomum intelligi uolunt. Quo pacto uero Galli Citrorum uaria genera ſuis nomenclaturis diſtinguere ſoleant, ex ijs quæ ſubijciemus Ruellij uerbis patebit.

Dicitur aliàs Citrus Citrea arbor.

Citrum malum Heſpericum.

Aureum malum.

Verg. Aeg. 3. Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Quæ auri colore relucent poma aurengia uulgus nominat: quæ ex uiridi in luteum langueſcunt, citreola & tandem citrula nominant. Quæ ouata ſpecie turbinantur, ſi luteo colore nitent, citrangula, priuatim citrea uocãt. Si herbaceo colore uirent Limones dicunt: ſi prægrandia modo Melonum orbiculata facie turgent, Ponceria uulgo, quaſi cerea, uel potius citrea po-

Ruellius de nat. ſtirp. lib. 1. cap. 69.

ma dicunt. Sed hæc omnia fere uernacula specierum nomina à Citro deflexa cognoscuntur. Hæc ille.

Dioscorides Mala citrea μηδικὰ, κεδρόμηλα, & κίτρια uocat lib. j. cap. cxxxvi. Germani Citrinaten/ Judenöpfel/ hoc est, Iudaica poma vnnd Limonen uocant.

Dauid Kyberus ad lectorem.

PLACET hoc loco in gratiam studiosorum de Festo Iudæorum, in quo celebrando pomis citri utuntur, neque nō de appellationibus citri apud Hebræos quædam in medium adferre ex annotationibus Pauli Fagij piæ memoriæ in xxiij. Leuitici, quas in Thargum Onkelos à se translatū conscripsit. Ea uero sic se habent.

Arboris Citreæ.) Ita uertit author complutensis æditionis, quem hic secutus sum. Hebræi הדר Hadar arborem esse uolunt cuius fructus אתרוגים Ethrogim, uulgo Citra dicuntur, quam uocem posuit hic Paraphrastes noster. Hadar autem proprie pulchrum, formosum, & decorum significat, sicut & septuaginta hoc in loco uerterunt καρπὸν ξύλου ὡραῖον, id est, fructum arboris pulchrum: Similiter & uulgata æditio, quæ habet, sumetisque uobis die primo fructum arboris pulcherrimæ. Quia autem Citrum speciosissimus fructus est, ideo pro Citro arbore Hadar interpretantur, Et ex Massilia prouinciæ hodie defertur.

Et paulo post.

Celebratur etiam octaua eius (Septembris scil. mensis) dies cum magnis solennijs, uocaturque חג ערבה Chag Arafa, id est Festum palmarum, in quo sumuntur fructus quos אתרוגים Ethrogim, id est, Citra uocant, & spatulæ palmarum ad innuendū quod Deus deduxerat eos per desertum ad deliciosam terram. Circumeunt etiam septimo die septies altare, portantes palmas, in memoriam depopulatæ Hiericho. Hæc ille.

Ex his quæ adduximus facile liquet Hebræis עץ הדר Etz hadar Citream arborem, fructum uero eius Chaldæis אתרוג Esrog seu Ethrog significare. Serapio capite primo Citrum Atrog uocat lingua Arabica, uoce nimirum nihil quod ad substantiales attinet literas (nam in punctis tantum quæ Hebræis, Chaldæis, & Arabibus uice vocalium inseruiunt, aliqua apparet sed leuis mutatio) ab Hebræorum seu Chaldæorum Ethrog differente. Vnde cum Arabica & Chaldaica lingua (quæ Iudæorum à reditu ex Babilone uernacula fuit, ut multis noui testamenti uocibus, ut sunt Tabitha

tha Kumi, Beth abbera, Maran ata &c. patet) in hac uoce consentiant, nemo in posterum dubitare debet, quin Ethrog Chaldæorum Citrum sit, maxime cum Serapio sub uoce Atrog ea dicat, quæ Galenus & Dioscorides de Citro iam ante perscripserant. Atq; hæc hactenus nunc ad propositum reuertamur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Græci & Arabes in facultatibus Citri recensendis nequaquam conueniunt, ut uidere est epistola tertia lib. xi. Manardi. Nos uero quidquid Arabes, maxime Auicenna dicat, Galenum sequemur, qui Citria mala frigidæ esse qualitatis testatur, quo loco caro Citri, non nuclei neque cortex intelligendus est, quorum utrunque exiccantem ac nonnihil calefacientem uim ut obtineat necesse est. Hæc uero medicis quam coquis potius inseruire possunt.

INTRINSECVS.

Tam succus quam semina aduersus uenenum facere, & appetentiam cibi inuitare prædicantur.

Athenæus, Ruellio referente, longam scribit historiam, in qua ostendit, Citria mala multis aduersus morsus aspidum manducata profuisse. Dioscorides paucis rem absoluens, de Citro hoc pacto scribit.

Semen in uino potum uenenis resistit, aluum mouet, oris suauitatem commendat, decocto eius colluto, aut succo, estur in malacia mulieribus. *Atram quoq; bilem expellit.*]

EXTRINSECVS.

Cortices Citrij pomi uestiarijs arcis impositi ab erosionis uitio uestes uendicare existimatur, eisq; bonum odorem communicare.

De Pomo arantio, seu Nerantzio.
CAP. XLI.

QVANQVAM ARBOR QVAE POMA FERT ARANtia, quod ad perpetuo uirentia & solida folia, ac spinulas quibus horrent rami attinet, Malo medicæ admodum consimilis appareat, meo tamen iudicio longo ab eadem distat interuallo, & ad proprium ac peculiare genus referenda fuerit. Siquidem fructus eius nõ oblongæ, sed rotundæ prorsus figuræ est, proinde & minime rugosus. Hæc poma ante

maturita-

maturitatem prorsus uiridia sunt, corticem habent densum, gustu feruentē, & amarum, qui cum recens compressus fuerit, acre reddit oleum. Caro illorum, quæ in nonnullis dulcis in alijs acida seu uinosa reperitur, candidis & amaris nucleis prægnat, qui sati arbusculas producunt. Inuenias enim ciues quosdam Argentinenses & Metenses, qui uoluptatis gratia eas plantare soleant.

Duo pomi Arantij genera.

NOMENCLATVRAE.

Quæ uulgo Poma arantia dicuntur, & Germanice Pomerantzen/ea nō minus quam Citria, Medica Aurea, & Hesperica cognominantur. In libello Nicandri, qui Alexipharmaca inscribitur, ita legitur, τὸ μῆδον μῆλόν ἐστι τὸ μηδικὸν, τὸ νεράντζιον, hoc est, Medum malum est medicum, q̄d Nerantziū (uocāt) Atq; ab hac uoce Germanica appellatio Pomerantzen deriuata uidetur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quæ de Malis citrijs scripsimus, ea de pomis quoque arantijs intelligi debent. Cortex eorum admodum calidæ est naturæ, quod Simeon Sethi animaduertit, & experientia quoque ipsa testatur. Itaque ad lentos & frigidos stomachi humores facit, nam illos discutit & educit.

Seplasiarij diligentes solent eos cortices Saccharo condiri, cibo sane utilissimo ad quasuis frigidas stomachi affectiones.

Seminum quæ in his pomis continentur, neque non carnis uires proximo capite satis descriptæ sunt. Quare relictis his ad Malum punicam nos conuertamus.

De Malo Punica. Cap. XLII.

NEQVE PVNICA MALVS NOSTRIS REGIONIBVS maxime frigidioribus satis assueuit. Nam licet arbusculæ hę aliquando assurgant, & prouentus spem aliquam facere uideantur, tamen frigora hyemis apud nos ferre nequeunt, tametsi si Autumno appetente in figulina sicut Rosmarinus transplantatæ, in cellis uinarijs custodirentur, superuicturas putarim. Mala punica trium sunt generum, dulcia, uinosa, ac prorsus acida. Arbos quæ illa profert, multas teneras uirgas spargit, angustis folijs uestitas, ijsq; per omnia Salicis similibus, sed tenerioribus, ac aliquantulus magis exiguis. Cæterum non admodum magna hęc arbor euadit, sed fruticosa, flore comans puniceo, quem poma consequuntur ro-

Mali punici tria genera.

Malus punica.
Granat öpffelbaum.



tur rotunda, per maturitatē undique succulentis & rubris scatentia acinis, iisque contiguis, & angulosis instar Granati pretiosi lapidis. Fructus est sane speciosissimus. Eius Ruellius de nat. stirp. libro primo cap. cxxii. nouem genera describit, ubi inter cætera ait, Punicum malum Charthagine laudatissimum, indeque cognomē Malum Punicum, Granatū aliqui appellant.

NOMENCLATVRAE.

Latini Mala punica. Mala granata, à loco natali, & à granis seu acinis, Germani Granatöpffel uocant. Græcis Malum punicum ῥόα Nicandro & Athenæo σίδη, Hebræis רמון Rimmon appellatur (licet & arbor sic uocetur uide Ioelis i.) Chaldæis רמונא Rimmona, Serapioni cap. cxxix. Kuman, quo loco deprauatam Serapionis lectionem existimo, ac, quod facile uitio librariorum contingere potuit, K pro R scriptum, nam quemadmodū Munsterus in Aruch suo testatur רומנא Rumana, nomen arboris seu Mali punicæ est in secundo Thargum Esther. Proinde uocatur exterior Mali punici cortex σίδιον, Latine Malicorium. Flores κύτινοι Cytini, ii nempe qui satiuæ Malo punicæ adnascuntur, nam syluestris punicæ flos βαλαύστιον Balaustium nuncupatur. *Diosco. lib. 1. cap. 131.*

VIRES

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Dulcia teste Dioscoride stomacho utiliora habentur, sed aliquantulum in eo calorem gignunt, inflationes pariunt, unde in febri abdicantur.

Vinosa mediam sortiuntur naturam.

Acida astringunt, & refrigerant, eorum usus in ardentibus febribus esse potest.

Cytini sicut & Malicorium, astringendi & siccandi ui præditi sunt.

INTRINSECVS.

Succus & nuclei in calidis affectionibus, cuiusmodi sunt ardentes febres usurpati, os recreant, sitim sedant & æstuanti auxiliantur stomacho.

Ex succo Mali punici, Rob (ut uocatur) & Serapia recte conficiuntur ad prædictos morbos.

Nuclei acinorum acidi punici, in sole siccati, & obsonijs insparsi, concoctiue, fluentem aluum, stomachumq; sistunt, ad desessus dysentericorum, fœminarumq; fluxione uuluæ laborantium utiles sunt.

Cœlesti aqua madescunt bibunturq; commode sanguinem excreantibus.

Has ipsas facultates tam Cytini quam Balaustia, & Malicoria obtinent.

Constantinus lib. 4. cap. 18. de cognos. morbis, &c.

Constantinus affirmat Malicorium uino decoctum, ac potum omnes uentris tineas enecare, maxime eas quas Ascaridas nominant, addens omnibus Malis punicis, peculiarem uim tineas uentris enecandi inesse.

Præterea idem Constantinus lib. iij. cap. vi. de cognoscendis morbis refert, flores Malorum punicorum, neque non cortices eorum tusos, inq; puluerem redactos, ac ieiuno stomacho sumptos, unice ad frigidam facere tussim & catharrum.

A lepore marino demorsis Malum punicum prodesse, Nicander in Alexipharmacis testatur.


EXTRINSECVS.

Expressus nucleorum succus coquitur cum melle, ad oris, uirilitatis, & sedis ulcera, nomas, reduuias, & ea quæ in corpore extuberant, aurium dolores & narium uitia præsertim acidorum Malicorium granatorum siccatum, in puluerem redactum, cumq; melle temperatum ac illitum fluxum uenæ aureæ sistit, eodem Constantino authore lib. iiij. cap. xix. de morb. cog.

Flores Punici mali in pulucrem redacti hernian prolapsu intestini erumpentem cataplasmate repellunt, Galla addita efficacius hoc medicamentũ reddetur.

De Malo Cotonea. Cap. XLIII.

Kütten / oder Quittenbaum.



Serenus, cap. 24.
Aut quæ poma Cydon Cretæ misit ab oris.

C YDONIORVM VNVM TANTVM IN GERMANIA GEnus extat, & id quidem passim uulgatum, quod & nullo negotio

apud

apud nos prouenire solet, licet aliquando nobis quoque peregrinum fuerit, quippe quod primum à Cydone Cretæ oppido, unde illi nomen aduectum & alijs nationibus communicatum fuerit. Quanquam uero nulla fere magna cura in plantatione Coroneę mali opus sit, eaq; ut diximus quam facilime proueniat, tamen longos annos ut grandescat requirit. Vtut uero augeatur corporis mole, tamen perpetuo humili in statu subsidet, fructu scilicet incuruatos deprimente ramos, prohibenteq́; parentem crescere. E radice quotannis nouæ prosiliunt quamplurimæ uirgæ, quæ transferri ac plantari queant, qua ratione & Malum punicam propagare licet. Folia gerit hæc arbos aliquanto latiora, & breuiora Mespilo, à terra candicantia. Singuli eius & candidi flores, uulgaris Mali consimiles, seorsim collocati apparent, nec congestim à fronde ut in alijs pomiferis arboribus dependent. Hos subsequuntur poma forinsecus incana & lanuginosa, quæ ante Autumnum nequaquam maturantur, cumq; maturuerunt odoris sunt suauissimi, saporis uero austeri & subacidi. Cæterum continent hæc poma intus fusca semina, eaq; lenta & gummosa, quinq; cellulis distinctis inclusa.

NOMENCLATVRAE.

Germani hæc poma Kütten/oder Quitten/Latini Cydonia, aut Cotonea mala, Græci κυδώνια μῆλα uocant & χρυσόμηλα, hoc est, Aurea mala (Germanice Goldtöpfel) à colore nimirum, uocant, Arbor, Cotonea malus nominatur, κυδωνία μηλέα.

Dioscor. lib. 1. cap. 136.

Veteres multa Cydoniorum genera commemorant, quædam Struthia (Germanice groß Kütten) de quibus Aëtius, alia Mustea, Miscella, Mellita & Melimela uocantes, quibus ea uidentur significare quæ melle condita fuerint. Quo pacto uero melle condiri recte debeant Cydonia, Columella lib. xij. cap. xlv. & Palladius in Februario, demonstrant.

Quodnam sit Cydonij genus Phaulium Athenæo dictum, mihi nihil constat. Serapio cap. cxxxiij. Tuffa, & Suffargel nominauit.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Cydonia mala tam cibo quam medicinæ accommodata, pauperibus diuitibusq́; passim utiliter usurpãtur. Sunt eni facultate refrigerante & astringente prædita.

INTRINSECVS.

Rases & Simeon Sethi Cydonia ante cibum sumpta uentrem astringere, post illum uero manducata contrarium agere docent.

Quod

Quod si quis largius biberit, timeatque ne caput uaporibus & uino obruatur, is confestim Cydonium malum tostum, aut electuariū de Cydonijs cōfectum sumat, quo facto, uinum minus nocebit, neque caput grauiter feriet.

Cydonia probe tosta, nutrimentum magnum adferunt, stomacho haud male conueniunt, urinam cient, eructationem, uomitiones & nauseā cohibent, maxime si à cibo sumantur.

Seplasiarij atque Archimageri succum Cydoniorum exprimere solent, ac admixtis stillatitijs odoratissimisque liquoribus, alijsque speciebus, ex illo electuaria & serapia conficere, in multis ægritudinibus utilissima.

Succus Cydonij mali crudi orthopnoicis salutaris est, et his qui cibum retinere nequeunt.

Breuiter Cydonia per se, neque non succus illorum, serapiaque & electuaria et olea ex his confecta, deinde & semina & flores foliaque, ad multas affectiones uice officinæ, unde medicamenta petat, pauperibus esse queant.

Cydonia melle integra condita ægri, præsertim uero dysenterici plurimum commendant.

EXTRINSECVS.

Cydonia cruda cataplasmatis adijciuntur, ad cohibendam aluum, aut si stomachus æstuet, aut in uomitiones effundatur. Eodem ritu imposita pectoris & epatis inflammationes sedat.

Decocto foliorum fouentur uuluæ & sedes si procidant. Sed & utile est in eo uitio affectas partes decocto colluere. Earumdem quoque uirium Galla & Mespila sunt.

Semina quæ Malis Cydonijs insunt aqua rosacea madefacti ac molliti, lento, crassoque humore ambustis igni, & linguæ gulæque ardori (Germani die Breüne uocant) illitu medentur.

Veteres ex Cydonijs oleum teste Dioscoride conficere soliti sunt, quod & Melinum appellabant.

Reliqua si qua desiderabuntur ex his quæ diximus colligenda erunt. Neminē enim tanta eloquentia præditum puto, qui Cydoniorum facultates pro dignitate explicare possit.

De Malo. Cap. XLIIII.

QVAM DIVES, MIRACVLISQVE PLENA SIT, Natura rerum parens, cum omnia alia quæ progignit, tum uero Malorū uaria ac infinita quasi genera abunde nos docent. Quis enim est qui ea tantum Malorum genera, quæ in Germania nostra proue-

Μηλέα, *Malus*.

Apffelbaum.



niunt, ut cæterarum regionum poma prætereamus, aut saltem uel unius ex illis colores, formam, odorem, et saporem, exponere se posse profiteri audeat: Nemo sane uel Cloatius ipse, qui, ut apud Ruellium de natura stirpium libro

lib.j. cap.xcvij. uiginti fere Malorum genera enumerauit, singulas pomorum species uel nominibus prosequi poterit. Quanquam autem ut diximus natura in pomorum tam omnium quam malorum præcipue procreatione copiosissima est, conabimur tamen summatim uel uulgatissima Germaniæ nostræ Mala perstringere. Sunt enim satiua, sunt syluestria mala. His quasi duobus fastigijs innumeræ fere subsunt Malorum species. Quædam enim magna, alia exigua, nonnulla rotunda, alia oblonga, hæc acida, illa dulcia, alia præcocia, alia serotina, alia candida, alia lutea, quædam rubedinis aliquid, alia multum habent, rursus hæc foris tantum, illa & intus rubra, ac quædam denique rubris & oblongis notis, quæ vibicis formam referant, extrinsecus asperla conspiciuntur.

Hæc omnia quantumuis uaria ac diuersa Mali genera eosdem fere caudices, idem lignum, eosdem ramos, eadem folia, & consimiles flores obtinent, & ut cito occidunt, ita celeriter crescunt. Caudices eorum foris scabro & cano, intus cære i coloris cortice, ex quo luteum colorem conficere solēt, uestiuntur.

Malus solum amat lætum, pingue, frigidum & humectum. Folia eius Pyrorum fronde rotundiora, & Cydoniæ mali folijs maiora sunt. Floret post Pyrum, in initijs plerunque Maij mensis, flore in alijs candido, in alijs roseo apparente. Maturitas Malis non eadem. Quædam enim præcocia sunt, & circa diem D. Ioanni sacrum, alia Augusto mense, postrema in Autumno maturantur. Poma seminis nigrore maturitatem fatentur. *Cato.*

Veteres duobus anni temporibus Malum seri docuerunt, vere nimirū & Autumno, qua de re uide Columellam in libello de arboribus. *Collumel. lib. 5. cap. 10.*

Cæterum danda est opera ut à vermibus Malorum radices asserantur, quod fiet si ueteres imitati, stercus suillum mistum humanæ urinæ, radicibus offundamus. Vermiosis namque quarumcunque arborum radicibus, urina humana circumfusa unice prodest. *Palla. in Februario.*

NOMENCLATVRAE.

Malus Græcis μηλέα, Germanis Öpffelbaum nominatur. Fructus eius Malum, Pomum, Græce μῆλον, Germanice Öpffel/oder Apffel/Hebræis תפוח Tappuach. quod & arborem ipsam significat, appellatur. Germani ut uaria habent Pomorum genera, ita uarias quoque illis indidere nomenclaturas, quarum nonnullas obiter recensebimus.

Quæ apud nos prima maturantur Sanct Johans Öpffel/Latine Præcocia mala dicuntur. 1.

2. Quæ Augusto mense ueniunt, rubris uibicibus quasi notata & dulcia, Augstöpffel uocamus, Græce Glycymela.

3. Quæ Autumno maturescunt, ac alia quidem incana, alia lutea, alia coloribus uariegata apparent, omniaq; dulcia, Wurtzöpffel/ quasi aromatica mala, à iucundissimo nimirum tum odore, tum sapore nominamus. Capendua alijs dicta.

Ruellius lib. 1. cap. 96.

4. Poma uero ea quæ magna sunt alba & dulcia, in quorum utero semina per maturitatem sonant, Ruellio Passipoma appellantur.

5. Sunt deinde magna quoque & similiter dulcia, rubro colore maculata, quæ Germani Schragenöpffel/oder Hergotsöpffel nuncupant.

6. Alia dulcia candida, & turbinata & oblonga reperiuntur, Orthomastica nuncupata, Germanice Stromelting/vnd Genßöpffel.

7. Sunt & Paradisiana uocata, Germanice Paradeiß öpffel.

8. Acidorum pomorum infinitus est numerus, quorum uulgatissima Germanis his nomenclaturis insigniuntur, Kolöpffel / Weinöpffel / Heüßling/Hermelting/ Stremling/Speierling/Heimeltig / Frawenöpffel/ &c.

9. Postremas partes syluestria mala, Germanice Holtzöpffel / quæ & ipsa non unius sunt generis. Ex his omnibus generibus, tria mihi maxime probantur, nempe ea quæ uocant Graw wurtzöpffel/post hæc, die gälen Heimelting/postremo quæ Hermelting nominari diximus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Omnia fere Malorum genera, frigidę & humidæ sunt naturæ, culinis potius quam officinis nata.

INTRINSECVS.

E uinosis pomis electuarium non aliter atque è Cydonijs, præstantissimum conficitur, quod & palato quamgratissimum est, & in ardentibus febribus accommodatissimum, nam sitim restinguit, & languescentem appetentiam inuitat, ægris quandoque gratius quam aliæ quæcunque seplasiarum confectiones.

Acida poma uentrem inhibent, urinam pellunt, uomitionesq; & eructationes stomachi cohibent, id quod syluestribus potissimum ascribendum fuerit.

Dulcia poma uentrem emollire, & uermes expellere traduntur.

De Pyro. Cap. XLV.

Plinius lib. 15. cap. 15.

PLINIVS ET HERMOLAVS BARBARVS PYRORVM quamplurima enumerant genera. In Germania quoque non

pauca

Pyrus.

Byrbaum.



pauca reperiuntur, in quibus alia grandia, alia exigua, quædam oblonga, nonnulla rotunda, alia orbiculata, alia rursus dulcia, alia acerba, alia sicca, nonnulla succosa, apparent. Hæc uero ad summa genera referentur hoc

pacto, ut alia satiua, alia syluestria, quædam præcocia, nonnulla serotina dicamus.

Pyrus ante Malum cum Ceraso plerunque & Pruno florem fert, eumque candidum. Folia illius multo sunt solidiora & rotundiora Mali folijs. Pyrus Malo grandior & annosior euadit, lætumque solum uti & uitis uinifera amat.

Vide Colum. lib. de arboribus ca. 24.

" Si languida arbor est Pyri, uel ablaqueatæ radicem terebras, & ibi lig-
" neum palum deprimis, uel in trunco similiter terebrato, ex teda cuneum fi-
" gis, uel si hoc desit ex quercu uermes eius arboris & nati necantur, & nasci
" prohibentur, radicibus felle taurino frequenter infusis. Autor est Palladius in mense Februario titulo xxv. Prodest etiam mirum in modum Pyro, si quotannis fimum cum cinere illi affundas.

NOMENCLATVRAE.

Pyrus Latinis, Germanis Byrbaum dicitur. Fructum Græci ἄπιον, Latini Pyrum, Germani ein Byr / Hebræi (teste Eliæ Leuitæ nomenclatura) אגס Eggas uocant. Pyrum syluestre cuius & Nicander in Alexipharmacis meminit ἀχρὰς Dioscoridi libro primo cap. cxxxvij. dicitur. Germani Wild pyren nominant.

1. Iam ut reliqua ex nostris Germanicis Pyris commemoremus, quæ Germani Mecherling / Alandtsbyren / Kochbyren / Schmaltzbyren / Fleischbyren / Bocks oder Bentzenbyren uocant, forte ad Crustumina & Talerna Barbari referri poterunt. Sunt enim saporis iucundissimi, succosa admodum & fugacia.

2. At Pyra præcocia seu æstiua, quæ & ipsa non unius sunt generis, cum in illis succosa, alia exucca reperias, ad Superba Barbari pertinent, quo loco, & ea habenda sunt quæ Germani Herren / oder Pfaffen byren / hoc est Pyra dominorum aut sacrificorum uocant.

3. Inter ea uero quæ Autumno proueniunt Regelsbyren uocata, primas obtinent partes. Hæc forte Dolobelliana ueterum fuerint. Sunt & quæ Latini Pomponiana, & Mammosa uocent, ut interim ea prætercam, quæ Germanis Frawenbyren / Kirchbyren / Winterbyren / Lenhartsbyren / Schifersbyren / Wallenbyren / Müllingsbyren / Lamlosen / Muscatellerbyrlin / etc. prætereamus.

4. Postremo loco syluestria Pyra, eademque uarij generis commemoranda erunt, inter quæ minutissima, quæ dura & lapidosa sunt, Germani Geißbonen uocant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Pyrorum omnia genera adstringunt, sicut & Cydonia mala. Quare

quibus

quibusdam Pyris electuaria & Serapia conficiuntur, quibus utimur ad uomitiones, & uentris fluxiones sistendas.

Ligni Pyrorum cinis efficaciter his auxiliatur, quos fungi strangulant: author est Dioscorides.

EXTRINSECVS.

Folia Pyri tam domesticę quam syluestris in desessionibus mulierum ad uuluæ procidentias aliaq; mala utilia sunt.

De Moro. Cap. XLVI.

DVO MORI GENERA IN RHETIIS ALPIBVS INVENIUNTUR, quorum alterũ atros, alterum candidos fert fructus. In regionibus uero quæ Rheno adiacent unum duntaxat reperitur, nimirum id quod nigra gignit poma, eaq; succosa, & admodum fugacia. Hæc statim ab ortu candida sunt, cum pubescunt rubra, ubi maturuere atra. Tingunt manus sanguineo colore matura, quod Pyrami & Thysbes cædi Poëtarum fabulæ, quas Scolis relinquemus acceptum referunt. *Ouidius lib. 4. Metamorph.*

Morus arborum sapientissima ueteribus dicta est, propterea quod nouissima urbanarum, folia sua tenella, & ab ortu statim rugosa producat, nec nisi exacto frigore & pruinis, maxime ĳs quæ perniciem adferre possit, quod ipse quoque obseruaui. Folia Mori ubi adoleuerint rotunda apparent, hirsuta ac nigricantia. Ipsa arbos grandis euadit, urbanis hortis & areis, locisq; maxime prope muros, nec procul à vite, cui amica est, teste Palladio in Februario cap. xxv. sitis, nasci gaudet. *Morus sapientissima arborum.*

Morus ut quibusdam placere uideo, Fago, Vlmo, Castaneo, & syluestri Pyro inseri potest. Aliĳ asserunt Morum Populo albæ insitam candida progignere poma.

NOMENCLATVRAE.

Morus Latinis, μορέα ἢ συκαμινέα Gręcis, בכא Bacha Hebręis, Sam. v (licet Pyrũ transtulerit uulgatus Bibliorum interpres, sed reclamant omnes Hebręi) aut שקמה Schickmah, ut aliĳ sentiunt, Maulbeerbaum Germanis dicitur. Fructum uulgo Mora celsi, Germani Maulbeeren/ uocant. De Ægyptia Moro, cum nobis ignota sit, nihil dicemus. Qui tamen de illa aliquid cognoscere cupit, is legat Theophrastum lib. iiĳ. cap. ĳ. *Diosco. lib. 1. cap. 147.*

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Mori fructus contrariĳs uiribus pollet. Maturus quidem uentrem subducit, immaturus uero ubi aruerit admodum restringit, teste Galeno li. vĳ. de simpl. facult. Fructus hic & cibo & medicinę accommodatus est.

Morus.

Maulbeerbaum.



INTRINSECVS.

Qualemcumq; stomachum Mora celsi, ut uocant, offenderint, talem sane relinquunt. Si namq; is bene se habuerit hisce nihil læditur, sin uero aliter, facile in illo corrumpentur Mora. Inflam-

Inflammationibus hepatis fructus Mori, & quęcunque ex illo conficiuntur, cuiusmodi sunt succi, eclegmata, & aqua distillata apprime conducunt.

Radicis cortex, aut radix ipsa in aqua decocta & pota aluum resoluit, hi quoque auxiliatur, qui aconita hauserunt.

Folijs Mori recentibus, cibo gratissimo, Seres uermiculi, qui sericeum uellus conficiunt, nutriuntur.

EXTRINSECVS.

Officinę e` Moris eclegma conficiunt, ad oris & colli ulcera utile, quod uocant Diamoron. Sed ad hanc affectionem eiusmodi quoq; medicamentum parari potest, nimirum ut succus Mororum celsi ut uocant, expressus cum melle despumato decoquatur, ac gargarissetur, hoc enim pacto usurpatus facit ad fluxiones, nomas & tonsillarum inflammationes, Sed inolescit uis eius, adiecto scissili alumine, galla, croco & myrrha: item myricę semine, iri & thure.

Folia trita ex aceto illita, ambustis igni medentur.

Eadem cum uitium, & Fici nigrę frondibus in aqua cœlesti cocta tingunt capillum.

Feruefacti corticis & foliorum iure dentes aptissime in dolore colluuntur.

Quidam in ea sunt opinione ut credant radices Mori messis tempore incisas, gummi quoddam stillare, quod magnopere ad dolorem dentium faciat.

De Ficu. Cap. XLVII.

PALLADIVS IN MARTIO CAP. X. CVM DE FICV ageret, inter cętera in hęc scribit uerba. Si genera numerare uelimus immensum est, sufficit, quod omnibus ęqua cultura est. Quę cum ita se habeant, neque nos conabimur tot & tam uaria Fici numerare genera, quę si quis exactius cognoscere cupiat, is Theophr. Diosco. Plinium, Martialem Poëtam, & Hermolaum Barbarum legat. Si tamen in genere Ficos distinguere placet, duo illorum summa fastigia constituentur. Ficus enim alia satiua, alia syluestris censetur. Hęc nigra, exigua, & pauciora fert poma, illa candido, grandi, & multo abundat fructu. Ficus in quibusdam Germannię calidioribus locis reperitur, Ea arbos tenerrima est & frigoribus facile lęditur, ut intermoriatur. Folia gerit lata & aspera, formā referentia Platani, aut Ricini, quem Palmam Christi cognominant. Caudex *Fici duo genera.*

Ficus.
Feigenbaum.



sicut & teneræ ac recens enatæ uirgæ, ad nucem Iuglandem aliquo pacto forma sua accedunt. Ficus nullum fert florem, sed una cum folijs fructum turbinatum exiguum, verrucæ instar, producit, qui in Ficum tandem abit,

cumq;

cumque ab initio uiridem, per maturitatem uero uel candidum uel exnigro fuscum. Nec prætereundum quod Fici folia recentesque ac teneri turiones lacteum si decerpantur succum destillant.

NOMENCLATVRAE.

Tam fructus quam arbor Hebræis תאנה Theenah, Hieremiæ viij. Latinis Ficus dicitur. Arbor Græcis συκία, uel συκῆ ἥμερος, hoc est Ficus satiua, Germanis Feigenbaum/ Fructus ijsdem σῦκον, Serapioni cap. ccviij. Sin (pro quo fortasse Sycon legendum erat) Germanis Feig nominatur. Fici aridæ Gręcis ἰσχάδες, Latinis Caricę, Hebræis דבלה Defelah, דבלת תאנים Defælæth theemin, & דבלים Defelim appellantur. Vide j. Samuelis xxx. & xxv. 2. Reg. xx. Quanquam hæ uoces proprie massam ex multis aridis Ficis compactam significent.

Cradas uocant summos ramorum coliculos teneriores, licet interpres Nicandri hoc quoque nomine Ficos ipsos appellet.

Ficaria grana quæ mihi seminis loco Ficis inesse iudico, Galenus Cenchramidas uocauit.

Syluestrem Ficum Latini Caprificum uocant. Græcis ἐρινεός.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Fici excalefacientium & humectantium fere sunt ordine. Quæ si uel continuo, uel magna copia deuorentur, improbum sanguinem creant, & inflationes pariunt. Moderatus tamen eorum usus tam in cibo quam medicina receptus est.

INTRINSECVS.

Galenus Ficos in senectute inter omnia poma minime sibi nocuisse testatur.

Fici aridæ Amygdalis impactis deuoratæ Sycophantas præclaros efficiunt, & ganeæ inseruiunt. Quanquam hoc pacto usurpatas uenenis aduersari testetur Simeon Sethi.

Fici recentes aluum laxant, molliuntque, internum calorem & sitim restingunt, stomacho tamen non usque adeo conueniunt.

Fici siccæ excalfaciunt, uires alunt, sitim stimulant, gutturi, arteriæ, renibus & uesicæ, & ijs quos longa ualetudo decolorauit aptissimæ.

Eædem feruefactæ cum hyssopo, & potæ, thoracem purgant, tussi ueteri, diuturnisque pulmonum uitijs, hydropicis & comitialibus conueniunt.

Frequens ficorum usus improbum sanguinem & pediculos gignit.

EXTRIN-

EXTRINSECVS.

Ficorum decoctum arteriæ & tonsillarum inflamationibus gargarissatu prodest.

Fici cum Fœno græco, & hordeacea farina cataplasmatis miscentur, & in muliebres præcipue fotus.

Fici cum fermento tritæ, admixto sale, pestē aliaq; ulcera emolliunt, ac intra paucos dies abscessus rumpunt. Hoc medicamento regem Ezechiam usum fuisse opinor, iiij. Reg. cap. xx.

Fici cum atramento sutorio deploratis fere tibiarum fluxionibus, & cacoēthicis ulceribus medentur.

Quin & cum uino decoctę addito Absinthio, & hordeacea farina, utilissimę hydropicis illinuntur.

Fici sonitus aurium sanare dicuntur, si crudę terantur, & sinapi liquoreq; aliquo exceptę auribus instillentur.

Tam syluestris quam satiuę Fici lacteus succus, coaguli modo lac contrahit, concretumq; soluit ut acetum.

Hic internis corporis partibus minime conuenit, nam corpora exulcerat, & meatus nimium aperit. Foris uero illitus lepras, lichenas, uitiligines, uitia cutis in facie, psoras, ulcera in capite manantia cum polenta expurgat.

Scribit Ioannes Ruellius lib. de nat. stirpium ij. cap. lxxxv. Taurum quantumcunque ferocem adalligatum Fico domari.

De Palma. Cap. XLVIII.

QVANQVAM PALMA APVD NOS GERMANOS MInime proueniat, tamen dactyli seu palmulæ quę durum intus ac quasi lapidosum nucleum cōtinent, ad nos deferuntur, hic enim eius arboris fructus est. Ego palmę nucleos olim terrę commisi, è qua folijs angustis, digitalis longitudinis, Gladioli exiguis folijs similimis erumpebant. Neq; deinceps alios progressus faciebant, sed ut angusta, & exigua, ostenderant folia, ita nihil postea augeri uidi.

Palma Ægypto, Syriæ, Palestinę, & Hierichunti admodum familiaris est, in ijs enim locis dactylis pascuntur porci, sicut apud nos glandibus & fagi fructibus saginantur. Veteres quinquaginta fere palmę genera numerant, nullum tamen ex his apud nos reperitur. De Palma uide Pliniū lib. xiij. cap. iiij.

NOMEN-

Palma.

Dactelbaum.



NOMENCLATVRAE.

Hęc arbor Hebręis תמר Thamar, תומר Thomęr, & תמורה Thimorah dicitur, uide Canticorum vij. Ioel. j. Iudicum iiij. Ezechielis xli. Græcis uero φοῖνιξ, Latinis Palma, Germanis Dactelbaum nuncupatur. Fructus eius Latinis palmula. Serapioni cap. lxix. Rorab & Hayron, Germanis Dacteln appellatur. Immatura palmula Græce πῦμα, Matura uero φοινικοβάλανος, Galeno uero ἐγκέφαλος nominatur.

VIRES AC TEMPEramentum.

Palmula humida est primo, & calida secundo gradu teste Simeone Sethi. Nos eiusmodi fructus diuitibus relinquemus, qui ijs maxime rebus delectantur, quę magni uęneunt. Aduersa sane ualetudo meo iudicio pręcio non est redimenda, cum per se etiam nō optata mortales affligere soleat.

INTRINSECVS.

Dioscorides libro primo cap. cxxix. sicciores phęnicobalanos sanguinē excreantibus, stomachicis & dysentericis utiles esse testatur.

Frequens eorum usus minime tutus existit, siquidem continuo esitati uentrem

Galen. lib. 2. de alimentis.

uentrem inflant, concoctu difficiles sunt, capiti obsunt & stomacho, hepar & lien obstruunt, ac quemadmodum Simeon Sethi testatum reliquit, diuturnas ac frigidas febres adferunt.

Electuarium Diaphoeniconis appellatum semunciȩ pondere sumptum, pituitam & bilem ducit, teste Mesua. Atque hoc siquidem palmulis seu dactylis uti uoluerimus, præstantissimum & tutissimum est meo iudicio.

EXTRINSECVS.

Ruellius de nat. stirp. li. 1. ca. 108. Plinius lib. 16. cap. 42.

Palma, ut Aristoteles & Theophrastus tradiderunt, non cedit oneri quamlibet ingenti, nec intra flectitur pandaturúe, sed contra pondus resurgit. Quapropter ut inquit Plutarchus, in certaminibus signum est uictoria, quando huiusmodi ligni ingenium est, ut prementibus urgentibusq;
" non cedat, sed conta pondus renitens fornicetur, Hinc uictoria Græcis νίκη
" quasi μὴ εἴκειν, id est, non cedens dicitur. Ideo, ut inquit Pausanias, certamini
" bus coronarijs non aliud fere premium dabatur quam Palma, quod Iasios
" primus in equo sessor, & dextra manu termitem gerens Palmæ, Olympiæ
" uicisset. Quamuis Græcia quatuor tantum, Oleastro, Pinu, Lauro, & Apio
" coronare uictores maluerit: Olympiæ oleastro, Delphis Lauro, in Isthmo
" Pinu, Nemeæ Apio: reliqui omnes fere certatores corona è Palmis contex
" ta donabantur: sed dextris gestata, uictoriæ erat indicium. Hinc ut idem re
" fert ductũ, quod è Creta reuectus Theseus, cum in Delo cum Apolline cer
" tamen inijsset, palmam deportauit, inde tracta primum origine, ut in certa
" minibus uictores palma coronarentur &c. Hæc Ruellius.

Nuclei Palmarum, cæterorum more, cremati in crudo fictili, & uino restincti, cinere loto, spodij uicem efficiunt, miscenturq; in callibepharà, q̃d si non iustam ustionem acceperint, denuo cremandi. Hæc Dioscorides.

Ego crediderim nucleos palmarum in fictili crudo calcariȩ fornaci impositos commodius posse cremari.

De Passulis. Cap. XLIX.

VT PASSVLAE QVIBVS HODIE PRINCIPVM AC magnorum dominorum culinis nihil frequentius, gignantur, mihi non constat, nisi quod conijcere facile possum, calida illas opus habere terra. Galenus lib. ij. de aliment. facult. minimas nempe eas quȩ acinis carent, in Cilicia prouenire scribit. Hȩ partim fuluȩ, partim subnigrȩ apparent. Dulces palato gratiores sunt, reliquȩ ad uino-

sum

ſum accedunt ſaporem, utræq; in Germaniam magna copia deportantur, ſuntq; nonnullæ compactæ, ac in maſſam quandam compreſſæ, aliæ uero non item.

NOMENCLATVRAE.

Germani Klein Roſeinlin / Latini Paſſulas uocant, ad diſcrimen vuæ paſſæ maioris, quam Germani Meertreübel oder Roſein nominant. De vua paſſa ut ſuſpendatur, conſtringaturq; Palladius in Octobri cap. xxij. his uerbis deſcribit.

Vuam paſſam græcam ſic facies, Melioris acini & dulcis, & lucidi botryones in ipſa uite torquebis, & patieris ſponte inareſcere, deinde ſublatos in umbra ſuſpendis, & Vuam conſtrictam cum ponis in uaſculis, ſubſternis pampinos ſicco algore frigentes, et manu comprimis, et ubi uas impleueris, item pampinos addis nihilominus non calentes, & operculabis, ac ſtatues in loco frigido ſicco, quem nullus fumus infeſtet. Hæc ille.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Paſſulæ culinis dominorum ut diximus cognitæ ſunt, in quibus ad uarias & multas dapes adhibentur. Vuæ paſſæ cum alijs uuis eandem habent rationem (teſte Galeno) quam Caricæ cum Ficubus.

Quæ maximæ dulces ſunt eæ ſtomacho optime conueniunt, bonum alimentum adferunt, ciboq; & ſuauiores & utiliores ſunt Ficubus. Vide Galenum de alimentorum facultatibus.

De Vite uinifera. Cap. L.


QVANQVAM VITIS VINIFERAE NON OMNIA, TAmen permulta eius genera in uarijs Germaniæ noſtræ regionibus gignuntur, ita quidem ut ea omnia & ſingula perſequi perquam difficile ſit, & nullius fere utilitatis. Si quis tamen illa diſquirere deſiderat, rei ruſticæ ſcriptores Pliniumq; lib. xiiij. cap. ij. & Dioſcoridem lib. v. cap. v. legat, qui omnes diligentiſſime, vitium & vini genera deſcripſere. Nos quoque ne nihil feciſſe uideamur, paucis uulgatiſſima uitium genera nobis quidem cognita obiter recenſebimus.

In tractu ergo Rheni plerumq; eæ vites plantantur, maxime calidioribus locis, quas Muſcateller / & Traminner à loco Traminij dicto, uulgo

uocant,

Vitis uinifera.

Weinreb.



uocant, licet posterius genus Rhetiæ superiori & Alsatiæ familiare quoq; sit. Præterea & eas quoque habent hæ regiones, quas uocant Germani Groß vnd klein frenckisch/oder Edel vnd lautter trauben, hoc est vitem nobilem.

Ad Mo-

Ad Mosellam, Rhenum, & in agro Vormatiensi vites procreantur Risling appellatæ. 2.

Quæ uero vuas Hynschtrauben uocatas proferunt uites, eæ in omnibus prope regionibus uulgatissimæ habentur. 3.

Est & aliud vitis genus quod uuas facit, Grutsch vnnd Albich trauben nominatas, hoc in montanis Landoiæ oppidi Imperialis nascitur. 4.

Iam & in agro qui Neopoli, Germanice Newenstat uocant, oppido palatinatus celebri, adiacet, vitis genus habetur quod Genßfüssel incolæ dicunt. 5.

Aliud deinde vitis genus Harthinsch uocatum prope Turckeimium & Vuachenheimium prouenit. 6.

Prope Vueissenburgum denique (quis enim reliquarum prouinciarum, Austriæ inquam & Franconiæ &c. uitium innumera pene genera persequi queat?) vites plantantur, quę uuas Früschwartz oder kleber appellatas, necnon quæ Grünfranckisch dictas, & quæ Schwartz lamperßtrauben nominatas procreant. Atque hæc hactenus. 7.

Cæterum formam vitis depingere superuacaneum puto, cum nemo sit, qui illam perspectam ac cognitam non habeat. Theophrastus lib. ij. cap. iiij. vitem absque folijs fructum produxisse scribit. Qua ratione uero vites germinent, & plantentur manifestius est quam ut declarari a nobis debeat. Præterea nulla est prouincia quæ non peculiarem vites plantandi rationem sequatur, ita ut nihil certi tradere possimus. Quisquis uero hæc fusius cognoscere cupit, Columellæ quartum librum, & Palladij lib. iij. & quartũ & undecimum legat.

NOMENCLATVRAE.

Hoc loco non generum uitium appellationes explicabimus, sed partiũ vitis nomenclaturam exponemus.

Vitis ipsa Græce ἄμπελος, Germanice Rebstock / Hebraice גפן Gæphæn, dicitur. 1.

Palmes Latine, οἰνοφόρον Græce, die rebe am stock / so jerlichs frucht bringt Hebraice זמורה Semorah. 2.

Gemmæ, die augen. 3.

Pampinus, das blat am rebstock. 4.

Capreoli, seindt die gäbelin / oder hefftlin darmit sich die reben allenthalben was sie begreiffen anbinden. 5.

Racemus, der draub. 6.

βόστρυχον, Scopium, der kamm des draubens daran die beerlin wachsen. 7.

ῥαγυλὴ, Vua uel acinus, Beer. 8.

9. γιγαρτ..., Membrana, die haut vber den beeren. Hebræis זג Sag.
10. σάρξ, Caro, das dick inwendig in der hülsen/oder haut.
11. Υγρότης, Humiditas, die feüchtigkeit oder safft in beeren.
12. Γίγαρτα, Nucleus, der kern im beer. Hebræi tam uuæ quam aliorum fructuum nucleos גרעינים Gareinim uocant.
13. Mustum hornum, der new süßwein. Hebræi תירוש Thirosch.
14. Merum uinum, der verjaren wein. Hebraice יין Iaiin. Poëtis uarijs nominibus appellatur, Bacchus, Dithirambus, Dionysius, Liber.
15. Ipes, die würmlin an den reben.
16. Hircus, volucrum, der reben sticher.
17. Fæces, Floces, die heffen oder trüsen, Hebraice שמר Schæmer.
18. Vua passa, gedörte meer treübel.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

De uino eiusque facultatibus in præsentia nihil dicemus, tractationem eius rei in alium librum reijcientes.

Quæcunque uero in vite sunt, ea ad medicinam accommodari possunt.

Vuæ maturæ, humidum & calidum, immaturæ humidum & frigidum sortitæ temperamentum. Nuclei acinorum astringendi uim obtinent.

INTRINSECVS.

Vuæ probe maturæ corpus mediocriter alunt, instar Ficuum fere. Albæ uentrē uehemētius mouēt nigris, præsertim uero eæ quas Germani Hinsch trauben uocāt, quæ etiam à nonnullis, quod aluum adeo celeriter turbent, Scheißtrauben nuncupantur. Maximumque id ipsis inest commodum quod uelociter subsideant. Simeon Sethi generalem tradit regulam, docens omnis generis fructus, maxime eos qui tenui inuoluuntur cortice, ut sunt Vuæ, Cerasia, Pruna, Persica, ante reliquos cibos sumendos, ut cito exigantur, neque uentrē inflent. Germani, ut sunt in cibis incōditi & ualetudinis prosperæ minus studiosi, Poma semper post cibum apponunt, qui mos cum rationi & placitis probatissimorum medicorum aduersetur, mihi maxime improbatur.

Vuæ passæ cum Ficubus exiguis, pinguibus & succulentis, quæ ex Massilia deferuntur, easdem fere facultates obtinent, & à Galeno libro de alimentis secundo plurimum commendantur.

Vuæ immaturæ aluum astringunt, stomacho utiles sunt, & cholericos ardores æstusque restinguunt. Iisdem facultatibus pollent & nuclei acinorū.

Capreoli tusi, succoque expresso poti dysentericis auxiliantur. Eadem succus foliorum expressus efficit, neque non aqua ex utrisque distillata.

Succus

Succus & aqua stillatitia, cuius nunc meminimus stomachicis, cruenta excreantibus, & malaciæ grauidarum apprime conueniunt.

Liquor qui quotannis è vitibus putatis effluit, potu calculos comminuere dicitur.

EXTRINSECVS.

Folia vitium, & triti capreoli, capitis dolores illitu mitigant, ardorem & inflammationem stomachi, capitis & oculorum sedant.

Lachryma vitium, quæ ueluti gummi in caudicibus concrescit, oculis caliginosis instillata, nubeculas eas obducere incipientes remouet, caliginem discutit, & claritatem adiuuat.

Eadem illita lichenas & psoras, leprasque nitro prius perfrictas sanat.

Cinere vitium & fæcum uini, exustarum quidam uictum suum quæritant. Nam cum fæces distillatæ fuerint, quod reliquum est siccatur, & post in cinerem redigitur, quo ad colores, & ad saponem conficiendum utuntur. Vterque cinis Chirurgicis quoque magno usui esse potest, nam detractis in sede condylomatis, & thymijs medetur, ad quam rem perficiendam ex eo cinere unguentum parari potest.

Quid possit vitis, neque non vinum, & alia quæ fundit vitis, sermone explicare nemo potest. Nos quoque uela contrahemus, nam reliqua ex ijs quæ diximus facile colligent prudentes.

De Labrusca. Cap. LI.

NE QVIS HANC VITEM SYLVESTREM CVM EA, quam lib. ij. cap. xciiij. descripsimus confunderet, cum eandem appellationem habere uideantur, uolui hoc loco vitis syluestris quam Labruscam Latini cognominant, priuatim differentiæ gratia inter hanc & illam constituendæ, mentionem facere. Neque erimus prolixi in re adeo manifesta. Est enim syluestris vitis seu Labrusca, viti uiniferæ, satiuæ per omnia quod ad caudicem, palmites, folia, flosculos, & fructus attinet fere consimilis, nisi quod fructus eius nunquam maturatur, semperque durus manet. Proinde raro uuas profert hæc vitis, easque perpaucas, multoque satiuæ vitis fructu minores. Nonnullæ ex hoc genere Iunio mense ut satiua vitis florem ostendunt, sed fructum raro ædunt. Vitis syluestris seu Labrusca inter Spiram & Argentinam frequenter occurrit, altissimas plerunque scandens arbores.

NOMENCLATVRAE.

Ab hac vite syluestri ea est diuersa, quam Dioscorides lib. iiij. cap. clxxv.

& nos supra lib. ij. cap. xciiij. descripsimus, quod admonitionis gratia ingeminare non piget. Nostra quam nunc describimus syluestris vitis, Græcis ἄμπελος ἀγρία, Latine uero Labrusca dicitur, cuius & Vergilius in Æglo‑ga v. his numeris meminit,

Dioscor. lib. 5. cap. 2.

aspice ut antrum
Syluestris raris sparsit Labrusca racemis.

Dioscо. lib. 5. cap. 4. & 5. Gemanice Wildwein reben. Fructus eius Græce οἰνάνθη, Hebræis בסר Bosær & באשים Beuschim, Germanis Hertling trauben dicitur, ex his uero expressus succus, Omphacion ὀμφάκιον, uulgo Agres uel Agrest nũcupatur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vuæ vitis syluestris quemadmodum pampini vitis viniferæ uentrem astringendi & omnis generis scabies sanandi uim habent; sed efficaciorem folijs & capreolis uiniferæ vitis. Omphacion ex tertio resiccantium est ordine, stomacho lubrico utile. Qui Rhenum accolunt acetum ex fructu Labruscæ faciunt.

De Olea. Cap. LII.

OLEA SYLVESTRIS ET SATIVA IDEM FERE LIgnum habent, eademq; folia. Quanquam uero satiuæ Oleæ multa numerantur genera, quemadmodum paulo post dicemus, tamen uix ea discerni queunt, nisi fructibus. Folia Oleæ utriq; pallida, cineracea, angusta, solida, Salicis prope consimilia, sed magis exigua, & solidiora, ac angustiora. Flos Oleę in Germania nostra circa diem D. Ioanni Baptistæ sacrũ, ex pallido luteus apparet, qui in oliuas abit amaras, forma sua fructum Corni referẽtes. Olea exquisitum cultum minime requirit; loca amat sabulosa, nec nimium macra. Vineis maxime gaudet, vites diligens. Altero plerunque anno alternis fructum fert, mediamq; cœli temperiem expetit. Olea quercum detestatur, estq; ijs duabus arboribus perpetua antipathia. Vergilius tria oliuæ seu oleæ genera secundo Georgicorum statuit, his numeris.

Nec pingues unam in faciem nascuntur oliuæ,
Orchites, & radij & amara Pausia bacca.

Columella lib. 5. cap. 7. Palladius in Februario, cap. 18.

Columella decem genera commemorat his uerbis. „Olearum sicut vitium, plura genera esse arbitror, sed in meam notitiam decem modo peruenerunt, Pausia, Algiana, Liciniana, Sergia, Neuia, Culminia, Orchis, Regia, Circites, Murtea. Ex quibus bacca iucundissima est pausiæ, speciosissima regiæ.

Olea.

Oelbaum.



ma regię. Oleum optimum "
Licinia dat, plurimum Ser- "
gia, omnisq; Olea & maior "
fere ad escam, minor oleo "
est aptior. Optime uapores "
sustinet Pausia, frigus Ser- "
gia. Hæc ille.

Sergia in calidioribus Germaniæ locis, cuiusmodi est tractus Rheni, plantari, et ad frugem peruenire posset, si à caprarum iniuria asseratur. Oleam enim (ut Plinius dicit) si lambendo capra contigerit, depaueritq; primo germinatu, sterilescere, autor est M. Varro. *Pli. lib. 15. cap. 8 & lib. 17. cap. 24.*

De mirabili illa Olea cuius Aristoteles in libro de mirabilib⁹ auscultationib⁹ meminit, mihi nihil cõstat.

Olea syluestris, satiuæ pręfertur, propterea quod pacis symbolum, & uictoriæ, uirtutisq; præmium, à ueteribus semper existimata fuerit. Olim .n. Olympico certamine uincẽtibus corona ex syluestri olea dabatur, in rei perpetuam memoriã, quod Vergilius li. v. Æneidos hoc uersiculo innuit.

Accipient. Flauaq; caput nectetur oliua.

Columba etiam (ut primo Mosi libro cap. viij. scribitur) postquam aquæ subsidissent, ramum oliuæ, tanquam certissimum pacis symbolum in ore ad Noam detulit.

NOMENCLATVRAE.

Olea, seu Oliua satiua, Græcis ἐλαία, Hebræis זית Saith, Germanis Ölbaum/ Syluestris uero ἀγριελαία, Agrestis olea, Oleaster, Cotinus, Germanice Wilder ölbaum appellatur. Serapio cap. v. Zaiton nominauit. Oliuæ conditæ κολυμβάδες Græce dicuntur. Dioscorides lib. j. cap. cxxiiij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Oliuæ maturæ mediocriter calidæ, immaturę frigidæ sunt naturæ, cibis magis quam medicina expetitæ. Olei uero quod uocant oliuæ, sicut & uini facultates, nemo puto quamtumuis disertus explicabit. Plinius lib. xiiij. cap. xxij. paucis duos hos liquores commendat, cum dicit. Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi, intus uini, foris olei, arborum è genere ambo præcipui, sed olei necessarius. Hæc ille.

Hinc apud ueteres Romanos lex lata fuit, qua cautum erat, ne quis oleā stringeret, propterea quod illa Mineruæ sacra sit. Plinius lib. xij. cap. j. Et adhuc hodie ad ordinandos suos sacerdotes Episcopi oleo oliuę utuntur.

INTRINSECVS.

Nemo omnes Olei facultates describere potest. Quisquis tamen earum rerum cognoscendarum studio tenetur, legat Galenum lib. ij. de simpl. facultatibus cap. v. vi. vij. & viij. Item lib. vi. de Olea.

Nostri quoque Germani iampridem assueuerunt in cibis oleo, & oliuis uti, sed quanto cum ualetudinis commodo quisq; iudicare potest. Me sane consultore Gallis & Italis relinquemus cibos, nostrisq; Germanicis contenti uiuemus, quod si fecerimus non dubium est, quin plerique quod ad ualetudinem bonam attinet, melius habituri sint.

Oliuæ ante cibum deuoratæ uentrē mouent, & os uentriculi roborant.

EXTRINSECVS.

Humiditas quæ currit ex ligno uiridi (ut Serapionis uerbis utar) quando ipsum accenditur in igne, facto linimento cum ea, confert furfuribus capitis, & impetigini & scabiei, Serapio cap. v.

Colymbades tritæ & ambustis illitę, pustulas gigni prohibent, asserente Dioscoride.

Muriæ succus collutas gingiuas contrahit, & motus dentium firmat.

De

De Lauro. Cap. LIII.

Lorbeerbaum.



TIBERIVM PRINCIpem tonante cœlo coronari Lauro solitum, contra fulminum metus nonnulli prodiderunt. Ex ijs enim quæ terra gignuntur, Lauri fruticem, fulmen non icere ueterum superstitio credidit, q̃d idem de aquila & uitulo marino affirmant, qua de causa pauidi olim tabernacula è pellibus belluarum, quas Vitulos marinos uocant, Plinio teste conficere soliti sunt. Nostri sacrificuli commodiori compendio usi, cõtra fulminum metus, in die palmarum (ut uocant) Buxi, Sabinæ, Aquifoliæ, & id genus fruticum germina benedicere & consecrare solẽt, quibus accensis, fulmen ea loca minime percussurũ superstiosulis suis auditoribus pollicentur. Quod si hi scripturæ testimonio freti ista pronunciarent, fide dignos utiq; censerem. Sed quia imposturæ potius q̃ ueritatis studio hæc conficta esse memini obscurum est, relictis illis ad Laurum nostram reuertamur. Ea temporibus Augusti Cæsaris Romæ in magno pretio fuit. Non enim tantum Lauro triumphantes coro

Plinius lib. 15. cap. 30.

Plinius lib. 2. cap. 55.

nabantur Romæ,sed etiam folia eius principibus a' populo & caricę prima die Ianuarÿ mensis donabantur. Quippe cum nec sacer morbus,nec malus genius negotium exhiberet,ubi Laurus adfuisset. Quemadmodum nemo icitur fulmine,ubi & Ficus & Laurus assideant. Præterea testantur ueterum scripta,Lauro poëtas olim & pontifices,quos Vates nominabant,coronatos in honorem Appollinis,quod illi uim diuinationis, præteritorum pręsentium, & futurorum inesse crederent. Olea ergo Mineruæ,Laurus Appollini sacra fuit,ob eam nimirum causam quam dicemus. Appollo quippe ignis ipse est,utpote sol. Laurus uero non solum ab igni cœlesti tuta est, sed etiam quosuis ignes manifesto abdicat crepitu. Hæc igitur ratio forte est,cur Appolini Laurus consecrata fuerit, aut certe ob eam causam,quod ex ea ignis attritu Hederę excutiatur. Sic enim scribit Ruellius libro primo cap.xcÿ. Si Lauro teratur hedera,laurumq; terat eadem,ignis excutietur, itaque teritur lignum ligno, flammamq; concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis,fungi uel foliorum facilime conceptum,exploratores hos usus in castris,& pastores reperiunt. Hęc ille. Siue uero quę narrata sunt hactenus ita se habeant,sin minus,sane plerią; hodie pastores coacto isto igne(sic enim a' Germanica uoce Notfewr / dicere possumus) ad multas utuntur superstitiones, quę seductę & miserę plebi longe magis arrident, quam verbum domini & ueritas ipsa. Atq; his præfationis loco dictis historiam Lauri aggrediamur.

Laurus non in omnibus Germaniæ locis nota est, quanquam non dubito quin progressu temporis pluribus innotescere possit. Siquidem baccis recētibus verno tempore in humo pingui,digiti altitudine depositis,Maio mense erumpit Laurus, quæ si diligenter colatur, ac Autumno in figulina transplantetur, in arbusculam euadit mediocrem, foliÿs saturatæ uiriditatis,solidis, Malo medicæ aut Lauri Alexandri similibus, sed magis nigricantibus,boni odoris,hyeme quoque uirentibus uestitam,quod & Ouidius ÿs uersibus testatur.

Vtq; meum intonsis caput est iuuenile capillis
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.

Laurus ubi eam ætatem attigerit, quæ ferendis fructibus idonea est, quotannis multos & coniunctim emicantes flosculos,per omnia floribus Hederæ respondentes producit,qui in baccas tandem abeunt amaras, cortice,non aliter atque glandes inclusas.

Laurus & surculis seritur, quos vere terra obruere cōuenit,qua ratione & Lauendula propagatur. Habet hæc arbos corticem lęuem ac tenerum, quo nomine diligentem curam requirit.

1. *Delphica.* Multa Lauri genera traduntur,Delphica æquali colore, uiridior, maximis

mis baccis atq; è uiridi rubentibus, dicta quod ea uictores Delphi coronari solebant, Hæc regia & Augusta dicitur. 2.

Cypria folio breui, nigro, per margines imbricato crispatur. Hanc syluestrem Laurum esse aiunt. Cypria. 3.

Mustax folio maximo flaccidoq; albicat. Mustax.

Vulgatissimam Laurum Taxam uocant, & Baccaliam, quod sit baccarũ fertilissima. 4. Baccalia.

Delphicam Lactantius grammaticus Tripodem quoque uocari tradit, quoniam ut ait, radices ternas habeat.

NOMENCLATVRAE.

Lauri nomina aliqua nunc in descriptione annotauimus. Superest ut generales quoq; explicemus appellationes. Laurus germanice Lorbeerbaum/ Græce δάφνη dicitur. Folium Laurea & Lorea Catoni nuncupatur. Baccæ δαφνίδες, & Daphnococci appellantur, Germanice Lorbeer/. Oleum Laurinum ἔλαιον δάφνινον, Germanice Loröl. Syluestris Laurus Ruellio teste libro primo de natura stirp. cap. xcij. Tinus dicitur, alias Laurus agria & nonnullis Aquifolia dicitur. Serapio cap. cccxxiiij. Laurum Gaur & Gar uocat. Lignum Lauri Aegarelchaar Auerrhoi dicitur. Diosco. lib. 1. cap. 91. Diosco. lib. 1. cap. 40. Tinus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Baccę Lauri, & folia eius calidam & siccam obtinent temperaturam. Magis tamen baccæ calfaciunt & exiccant folijs. Proinde usurpantur utraque in medicina.

INTRINSECVS.

Baccæ Lauri decorticatæ in eclegmate tritæ cum melle, uel passo prosunt tabi, orthopnœæ, & omnibus thoracis rheumatismis.

His quoque quos interdum tormina uentris exercent, nõ inutile est iam dictum eclegma.

Rases compsitionem insignem de baccis Lauri docuit, quę mirifice torminibus uentris medeatur. Vide Iacobum Manlium in electuario de baccis Lauri.

Baccæ Lauri tritæ contra scorpionum ictus bibuntur.

Cortex radicis calculos rumpit, partus necat, hepaticis prodest, tribus obolis in uino odorato potus. Sed sciant mulieres ab huiusmodi medicamento sibi abstinendum.

Baccæ Lauri decorticatæ, uinoq; maceratæ ac potæ puerperis à partu

purgandis conueniunt, non solum enim id uinum potum dolores & tormina uentris, qui à partu mulieres sæpe uexāt, sedare solet, sed & reliquias partus expellit.

Palumbes, graculi, merulæ, Lauri folio, annuum fastigium purgare dicuntur.

EXTRINSECVS.

Decoctum foliorum Lauri in muliebres insessus additum, uuluæ & uesicæ uitijs conuenit.

Folia uirentia trita illitaq; uesparum, apiumq; ictibus medentur.

Baccarum succus illitus uitiligines emaculat. Idem utilissime aurium dolori & grauitati instillatur cum uino uetere & rosaceo.

Veteres tradunt fruges à rubigine quod vitium Aprili & Maio mensibus frumentis plerunque molestum est, asseri, si surculum Lauri agro deposueris.

Iam & Laurinum oleum longe utilissimum est, Chirurgis, & his qui malas pustulas curant, magnopere expetitum. Siquidum neruorum resolutionem, omnemq; dolorem à frigiditate ortum sedare ac mitigare dicitur, quo nomine & ad coxendicum dolores ex frigida humiditate ortos usurpatur.

Hoc oleum neruorum perfrictionibus apprime conducit.

Palladius lib. ij. cap. xxij. olei Laurini confectionem breuibus ita tradit Item ex Lauri baccis oleum conficitur hoc modo. Lauri baccas quamplurimas, & maturitate turgentes in aqua bullire facies, & ubi diu ferbuerint, olei quod ex se dimiserint, supernatantis undam pennis leuiter cogentibus in uasa transfundes. Hæc ille.

De Aquifolia Ruellij. Cap. LIIII.

1. *Aculeigerarum stirpium primū genus.*

2. *Secundum spinosarum stirpium genus.*

3. *Aculeatarum stirpium tertiū genus.*

1. *Aquifolia arbor.*

A CVLEATARVM ARBORVM FRVTICVMQVE TRIA reperiuntur genera. Quædam namq; caudices ramosq; habent aculeigeros spinososq;, uidelicet, Rhamnus altera (de qua nos supra cap. xv.) Cynosbatos, Prunus syluestris, Grossularis, Oxyacantha, Malus syluestris, Pyrus syluestris, & ea quæ poma fert, uulgo Arantia dicta. Aliorum fruticum caudices, simul & folia spinis horrent, nempe Rubus Idæus, Rubus alter, Rosa agrestis. Sunt postremo arbores, fruticesq;, quorum folia duntaxat spinis aculeisq; armantur, utpote Ruscus, Iuniperus, & quam hoc capite tractamus Aquifolia. Hæc in quibusdam syluis, nimirum ea quam den Ydar uocant, prope arcem Veldentiam, è regione Mosellæ fluuij, ita arborescit, ut reliquas arbores magnitudine & proceritate æquet.

Aquifolia.

Wald disteln/Stechpalmen.



æquet. Quanquam in hoc genere uideas, quæ humili statu contentæ, frutices potius quam arbores apparent. Hoc genus Aquifoliæ in saltu Haganoiensi inter cæteras sentes & frutices luxuriat. Cortices exteriores ramorum Aquifoliæ uirides sunt, caudicum uero præsertim magnorum cineracei. Folia aculeata solida sunt, nec inepte Laureę frondi conferri possunt, perpetuo & ipsa uirentia. Baccæ quas Autumno appetente Aquifolia profert, minij colorem repræsentant, fructu Cynosbati haudquaquam maiora, sed singula singulis pediculis nitentia, gustu prędita iniucundo. *Aquifolia frutex*

NOMENCLATVRAE.

Quo in loco apud ueteres hæc arbor, frutexúe descriptus sit mihi sane non cōstat. Neq; docti quicquam de illa cognouisse uidentur, nisi quod excellentissimus uir Ioannes Ruellius lib. j. de nat. stirp. cap. cxl. Aquifoliam appellat. Neque uero Aquifoliam hic inteligas uelim, de qua Theophrastus lib. iij. ca. xv. scribit, syluestri Mespilo eam accensens. Neque etiam ad Ilicem (cuius Theophrastus eodem libro cap. xvi. meminit)

meminit)hanc nostram arborem referre possumus. Ego existimo illam syluestrem Lauri speciem esse, Latine Laurum spineam, seu aculeigeram appellandam. Sed nemini tamen nostra sententia præiudicatum uolumus, quin sequatur quisque quod sibi maxime uideatur. Nos nostra ita proponimus, ut meliora & certiora docentes facile simus admissuri, uti par est. Germani Waldtdistel/vnd Stechpalmen uocant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM

De usu huius arboris nihil compertum habeo. Aniculæ eius folia uino aut potu iniecta, aduersus laterum dolorem, morbumque pleuriticum pollere tradunt. Experiatur qui uolet.

Sagminibus etiam frondes Aquifolię adijciuntur. Vulgus diuturna superstitione seductum ac fascinatum, consecratas eas frondes supra fores, tam ædium quam stabulorum suspensas à fulminibus ea loca tuta seruari credit.

Ruellij uerba. Fit & apud quosdam uiscum ex Aquifolia hoc modo. Huius cortices detrahunt, & facto humi scrobe uliginosis maxime obruunt, frondibus arborum inuoluentes, & inibi putrescere patiuntur, quod fere duodenis diebus fieri solet: tum marcidos eruunt, & tantisper pila tundunt, dum in uiscum lentescant: demum in profluente, ut obhęrentes corticum reliquię sordesque fluitent, proluunt, & adiecto olei nucum momento fictilibus recondunt ad aucupia.

De Buxo. Cap. LV.


1. Buxus uulgaris. BVXVS PERPETVA ET MYRTACEA FRONDE VIrens, sagminibus stultę & superstiosę plebis, anicularumque quam medicinæ, in qua nihil de laudibus eius legimus, natus uidetur, pręsertim cum omnibus animantibus inuisus sit. Theoph. quoque lib. iij. ca. xv mel insuaue esse, quod è flore Buxi apes colligant, testatur. Buxus Februario mense subluteum seu herbaceum profert florem, forma sua Coriani semen Saccharo obductum referentem, qui in siliquas tandem abit conclusas, quę appetēte Autumno semen ostendunt atrum, uulgaris Dictamni simile, iniucundi saporis. Buxus frigidis locis gaudet, in Sabaudia frequens, maxime Strolstattij prope Lausannam.

Lignum Buxi durissimum, spissum, densumque & ponderosum, ideoque in aquis non fluitat, nec flamma nec carbonibus utile. Medulla constat exigua, ideoque ex eo tibiæ multiforatiles, pectines, coclearia, & pyxides, qua-

rum

Buxus.

Buxbaum.



rum materia medica conseruanda usus est, & si qua alia instrumenta & uasa lignea ad longos & diuturnos usus expetimus, conficiuntur.

Buxi tria nonnulli statuunt genera, mihi unum tantum, nempe uulgatissimum

tissimum quod in Germaniæ hortis passim uoluptatis gratia plantatur, cognitum est.

a. χαμαιπύξος.

Proinde in altissimis Vuasgoiæ syluis non procul a Cæsareo luthra, humo arenosa exigua stirpis species Erica haudquaquam maior reperitur. Hæc folia habet Buxo aut Myrtillis quamsimilima, humique magis procumbit, quam in altum sese attollat. An uero ea Chamæpyxos fuerit, affirmare non ausim.

NOMENCLATVRAE.

Hęc arbor Græcis πύξος, Hebræis תאשור Theaschur, Esaiæ xli. Latinis Buxus, Germanis Buxbaum appellatur. Semen eius Plinio teste libro xvi. capite xxx. nonnulli Carthegon, Viscum & Hiphear uocant. Proinde cum Buxus omnibus animantibus inuisus sit, abstinebo & ego ab illo, nec prolixius historiam eius tractabo. Vnum hoc addere libet, quod folia eius cum coliculis lixiuio decocta capillos rufant.

De Taxo. Cap. LVI.

TAXVM VENENATAM ARBOREM POST BVXVM describere placuit, non tantum quia perpetua coma uiret, sed etiam quod tam iumentis quam hominibus haud multum commodat. Prodiderunt namque ueteres, eos qui sub Taxo florente dormierint, præterea & iumenta si baccas rubras degustauerint, necari. Facile ergo in Germania nostra arbore tam noxia tanquam uenenata caremus.

NOMENCLATVRAE.

Taxus, quam Germani Eibenbaum uocant Dioscoridi li. iiij. ca. lxxviij. & lib. vi. cap. xij. σμίλαξ, Thymion & Milos dicitur. A latina porro appellatione Taxi, Taxica uenena nominantur, quæ nunc Toxica dicimus, cuius origo talis traditur. Vasa siquidem e Taxo facta bibentibus ex illa fuisse mortifera ueteres rei herbariæ scriptores testati sunt. De Taxi & Fraxini appellationibus, uide Manardum lib. vij. epist. iiij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

De Taxo Theophrastus lib. v. cap. viij. ita scribit, Taxus tenuis sectilis conglutinamenta capsis, scrinijs, subsellijs, atque in totum similibus præstat. Mihi in uniuersum Taxus minime probatur.


In medicina nullum usum inuenio præterquam ut suffitu mures enecet.

Si quis

Si quis deceptus de hac arbore quid uel edisset uel bibisset, is è uestigio uinum fortissimum & multum ebibat, consulente Nicandro in Alexipharmacis.

De Sabina. Cap. LVII.

Seuenbaum.



SACRIFICVLIS, ET uetulis meretricibus maximo emolumento est Sabina. Illi namq; in Festo palmarum Sabinam cum aijs non paucis stirpibus consecrare cõsueuerunt, pollicentes ijs ædibus neq; fulmina, neque Satanam nocere posse in quibus huiusmodi consecratæ reperiantur stirpes. Hac uero ratione prouentus istorum hominum crescunt, pauperumq; pecunia decrescit. At uetulæ illę sagæ & meretrices magna diligẽtia animaduertunt quæ frondes de Sabina herba, primæ ad crucem (sic enim fert superstitio illius Festi) uel à sacerdote, uel ab alijs conijciantur. Eas namque aiunt à gladijs & mucronibus quo minus feriant, gestantes asserere, & aduersus ueneficia & ludibria Satanę amuleta esse. Multa insuper per hos ramusculos diabolica exercent, nam de nouo consecrari, missa super illis (ut uocant) celebrata patiuntur. Præterea iuuenculis

mere-

meretricibus in puluerem redactam Sabinam, potandam exhibent ad excutiendos fœtus. In quæ sane flagitia carnificem animaduertere conuenit.

Cæterum est Sabina sua natura non inutilis, modo recte ea utaris. Gaudet illa humo cui è parietibus lateres tusi admixti fuerint. Seritur surculo auulso, terræque immisso, & facile radicatur, processu temporis in uiridem & elegantem arborem, quæ tamen sese magis in latitudinem diffundat, quam in altum erigatur, euadens. Folia Sabinæ perpetuo uirentia, copiosa, & plurimum dissecta, Tamarisco aliquantum sunt maiora, tactu aspera, aculeata, grauiter olentia, gustu acria & feruentia. Sabina cum in arborem grandiusculam excreuerit, quotannis teretes & nigras, Iuniperique similimas baccas producit.

2. *Selago.* Altera Sabina (duo enim eius genera Dioscorides proponit) mihi non est cognita. Verum crispam illam herbulam, Sabinæ quam similimam, quæ in altissimis prouenit syluis, sæpenumero reperi. Eam mulierculæ quædam Harschar nominant. Ac fieri potest ut ea sit Selago Ruellij lib. de nat. stirp. j. cap. lix.

NOMENCLATVRAE.

Diosco. lib. 1. cap. 89. Βράθυς Græcis, Herba Sabina seu Sauina Romanis, Seuenbaum Germanis appellatur, Alij Nerion, alij Barython, alij Cupressum Creticam nominant, quidam Sauimeram teste Ruellio. Serapio hanc arborem Abel uocat cap. ccxlv.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Sauina excalfacit & desiccat tertio gradu, respondetque temperatura Cupresso fere, uide Galenum de Simpl. lib. vi. & Manardum epist. xi. cap. v.

INTRINSECVS.

Sabina herba uino decocta & pota sanguinem per urinam elicit, morbum regium & partus mortuos expellit.

Est & Sauinæ herbæ in medicandis iumentis haud contemnendus usus, ea enim purgari consueuerunt iumenta. Sed prudenter medicamentis è Sabina petitis uti conuenit, propter strenuas eius in exiccando & calefaciendo facultates.

EXTRINSECVS.

Sabina herba in puluerem redacta, ac ex melle illita, fluentibus ulceribus medetur, nomas sistit, & collectiones mitigat.

Folia Sabinæ herbæ in puluerem redacta, ac cum pinguedine lacti supernatante

pernatante (Germani mildraum uocant) temperata scabiei capitis puerorum unice prosunt.

Quidam prædictæ lactis pinguedini Sabinæ folia concoquunt, capita puerorum scabiosa, eo postea unguento illinentes.

Sabinæ recentia folia tusa ac phagedenæ (Germanice den wurm uocant) imposita, eam enecare dicuntur.

Aqua è folijs Sabinæ distillata maculas faciei abstergit, & ut quidam asserunt, uertigini conducit.

Gallinacei generis pituitas fumo huius herbæ sanari produnt.

De Iunipero. Cap. LVIII.

ELIAS PROPHETA CVM ISABELIS CRVDELITATEM fugiens, in desertum deuenisset, sub Iunipero tantisper dormiuit (ut sacra refert scriptura) quoad secundo ab angelo excitaretur. Ac ex his facile intelligimus Iuniperum uastis desertis, altissimisque montibus, frigidaque limosa & lapidosa terra ut plurimum nasci, nam in eiusmodi locis apud nos quoque Germanos frequentissime occurrit, maxime uero apud Mediomatrices, Vuasgoia, & Creichgoia, in quibus partibus perpetua uirens coma luxuriat Iuniperus. Maio mense tenuissimus ac luteus puluis è Iuniperis in auras auolare conspicitur, quod semen illius esse animaduerti. Post hunc quem diximus puluerem baccæ prorumpunt exiguæ, uirides, quæ altero demum anno Autumno appetente, quod illi tempus maturitatis est, cœruleo tinguntur colore, gustu quadamtenus dulces, admixta amaritudine, odorem gratissimum spirantes. È nucleis lapidosis, qui in hisce baccis continentur, nouæ Iuniperi plantulæ fruticant. Folijs uestitur Iuniperus angustis, oblongis, aculeatis, acutis, & ad Rosmarini folia forma sua accedentibus, sed magis exiguis & acuminatis. Radices Iuniperi multifidæ, corticeque puniceo obductæ, per summa terræ sparguntur, quod & Theophrastus lib. iij. cap. vij. annotauit. Baccæ Iuniperi non unius sunt generis. In quibusdam enim grandes, in alijs exiguas, in his dulces, in illis prorsus amaras, alias denique plane rotundas, quasdam oblongas, & acuminatas uideas.

3. Regum 19.

1. Iuniperus uulgaris.

Quæcunque in Iunipero cernuntur, odorata sunt. Primum namque humor qui è Iunipero, si lædatur, dum in succo suo fuerit, effluit, deinde radi- 1.
ces & caudices aridi, tertio baccæ recentes & maturæ, postremo folia acu- 2.
leata gratissimum spirant odorem. Iuniperi arbor Maio mense cum plu- 3.
uiosa fuerit tempestas, luteam è corticæ sudat lachrymam, quæ magna in 4.

Iuniperus.
Weckholterbaum.

2. *Iuniperus maior.*



copia tanquam fungi exigui arbori adhæret, nec magnopere odorata est, sicut supra de altera gumma, quę uulnerata arbore profluit, audiuimus. Hæc lachryma pluuijs cessantibus euanescit.

Alterum Iuniperi genus apud nos haud nascitur. Peruenerunt autem ad manus meas baccæ rotundæ & rubræ, quæ dicebantur Iunipero maiore procreatæ.

NOMENCLATVRAE.

Iuniperū Germani Weckholdterbaum / baccas uero Weckholdter beer / vnd Krametbeer / à turdis (quos Germani Kramet vögel nominant) qui hyeme cibos suos in arboribus Iuniperorum quærunt & inueniunt. Iuniperus Græce ἀρκευθὶς, Hebręis רותם Rothæm dicitur. Reliqua cognomina uide apud Dioscoridem lib. primo cap. lxxxviij. Serapio cap. cclxx. Habhagar uocat.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Iuniperi baccæ calidæ sunt in tertio, & siccæ in primo ordine. Nemo uero utilitates eius quibus scatet satis explicare potest.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Baccæ Iuniperi maturæ ad multas affectiones prosunt, meoq; iudicio pipere salubriores. Nam in cib o esitatæ stomacho frigido utiles sunt, pituitamq; quæ in illo coijt digerunt, contra inflammationes, & tormina faciunt, uitia pectoris purgant, tussiq; medentur, urinam efficaciter ducunt, uenenumq; à corde repellunt.

Apud Germanos singulari remedio, ad grassantia pestilentiæ contagia depellenda usurpantur.

Eædem menses & coxendicum uiscosos humores expellunt. Et quid multa: ad quamplurima hæ baccæ utiles sunt, quapropter coqui illas ad culinas uocarunt, condientes his cibos. Dioscorides ramenta ligni deuorata interficere scribit, quod equidem miror. Nam lixiuium è uino & cinere Iuniperi usti factum ac potum urinam potenter trahit, ita equidem ut eo remedio multi hydropici liberati fuerint.

È baccis Iuniperi oleum pretiosissimum, & ad Balsamum fere accedens elicitur. Præterea & ex arido ligno oleum odoratissimum ac efficacissimũ, adq; multa utilissimum distillatur.

Multi multa de Gummi quod uernix dicitur scribunt. Sed oleum Iuniperi longo illud post se quod ad facultates attinet interuallo relinquit.

EXTRINSECVS.

Corticis cinis cum aqua illitus Dioscoridi lepras eximit.

Idem uiperarum morsibus prodesse dicitur.

Oleum ad hæc uel maxime conducit, nam omnis generis malas scabies sanat, necnon quasuis pedum manuumq; rimas.

Suffitu Iuniperi, serpentes & quæuis uenenata fugantur. Et ut semel finiamus, facultates Inniperi nemo facile explicabit omnes. Vnum est quod in Iunipero fugiendum & detestandum fuerit nimirum, umbra quæ noxia est, si Vergilio credimus, qui Ægloga x. ita scribit.

Surgamus, solet esse grauis cantantibus umbra
Iuniperi grauis umbra. nocent & frugibus umbræ.

De Vitice. Cap. LIX.

HANC STIRPEM PVDICIS AC CASTIS ILLIS COEnobitis, qui perpetuam castitatem uouerunt (sic enim hi loquuntur) donabimus, ut illam substernant, quo possint iuramẽto suo

satisfacere. Folia namq; huius arboris, quæ Salicis aut oliuæ similia sunt, neque non nigri & rotundi illi acini quos gerit, Piperi adsimiles, veneris stimulos inhibent, genituramq; exoluunt, quod Dioscorides testatur cum ait, Agnum, quasi dicas castum, uocant Græci, quoniam matronæ in thesmophorijs Atheniensium castitatem custodientes, folijs huius cubitus sibi sternunt. Hæc ille. Equidem crediderim steriles & infœcundos fratres Francisci, qui ex mundo prognati, genus humanum prole non augent, folijs huius arboris toros sibi sternere. Nam iactant illi se in nullis plumatis lectis decumbere, nisi forte id in peregrinationibus suis extra cœnobia contingat. Sed ut missa hęc faciamus, gaudet Vitex fluminum ripis, ac torrentium alueis. Acini eius uinosum habent gustum. Vitex hodie in plerisque locis Germaniæ ignotus est.

Diosco. lib. 1. cap. 120.

NOMENCLATVRAE.

Germani hanc arborem fruticemúe Keüschbaum/Schaffmüll/ semen uero eius Kloster / oder Münch pfeffer/hoc est, Piper monachorum uocant. Gręce ἄγνος, ἢ λύγος, Latine Vitex dicitur. Viticem ut Dioscorides refert, alij Agynon, alij Amictomiæon, alij Tridactylon, Magi Semnon, alij Hæmaideos. Ægyptij Sum, Romani Salicem marinam, alij Piper agreste, alij Lecristicum nominant. Serapio cap. ccxcix. Famamchest, & Arborem Abrahæ dicit, Semen uero Piperellam, & Piper eunuchorum uocat, quod Auerrhoi Pentasiler, & Granum sterilitatis appellatur.

Vulgo agnum castum uocant utraq; uoce idem significante.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Piper Monachorum, excalfactorias uires & astrictorias habet. Nonnunquam in medicina usurpatur.

INTRINSECVS.

Semen Viticis drachmæ pondere è uino potum menses ciet, flatus discutit, genituram exoluit.

Ad ictus & morsus uenenatorum hi acini ualent. Præterea & lactis copiam faciunt.

Semen Viticis potum aquæ quæ cutem subijt, lienosis & hepaticis prodest. Idem si nimium assumas caput tentat, & soporem affert.

EXTRINSECVS.

Foliorum succus expressus araneorum morsibus medetur.

Folia cum melle in uino decocta oris et gingiuarum ulcera collutione sanant.

Rimas sedis semen cum aqua illitum mitigat. Idem insessu muliebrium locorum inflammationibus prodest.

Virgam

Virgam Viticis qui manu teneat dum iter facit, negatur intertriginem sentire, teste Dioscoride.

Reliqua ex his quæ diximus colligi poterunt, quis enim scribendo omnia persequatur?

De Salice. Cap. LX.


Salix, Weidenbaum.



HACTENVS MVLTAS & uarias arbores in hortis nostris conseruimus, superest ut illas aduersus iniuriam ferarum aliarumque bestiarum, sepe muniamus, ad quam rem recte perficiem Salice primum, dein populo, aliisque id genus arboribus fruticibusque opus est. Quod uero Salicem, Populumque albam præ cæteris eligimus ea est ratio, quia binæ hæ stirpes auctu perfaciles sunt, & breui in altum assurgunt. Ac licet caudices senio confecti ancipitis sint uitæ, quotannis tamen nouas uirgas protrudunt, quæ plantatæ nullo negotio proueniunt. Sic enim decrescentibus hisce arboribus, nouæ subinde succrescunt soboles, ut intermori non possit maxime Salicum genus, cum resurgere ac reuiuiscere perpetuo soleat. Sed de his uide Aristotelē de iuuentute & senectute cap. iij.

Salicum multa sunt genera, quę omnia ubique terrarū

Seilweiden.



uliginosis & aquosis utplurimũ locis nascuntur. Quędam ex his uirgas proferũt rubras, tenues, lentas, & flexiles, quas omnium præstantissimas iudicamus. Aliæ Salices candido uestiuntur cortice, frangi faciles, ad ligamenta inutiles. Tertij generis Salices luteo obducuntur cortice, ad ripas plerunq; enatæ fluminum, ad ligamenta commodiores proximis. Postremum genus Salicum, id est, quod uerno tempore paniculas incanas ostendit, quodque nonnulli stulta superstitione ducti aduersus fulmina consecrare solent. Paniculæ uero quas diximus florem seu nucamentum squamatim compactile, luteum sicut omnia genera Salicum adipiscuntur. Flos omniũ Salicum boni est odoris. Cumq; Salices defloruerint, oblonga nucamẽta decidunt, inq; pappos incanos conuersa, in auras a uento dispelluntur, quod in flore Tamarisci quoque uideas. An uero ea lanugo semen Salicis sit ignoro, dempto quarto genere in quo auolans lanugo seminis uscem implet, quam ipse colligens cum seruissem, erumpere suiq; generis Salices procreare uidi.

NOMEN-

NOMENCLATVRAE.

Salicum commune nomen apud Germanos est Weiden / Felbinger / apud Græcos ἰτέα, Latinos Salix, Hebræos ערב Araf Psal. clxxiij. Arabes Bulef. Homero Salix ὠλεσίκαρπος, hoc est, Frugiperda dicitur. Iam ut ea Salicis genera quæ proposuimus Germanicis saltem distinguamus appellationibus, primum Bandtweiden / secundum Bruchweiden / Weißweiden / tertium Gälweiden / vnnd Bachweiden / quartum Seilweiden / oder Sellen uocant. Hæ Salices (de postremo loquor genere) ad sepes, uinctus, suppellectilem uillicam utiliores ac firmiores cognoscuntur.

Diosco. lib. 1. cap. 121.
Serap. cap. 136.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Salicibus, maxime uero cortici earum & folijs exiccandi, spissandi & astringendi inest facultas.

INTRI SECVS.

Trita folia cum exiguo pipere & uino pota, ileosis subueniunt, teste Dioscoride.

Salignum semen (hoc est, nucamenta dependentia) in potu sanguinem expuentibus prodest. Cortex eosdem præbet effectus, Dioscoride docente.

Ego crediderim tam nucamenta quam corticem uino decoquendum, & ad prædictas affectiones exhibendum.

EXTRINSECVS.

Quidam succum Salicum dum in flore fuerint, colligere solent, rubentibusq; & caligantibus oculis adhibent. Hic enim succus claritatem oculorum adiuuat, caliginemq; amouet.

Ex folijs & cortice succus cum rosaceo in calyce punici mali calfactus, aurium doloribus inditus auxiliatur, furfures purgat in corpore illitus, & & uitia cutis emendat.

Corticis cinis admisto aceto maceratus, illitu clauos & callos tollit.

Alios usus Salicis tum quotidianos tum uillicos, nihil attinet hic recensere, cum multi sint qui texendis è cortice corbibus & piscatorum nassis uictum suum quæritant, quæ omnia abunde cantilena illa Germanica de concertatione Buxi & Salicis conficta, docere potest.

Castor animal in aquis degens Salicibus gaudet, his enim habitationẽ sibi ædificat in ripis fluminum.

De Populo alba. Cap. LXI.

Bellen/Sarbaum.



a. Populus uulgaris.

P OPVLVS ALBA AVCTV PERQVAM FACILIS BREui tempore in altum sese attollit, maxime secus amnes, in pratis, & uli-

& uliginosis campis plantata. Aprili mense appetente, cum odorati & mucronati oculi prorumpũt aureum lentum & pingue, simulq́ odoratissimũ gummi compressi reddunt. Hi in folia tandem cordis figuram obtinentia abeunt, Hederæq́ similia, sed molliora. Populus alba prima quoque eruptione incanos suos iulos profert, qui, ut aliarum quoque eius generis arborum iuli, decidere solent. Hæc arbor ex albo incano cortice obducta est. Quod si illam propagare uelis, rami deputandi sunt, ac uerno tempore uliginosæ ac humectæ terræ mandandi. Ac omnino eadem illis quæ & Salicibus cultura conuenit, sic enim nullo negotio prouenit.

Vergilius Populus Alcidæ gratißima, uitis Iacho.

Alia uero Populi albæ species in partibus ad Rhenũ sitis reperitur, quæ ligno, cortice, formaq́ tota uulgari Populo quamsimilima apparet, nisi q̃d folia habet latiora, grandiora, & teneriora, ac qua terram spectant, niuea. Hæc in humectis & uliginosis tractibus, pratisq́ nasci gaudet.

2. Populi albæ alia species.

NOMENCLATVRAE.

Hæc arbor Germanis Bellen/Pappelbaum/ Sarbaum/ Græcis λευκὴ. Hebræis לבנה Lifnæh Genesis xxx. Serapioni ca. xxx. Haur. Italis Albara uocatur. Altera Populi albæ species in hoc capite à nobis secundo loco descripta, Germanis ut plurimum Sarbaum appellatur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Vtraq́ Populus alba medium obtinet temperamentum, humidæ & terreæ substantiæ, ad refrigerantem potius quam excalfacientem uim accedẽs, nisi q̃d oculi odoratissimo illo gummi prægnantes aliquantũ calefactoriæ facultatis habent, qui ad pretiosissimum ac decantatissimum unguentum populeon, seu myracopium adhibentur.

INTRINSECVS.

Potus albæ Populi cortex in puluerem (uti iudico subintelligendum) redactus, unciæ unius pondere, Ischiadicis, ac urinæ stillicidio prodest. Hæc Dioscorides. Reliqua prudens omitto.

EXTRINSECVS.

Tepens foliorum succus utiliter oculorum dolori instillatur. Pilulæ quę primo foliorum partu exiliunt illitæ cum melle oculorum hebetudini medentur.

Oculi Populi albæ gummi aureo ac odorato prægnantes, in magno apud Chirurgos sunt usu. Hos enim antequam in folia se explicent legunt, suilloq; adipe macerant, seruantq;, quoad herbæ passim erumpant. Tum ubi illæ enatæ fuerint, accipiunt Sedum maius & minus; Scrophulariam (qua de nos lib. j. cap. cxxij.) Hyoscyamũ, Papaueris folia, Lappam maiorem (de qua nos supra li. ij. cap. ci) Bryoniam, turiones Rubi tam eius quod Germani Brombeeren/quam quod Hymbeeren uocant (de quibus nos hoc iij. lib. cap. xi.) neque non Solani herbam. Has omnes plantas tundunt, succumq; expressum cum maceratis illis ac gummosis oculis (quanquam aliqui & uinum addant) discoquunt super carbones, cumq; probe decoctum fuerit hoc uiride unguentum, tum purissimum quod supernatat cogunt, usuiq; reponunt. Solet uero id unguentum ad multas calidas affectiones, & inflammationes usurpari, calorem namq; repellit & dolorem mitigat.

De Populo nigra. Cap. LXII.

LACHRYMAM NARRANT QVAE IN ERIDANVM amnem è Populis distillet durari ac coire in electrum, hoc est, succinum, quod Germani Augstein uocant. His repugnant Manardus Ferrariensis & alij, quibus ego facile subscripserim, Succinum enim lõge alia res esse uidetur, quam quæ ex arboribus exudare soleat. Quin potius in mari nasci existimari possit. Sed de rebus nobis ignotis, nõ est quod multa uerba faciamus. Quare relictis illis historiam Populi nigrę aggrediamur. Ea arbos uliginosis syluis, interq; Betulas potissimum prouenire gaudet cortice, iulis, folijs, uniuersaq; forma Populo albæ consimilis, nisi quod coloris est nigricantioris, & folia gerit Hederaceis prope similia, quod & Theophrastus lib. iij. cap. xiiij. de historia plantarum annotauit. Folia Populi nigræ semper tremunt, etiam nullo mota aëre. Lignum utriusq; Populi candidum est, ac cum aruerit leuissimũ. Populus uero alba cum annosa fuerit, ædificijs cõmodissima existit, eaq; mirifice ornat, propterea q̃d crispum habeat lignum, ac fluuiorum fluctus, cursumq; mentiatur. Ditiores ex eo ligno mensas, & spondas suas conficiunt. Ex ligno uero Populi nigræ quoniam leuissimum fit arefactum, calopodia parantur, in eoq; imagines sculpuntur, qua de causa à nonnullis Heilgen/oder götzen holtz/ hoc est, Sanctorũ, seu ut rectius appellemus imaginũ, siue Idolorum (non enim hij sunt sancti qui os habent & non loquuntur, pedes & nõ ambulant &c. sed Idola potius, & materies superstitionis impiæ) lignum appellatur. Populus nigra è semine suo, quod Salicis quarti generis simile cernitur, reuiuiscit.

NOMEN-

Populus nigra.

Aſpen.



NOMENCLATVRAE.

Græcis hæc arbor αἴγειρος Latinis Populus nigra, Tremula, Gallis Trambula, Germanis Aſpenbaum/Serapioni Haur romi dicitur. Idem autor gummi ſeu ſuccinum, quod è Populo effluat, Karabe, & Kakabre uocitat. Diximus autem iam ante nobis, ſicut pleriſque doctioribus ſuccinum nequaquam è Populo arbore demanare. De hac re maxime quod ad Arabum ſententias ſpectat, uide Manardum lib. primo epiſtola quinta. *Serap.cap.266.*

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Tradunt Populum nigram calidæ ac nonnihil ſiccæ qualitatis eſſe. Hodie nõ magni in medicina eſt uſus. Succinum Serapioni calefacit, & ſanguinem retinet, undecunque fluat.


EXTRINSECVS.

Populi nigræ folia cum aceto illita (ita tamen quemadmodum ſuſpicor, ut aceto prius decoquantur) magna utilitate podagricis doloribus illinuntur. Dioſco. Memoriæ prodiderunt corticem albæ Populi & nigræ particulatim cæſum, & ſulcis ſtercoratis mandatum, omni tempore anni edules fungos proferre. Hæc Dioſcorides. An uero ſic ſe habeant expertus non ſum, experiatur qui uolet, ego enim Fungis minime delector.

De

De Alno. Cap. LXIII.

Erlenbaum.



CVM AD VLIGINOSOS TRACTVS ET AMNIVM RIpas deuentum sit, age Alnum quoque proceram, & rectam illā

arborem

arborem contemplemur. Hæc ubi adoleuerit longe lateq; ramis suis sese diffundit, caudicem habet incana & muscosa barba (ut ita dicam) obductũ, non aliter atq; uetulæ Betulæ. Lignum Alni molle & fungosum quasi cernitur, rami quoque fracidi sunt, nec inflecti se patiuntur uti alia aquatica ligna & Salices. Hinc apud Germanos uulgo iactatum prouerbium passim auditur, Rot haar/Erlenbogen/thůst du gůt/man soll dich loben/hoc est, Rufi, id est, qui capillos habent rufos, & arcus ex Alni ligno confectus: si probe se gesserint, laudem sane merentur, q. d. fieri uix potest, ut ruffi fideles sint, sicut & uersiculus ille sonat. *Raro breues humiles uidi, rufosq; fideles:* & arcus Alneus non rumpatur. Sed ut pergamus, Lignum Alni cortice spoliatum, & ipsum ruffum apparet. Folia Alni rotunda sunt, neruosa, Coryli folijs aliquo modo similia, sed nigricantiora, læuiora & gummosa, non aliter ac si uisco seu pinguedine quadam oblita forent. Alnus præsertim adultior fusco vere emicat flore, eoq; Betulæ & Fagi pene consimili. Quanquam Alno iuli seu flores non decidunt, uti in Fago contingere uidemus, sed durantur, coguntur q;, ita quidem ut forma oliuas imitentur. Atque hic Alni est fructus, qui Autumno appetente maturatur, ac decidens sese ipse serit, unde nouæ postea nascuntur Alni. Alnus uliginosis ac humectis locis gaudet, potissimum uero frigidis & opacis uallibus, ad ripas torrentum & amnium quam lætissime prouenit.

Poëtæ multa de Alno fabulantur, fingentes tres sorores Phaëtontis, Phaëtusam scilicet, Phæben & Lampetiam, cum per quatuor menses fratrẽ in Eridanum præcipitatum, quod currum Solis male duxisset, defleuissent, in Alnos tandem conuersas. Vide Ouidium Methamorph. ij. fab. ij. Huius fabulæ Vergilius quoque Ægloga vi. meminit.

Tum Phaëthontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atq; solo proceras erigit Alnos.

NOMENCLATVRAE.

Quo nomine hęc arbor, quam Germani Erlenbaum/oder Ellernbaum dicunt, apud Dioscor. appelletur, mihi non constat. Latinis certe Alnus dicitur, Gręcis κλήθρα teste Theophrasto lib. de plant. hist. iij. capite xiiij. quo in loco idem author sterilem dicit Alnum. Aristoteles uero inter naturæ miracula retulit, Alnos in sola Creta non esse steriles. Existimo autem hunc fusca & rotunda illa capitula, in quæ florem Alni desinere iam diximus, intellexisse.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

In medicina Alni exiguus est usus. Proinde possunt folia recentia ad calidas affectiones usurpari.

EXTRINSECVS.

Folia Alni uiridia imposita, tumores discutiunt & inflammationes restinguunt.

Hæc tabellarij, alijq́, si quando in æstu defatigati fuerint, ut commode pedibus incedere non queant, calceis imponant, hac enim ratione dolor mitigabitur, & calor ac lassitudo extrahetur.

Folia Alni uiridia, roreq́ mane madentia conclauibus inspersa, ac post horæ spatium rursus amota, purgato conclaui, pulices fugat, nam hisce folijs hærentes exigi possunt.

E cortice Alni color ater conficitur. Infectores namq́ & pilearij cortices Alni & ferrum uetus, aqua per aliquot dies macerant, hinc color efficitur niger, atramenti similis.

Lignum Alni uasis culinarijs, sutorumq́ formis, neque non cotum quibus messores utuntur receptaculis conficiendis utile est.

Ruellius de nat. stirp. lib. 1. cap. 50. In palustribus locis infra fundamenta ædificiorum palationibus crebre fixa, permanet immortalis ad æternitatem, & sustinet immania pondera structuræ, & sine uitijs conseruat, quod aëre sit & igni plurimo temperata, non multum terreno, humore pauco. Itaque non potest extra terram paulum tempus edurare, sed in humore obruta permanet, ad diuturnitatem. Nam multa ædificia sub fundamentis, eius generis habent palos. Hæc ille. Obseruatum est ut quidam testantur, & ego ipse uidi, eiusmodi palos lapidescere, tantum abest, ut pereant humo obruti.

De Vlmo. Cap. LXIIII.

DVO IN GERMANIA NOSTRA MAXIME EA QVAE Rheno fluuio cõtermina est, Vlmi genera reperiuntur, quorum alterum latius sese diffundit, alterum procerius euadit, utrunque uero agro Vormatiensi perfamiliare, nam ijs in locis nullæ fere aliæ arbores plantantur quam Vlmus, Populus alba & Salices. Ex his Vlmis perq́ procera euadit, nullo fructu prægnans, in humectis utplurimum pratis, ad ripas fluminum, & in circuitu pagorum proueniens, ædificijs construendis expetita. Alterius uero generis Vlmus & ipsa in altum attollitur, sed plurimis ramis in latitudinem magis diffunditur. Gaudet agris ædito loco sitis. Florem suum hæc arbos profert, qui & fructus eius est, anteq́ folia producat. Hic Atriplicis maioris seu hortensis foliatum refert semen, nam singuli flosculi per se spectati oboli latitudinem obtinent, & a maturitate in auras auolant. Theophrastus lib. de historia plant. iij. cap. viij. Vlmum

1. Vlmus procera.

2. Vlmus lata.

Vlmus.
Rüstholtz.



nuas & folliculos quosdam ferre scribit. Id genus Vlmi mihi ignotum est. Folia utriusq; Vlmi iam à nobis descripti complicata quodammodo apparent, crispaq;, ac Orni folijs longiora, quæ cum Aprili aut Maio mense

pluuijs

Vergil. Geor. 4. Ille etiam seras in uersum distulit Vlmos.

pluuijs, subitoque calore solis insequente infestata fuerint, corrugantur protinus, ac tum ex illo humore in corrugatis folijs uermiculi exigui culicum formam gerentes nascuntur, qui progressu temporis euolant. Pari ratione & Chamæcissi tenella folia uitiantur. Quomodo uero Vlmus serenda sit, Columella lib. v. cap. v. docuit.

NOMENCLATVRAE.

Theoph. lib. 3. cap. 14. ὀρειπτελέα. Diosco. lib. 1. cap. 96. Theoph. lib. 2. cap. 9. Cnipes. Psenes.

Plinius lib. xvi. cap. xvij. quatuor Vlmi genera ponit, Montosam scilicet, seu ut Theophrasti habet interpres Montiulmum, Campestrem (Germanice Feldrüster hæc, fructum fert) Attineam, quę excelsissima est (Germanice der hoch lang Vlmerbaum) syluestrem (Germanice der wild Rüsterbaum) Vlmus Hebræis תדהר Thidehar, Esaiæ xli. Græcis πτελέα, Germanis Rüstholtz/Vlmerbaum/Yffenholtz/Ylman/vnnd Lindbast nuncupatur. Semen Vlmi Samara dicitur, teste Plinio. Vermiculi qui in folijs Vlmi nascuntur κνῖπας uocant, sicut eos qui in Ficis gignuntur ψῆνας nominant Græci.

VIRES AC TEMPERAMENTVM

Galenus de Vlmo lib. de simpl. facult. ita scribit. Vlmi folijs quandoque recens uulnus glutinauimus, confidentes astringentem pariter & abstergentem inesse illis facultatem. Hæc ille. Chirurgis ergo hæc folia inseruire poterunt.

INTRINSECVS.

Dioscorides crassiorem Vlmi corticem in uino aut aqua frigida unciatim potum, pituitam trahere scribit. Ego id minime expertus sum. Quanquam id testatur Columella lib. ix. cap. xiij. apes ubi se post hybernam famem samera, hoc est, flore Vlmi impleuerint profluuio alui interire, nisi succurratur, sicut & Tithymallis. Eamque esse causam, cur in regionibus Italiæ, quæ sunt eius generis arboribus consitæ, raro frequentes durent apes.

EXTRINSECVS.

Vlmi folia uiridia & corticis tilia uulnera glutinant, quod non solum Dioscorides affirmauit, sed & Galenus obseruans, experientia ita se habere didicit.

Folia recentia trita ex aceto ad lepras efficaciter illinuntur.

Fracta ossa celerius solidescunt, si decocto foliorum, corticis aut radicis foueantur.

Ligno Vlmi ad ædificia & fabrilia instrumenta utuntur.

De

De Amygdalo. Cap. LXV.

Mandelbaum.



R EDEAMVS NVNC AD CAMPESTRES ET FRVGI-
feras arbores, à quibus digressi, montosas et aquaticas nonnul-

las stirpes hactenus explicuimus. Ac ante omnia ad Amygdalum nos conferemus, cuius tria ad minus genera in tractu Rheni non paucis locis, utpote ann der Hart circa Diedeßheim/ & Newenstat/ & Wachenheim oppida, reperiuntur.
1. Sunt enim quæ Amygdala dulcia proferunt, eaq; alia du-
2. ro ligneoq; putamine, alia uero molliore, ut quæ facile dentibus comminui
3. possint, obducta. Tertium genus amara prorsus fert Amygdala, gustuq; nucleos Persicæ mali referentia. Omnia uero Amygdala puluinati calycis operimento proteguntur, quod non citius abijciunt, quam maturentur, id quod in Autumno fieri solet. Amygdalus omnis vere cum Persica arbore candido emicat flore, admixta modica purpura. A flore angusta subsequuntur, Salicisq; haud dissimilia folia. Quo pacto uero Amygdalus seri, transferri, inseri & ferax effici possit diligenter cap. xvi. lib. ij. Palladius docuit.

Amygdalus gummi quoddam ueluti Prunus exudat, quod in medicina suum quoque usum habet.

NOMENCLATVRAE.

Amygdalus Latinis, Mandelbaum Germanis, ἀμυγδαλῆ Græcis, שקד Schaked (Hieremiæ j.) Hebræis hæc arbos dicitur. Cato Amygdala, quæ Germani Mandeln interpretantur, Græcas nuces primus uocauit, quæ uerba quidam de amaris Amygdalis priuatim intelligunt, Vide Ruellium libro primo cap. li. Serapio Amygdala Iaum uocauit cap. lxxxij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Amygdalæ amaræ natura sua sunt calidiores dulcibus. Proinde tam medico quam coquo utræq; inseruiunt.

INTRINSECVS.

Amygdalæ in cibo usurpatæ, præsertim si pultes ex ijs conficiuntur adhibita aqua in qua candens chalybs extinctus fuerit, aluum lubricam astringunt.

Quæ qualitatem amaram (inquit Galenus lib. ij. de alimentis) habent præpollentem, eæ ad pus & succos crassos ac lentos ex thorace & pulmonibus expuendos plurimum conferunt.

Dioscorides docet Amygdalas in cibo contra sanguinis reiectiones assumi.

Amygdalæ in cibo usurpatæ, thoracis, pulmonumq; uitijs, hepatisq; & lienis

lienis obstructionibus, renumq; & uesicæ affectionibus cōferunt, earumq; partium meatus aperiunt. Iuscula ergo Amygdalina suspiriosis & tussientibus prosunt, neque non pulmonibus, hepati, lieni & renibus commodāt, id quod omnes uno ore pronunciant medici.

Ex Amylo & Amygdalis seplasiarij magnis dominis placentas Marcipan uulgo uocatas conficiunt, quas consultius erat ægris exhiberi, quam nocturnis compotationibus inseruire.

Amygdalæ in cibo assumptæ humido uentriculo, ileosis & calculosis utiles sunt.

Succus Amygdalæ amaræ expressus, coxendicum dolores lenit, teste Sereno.

Gummi quod ex Amygdalo arbore defluit, sanguinis excreationibus mederi Serapio tradit.

Sunt qui asserant ieiuno stomacho sex aut septem Amygdalas amaras deuoratas ebrietatem temulentiamq; arcere.

Scribunt etiā ueteres uulpes si cum quadā esca Amygdalas amaras deuorauerint emori, quod superioribus annis in fele quodam in Italia obseruatum, qui cum aliquot amaras Amygdalas degustasset, miserabiliter extinctus fuit, testis est Marcellus Vergilius.

EXTRINSECVS.

Amygdalæ capitis dolori auxiliantur illitæ fronti aut temporibus cum aceto uel rosaceo, omnis generis pustulas in facie subortas sanant.

Epynictidas sanant ex uino, item putrescentia ulcera & quæ serpunt, & morsus canum cum melle.

Gummi impetigines quæ summum corpus occuparunt illitum cum aceto tollit.

Amygdalinum oleum ad aurium, capitis, coxendicum, & renum dolores efficacissimum est.


Amygdalæ amaræ radicum tritarum decoctum, uitia cutis in facie corrigit.

Lixiuium è cinere ligni & putaminum ligneorum Amygdalæ confectum, corrosiuum est efficacissimum.

De Nuce iuglande. Cap. LXVI.

NVX IVGLANS MVLTOS ANNOS SVPERVIVIT AC mirum in modum grandescit. Cariem uetustatemq; non sentit:

Nux iuglans.
Welschnußbaum.



quare materies eius ampla, nigricans, undatimq; crispa, Mensis & utensilibus lautis dicatur, neque non instrumentis ad torcularia Autumni tempore necessarijs, alijsq; operibus. Iuglans tenera est arbor, in calidioribus regionibus

gionibus

gionibus locisq; apricis fœliciter proueniens. Nucibus suis eo more quo Amygdala seritur, & eisdem mensibus, nec inseri uult ut aliæ arbores, proinde eo quo diximus modo sata, quamprimum adolescit. Nucis iuglandis multa sunt genera, quædam enim magnæ, aliæ exiguæ spectantur, alia putamine sunt duro, alia fragili, quæ differentia in Amygdalis quoque consideratur, ut superiori proximo capite docuimus. Sed mirum est quod proditur à ueteribus, quercum & iuglandem tam pertinaci odio dissidere, ut iuxta iuglandem depacta moriatur, quum mutari in quercum senio nonnulli tradant.

Nux iuglans statim quam folia tenera ac rubicantia, suauiterq; odorata facere cepit, panicula quoque prælonga, callo squamatim compactili protracta ordine nucis pineę protuberat, quæ ubi nutans caducaq; prolabitur, nuces prorumpunt exiguæ calloso herbaceoq; cortice inuolutæ, sæpe senæ aut denæ, interim plures, quandoque pauciores uno petiolo contractæ. Folia, cum adoleuerint, lata apparent, & sena aut septena seq; mutuo respicientia, uno pediculo dependent, quorum odor capiti molestus est. Caudex cinereo cortice, eoq; per senium hiulco, & in rimas altas dehiscente uestitur. Omnis autem nux primum unam mittit radicem, et simplici stylo prorepit: cum ad scrobis solum radix peruenit, duritia humi coercita recuruatur, & ex summo duorum ramorum ambas radices emittit.

Nuces nudas & sine putaminibus ædent iuglandes, ut pollicetur Africanus, si fractis utrinque carinis, integer nucleus illæsa prorsus carne, lana, uel uitigineis folijs recentibus, aut Platani frondibus obuoluatur, quominus à formicis enucleatus erodatur fructus: dein terræ mandetur.

Si nodosa uel prædura nux gignatur, cortex in orbem uulnerandus, ut noxium exigat humorem. Vasoniæ, qui locus ad Rhenum situs est, iuglans reperta est, quę ante diem D. Ioanni sacrum neque folia, neque nuces ostenderet. Cum uero id tempus adesset, par reliquis Nucibus erat, quod ad fructum & folia attinebat, id quod singulari naturæ miraculo fieri credo.

Eiusmodi arbores Gengenbachi binæ hodie etiamnum extant.

NOMENCLATVRAE.

Nux iuglans ex Perside primum allata traditur, unde illi nomen, Nux Persica, regia, Grϛca, Euboica, grϛce κάρυον βασιλικὸν. Caryon uero Græcis à capitis grauedine uocatam ambigit nemo, & arborum ipsarum foliorumq; uires in cerebrum penetrant, hocq; in cibis earum nuclei minori momento faciunt.

Diosco. lib. 1. cap. 146.

Latinis Iuglans, Iouis glans, & Diuglans, Hebræis אגוז Aeggos (Canticorum vi.) Germanis Welschnußbaum/Nußbaum/Serapioni cap. clxij.

Leum, Gallis Noireus appellatur. Nuces tarentinæ eæ uocantur quæ tenera & mollia habent putamina, Duræ uero & nodosæ Germanis Grübelnuß dicuntur.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Nuces siccæ calidioris sunt qualitatis quam uirides, quæ uentrem manducatæ subducunt. Sicca ardentes in lingua excitat pustulas & exiguum præbet corpori alimentum, uti Galenus lib. ij. de alimentis testatur. In Sueuia nuces magni fiunt. Qui Rhenum accolunt, in quibus partibus agros sæpe totos nux iuglans obsidet, oleum ex ea factitatur.

INTRINSECVS.

Nuces iuglandes non cuique in cibo conueniunt. Stomachum enim grauant, difficilis sunt concoctionis, dolorem capitis inferunt teste Diocle, bilem in stomacho augent, tussimque & uomitiones pariunt. Plinius lib. xxiij. cap. viij. in hunc modum scribit.

In sanctuarijs Mithridatis maximi regis deuicti, Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario, ipsius manu scriptam compositionem antidoti, duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & Rutæ folijs uiginti simul tritis, addito salis grano, & qui hoc ieiunus sumat, nullum uenenum nociturum illo die. Hæc ille.

Plinius eodem in loco.

Contra rabiosi quoque canis morsum, nuclei à ieiuno homine commanducati, illitique, præsenti remedio esse dicuntur.

Quidam guliocam (sic enim callosum illum herbaceumque ac exteriorem nucis corticem uocari tradunt) arefaciunt, inque puluerem redactam, piperis loco in condiendis cibis usurpant. Quod si huic pulueri folia Saluiæ siccata ac tusa admisceas sane non contemnendi saporis condimentum habebis. Pari ratione prima ac tenera rubraque foliola siccata ac tusa usurpari possunt.

Nuces iuglandes exiguæ immaturæ circa Festum Diui Ioannis lectæ ac Saccharo aut melle conditæ ægris exhibentur à mulierculis, quarum confectionem ipsis relinquemus.

EXTRINSECVS.

Nuces iuglandes illinuntur mammarum inflammationi, abscessibus, luxarisque, cum mellis exiguo & Ruta, cum cepa autem sale & melle, canis hominisque & simiarum morsui proficiunt, liuoresque in corpore illitu tollunt.

Aqua ex immaturis nucibus circa diem D. Ioanni sacrum distillata inflammationi mammarum, abscessibus, & luxatis conducit.

Tormina, cum calyce suo perustæ, & umbilico admotæ sedant teste Dioscoride.

Putamen combustum tritumq; in oleo & uino, infantium capite perunсto, nutrit capillum, alopecias replet.

Nuclei usti ex uino triti & illiti carbunculis medentur.

Oleum quod è nucibus tusis exprimitur, ad eadem facit.

De Auellana nuce. Cap. LXVII.

CORYLVS QVAE ET AVELLANA NVX DICITVR, in Germania syluis plerunque uliginosis, ut in Vuasgoia, partibusq; Rheno finitimis, aliisq; locis luxuriat, ita ut Corylo montes uestiantur, & integra nemora scateant. Corylus alia magnas, alia exiguas, quædam oblongas, nonnulla rotundas largitur nuces. Satiua Corylus quæ rubras & oblongas fert nuces, dysentericis utiles (qua de causa Germanis Rhurnuß uocantur, alias Rothaselnuß / oder Römisch haselnuß dictæ) in hortis passim plantatur. Huius fructus Augusto mense, alterius Autumno maturatur. Omnia Coryli genera exiguos ac rubros flores, Croci staminibus perbreuibus similes, antequam folia fundant, ostendunt. Februario mēse, cum iuli quos nonnulli coryli florem sed perperam statuunt, colorem luteum acquirunt. Floris Coryli Theophrastus lib. de historia stirpium iij. cap. vi. meminit, licet Leonhartus Fuchsius & Ioannes Ruellius aliiq; nonnulli constanter negent Corylum florere, quod proculdubio non erant facturi si in naturæ libro hunc florem unquam uidissent. A flore corrugata, rotunda, & suauiter odorata folia erumpunt, Alni frondi similia, sed asperiora & per ambitum modice serrata. Caudex Coryli quotannis multis stolonibus, seu uirgis fruticat, quę si non lædantur, intra paucos annos ita crassescunt, ut ex his circulos doliares elegantissimos conficere queas. Caudex ubi annosus fuerit, cortice obducitur incano, & uiscum nonnunquam producit. Radix longe lateq; se diffundit, nodosaq; ac undatim crispa efficitur, ex qua uasa & suppellectilia uaria fabricantur, quæ ad longos annos durant, nec facile corrumpuntur.

1. Corylus syluestris.

2. Corylus satiua.

Coryli flos.

NOMENCLATVRAE.

Nuces auellanę, uel Auellinæ, alias Prænestinę, & Heracleoticæ Latinis dictæ, Græcis κάρυα ποντικὰ, & λεπτοκάρυα, Germanis Haselnuß / Hebræis

Dioscor. lib. 1. cap. 146.

Auellana nux.

Haselnuß.



לוזים Lusim, Gene. xxx. dicuntur. Arbos ipsa Corylus Latinis uocatur. Villus nucis auellanæ qui compactili callo dependet Theophrasto lib. iij. cap. viij ἴουλος dicitur. Germani Haselzapfen/oder das getreid uocãt. Cortex exterior nucis auellanæ Calyx dicitur, Germani die eüsserst schelet / oder leiffel uocant, Est autem calyx omne putamen, in quo aliquid includitur, & in nuce iuglande & auellana, & quercu &c. neque non folliculus qui florem & semen in plantis concludit.

Quod circa radicẽ agnascitur Germanis Maser dictum Theophrastus ἀμφαυξιν & ἀμφιφύαν uocat, Gaza circumauctionẽ, & circumagnationem interpretatus est.

VIRES AC TEMPE*ramentum.*

Nuces auellanæ stomacho tenuioribusq́; intestinis infestæ sunt, maxime si non satis maturæ fuerint, id quod non solum uersiculus Macri.

Ex minimis nucibus nulli datur esca salubris.

sed etiam experientia docet, Pueri namq́; cum Augusto mense nuces auellanas auide deuorant, facile in dysentericum morbum incidunt. Simeon Sethi calidas & siccas esse statuit.

INTRINSECVS.

Nuces auellanæ probe maturæ, tritæ, & in aqua mulsa potæ tussi ueteri mederi, tostæ & cum exiguo piperis potæ destillationem concoquere traduntur. Oleum nucum auellanarum ad eadem efficacissimum.

EXTRINSECVS.

Crematarum cinis cum axungia aut adipe vrsi perunctus alopecijs capillum reddere dicitur.

Plutarchus scriptum reliquit, quoties Coryli nucula laquearibus appensa cohærebit, scorpius in domicilia non irrepet.

Non est omittendum (inquit Ruellius de nat. stirp. lib. j. cap. lv.) quod simplex rusticitas obseruauit, serpentem obtorpescere, quæ Coryli caudice uel surculo fuerit icta, & tandem emori.

Ego uero non dubitarim fustes, quas ex Coryli radicibus rustici desumptas hinc inde secum gestant, id nullo negotio efficere posse, quibus uel canem rabiosum interficere difficile non sit.

De Nuce Vesicaria. *Cap.* *LXVIII.*

NVX VESICARIA QVOCVNQVE IN LOCO PLANtata facile prouenit. Seritur autem nuculis, neque non surculis, seu stolonibus, qui quotannis è radice prosiliunt, sicut & uirgæ Cotoneæ mali & Coryli in singulos annos fruticare consueuerunt. Hij stolones seu uirgę tenellæ Autumno aut vere appropinquante, euulsę transplantari possunt. Folia nucis vesicariæ Fraxini similia sunt, aut Sambuci, sed uiridiora ac teneriora. Maio mense candidi, rotundi, & multiplices, ac sæpe quatuor aut quinque coniuncti emicant, qui in cauas tandem abeunt uesicas. Autumni uero tempore, per maturitatem binæ aut ternæ ut plurimum, fuscæ & dulces nuculæ in his uesicis reperiuntur.

NOMENCLATVRAE.

Germani has nuculas Pimpernüßlin uocant. Quidam illas sub Pistacijs Dioscoridis libro primo cap. cxlv. comprehensas uolunt, arboremque ipsam Staphylodendron, quo de Plinius lib. xvi. cap. xvi. uocant. Verum cum Plinius Staphylodẽdron siliquas ferre dicat, hæc uero uesicas ut diximus gerãt, nõ uideo quo iure ex Nuce vesicaria Staphylodẽdron hi faciãt,

Nux Vesicaria.

Pimpernuß.



nisi forte per siliquas, uesicas intelligere uelint, quod per nos quidem illis licebit. Nos tamen in præsentia Nuces uesicarias & folliculares nuncupabimus, quoad emergat aliquis qui certiorē nos doceat nomenclaturam.

Pistacia Germaniæ incognita sunt, & ut ueteres docent in Syria gignuntur. Officinæ hodie Fistica, & Fisticorum grana uocant. Serapio cap. lix. Pustech uoce nimirum à Pistaciæ nomenclatura deflexa nominauit.

VIRES AC TEMPERAMENTUM.

Arabes Pistacia calida et sicca esse statuunt, & ad obstructiones epatis facere, pulmonum & thoracis uitia purgare, sanguinemq́ subtiliare (ut uulgo dicere solent) Quæ omnia de Pistacijs intelligo, nihil enim de nostris Vesicarijs nuculis affirmare uolo.

INTRINSECVS.

Pistacia pituitosis, & his qui multo phlegmate abundant, conueniunt, pituitam namq́ incidunt, extenuantq́, quo nomine epati pulmonibusq́, & renibus apprime conducunt, teste Serapione.

Dioſcorides Piſtacia ſtomacho amica, tritaq́ contra ſerpentium ictus ſiue edantur, ſiue bibantur, prodeſſe pronunciat, quæ an de noſtris quoq́ Veſicarijs nuculis intelligenda ſint necne, aliorum eſto iudicium.

E` nuculis iſtis apud nos orbiculos precatorios conficiunt, qui preces numeratas Deo offerunt.

De Caſtanea. Cap. LXIX.

REDEAMVS NVNC AD NVCES GRANDIORES, AC de Caſtaneis nonnihil dicamus, quæ magno quæſtu ex Alſatia in Thuringiam & inferiorem Germaniam conuehi ſolent. Caſtanea ſiccaneo, excelſo & ſabuloſo gaudet ſolo. Luxuriat hæc circa Vueiſſenburgum imperiale oppidum, non procul a` pago Dörrenbach uulgo uocato, necq́ non in Alſatia ſuperiori, ita ut magna nemora illa ſcateant. Grandeſcit temporis progreſſu, quercuumq́ annoſarum craſſitudinem adipiſcitur: Folia gerit longa, ſerræ inſtar inciſa, anguſta & aliquantum rugata, ſeu plicata. Fructum præcedunt nucamenta propendentia, eaq́ longa & lutea, Nucis iuglandis iulis quamſimilima. Calyx echinatus quo fructus incluſus latet, Erinacei animalis pelli forma reſpondet, intus uero uilloſi ſerici inſtar tactu mollis eſt. Hoc inuolucro plerunque binæ aut ternæ includuntur nuces puniceo cortice obductæ. Autumno appetente echinati calyces rumpuntur, ac tum maturæ decidunt Caſtaneæ. Quidam tamen prælongis uirgis Caſtaneas, ſicut & nuces iuglandes arboribus decutiunt.

Caſtanea nuce ſeritur, ſed tardius prouenit, quare conſultius eſt ſurculis illam ſerere, eosq́ effoſos transferre. Virgas primum fert tenues & phœniceí coloris. quibus olim Iacob ſoceri ſui ſpem, quam de multiplici ac copioſo fœtu conceperat, ingenioſo dolo eluſit, Gen. xxx.

NOMENCLATVRAE.

Caſtanea Latinis κάςανα Grecis, ערמון Armon Hebreis, Keſtenbaum/ oder Caſtanienbaum Germanis hæc arbos dicitur. Fructus Nux caſtanea, διὸς βάλανος, ἢ σαρδιανὰ βάλανος, ἢ λόπιμον, Iouis glans, aut Sardiana glans, & κάςανα appellatur, a` Caſtano Magneſiæ oppido, unde primum aduecta dicitur, Germani Keſten vnd Caſtanien uocant. Serapio Sadianalach, & Stebulot uocauit cap. xcviij. Ruellius de natura ſtirpium lib. j. cap. lxi. multas Caſtanearum ſpecies proponit, quarum alias populares ſeu coctiuas, hæ ſunt uulgares, alias Tarentinas, alias Balanitides, quaſdam Corellianas, nonnullas Meteranas, & quaſdam Triangulas nominat. Dioſco. lib. 1. cap. 126.

VIRES

Castanea.

Kestenbaum.



VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Castaneæ natura sua nonnihil calidæ & siccæ sunt, aluiq́; quasuis fluxiones fere inhibent, ac inter omnes glandes Galeno teste, principatum tenent.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Caro Castaneæ his qui ephemerum biberunt, ut refert Dioscorides conueniens est.

Castaneæ in cibo usurpatæ difficilis sunt concoctionis, crassos humores generant, caput tentant, uentrem inflant & obstruunt. Quanquam tostæ innocentiores ac salubriores esse tradantur, author est Simeon Anthiocenus medicus. Quod ad me attinet Castaneas Sueuis & Thuringis lubens concesserim.

Aqua in qua cum suo cortice decoquuntur, cœliacis, dysentericis, sanguinemque excreantibus bibenda haud inutiliter propinatur, autor est Plinius Valerianus.

De Quercu. Cap. LXX.

QVEMADMODVM POMIFERAE ARBORES OMNES pene, uaria pomorum genera ferunt, ita Quercus, quę & ipsa nõ unius est generis, glandes magnitudine forma, & maturitatis tempore differentes producit. Alia enim magnas, alia exiguas, hæc oblongas, illa rotundas profert, quarum omnium aliæ circa diem D. Bartholomæo sacrum, aliæ Autumni tempore maturantur. Quercus quę solis beneficio in uniuersum priuata fuerit, quod ad lignum ipsum & fructum attinet, durior est, deterior & minus tractabilis, ita quidem ut lignum quercus à sole auersæ, difficile sit findere, quod nostri rustici Winterschlegig holtz/ quasi dicas lignum rigidum uitioque hyemis induratum, ac intractabile, instrumentisque renitens, interpretantur.

1. Folia.

Folia quercus cuiuscunque in initijs tenerrima sunt, quæ comitantur oblongæ & luteæ cachryes. Hæc uero circa diem Diuo Georgio sacrum Quercus ostendit. Porro folia quercina quæ primum quidem lutei sunt coloris, (licet nonnulla rubicunda appareant, maxime ea quę è nouellis quercubus erumpunt) subinde uiridiora ac solidiora euadunt. Post cachryas quas diximus, perexigui prorumpunt & rubri flosculi, qui in glandes tandem abeunt, quarum non raro tres aut quatuor unico eoque tenuissimo insident pediculo. An uero glandes eæ ad frugem sint peruenturæ, circa diem D. Iacobo sacrum obseruari solet, tum enim è calycibus prorepere consueuerunt.

2. Cachryes seu amenta.

3. Flos.

4. Fructus:

1. Glans:

Calyx glandis, das schüsselin darin die eichel sitzt.


Cæterum duplici cortice glans ipsa contegitur, quorum exterior, durior & densior est, alter puniceus & acerbus deprehenditur, hic membranæ tenuissimæ instar nucleum glandis acerbum circumuoluit.

Putamen duplex

Quædam

Quercus.

Eichbaum.



5. Quædam quercus vere rotundas & fungoſas, boletisq́ ſimiles ferunt pi
Culicide. lulas, acerba humiditate plenas, in quibus uermes creantur, quæ in culices tandem abeunt.

Autumno

Autumno uero appetente in foliorum ea parte quæ terram spectat, pilulæ rotundæ & fungosæ apparent, senæ aut denę nonnunquam unico adhærentes folio. In his similiter uermes procreantur, quæ si Autumnus calidior fuerit, & ipsi in muscas & culices mutantur. Quanquam autem duo hæc pilularum genera, Gallæ uideri possent, non tamen sunt, nam quæ uera sit Galla, altero ab hinc dicemus capite. 2. *Pilulæ asininæ.*

Præterea non raro contingit, ut querna folia Autumno appropinquante sinistro in latere rotundas & candidas ostendat squamulas, easque caducas. Cumque hi flosculi (sic enim à rusticis eæ squamulæ nominantur) apparent, spem omnes concipiunt, copiosi subsequente anno glandium prouentus. 3. *Squamati quercus flosculi.*

NOMENCLATVRAE.

Vulgaris Quercus Germanis Eichbaum/Græcis δρῦς, Hebræis (ut nonnulli sentire uidentur) אלה Ela, & אלון Elon dicitur. At dura illa quercus, quam Latini Robur nominant, apud Germanos Hageichen/vnd Eißholtz nominatur. Theoph. & alij rei herbariæ scriptores, multa quercus, seu ut Gaza trastulit Roboris genera commemorant, primo loco Quercum, quę maximas ferat glandes (nam reliqua genera exiguas procreant, & Cerrus quidem calyce echinato uti Castanea incluso fructu Galla uocato prægnat) secundo Esculum, tertio Robur, quarto Cerrum, quinto Ilicem, quæ spinis horret, sexto Suber collocantes. Glandes Hebræis, uti Elias Leuita in nomencltura sua testatur אלונים Allonim Græcis Balani, Serapioni Kullot cap. xcviij. dicuntur. Pilulæ illæ inutiles quas folijs & ramis quercus adnasci docuimus, Germanis Eichöpfeln dicuntur. Galeno Onicicidæ, hoc est, pilulæ asininæ appellatæ.

Quidam hæc uocabula de Terebintho interpretantur, alij generales arborum omnium apud Hebræos appellationes esse contendunt.
Theoph. lib. 3. cap. 9.
Ruellius lib. 1. de na. stir. ca. 83.
βάλανος.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quæcunque in quercu spectantur, omnia ea glutinandi ui pollent, præsertim liber qui cortici & ligno intercedit, quin etiam tunica putamini glandis subiecta. Hæc inquam omnia calefacientem & astrictoriam habent facultatem, glutinandis uulneribus, sanguinisque fluxionibus sistendis utilissima.

INTRINSECVS.

Decoctum libri qui cortici & ligno intercedit, & tunicæ putamini glandis subiectæ quasuis alui & uuluæ fluxiones inhibet efficaciter, neque non gonorrhœam, datur & sanguinem excreantibus.

Aqua è tenera ac recens prorumpente quercus fronde, aut immaturis

glandibus distillata ijsdem donata est facultatibus, pueris maxime in commemoratis affectionibus exhibenda.

Hij qui a uenenatis animantibus aut serpentibus morsi uel icti fuerint, quiue uenenum hauserunt, uel Cantharidas biberunt, ita ut sanguinem mingant, quod ipsi aliquando uidimus, glandes in puluerem redactas bibāt, ac sentient opem.

Quidam glandes aridas aduersus calculum exhibent, quod medicamentum diuitibus minime conuenit. Illi namq; sua pharmaca ex India & Arabia petere solent, dictitantes, glandes cibum esse porcorum, quod illis damus. Atqui testantur ueteres, olim panis loco glandes esitatas a mortalibus, quam rationem inire fames quæ non solum optimum est condimentum, sed etiam optimus coquus ut Germanicum habet prouerbium procul dubio illos docuit. Galenus quoque de glandibus lib. de alimentorum facult. ita scribit.

Der gůt koch Hunger genant.

Glandes æque nutriunt, ac frumentaceorum eduliorum pleraq;. Atque olim quidem (ut aiunt) homines ex ipsis duntaxat uiuebant: Arcades autem, cum reliqui Græci fructibus cerealibus uescerentur, eas diu in cibo retinuerunt.

EXTRINSECVS.

Galenus folijs quercus, quum nullum aliud medicamentum ad manum esset, uulnus securi inflictum glutinasse se testatur. Manifestum proinde est, ac plerisque compertum folia querna uulneribus esse utilissima, eaq; recentia conseruare, præterea lauamentis uulnerum commodissima.

Folia quercus tenera & rubicunda uino decocta, collutu ac gargarissatu dentium dolorem sedant, qui a frigidis fluxionibus ortus fuit, sed sæpe hoc decocto calido os colluendum erit.

Vsum corticum quercus coriarij alijq; opifices norunt.

Ligni uero usum & utilitatem nemo facile explicabit. Siquidem inter omnia alia lignum nullum perennius, nullum etiam ad plures res, hoc est, ædificia, utensilia & instrumenta, tam ea quæ in terra, quam quæ in aquis usui esse possunt, adhibetur, querno. Ex eo n. utensilia ut diximus, & dolia uinaria, ac ea etiā quibus pisces ad nos conuehuntur apud nos cōficiuntur.

De Galla. *Cap.* LXXI.

CVM ARBOS EA QVAE GALLAM FERT, PECVLIare Qnercus sit genus, uolui seorsim mentionem eius facere.

Proinde

Galla.

Gallöpffel.



Proinde in Germania nostra nusquam hæc breuis ac fruticosa quercus prouenit, nisi peculiariter plantetur.

Cæterum Ilicem quæ folia habet aculeata, & grana coccifera, quorum pretioso succo diuites lanæ inficiuntur cum peregrina sit, & nostræ Germaniæ incognita consulto hoc loco præterimus. Si quis tamen desiderio cognoscendi eius tenetur, is legat Theoph. cap. ix. lib. iij. de historia plantarũ, & cap. lxxxviij. lib. j. de na. stirpium Ruellij.

NOMENCLATVRAE.

Quanquam omnes quercus Gallam ferant, ut placet Theophrasto lib. de histo. plantarum lib. iij. cap. ix. tamen pilulę quę nostris quercubus adnascuntur nullius sunt momenti, quo nomine recte illas Galenus ὀνωνίδας, uocauit, hoc est, pilulas asininas (Germanice Eselsöpffel.) Nos hoc loco de ea loquimur, quam Latini Gallam, Germani Gallöpffel/ uocãt, cuius usus est in atramento, & atro colore conficiendo.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Gallæ facultates sub glandibus fere explicatæ sunt. Eius usus est cum uel

obstruere uel astringere necesse sit. Ex ea etiam color fit niger.

INTRINSECVS.

Aqua in qua Galla decocta fuerit, si illa cibi parentur, quæuis aluí profluuia, præsertim uero dysenteriam cohibet. Quidam aduersus eas affectiones Gallam in puluerem redactam, in uino rubro præbent.

Reliquas facultates cum libro qui cortici & ligno quercus intercedit communes obtinet Galla.

EXTRINSECVS.

Galla in puluerem redacta prodest fluxionibus gingiuarum & uuæ.

Galla cremata carbonibus dum excandescat, tum uino, aceto, uel acida muria restincta sanguinis proluuiem supprimit. Sistit menses uuluasq́ procidentes, earumq́ fluxiones, insidentium fotu. Macerata aceto uel aqua capillos denigrat, quod equidem mirum uideri non debet, cum ex Galla & uitriolo atramentum scriptorium conficiatur, quod & infectores & scribæ probe norunt.

De Fago. Cap. LXXII.

FAGVS ADMODVM CRASSO ET MAGNO CAVDICE assurgit, proceraq́ euadit, multis in amplitudinem diffusis ramis brachiata. Senio confecta cauatur, sicut & quercus nonnullæ, ita ut si aliud domicilium non suppetat commode in eiusmodi cauernis arboreis habitare queas. Memoriæ quoque proditum est Æsculapium in caua Fago Draconem nutrijsse. Fagus Germaniæ perfamiliaris est, ac in altissimis syluis humo pingui gignitur. Lignum habet solidum & spissum, & ad multa ac uaria usurpatur. Fagus glandes fert triangulas, exiguas & dulces, asperis ac echinatis calycibus inclusas. Circa diē D. Georgio sacrū quotannis & folia, & flores apparent, qui nihil aliud sunt quam rotundi iuli, lutei, ac ijs quos Betula profert magis exigui, caduci, ut & nucis iuglandis. Folia ab ortu ex luteo uiridia sunt, mox saturatæ uiriditatis, quorum auersæ partes si pluuia, solis æstu continuo adurente (quā Germani den Miltaw uocant, perniciosum sane pluuiæ genus, quippe quod omnia quæ attigerit corrumpat) infestatæ fuerint, è guttulis illius pluuiæ rubicantes ac concauæ pilulæ subnascuntur, in quibus uermiculi procreantur.

Germanice büchnüßlin.

Fagea glans Autumni tempore cum Castanea maturatur, quæ si porcorum & murium gulam effugerit, perq́ hyemem illæsa durauerit, vere appetente è terra erumpit, binis per exortum latis & pinguibus folijs, quæ subinde plura alia consequuntur, donec in arborem tandem adolescat. Fagus olim Troiæ magno in honore habita fuit.

NOMEN-

Fagus.

Bůchbaum.



NOMENCLATVRAE.

Fagus Latinis, φηγὸς Græcis, Faus Gallis, Bůchbaum Germanis appellatur. Alterum Fagi genus, quod Sciſſimam, Oxyam, et Myſon uocant, apud *Dioſco. lib. 1. cap. 126.*

nos minime prouenit. Vide Ruellium de natura stirpium lib. j. ca. lxxviij.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Fagea glans nonnihil calidæ obtinet qualitatis, porcis, muribus & turdis hyberno cibo gratissima. Rarus eius in medicina usus est.

EXTRINSECVS.

Folia recētia tusa et imposita calidis tumoribus prosunt eosq́; discutiunt. Multa uero utensilia ex ligno Fagi confici solent, ut sunt capsæ, scrinia, aliaq́; uasa & instrumenta. Fagus in aquis durat incorrupta, madefactaq́; firmior redditur, ædificijs aquaticis accommodatissima.

Aqua quæ in cauis Fagis & annosis quercubus quandoque reperitur, singulari remedio ad omnis generis scabiem, & impetigines lichenasq́; facit, quod ipse in pecoribus & hominibus expertus sum.

Vipera teste Ioanne Ruellio lib. de nat. stirpium ij. cap. lxxxv. faginei ramuli iactu uel oblatu cohibetur. Quod si ita est mirandam sane naturam Fagus obtinet.

De Orno. Cap. LXXIII.

Vergilius Aegl. 6. quibus ille solebat. Cantando rigidas deducere mõtibus Ornos.

INTER OMNIA LIGNORVM GENERA QVAE NOstræ syluę proferunt, nullum durius ligno Orni reperias. Hoc candidum est, & Buxi instar spissum solidissimúq́;, & quod non facile findi se patitur, unde ad rotas molares, cochleasq́;, neque non trochleas, & alia instrumenta quæ pondus magnum sustinent, expetitur uel maxime.

Folia Vlmi similia gerit Ornus, perq́; ambitum modice serrata. Semen Orni, quod florem tiliæ pene refert, nisi quod durius est, in medicina suum habet usum ut dicemus.

NOMENCLATVRAE.

Ruellius lib. 1. cap. 105.

Quam Germani Hanbůchen/ oder Hagenbůchen uocamus, ea Latinis ut nonnulli asserunt, Ornus dicitur. Huic sententiæ quidam reclamāt, dictitantes Ornum Fraxini esse speciem, quibus ut assentiar adduci non possum. Semen Orni officinæ Linguam auis uocant. Græci Orneoglossum (uide Ioannem Ruellium de nat. stirp. lib. j. ca. xxxvij.) Arabes, ut Serapio capite ccxvi. Lisen Haśafir, quod corrupte scriptum esse, omnes qui Hebræam & Chaldæam linguam, quibus Arabica cognata est, intelligunt, fateri coguntur. Sic ergo emendabitur לשן חצפיר Lischen Hazzaphir. Hebræi paucis mutatis uocalibus, manentibus omnibus cōsonantibus efferunt לשון הצפור Leschon Hazzippor, hoc est, lingua auis.

VIRES.

Ornus.
Hanbůchen.



VIRES AC TEMPERAMENTVM

Lingua auis calidæ est naturæ, urinam ciet, venerem defatigatam reparat, stimulatq;, nam genituram auget, ut Arabes testantur.

De Tilia. *Cap.* *LXXIIII.*

Lindenbaum.



2. Tilia satiua. SED AGE TILIAM NVNC CONTEMPLEMVR, CVius duo apud nos extant genera. Tilia satiua elegantissima est, quod

quod ad frondem flores & fructum attinet, & plurimum grandescit, folijs Populi albæ, aut ut Theoph. scribit, Hederæ, sed maioribus, tactuq; mollioribus & tenerioribus, cernitur. Hæc quotannis circa diem Gertrudi sacrum, hoc est, æquinoctij tempore erumpunt. Flosculi Tiliæ rotundi, ac ex luteo albicantes, qui forma sua Periclymeni florem imitantur, plerunq; circa diem D. Vrbano sacrum apparent. Ac solent ut plurimum terni odoratissimi flosculi uno tenuissimo petiolo dependere, qui in extremitate sua anteriore in tres diuellitur partes, cui etiam tenuissimum ac luteum adhæret foliolum ligulæ similimum. Flos ubi deciderit, fructus subsequitur rotundus, similis acinis Hederæ, quo rupto (rumpitur autem Augusto mense) semen teres, nigrum, dulce, Raphaniq; semini magnitudine par excidit.

Caudex Tiliæ satiuæ mirum in modum grandescit, multosq; superuiuit annos, cortice uestitur nigro & scabro, inter quem & lignum tunica uisitur, quæ tenuis est, obsequentissima, humoris lentore mollitiaq; flexilis, succosa, & dulcissima. Lignum uero molle est, unde illi proculdubio apud Germanos nomen inditum est, Lindenbaum/ quasi dicas Mollis arbor. Rami adnati præsertim tenuiores fracidi sunt, non flexiles, ita ut facile frangi possint. Solent uero nostrates ramos Tiliæ ordine quodam in amplitudinem distribuere, ac palis suffulcire, ut sub umbra eius æstatis tempore homines sese recreare queant.

Tilia syluestris, satiuæ per omnia respondet, nisi quod folia & flores gerit magis exiguos, præterea & frondem nigriorem. Florem ædit tardius satiua Tilia, qui nullo post se relicto fructu aut semine decedit. Hoc Tiliæ genus in tenebrosis ac latissimis Vuasgoiæ syluis prouenit. Theophrastus lib. iij. cap. x. in hunc fere modum suam quoque Tiliam delineauit. 2. *Tilia syluestris.*

NOMENCLATVRAE.

Quanquam magnis laboribus stirpium nomenclaturas ex authoribus rei herbariæ hinc inde colligere, ac in gratiam studiosorum herbarum in commentarios istos referre bono animo studuerim, tamen quæ nostri sæculi est corruptio non magnam apud plerosq; inij pro laboribus meis gratiam. Cum namq; quidam, non solum stirpes omnes, sed & nomenclaturas earum probe cognitas se habere, alios uero nihil scire sibi persuadeant, nullius diligentiam æqui boniq; consulere possunt, quin ceu omnia tenentes, nulloq; doctore opus habentes, quoscunque alios magno fastu præ se contemnunt. Atqui prudens lector facile deprehendet, quæ auis alienis pennis, quodue animal alieno uellere uestiatur. Sic enim natura fert quorundã animalium, ut alijs cibum subtrahant, ac suffurentur, interim uero ijsdem insidias struant. Quam iniuriam si quisquam alius, certe hortuli nostri non

Et pinguem Tiliam, & ferrugineos hyacinctos. *Tilia Hebræis (ut placet Eliæ in nomenclaturis)* אשרה *Ascherah dicitur.*

sine dolore magno experti fuere. Sed ut relictis his pergamus, quam Germani Lindenbaum uocant, eam cum Theodoro Gaza & Vergilio Tiliã nũcupare placet. Siue ergo φιλυρα, siue φιλυρρία Theaphrasto dicatur, nihil nos offendet, cum & ipse Ægyneta Philyrada non Philyram uocare uoluerit, quæ Dioscoridi Philyrrea dicitur. Nam quas Philyrreæ suæ uires Dioscorides, eas Philyradi Ægineta quoque assignat.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Columella lib. 9. cap. 4.

Tilia omni sua substantia, mollis est, pinguis, folia habet mollia, succũ lentum, glutinosam tunicam, nempe eam quæ cortici & ligno intercedit, dulcem. Quare ad ambusta maxime hæc usurpantur. Quanquam uero semen Tiliæ & ipsum dulce sit, tamen ab omnibus animalibus tutum est, q̃d & Theophrastus annotauit. Ego quod ad me attinet, crediderim florem Tiliæ apibus, licet ab illis maxime expetatur, minime conducere.

INTRINSECVS.

Quidam aquam distillatam, aduersus uentris tormina exhibent, & non sine ratione, nam intestinis à dysenteria erosis illa conuenit.

Alij aduersus morbum comitialem usurpant.

Tilia usta, aceto carbonibus restinctis, cum oculis cancrorum tritis sumpta, concretos sanguinis grumos exigit, his qui ex alto delapsi fuere, ita ut sanguinem excreent.

EXTRINSECVS.

Tunicæ seu libri medij qui cortici & ligno intercedit aqua macerati, lentus uiscosusq; humor ambustis singulari remedio prodest, quod experientia multos docuit.

E ligno Tiliæ Idolatræ imagines, quas pro dijs & sanctis uenerantur, conficere solent.


Rursus ex carbonibus Tiliæ, quo pulueri Bombardarum parando adhibetur, præsentissima mors multis creatur, ita ut Tilia & salubria medicamenta præbere, & necem afferre possit.

De Betula. *Cap.* LXXV.

BETVLA PRISCIS TEMPORIBVS MAGNO IN HOnore habita fuit, propterea quod ueteres antequam papyri usus esset inuentus, libro Betulę, hoc est, cortici candido opera sua inscribere

Betula.

Birckenbaum.



ſcribere ſoliti fuerint. Vidimus nos Curiæ oppido Rhetiæ ſuperioris non-nulla carmina in cortice Betulæ exarata. Verum cum iam papyri conficiendæ ratio inuenta fuiſſet Bibliothecis abdicati ſunt hij cortices, ſeu libri, ad

officinas eorum qui balistas conficiunt, & scholas relegati, in quibus uti olim magistratuum uirgis terribilis fuit Betula, ita & hodie uirgeis pædagogorum sceptris pueros terret.

Betula in tenera sua ætate fuscum ostendit corticem, qui cum illa adoleuerit subinde candidior apparet. Folia quæ primo exortu plicata ac crispa prorumpunt, uiridi pulchreq; herbaceo tinguntur colore, singula singulis ijsq; tenuibus dependentia pediculis, scuto exiguo forma similia, saturati uiroris. At iuli seu amenta rotunda, Fageis aut alneis respondent panisculis, nec decidunt ante Autumnum, sunt enim illa Betulæ loco seminis, ex quibus nouę progignuntur Betulæ, quæ frigida ac arenosa terra cuiusmodi in altis & umbrosis plerunque montibus inuenitur, præcipue gaudent in eaq; fœlicius adolescunt. Inter omnes uero arbores uix aliam quamcumq; reperias, quæ vere tam cito tantaq; copia humorem & succum suum à terra hauriat, atq; Betula. Nam in initijs veris, antequam folia prodiere, iam dulcem suum succum eumq; adeo largum recipit, ut si arbor uulneretur limpidissimus liquor copiosus effluat, quem siti pressi pastores in syluis sæpenumero potare solent, quemadmodum & nos nō semel eo liquore recreati fuimus, cum herbarum gratia uastas peragraremus syluas.

NOMENCLATVRAE.

σημύδα. Theoph. de hist. plant. lib. 3. cap. 14. πάπυρος.

Plerique ex doctioribus uno ore eam arborem, quam Germani Bircken baum uocant, Betulam Theophrasti esse asserunt. Ego uero nihil istorum sententiæ detrahens, quod ad me attinet Papyri illam speciem esse dicam. Vt uero sic sentiam & forma arboris uniuersa & facultates me admonent. neq; tamen hoc loco eam intelligo papyrum, cuius in historia plantarum lib. iij. ca. ix. Theohrastus meminit, qui longitudine super dena cubita non uenit. Apud nos equidem alijs quoque arboribus, ut quercubus &c. non una est facies, hæc enim procera & in magnam simul amplitudinem diffusa, illa breuiuscula, ac frutex potius quam arbor euadit, etiam centum annos nata. Quod in quercu fieri uidemus, quid obstaret quo minus idem in reliquis contingat?

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Quanquam Betula ad multos morbos utrinque faciat, tamen hodie ad seruilia opera potius quam medicinam adhibetur.

INTRINSECVS.

Succus Betulæ dulcis verno tempore collectus, aduersus calculum & morbum regium potu auxiliari dicitur.

Quidam

Quidam eum succum destillant, & aduersus uaria macularum genera usurpant.

EXTRINSECVS.

Succus Betulæ, præsertim si distillatus (ut uulgo dicunt) fuerit, exulcerationes oris papulasq́ sanat, & maculas exterit, collutu. Eadē efficit & aqua è uiridibus folijs distillata.

Cortex Betulæ in cineres redactus, si ex ijs lixiuium paretur, ad ea uitia efficacius faciet.

Ventriculi pecorum, quibus coagulum lactis nostri parant, succo Betulæ conditi seu macerati, caseos omnes qui eo coagulo coeunt, à uermibus asserunt, certo id attestante experimento.

Ligni Betulacei usus uarius est. Nascitur enim Betula uirgis, quibus puerorum ignauia & lasciuia emendetur coerceaturq́, deinde & scopis optimis apud nos præcipue nata uidetur.

Rustici etiam tempore messis uirgis teneris Betulæ mergetes colligare consueuerunt, sicut alia quoque, ad quæ hæ uirgæ commodissime adhibentur.

E papyro quoque Antigonus in re nauali funes fecisse proditur, ut scriptum reliquit Theophrastus.

Cortices Betulæ balistarijs, duri uero & crassiores caudices carpentarijs (ex his enim illi axes & absides conficiunt) relinquuntur.

De Pinu. Cap. LXXVI.


SED REVERTAMVR IN ALTISSIMAS SYLVAS, ET montium iuga scandamus, Pinum quoque contemplaturi. Pinus nobilissima illa arbos, quæ pineas nuces toto orbe in medicina decantantissimas, in nucamentis turbinata effigie cōpactilibus, profert, in altissimis superioris Germaniæ Alpibus prope Valesiam, ijs maxime quæ Italiā spectant, gignitur, caudice assurgens procero, recto, ramis folio capillamenti modo, prætenui longoq́, copioso, cineraceoq́ uestitis. *1. Pinus.*

At Pinaster in Germania uulgaris est notitiæ, & facile prouenit quocunque loco plantata. Vuasgoiæ admodum familiaris est, præsertim uero oppido Cæsareo Luthræ. Folia gerit multo quam Pinus crassiora, duriora et nocentioribus aculeis armata. Conos quoque acquirit, sed breuiores & duriores, exiguis prægnantes nuculis. Multam hæc arbor resinam destillat uulnerata. Qua uero ratione Pinus seri, excoli & plantari debeat, copiose docuit Palladius lib. xij. cap. vij. In quibusdam locis ut in Valesia, citra cul- *2. Pinaster.*

turam

Pinus.

Hartz/oder Kyfferbaum.



turam sponte sua Pinus procreatur.

Kimhi ait quosdam Oren Hebræorũ, per Alzinobar (quæ uox à Sonobar non multum abludit) Arabum interpretari. Sunt uero plures aliæ uoces tam Hebrææ quam Chaldaicæ quas pro Pinu reddunt, sed non uacat illas adscribere.

NOMENCLATVRAE.

Quam Germani Viechtannenbaum / oder Hartzbaum/oder Förenbaum uocãt, quę oblongas & dulces nuces Pineas profert, meo iudicio uera est Pinus, quæ Hebræis ארן Oren Esaiæ xliiij. Græcis πίτυς (Dioscorides libro primo cap. lxxvi.) Serapioni cap. lxiij. Sonobar & Arz (quæ uox ab ארז Eres, mutatis duntaxat punctis uocalibus distat, quam Cedrum ubique interpretãtur) appellatur. Sed quam Germani den Wilden Kinbaum/oder Kyfferbaum/& in superiori Germania Förenbaum / oder holtz nominant, mihi Pinaster est. Nucamenta quibus Pineæ nuces insunt Græcis Coni, Nuclei, Strobuli, officinis Pineæ, Hippocrati Coccali dicuntur. li. iiij. de Peripneum. uictus ratione.

κῶνος· στρόβιλοι κόκκαλοι.

VIRES AC TEMPEramentum.

Pineæ nuces in medicina usitatissimæ sunt; natura sua ut dicit Auerrhoes calidæ & siccæ phtisicis & languescentibus commodissimæ.

INTRIN-

INTRINSECVS.

Nuces Pineæ & cortex Pinus astringentis sunt facultatis, conducunt assi due tussientibus & phthisin metuentibus. Per se namq; aut ex melle sumptę excalfaciendi & corroborandi ui pollent teste Dioscoride.

Nuces Pineæ cum repurgatæ manduntur, aut cum passo aut cucumeris semine bibuntur, urinam cient, acrimonias in uesica & renibus hebetant, stomachi rosiones leniunt, datæ cum Portulacæ succo, uirium infirmitatem roborant, corruptorum quoque humorum labem obtundunt.

Cortex Pinus medius tritus ac potus, aluum sistit, urinam mouet.

Pinus folia (quod & de cortice intelligas) hepaticis utilia sunt, drachmæ pondere in aqua aut mulsa pota.

EXTRINSECVS.

Oleum Pinearum, si Auerrhoi credimus, curat paralysim, si illo membra inungantur.

Cortex aut folia in puluerem redacta intertrigini medentur. Cortex tritus & illitus ulceribus summum corpus occupantibus prodest inspersu.

Folia trita & illita inflammationes potenter leniunt.

Folia trita & decocta in aceto feruenti collutione, dentium dolores mulcent.

Teda carum particulatim secta si in aceto coquatur & decocto dens colluatur dolores leuat.

De Abiete, Larice, & Teda Cap. LXXVII.


DVO ABIETIS GENERA, NIGRVM NIMIRVM, SEV rubrum & candidum nostra agnoscit Germania. Vtriusque folia latiora sed & breuiora sunt, Pineis folijs, Rosmarini pene consimilia. Ramuli Abietis crucis formam omnes obtinent. Vtraq; Abies resinam puram ac odoratissimam, Thuris fere instar, quod ad odorem & formam attinet sudant. 1. *Abies rubra.*

Candida Abies, rubræ per omnia similis existit, nisi quod folia habet ex una parte cineracei prorsus coloris, & corticem candidiorem, & teneriorem. Hoc Abietis genus in Valesiæ Heluetiorum montibus gignitur. 2. *Abies candida.*

Larix in censu Abietum habetur, ea ædificijs adhibita diutissime durat. Lignum eius adustum non in carbones sed cineres statim redigitur. Luxuriat in Silesia, 3. *Larix.*

At

Abies.
Thannbaum.



At pinguis illa arbor, quæ hybernas in quibusdam locis faces præbet ad Abietẽ quoq; tanq̃ species eius, refertur. Omnes uero Abietes hyeme quoque uirent. Maio uero & Iunio mensibus folia uetera, nouis succrescentibus.

4. *Teda.*

Larix.
Lerchbaum.



tibus, abijciunt. De Abiete Picea, Larice, Tedaq; plura Plinius lib. xvi. cap. x.

NOMENCLATVRAE.

Cum Plinius ipſe innuere uideatur in Abietum nomenclaturis non unã apud omnes eſſe ſententiam (cum aliqua hic iſto nomine, alibi alio appelletur) quis quæſo certi aliquid de appellationibus earum proferre poterit? Ego, ut ab his me expediam, primum Abietis genus, quod cortice ueſtitur rufo, Piceam uocabo (Germani Schwartz / oder roht Thannen nominant) alterã uero, hoc eſt, candidiorem Abietem ſimpliciter nuncupabo. Hanc Germani weiß Thannen dicunt.

Tertia mihi Larix appellabitur, Germanis Lerchenbaum. Hæc nimirum ea eſt ex qua Terebinthina Germanica effluit.

Quartum Abietis genus quod Germani Tällen nominant, Tæda quibuſdam appellatur, à quibus in præſentia non diſcedo, diligentiorem & exactiorem nominum inquiſitionem ocioſis relicturus. Hij proculdubio ſi Valeſiæ alpes perluſtrarint, maxime eas in quibus S. Bernhardus habitat, diſcrimina Abietum addiſcent.

Abies Hebræis ברוש *Beroſch Oſeæ ultimo dicitur, ſecundum alios* ארן *Aeres.*

Liquor

Liquor uel gummi (ut ita mihi liceat dicere) quod ex Abietibus defluit Resina Latinis, Hartz Germanis: quā uero Larix exudat Pix liquida, & Larigna, Teütscher Terpentin uocatur. Resina est ea quæ ex arboribus distillat, Germanice Weiß Hartz/ sed combusta resina pix sicca, Germanice Bech dicitur. Reliqua Resinæ & picis genera Seplasiarijs committimus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Natura omnibus Resinis calfacere, mollire, discutere, expurgare. Apud nos Mastiche primo, Terebinthina secundo loco, cæteris Resinis & picis generibus præfertur.

Dioscorides libro primo ca. lxxviij. ita scribit, Terebinthina resinas omnes antecedit, proxima lentiscina, & è Pinu & Abiete, has sequitur & picea & pineis nucibus resina. Proinde ad multa Resinæ & Terebinthinæ usus maximus est.

INTRINSECVS.

Resina Terebinthina lota mensura quatuor cochlearium, aut circiter, in potu uel cibo sumpta, ueneno hausto aducrsari strenue, illudq́ ne nocere queat, expellere dicitur.

Eadem leniter purgare, uitijsq́ pectoris pulmonum & hepatis mederi traditur.

Inprimis uero si probe parata & lota fuerit Terebinthina aduersus tabitudinem, tussim inueteratā, suspiria, purulentasq́ excreationes, unde phthisis oritur illam facere docent.

Mastiche ijsdem pollet facultatibus uel per se sumpta, uel ex melle, ut eclegma ex his fiat.

Breuiter Mastiche, & Terebinthina resina pectoris exulceracionibus & capitis destillationibus factis unice conducunt. Mihi ergo eæ pilulæ maxime placent, quibus Mastiche miscetur, nam & stomacho accommodata est, teste Dioscoride lib. primo cap. lxxvij.

EXTRINSECVS.

Mastichæ, Resinæ, Terebinthinæ & picis facultates nemo pro dignitate laudauerit. Chirurgi nulla ex his carere possunt. Mastiche commanducata oris halitum commendat, gingiuas contrahit firmatq́, & earum tumores reprimit. Additur in illitiones faciei, ad nitorem cuti conciliandum.

Terebinthina & candida resina ad uaria adhibentur unguenta & emplastra, quæ Chirurgis differenda relinquemus.

Sed

Sed ut tandem hanc absoluamus tractationem non solum Terebinthina, sed etiam Resina, tam recentia quam uetera purgant uulnera, duros ubicunque in corpore suboriantur abscessus emolliunt, scabiesq́ quasuis malas in iumentis & hominibus persanant , quæ omnia quotidiana testatur experientia ut superfluum sit plura addere, Itaque de his hactenus.

De Fraxino. Cap. LXXVIII.

FRAXINVS IN ALTIS TENEBROSIS ET HVMECTIS prouenit syluis, nonnunquam & in lapidosis quibusdam agrorum limitibus. Duum quoque est generum. Vtraq; dissecta gerit folia instar Sorbi, eaq; ex utroq; pediculi latere sibi inuicem opposita. Fraxinus utraq; proceritatem insignem adipiscitur, recto assurgens caudice. Neque uero ullum unquam in his arboribus fructum uidi.

NOMENCLATVRAE.

Latinis hæc arbor Fraxinus, Græcis μελία. Bumelia, Polymelia, Germanis Eschernbaum dicitur. De Fraxinea arbore cuius Ruellius quoque meminit, nos supra cap. xxix. scripsimus.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Fraxinus ueneno aduersatur, eoq; nomine plurimum ab authoribus commendatur. Quare aduersus serpentium uenenum ligno & cortice Fraxini uti possumus.

INTRINSECVS.

Aqua è corticibus Fraxini distillata unice ac singulari remedio ad calculum & morbum regium facit.

Folia uino decocta & pota hepaticis & splenicis conducunt.

Eadem præstat oleum è ligno Fraxini confectum ac potum tradente Manardo Ferrariense super Mesuam. Si serpens præsertim uipera aut iumentum aut hominem momordit, præsens esse remedium, memoriæ proditum est, tenera Fraxini cacumina terere, expressumq; succum bibendum præbere ex mero, si febrim non sentiant: febre uero tentatis, ex dilutissimo uino. Item tritas huius arboris frondes læsæ parti imponere. Sic enim periculo liberari demorsos.

Serenus. Fraxineum semen cum Bacchi rore bibendum est.

Idem medicamentum hydropicis meo iudicio non inutile fuerit.

Pocula quidam ex ligno Fraxini parant, pollicentes si quis ex eiusmodi poculis assidue bibat, eum lienem extenuare hoc pacto posse.

Quidam tradunt Fraxini folia tusa, quibusdam temporibus succo ex uino poto pingues homines macros reddere. Ego expertus non sum, proinde nec opus habeo quod ad me attinet, eiusmodi medicamentis, quin potius cum extenuatus sim ualde contrarijs uti conueniret.

EXTRINSECVS.

De Fraxino Plinius lib. xvi. cap. xiij. in hunc modum scribit.

" Tantaq; est uis, ut ne matutinas, occidentesúe umbras, quam sunt longis
" simæ, serpens arboris eius attingat, adeo ipsam procul fugiet. Experti pro-
" dimus: Si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potius quam
" in Fraxinum fugere serpentem. Hæc ille. Ex quibus conijcere licet suffitu ligni Fraxini serpentes fugari.

Cortices Fraxini in cineres redacti illitu lepras eximere dicuntur.

E` ligno Fraxini mensę, ac alia culinaria utensilia apud nos conficiuntur.

Commendatur & ad hastarum usus, quas e` Fraxino Achilles primus parauit, Vide Homerum.


De Acere. Cap. LXXIX.

A CER FOLIA HABET ELEGANTISSIMA SATVRAtæ uiriditatis dissecta, Saniculæ similia, cortice uestitur duro & incano. Neque in omnibus locis grandescit, sed humili statu contenta, frutex potius quam arbor spectatur, maxime ea quæ iuxta itinera, & in littoribus aquarum enata est. Verum in quibusdam tenebrosis Vuasgoiæ syluis, ac in comitatu Bidiscensi tantæ magnitudinis reperitur Acer, ut ædificijs uel maximis inseruire queat. Ac quia lignum eius, maxime cum annosum fuerit undatim crispatur, plerunq; apud nos lautioribus dicatur suppellectilibus, utpote orbibus mensisq;. Est autem lignum perennis durationis. Fructum suum fert messis tempore Orneoglosso, hoc est flori Orni cõsimilem.

NOMENCLATVRAE.

1. Quidam tria Aceris genera statuunt, Campestre enim caudidum esse
2. nec crispum γλεῦνον uocant. Montanum crispius duriusq;. Tertium ue-
3. ro subluteum, quem Carpinum nominant. De quibus uide Ruellium libro primo capite xlvij. & lxiij. Quidam inter doctiores Acerem Germanice

Acer.
Maßholder.



manice Ahorn interpretantur, propterea quod Acer non in omnibus locis Maßholder/sed Ahorne uocatur, cum tamen Ahorn alia sit arbor, ut in sequenti docebimus capite. Alij uocem Maßholder quam nos Aceri adiun

gimus, ad eam arborem referunt, cuius in hoc libro cap. xxv. à nobis facta est mentio. Sed utut hæc se habeant, sciant omnes hanc arborem Latine Acerem. Germanice uero Maßholder recte uocari. De tribus Aceris generibus uide Theophrastum lib. iij. cap. xi.

σφένδαμνος.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Non multa de Acere quod ad medicinam attinet, in ueterum scriptis legimus. Ruellius Aceris radicem contusam iocineris doloribus utilissime imponi testatur.

De Acere apud Serenum hij leguntur uersiculi.

Si latus immeritum morbo tentatur acuto
Accensum tinges lapidem stridentibus undis
Hinc bibis, aut Aceris radicem tundis & una
Cum uino capis, hoc præsens medicamen habetur.

Qui uenationi student, ij accipitres quos ad prædam instituerunt, ad baculum seu uectem ex Acere assuefacere solent ut illi insideant, qua uero hoc faciant ratione ipsi norunt procul dubio.


De Platano. Cap. LXXX.

DEMOCRITVS ACVTISSIMI INGENII PHILOSOphus uniuersam naturam indagare conatus est, ita quidem ut interna animalium uiscera contemplari uoluerit, ac in commentarios redigere. Quam considerationem theoricamque sub expansa (uti testatur Hippocrates) Platano Abderæ exercuit. Hic si superstes esset, non dubito quin suis coloribus ad uiuum Platanum nobis depingere posset, præsertim cum nec omnibus nota sit arbor, nec passim locorum in Germania nostra proueniat. Humectis uero & altissimis montibus gaudet, interque Fraxinos prouenit, qui fit ut à rusticis incolis Vuasgoiæ & Mediomatricibus Fraxinis accenseatur Platanus, sed perperam. Alijs namque quam Fraxinus tam folijs quam ramulis est Platanus. Siquidem folia gerit Vitis uiniferæ aut Ricini similia, pediculis suffulta rotundis, longis, tenuibus & rubicantibus. Quædam in hoc genere arbores Maio mense florent, aliæ non florent, nullumque ferunt fructum. Quod si queras unde ergo Platanus procreetur, respondet primum Diogenes multas plantas & arbores commixtione putris tantum aquæ & terræ gigni. Anagoras uero omnes tum stirpes tum animalia ab aëre & aqua originem suam trahere asserit, ita ut aër

seminis

Platanus.

Ahorne/Waldeschern.



feminis rationem habeat, terra matris, ac ita quodq; secundum genus suum progigni. Moses Geneseos ij. significantius de his disserit, cum ait nihil è terra prodijsse cum dominus Deus cœlum & terram creasset, subditq; ra-

tionem,non enim pluerat dominus Deus super terram. Ex his colligere licet aquam & terram principia esse stirpium, quod quotidie animaduertere licet. Nihil enim terra ædere potest nisi humectetur. Quod si humor illi desuper accesserit, multa sane producit etiam sine semine, quæ etiam nullum nec fructum nec semen unquam uel fecere uel faciunt, ut est Scolopendria, plantæ nonnullæ murarriæ, polypodium, Muscus terrestris (de quo lib. j. ca. 189. egimus) nonnulli Satyriones, Populi albæ, & Platani quædã. Præterea quotidie, si animaduertamus, frutices arbores herbæq; ijs in locis repe riuntur ad quæ semen earum nondum deuenit, ut in muris quibusdam, & excelsis turribus. Hæc uero naturæ occulta & secreta sunt mixteria, quæ ut admirationem magnam pariunt ita inuestigari ac certo cognosci non possunt. Quis enim quantumuis ingeniosus, naturæ miracula omnia, rerumq; ortus occasus, causasq; omnes ingenio comprehendere ualeat? Quæ cum ita se habent neque nos altius quam par est & homini concessum sapere contendemus, quin potius nostro munere perfuncti sub Platano ista elegantissima quiescemus, reliquum doctioribus commissuri, si prius nomenclaturas & facultates Platani pro more nostro exposuerimus.

NOMENCLATVRAE.

Diosco. lib. 1. cap. 92.

Platanus Latinis, Græcis pariter πλάτανος, Germanis Ahorn/vnd waldeschern/vnd Bucheschern dicitur. Syluestre eius genus nonnulli Germanica lingua Leinbaum uocant.

VIRES AC TEMPERAMENTVM.

Folia, & si quæ alia in Platano uidentur, frigidæ & humidæ sunt qualitatis teste Galeno. In medicina suum quoque usum habent.

INTRINSECVS.

Serenus. Aut Platani pilulas acri infundemus aceto.

Folia uino decocta ac pota ueneno serpentium aduersantur.
Eadem cum aceto decocta ac sumpta, uomitiones inhibere dicuntur.

EXTRINSECVS.

Cortex aceto decoctus ac ore retentus dolores dentium sedat.
Tenerrima Platani folia in uino albo decocta, mox illita, oculorum fluxiones sistunt.
Decoctum corticis, neq; non folia tenera, uel per se tusa, aut adipe excepta ac imposita tumores & inflammationes leuant, ambusta aut igni aut

frigore

frigore ſanant. Plura alia ex his quæ diximus colligi poterunt. Nos enim ut diximus hic ſubſiſtemus, operiq́; finem imponemus. Domino DEO Opt. Max. Patri cœleſti gloria ſit in perpetuum, qui per Filium ſuum & Spiritum ſanctum ſuum largiri dignetur, ut hij noſtri de ſtirpibus commentarij, quemadmodum auſpicijs illius bene fauentibus & ſuſcepti, & ad umbilicum perducti ſunt, ita deinceps ad gloriā ſanctiſſimi ipſius nominis & proximi emolumentum, qui omnium noſtrorum operum ſcopus eſſe ſemper debet, legantur, & uſurpentur.

AMEN.

HIERONYMI TRAGI DE STIRPIVM COMMENTARIORVM LIBRI TERTII ET VLTIMI FINIS.

ברו נותן ליעת כח

STIRPIVM DIFFERENTIAE EX DIOSCORIDE SECVNDVM LOCOS communes, opus ad ipsarum plantarum cognitionem admodum conducibile.

Authore Benedicto Textore Segusiano.

BENEDICTVS TEXTOR SEGVSIANVS CANDIDO LECTORI salutem dicit.



NTER TAM FOEDAS TAMQVE MONSTROSAS labes, quibus conspurcatus & adulteratus est aliquot iam seculis priscus ille Medicinæ decor ac splendor, ut non alia pertinacius hæret eorum medicamentorum maximeq; stirpium, quæ tanto studio tantoq; honori ueteribus non modo medicis, uerum regibus quoque ipsis fuerunt, ignorantia & neglectu: ita nihil est homini medico magis pudendum. Quibus quidem inuestigandis cum hodie doctißimi quiq; mirum in modum sese torqueant, nec quicquam ferè obscuratum sit in tota Medicina, quod illis plus facessat negotij, quodq; deplorare sit æquius, quidnam euenisse putandum, si non extarēt præsertim Dioscoridis illius (qui uel Galeni sententia omnium absolutißime rem tractauit) monumenta, ad quæ ceu sacram (quod aiunt) ancoram confugias? Proinde quando hunc unum propemodum habemus sarciendæ rei longe præstantißimæ, ac nobilißimæ tantopere commendatum, præceptor ille noster Iacobus Syluius præter summam eruditionem publicæ utilitatis studiosißimus sæpenumero me hortatus est tota ex illo authore historia per partes plantarum digesta, rursus singula membra dissecarem per locos communes, ille inquam magno usui id fore affirmans. Quid quæso tantæ doctrinæ uiro denegarem, adeoq; de omnibus benemerito? Ego itaq; non ignarus quam ineptus essem ei prouinciæ, aliquandiu meam excusans infantiam, tandem parere sum coactus. At non multo post tanquam desperabundo (ut qui rem nullius aut parui momenti futuram existimarem, quæ alioquin magno mihi constaret) in animo fuit desistere. Ille contra: Nam, inquit, hoc adeo leue uidetur ac friuolū, cum cuiuis procliue sit id ueluti filium sequuto primo statim occursu deprehendere stirpem nec antea uisam? Ita res obeunda fuit pro uiribus. Quod ni ille ipse quoque sedulo obstitisset, ne alijs parum consulens idipsum pateretur apud me diletescere ceu quod emitteretur indignum, per me quidem in lucem prodisset nunquam. Hoc igitur quale quale est amice lector tuum erit æqui boniq; facere, quoad (si quando suppetet otium) ex Theophrasto & alijs accesserit, quod ad præsens negotium pertinere uidebitur. interim quicquid hinc percipies emolumenti, id acceptum feras uelim uiro illi clarißimo, cuius impulsu hoc operis susceptum, eiusdem auxilio confeci, eiusdem opera euulgatum est. Vale Lutetiæ ex ædibus Ioannis Tagautij doctoris Medici doctißimi. Ad Idus Iunias. Anno Christianæ salutis, 1534.

EX

EX MARCELLI VERGILII COMMENTARIIS IN IPSUM DIOSCORIDEM, AD EOrum quæ hic tractantur dilucidiorem intelligentiam.

CVBITVS, QVANTVM À flexura cubiti usq; ad summum medium digitum patet. Credimusq; nos extrinsecam cubiti flexuram intelligendam.

Spithame Græcis, Latinis authore Plinio libro septimo capite iij. dodrans, longitudo, & quod capit spatium humana manus à summo pollice usque ad summum minimum digitum extensa, quæ mensura quoniam in tres quartas humani pedis partes incurrit, dodrans dicta est.

παλαιστὴς, Palmus, mẽsura est simul coniunctorum, & cohærentium quatuor digitorum.

Liquor, humor, qui secta, terebrata, castratauе planta, aut aliqua eius parte quasi sanguis aperta uena per se fluit.

Succus, ex tota materia, parteuе eius aliqua concisa tusauе, adspersis aliquando aqua uinoué, aut humore alio, tum manibus tum torculari, aut igne expressus exudatusq; humor.

DE QVIBVSDAM PLANtæ partibus ex eodem.

VIticulas uoco, Plinij Palladijq; uerbo utens, nõ vitium palmites & sarmenta, sed ex eorum similitudine in alijs plantis, ueluti flagella, qualia in cucurbitis, cucumeribusq; cunctis passim uidentur per terrã iacentia, aut si prope arbores & frutices sint, eos scandentia, suisq; clauiculis quasi manibus vitium modo hærentia.

Sunt nobis adnata & adnascentia, quæ grȩcis παραφυάδες, quod adnascantur, & super accedant, sic appellatæ quæ dicuntur eodem modo in caulibus & ramis plantarũ super terram, & in radicibus aliquot sub terra, à principio suo, ueluti matre quadam, noua germinatione prodeuntia. qui naturæ & nascendi ordo in bulbosis radicibus plerunq; est, & in Lilio maxime, una radice, ut ait Plinius, quinquagenos sæpe remittente bulbos. Sunt autem ea olerum & herbarum propria, quemadmodum in arboribus priuatim, rami appellantur.

Græci translata ab humano corpore appellatione μασχάλας dicunt caua, quæ aliquando bina, aliquando singularia, & ex interuallo semper in plantis uidentur humanis alis similia, in quibus ueluti lacuna est. Sunt autẽ homini alæ qua parte brachium humero coniungitur ex interiore parte, in quibus non aliter quam in pectine pubes aliqua nascitur uirosi plerunque odoris. Earum similitudine concauos geniculos, quales in harundinibus & plerisq; alijs sunt, μασχά-

λαι Græci, Romani alas dixerunt: ab adnatis eo differentes, quod ex alis noua semper germinatio prodit, adnata uero nullam habent certam partem unde emergant.

Helix ἀπὸ τοῦ ἑλίσσειν, id est, à circumagẽdo & inuoluendo se, Latine à capiendo capreolus, item clauicul⁹ dicitur. Sunt autem clauiculi, siue clauiculæ viticularũ in plantis extremæ partes & colliculi intorti quibus aduoluendi et implicandi se propinquis stirpibus natura est.

Nucamentum in quibusdam arboribus pro flore est, ueluti in piceis, pinis & corylis. Quale autem id sit quotannis licebit obseruantib⁹ uidere.

Sunt Græcis & Latinis pappi lanosæ uillositates caudarum in animalibus forma, quæ decidentib⁹ floribus in plantis aliquot remanent, ut in utraq; Soncho, in Carduis multisq; alijs fit: quos solent aliquando pueri ludentes, spiritu oris per aërem pellere leuitate sua uolucres & quantumuis paruo ueluti flabro diffluentes. His etiam ad uentorum tempestatumq; præsagia in agro agentes quasi certissimis nuntijs utuntur.

καρπὸς, id est, fructus & si aliquando in scriptore hoc semen significat, propria tamen eius significatio est in his quæ causa seminis à natura fiunt. Verbi causa in pomis proprie semina dicũtur interiora grana, καρπὸς autem tota cum seminibus poma declarat, id est, claudentem ea exteriorem illam carnem. In leguminibus itidem semina, quæ siliquis clauduntur, καρπὸς uero, id est, fructus cum seminibus integras siliquas. Et ne longiores simus quodcunque seminis causa factum est, id proprie καρπὸν Græci uocant. Miscentur tamen hæc quoniam alterum alterius causa est. Nec male penitus καρπὸν fructũ scilicet aliquis semen appellet, uerumtamen in aliquibus distingui ea oportet.

Epiphyllis à Græcis dicitur ultimus in summo vitis palmite racemus, qui plerunque paruus rarisq; acinis sero maturescit, quoniam postremus conceptus est, ideoq; inutilis & in uindemia plerunque neglectus.

Cachrys pilula est, quam arbores aliquot præter proprium fructum proferunt. Hanc poterit aliquis, si alias non liceat contemplari arbores, in Pino & Iuglãde nuce quotannis per hyemem uidere. Caret Latino nomine Cachrys hæc, quemadmodum & Libanotidis semen, quod interposita una litera Canchryn Græci uocant.

Dixerũt in floribus antiqui calyces inuolucra illa qualia in rosis sunt, quibus dehiscentibus in sua folia se flores pandunt.

Cytini flores sunt punicæ à tumore Græcis appellati, qui κύτος, quod ambitu & tumore suo aliquid capit & in se claudit, dixerũt. Nam

Cytini

Cytini captu & ambitu suo futurum pomum iam tunc intra se cōtinent, & quasi conceptos acinorum fœtus ad maturitatem complectuntur.

Vmbellam Latini, σκιάδιον Græci, ab umbra utriq; appellant in aliquibus plantis floris ueluti pedamentum in plures diuisum longiores pediculos, qui singuli florem sustinent & in orbem circinnatum: qua floris figura Fœniculum, Anisum, Sambucus, pluraq; alia sunt. Quod quoniam umbellæ, qua solem à uultu mulieres arcēt, forma est ob latitudinem circinationemq; suam, ideo Græci primum eam floris formam σκιάδιον, mox Græcos imitati Latini Vmbellam dixerunt.

Sunt Græcis pericarpia cuncta illa quæ semen aliquod ambientia à cœli & animalium iniurijs id seruant & tuentur. Quod licet in leguminibus priuatim siliqua, in frugibus spica, in castaneis echinus sit, in alijs uero, alijs appellationibus indicentur, communi tamen nomine cuncta hęc pericarpia dicuntur.

DE IIS AD QVAE HIC *fit collatio.*

MAioris plantaginis folium λαχανῶδες, id est, oleraceum dicitur, non tamen simpliciter ad omnia olera id referendū est, falsum enim id esset, sed ad ea tantum quę latiore sunt folio, qualis Brassica & Beta est.

Petasus, .i. Galerus græca uox est, quæ Mercurij & Augusti Cæsaris usu in antiquis scriptoribus celebratur. Vterque enim petasatus describitur, sed alter dum cœlo præcipitem se mittit aui similis: alter dum per diem in sole est, radiosq; eius munito capite, petaso hoc, toto anno uitat.

Cotyledon facta est à cotyla Græcorum in poculis & conuiuio mensura uini & uasculo, quam Plinius aliquando heminam, nonnunquam sextarium ex Græcis uertit. Eius forma erat qualis nunc etiā in fictilibus poculis uidetur, quibus in paupertate & cœnobijs utuntur, & cotylam nostra gens adhuc uocat. Fuitq; hoc eius nomen primum semperq; in poculis & liquidorum mensura. Quoties autem seruata eiusdē uasculi forma in aliū transferebatur usum, oxybaphum uocabatur, quod in cœna aceto plenum ad intinctus ponebatur. Et hæc græce cotylæ & oxybaphi prima ratio & usus fuit. Romani in priore illo poculorum usu, & liquidorum mensura sextario & hemina usi sunt. Cum uero ad intinctus uterentur, ab aceto acetabulum dixerunt, cuius forma orbicularis esset, profunda & sine marginis latitudine. Ab his deinde utraque gens suum nomen ad alia, quæ similem haberēt concauitatem, transtulit, in quorū numero est Cotyledon herba.

Spondylia Græcis sunt in animaliū spina uertebrę seu nodi eodem nomine

mine dicti, quo mulieres in fusis suis verticillos nominant, quibus in ducendo filo grauiore eorum pondere fusos suos librant.

Sunt Latinis ricini, & Græcis κρότωνες insecta quæ animalibus aliis canibusque præsertim inhærent sine motu cum semel hæserint. Quibus cibi nullus exitus est, colore liuido, nullis discretis membris, in globum continue crescentia, donec plenius saginata post aliquot dies sponte sua decidant.

Echinus marinus ex testaceorum genere piscis dicitur, cui natura est spinis quasi pedibus & earum in orbem uolutatione ingredi. Quem facile nouerit is qui in castanea summum fructus eius aculeatum, & in orbem circumuolutum operimentum uiderit.

PLANTARVM DIFFERENTIAE PRIMVM A' *toto, deinde etiam ab ipsarum partibus sumentur, idq; per locos communes.*

LOCI COMMVNES.

Substantia
- Numerus.

Quantitas
- Magnitudo.

Qualitas
- Qualitas uisilis
  - Fulgor.
  - Color.
- Odor.
- Sapor.
- Tactilis qualitas
- Figura.
- Similitudo
  - Vnius.
  - Duorum aut plurium.

Situs.

Tempus.
- Ortus
- Occasus.
- Maturitas.

Actio.

Vsus.

PLANTARVM DISCRIMEN A' TOTO *acceptum.*

ARBORRES, Ricinus, Smilax quæ Latinis Taxus dicitur, Cornus, Oxyacantha, Sabina, Tilia, Lyciū, Arbutus, Sycomorus.

Arbusculæ. Rhu, Sabina altera.

Fruticosa arbor, Erace.

Arborescentes plātæ. Cynosbatos, id est, Sentis canina, Agnos Latinis uitex, Sambucus, Abrotonū fœmina, Anagyris, Oenagra, Sonchi, id est, Cicerbitæ tertium genus, Tithymalus sextus, unde Dendrodes, id est, arborescens cognominatur.

Herbæ fruticosæ. Sion, Seriphium siue Absinthium marinū, Stichas, Maron, Acinus, Baccharis, Seseli Creticum seu Tordylon, Myagron,

gron, Artemisia, Capnos, id est, fumus, seu fumaria herba, Botrys, Chrysanthemon, Chamæpitys secunda, Eupatorium, Crithmon Romanis Batis uocatur.

Herbæ quã arbori similior est Chamæacte quasi dicas sambucum humilem, Latini Ebulum appellãt.

Aculeatæ stirpes. Acanthus syluestris, Paliurus, Capparis, Dipsacos, Latinis Veneris labrum, Lycium, Rhãnus, Poterium, Eryngium.

Breuibus spinis asperatus est Rubus Idæus: idem aliquando tamẽ spinis deficit.

Stirpes hirsutæ. Marrubium, Alysson, Verbascula duo.

Quadamtenus pilosum est Polypodium.

Lanuginosæ plantæ. Ranunculi alterum genus, Hyoscyami quod Altercũ Latinis & Apollinaris herba dicitur tertium genus.

Multa lanugine & tenui Poterion.

Capillatum est Bryon thalassion, id est, Muscus marinus.

Ceu muscum habet Phyllon Thelygonon.

Plantæ liquore aut succo abundantes. Lathyris, Peplos, Peplium, Tithymalus, Sycomorus, Chelidonium maius, id est, Hirundinaria maior, Glaucium.

DEnsæ plantæ. Chrysogonũ, Hippophaës Romanis Lappago siue Lappula minor.

Totæ glaciles. Muscus marinus, Polium montanum.

In latitudinem magis se explicat Sabina altera.

CAndidæ plantæ. Polium montanum, Mandragoras mas, Androsaces, Ornithogalon, Papauer spumeum, Cytisus.

Lacteo liquore Tithymali, Peplos, Peplium, Lathyris Sycomorus.

Albescunt Marrubium, & Tithymalus secundus qui myrtites, id est, Myrtaceus dicitur.

Lutea est Botrys.

Chelidonium maius, & Glaucium succum diluti aqua croci colore remittunt.

Rubet Alypon.

Ascyron Hyperici species puniceo colore rubet.

Rubescunt Ruta syluestris, Erigeron, id est, Senecio, Hypericum.

Vndiq; herbacea est Chamæpeuce.

Niger est Mandragoras fœmina cognomine Thridacias, id est, Lactucinus.

ODoratæ stirpes, Asarum, Symphytum petræum, id est, Solidago saxatilis, Narcissus qui probatissimus montibus nascitur, Coris, Serpyllum syluestre.

Odoratissimæ Sampsuchũ, Botrys, Acinus.

Tetri odoris Partheniũ Latinis Solis oculus, Ruta omnis, Sabina altera, Ranunculus tertius & quartus. Conyza maior.

Grauiter odorato succo pollet Chelidonium maius.

Aliquantulum ingrati odoris est Abrotonum fœmina.

Grauissime olent Seriphium, Anagyris & Aloe.

Aromatum odore est Daucus secundæ speciei.

ADstringentes plantæ. Hemionitis, Tribulus uterque, Clematis daphnoides, utrumque Polygonum, quæ Sanguinalis herba dicitur.

Egregie astringit Muscus marinus.

Acerba est Phyllitis.

Grato sapore Coris.

Symphytum petræum dulce est & saliuam prouocat.

Salsæ Empetron & Anthyllidis primum genus.

Amaræ plantæ. Aloe, Abrotonum, Cucumer syluestris, Androsaces, Parthenium.

Amaritudine quadam participāt Seriphium & Absinthium Santonicum.

Empetron quo magis ad aridam à mari processit eo amarius.

Acres & feruidæ plantæ. Sabina altera, Papauer agreste, Dictamnus, Pseudodictamnus, Coris, Anemone syluestris utraque, Secunda Dauci species.

Efficacissimæ acrimoniæ Crateogonum, Ranunculus secundus.

Scandix amara est & subacris.

Acris & modice amara Stichas.

Acri & subamaro succo Chelidonium maius.

MOllis est Rumex agrestis.

Teneræ plātæ. Chrysanthemon, Altercum tertiæ speciei, Polygonum fœmina, Myriophyllon, id est, Millefolium, Sonchi tertiū genus.

Egregiæ teneritudinis est Capnos.

Pingues plantæ. Artemisia altera, Sion, Altercum tertiæ speciei.

Durus est Paliurus.

Fortis arbor Cornus.

Non sine liuore est Dictamnus.

Rhodia radix inæqualis est.

Scaber est Daucus secundus.

Asperitate aliqua oblitum est Alysson.

Aparina uestibus tenaci nexu adhærescit.

SPeciosæ. Cornus & Artemisia altera.

Tragoriganus quasi dicas Hircinam Origanum ex locorum bonitate elegantior euadit.

Serpyllum hortense quum ex sæpibus prodit, auctius fit & pulchrius.

In summo cacumine est acutus qui ob id Oxyschœnus, hoc est, Acuminatus Iuncus uocatur.

TOtum lignosum est Symphytum petræū, id est, Solidago saxatilis.

Hippuris quam Latini Equisetū uocant ex uicinis stirpibus pendet circumpositis multis nigrisque comis ceu equina cauda, unde ei inditum hoc nomen.

Amomum ex ligno uuæ instar in seipsum circumuoluitur.

PLANTARVM INTER *se similitudo & diuersitas eo ordine qui in elementis Græcis cernitur.*

ABROTONI.

Minori

Minori Abrotono simile est Seriphium siue Absinthium marinum.
Agrosteos. Graminis.
Gramine in cunctis est maior Calamogrostis, id est, Harundinaceū gramen.
Anchusæ.
Tertia Anchusa secundam refert.
Acalyphes. Vrticæ.
Galiopsis tota cum caule & folijs Vrticam mentitur.
Altero Vrticæ genere minus aspera est quæ ea de causa Vrtica mollis nuncupatur.
Acanthi.
Satiua Acantho breuior syluestris est.
Actes. Sambuci.
Sambuco minor est quæ proinde Chamæactæ quasi Sambucus humilis, Ebulum Latinis dicitur.
Amaraci.
Serpyllum hortense odorem spirat.
Amaraci, Andrachnes, Portulacæ.
Portulacæ non absimilis est Cepæa.
Anemωnes.
Anemone syluestris, cultis nascentem in totum excellit.
Syluestri Anemone acrior syluestris altera.
Anisi.
Meon Aniso est crassius.
Arnoglossi. Plantaginis.
Plantagini proxima est Rumex agrestis.
Maior Plantago minorem crassitudine uincit ac specie.
Achradis. Piri agrestis.
Oxyacantha quasi dicas acutam spinam agrestem.
Pirum simulat, minor tamen et spinosior. Absinthij.
Absinthium repræsentant Artemisia, Absinthium Santonicum.
Fruticosum est similiter Absinthio Abrotonum mas.
BAti. Rubi.
Capparis non aliter ac Rubus hamatis horret spinis.
Rubo longe maius Cynosbatum, hoc est, Sentis canina.
Tenerior. Rubus Idæus.
Batrachij. Ranunculi.
Primo Ranunculi genere lanuginosius secundum.
Tertius & quartus Ranunculus primo & secundo sunt minores.
GLycωnis. Pulegij.
Pulegium imitantur Dictamnus
Calminthe secunda quam idcirco aliqui agreste Pulegium dixerunt.
Calamintha secunda Pulegium redolet, sed eo maior est.
DAuci. Pastinacæ agrestis.
Gingidium simile est Dauco densius tamen & tenuius.
Daphnoιdis. Laureolæ.
Laureolam resipit gustu Tithymal⁹ secundus.
Delphinij.
Delphinio æquale est alterum.
ELates. Abietis.
Smilax ea quæ Latinis Taxus dicitur magnitudine Abieti est affinis.
Elææ. Oleæ.
Dorycnium nuper nascentem oleam refert.

Helxines. Muralis.

Muris auricula, quam priuatim Alsinem nominant Græci, Helxinē æmulatur, humilior tantum.

Epithymi.

Epithymo similis est Saxifraga.

Herpylli, Serpylli.

Serpyllum syluestre non hortensis ritu per terram serpit, sed rectū stat.

HEdyosmi. Mentæ.

Sisymbrium æquale est Mentæ hortensi.

Tertia Calaminthæ species ad Mentastrum accedit.

THridacis. Lactucæ.

Agrestis Lactuca satiuæ est similis.

Thymi.

Thymo non dissimilis est Thymbra seu Satureia, minor tantum & mollior.

ISatidis. Glasti.

Syluestris Isatis satiuæ proxima est.

CAlami. Harundinis.

Polygonon fœmina Harundinis figuram ostendit.

Cichorij. Ambubeiæ, Intybi agrestis.

Condrylla Cichorio tota est tenuior.

Cissi. Hederæ.

Clematis altera Hederæ Smilacis modo arbores scandit.

Cnici.

Cnico similis est Atractylis, quam Latini rusticam colum uocitant.

Conyzæ. Pulicariæ herbæ.

Parua Conyza magnam superat odore.

Maior Conyza quam minor latioris est ambitus.

Tertia Conyza nequaq́, quemadmodum maior & minor, pinguis est, at multo grauеolentior.

Corij. Coriandri.

Capnos, hoc est. Fumus siue fumaria herba similis est Coriandro.

Costi.

Rhodia radix Costi quidem est æmula, ueruntamen maioris leuoris.

Cydoniæ. Coroneæ mali.

Cotoneæ malo proxima Arbutus.

Cyparissi. Cupressi.

Cupresso spinosior Sabina altera.

Cypri. Ligustri.

Tilia Ligustrum æquat magnitudine.

LIbanotidis. Rosmarini.

Libanotidi fœcundæ priori altera omnino respondet.

Nec ab his abludit sterilis.

Lichnidis.

Lichnis agrestis satiuam in cunctis refert.

MAli.

Exigui mali magnitudine apparet catanance altera.

Meconis. Papaueris.

Agresti Papaueri nō est dissimilis Argemone, neutraque.

Alijs Papaueribus longius est tertium, necnon syluestrius, & medicamentosius.

Myrices. Tamaricis.

Ericea ad Tamaricem proxime accedit, sed multo breuior.

NArthecis. Ferulæ.

Thapsia totam ferulæ speciem exhibet.

Nymphææ.

Altera

Altera Nymphæa radice modo & flore a priore dissentit.

ORigani.

Origano simile Ageratum.

PEpli.

Paronochia non diuersa a Peplo, longitudine tamen minor.

Pityos. Piceæ.

Tithymalus quintus cognomine cyparissas in uniuersum nuper nascentem Piceam æmulatur.

Chamæpitys tertia Piceæ est halitu.

Polij.

Alterum Polium montano quidem fruticosius, sed non tam ualido est odore.

Prasij Marrubij.

Stachys Marrubium simulat, uerũ oblongior.

Ptereos Filicis.

Trichomanes & Dyropteris ad Filicem quidem accedunt, multo tamen breuiores.

RHamni.

Halimos Rhamnum repræsentat, sed spinis caret.

Cytisus tota Rhamni modo albet.

Rhodi. Rosæ.

Rhodia radix trita Rosam exhalat.

SElini. Apij.

Hipposelinum hortensi Apio maius est & candidius.

Procerius Eleoselinum, id est Palustre Apium.

Daucus secundus agresti Apio est proximus.

Sicyos hemeri. Cucumeris satiui.

Solo fructu differt a satiuo Cucumer syluestris.

Sisymbrij.

Mentastrum Sisymbrio undecunque maius atque grauiore odore.

Scolymi. Cardui.

Carduo similis est syluestris Acanthus.

Syces. Ficus.

Sycomorus Ficum æmulatur.

Ricinus est paruæ Fici magnitudine.

TRiphylli. Trifolij.

Medica recens nata ad pratense Trifolium proxime alludit.

HIperyci.

Ascyron ab Hyperico magnitudine discrepat, eodemq; fruticosius est.

Hyssopi.

Origanus onitis Hyssopo, quam Origanus Heracleotica est similior.

Phaci. Lentis.

Aphace est Lente excelsior.

Phlomi. Verbasci.

Verbascũ imitatur Tithymalus septimus cognomento platyphyllos, hoc est, Latifolius.

Nigrum Verbascum candidis omnino est affine.

Phylli. Folij herbæ.

A folio herba semine duntaxat dissidet alterum peculiariter arrhegonon appellatum.

Chamæleonis.

Nigrum Chamæleonẽ refert Crocodilium.

Chamædryos. Trixaginis.

Teucrium Trixagini non est absimile.

Chamæpityos. Aiugæ.

Anthyllis secunda. Chamæpity breuior est, hirsutior ac asperior.

OCimi.

Acinus ab Ocimo non uariat.

AD BINAS PLANTAS *collatio.*

CAndidius est Argemωne & syluestri Anemωne Papauer erraticum.

Sesamoides maius Senecioni aut Rutæ est simile.

Centaurium minus Hyperico Origanoúe æquale est.

Androsæmos ab Hyperico & Ascyro differt.

PLantæ apricis locis crescẽtes. Centaurium maius, Daucus Creticus, Delphinium, Anthyllidis prima species, Satyrium alterum cognomine erythron, id est, rubẽs.

Apricis præcipue uenit Circæa.

Quæ umbrosa amant. Dracunculus uterq́; Myos ωta, id est, Muris auricula peculiari uocabulo Alsine, Hipposelinum, id est, Apiũ grande, Latini Olusatrũ uocitant, Crateogonon, Medium, Chrysocome, Gentiana, Adiantum, Trichomanes, Cyclaminus quę Orbicularis, Rapum siue umbilicus terræ Latinis nuncupatur, Heleniũ Latini Inulam siue Enulam Campanam nominant, Ephemeron, Mandragoras tertius qui priuatim Morius dicitur, Ionmelan, id est, Viola nigra quæ purpurea & matronalis uocatur.

Æditis locis prouenit Lithospermũ

Vento perflatis. Astragalus, Strychnon manicum, id est, Solanũ furiosum.

Niualibus, Astragalus.

Cliuosis, Chamæleωn niger.

Collib⁹ nascitur Cyminũ syluestre.

Plantæ montibus familiares. Acantha leuce, id est, Spina alba, Cacalia, Asclepias, Polygonatum, Tithymalus mas priuatim characias, id est, Vallaris, Thymelæa, Pteris Latinis Filix, Enula campana, Ptarmice, id est, Sternumẽtaria: Apium montanum, Alysson, Stachys, Polemonia, Tragiũ, aliud Solanũ furiosum, Aizoon maius, id est, Semperuiuum maius, seu Sedum maius, Empetron, Oenagra, Scordium Romani Trixaginem palustrem uocant, Laurus Alexandrina, Daphnoides, id est, Laureola, Elleborum album Latinis ueratrum album, Satyrium, alterum priuatim erythron, id est, rubens.

Altissimis montibus gaudet Glycysida siue Pæonia.

Altissimis montiũ uerticibus, Gentiana, Ligusticum.

Asperis montibus, Lygusticum.

Vmbrosis, Asarum, Peucedanum, Ligusticum.

Iustinis montibus in Italia inuenire est præcipue Aconitum alterum.

Promontorijs surgit Pæonia.

Præruptis locis nascitur aliud Tragium.

Præruptis rupibus, Myrtus syluestris, Latinis proprie Ruscus.

Saxatiles plantæ. Cistus, Rhu, Batis, Ptarmice, Acanthus, Apiũ montanum, Daucus Creticus, Liban-

tis

tis sterilis, Clinopodium, Chamę drys, Testiculus, Hemionitis, Pycnocomon, Filix, Medium, Sideritis, Chrysocome, Chamæsyce, Semperuiuum tertium, Asplenon, Oenanthe, Paronychia, Semperuiuum minus, Saxifraga, Tithymalus sextus, quid drodes, id est, arborescens dicitur, Folium, Symphytum petræum.

Lapidosis locis pręsertim nascuntur Thymus & Cyrcæa.

Roscidis saxis adhæret Lichen qui muscus est.

Muscosis. Polypodium.

Aquosis conuallibus ortum habet Heliochrysum.

Plantæ locis campestribus emergentes. Eryngium, Calamintha Latinis Nepeta, Lycopsis, Verbascũ candidum fœmina, Chamæleon niger, Buglossum, Buphthalmos.

In campestribus plerunque reperitur Thalictrum.

Stirpes cultis locis amicæ. Telephium, Condrilla altera, Ruta syluestris Hypericum, Elatine, Cyperus, Artemisia tenui folia, Chamęcissos, id est, humilis Hedera.

Pinguibus ac fœcundis nascẽtes. Clematis daphnoides, Condrilla altera, Anchusa, Seseli peloponnesiacum, Xanthium siue Phasganium, Achillea, Centaurium mai⁹, Ruta alia syluestris aliquibus sic dicta.

Vliginosa accolit Plantago maior.

Quæ aruis prodeunt. Psyllium id est Pulicaris herba, Aphace, Phœnix Leontopetalon, Papauer erraticum, Peryclimenum, Hypecoon.

Aruis potissimum gaudet Xiphion, id est, Gladiolus.

Agris asperioribus. Stratiotes millefolia.

In segetibus erumpunt Elatine, Leontopetalon.

In triticea segete. Hypecoon: Hedysarum, id est, Securidaca.

In hordeacea, Papauer erraticum, Hedysarum.

Inter legumina prouenit Orobanche, id est, Eruangina.

Vinetis gaudent, Telephium, Helxine, Peplos, Sideritis tertia.

Quæ in hortis nascuntur aut circa. Acãthus, Erysimon, Latinis Irio, Peplos, Lotus satiua.

In hortis aliquando inuenitur Semperuiuum tertium.

Hortorum umbrosis locis Phyllitis.

Hortorum areis. Lagopus, id est pes leporinus.

Plantæ inculta amantes. Vitex, Hiberis, Sisymbrium, Coronopus, id est, pes cornicis, Onobrychis, Clematis, Daphnoides, Psylliũ, Smyrnium.

Tenui ac sterili solo ueniunt Thymbra, Capparis.

Sterili solo præcipue crescit Thymus.

Pratis gaudet Limonium.

Plantæ aspera & dumosa loca colentes, Tilia, Vitex, Lycium, Cyclaminus altera, Capparis, Elelisphacos Latinis Saluia, Eryngium, Calamintha, Baccharis, Veratrũ

album, Thymbra, Ruta sylue- stris, Seseli peloponnesiacũ, Del- phinium, Libanotis sterilis, Alys- son, Chamædrys, Stachys, Onos- ma, Anthemis seu Chamæmalũ, Lithospermum, Lonchitis, Hype ricum, Polemonia, Saxifraga, He liochrysum, Viola nigra, Sesa- moides, Smilax aspera, Ruscus, Tithymalus mas qui characias, & fœmina quæ myrtites dicitur, Thymelæa, Heliotropium mai⁹, Papauer Corniculare.

Stirpibus & arboribus conferta a- mant Centaurium maius, Cro- codilium.

Nemorosa, Muris auricula ob id Al sine uocata, Acantha leuce, id est, Spina alba.

Inter fruteta plerunq; reperitur Cra- tæogonon.

Querceta amat Ephemeron.

Sub arboribus præcipue nascitur Cy claminus.

Vetustis arboribus hæret Polypodi um.

Muscosis uetustarum quercuum par tibus, Dryopteris.

Plantæ siccis ac squalentibus prode- untes, Chamæsice, quasi humilis ficus, Lonchitis, Enula campana, Baccharis, Smyrnium, Chamæle- on niger, Vetratrum nigrum.

Sabulosa habitantes. Orchis id est, Testicul⁹, Anchusa altera, Buglos- sum, Anthyllidis primum genus, Cynoglossum, Hippophæston, Cucumer syluestris, Hippophaes

Aquaticæ stirpes. Gentiana, Centau rium minus, Calamintha, Apiũ palustre, Cyperus, Spondylium, Bechion, id est, Tussilago, Alisma uel Damasonium, Polygonon fœ mina, Epimedium, Pentaphyllõ, Hippuris Latinis Equisetum, Pe- risterεon orthos, id est, Verbena- ca recta, Siõ, Potamogεton id est, Fontinalis herba, Scordium, Plã tago maior, Ranunculi primum genus, Acanthus, Onobrychis, Conyza tertia.

Aquis supernatat qui ob hoc aquati cus Stratiotes dicitur.

Aquis stagnantibus, Myrice, Nym- phæa utraq;, Typha, Lens palu- stris qui muscus est Lenti similis.

Aquas accolunt Vitex, Chelidoniũ minus, Lysimachia.

Profluentibus aquis finitimæ sunt Botrys, Erinus, Ranunculus pri- mæ speciei.

Easdem plerunq; accolit Ligusticũ.

Stantibus aquis, uel leniter fluen- tibus uicinum est Hydropeperi, id est aquaticum Piper.

Aquarum scatebris, Tussilago.

Aquarum canalibus. Artemisia te- nuifolia, Pentaphyllon.

Non procul à fontibus nascuntur Centaurium minus, Adiantum, Trichomanes, Erinus.

Plantæ paludibus prouenientes. Fa ba Ægyptia, Oxylapathon, id est acuta Rumex, Hippolapathon, Spondylium, Lysimachia, Limo nium, Gallium, Adiantũ, Tricho manes, Typha, Smilax aspera, Nymphæa utraq;. Myriophyl- lon id est, Millefolium.

Siccatis æstate paludibus oritur Xanthium.

Paludibus adiacent Myricæ, Heliotropium minus, Hipposelinum.
Fluuijs & lacubus gaudent Potamogeton, Tribulus aquaticus, Heliotropium minus.
Amnibus & lacubus adnascuntur Chelidonium minus, Plantago maior, Vitex, Tribulus terrestris, Nerium siue Rhododaphne.
Lapidibus fluminum confectis prouenit Asplenon.
Profluentibus, torrentibus propinquus est Vitex.
Circa torrentes præsertim inuenitur Botrys.
Mediterranea colit Artemisia aliqua.
Stirpes maritima loca sortitæ. Chameleon niger, Hippopheston, Hippophaes, Rhododaphne, Tithymalus tertius qui ideo Paralios, id est, maritimus dictus est, Alypon, Empetron, Papauer corniculare, Batis, Tragus, Tripolium, Glaux.
Maritima plerunque tenent Artemisia, Peplium.
Etsi maritimis pullulat Tripolium, non tamen in arida, neque in mari crescit, sed quo fluctus peruenit & regreditur.
Maritimis tumulis nascitur Enula Ægyptia.
Maritimis sepibus gaudet Halim⁹.
Littoralibus petris crescunt Solanũ somnificum & furiosum, Dorycnium.
Prope mare in lapidibus & piscium testis gignitur, quod ideo Bryon thalassion, id est, Muscus marin⁹ uocitatur.
Amant insulas Capparis & Seseli peloponnesiacum.
In semitis nascuntur Cornicis pes & Thlaspi.
Vias & itinera accolit Anthemis seu Chamæmalum.
Secus uias maxime conspicitur Stratiotes, id est, millefolia.
Passim secundum itinera se offert Galiopsis.
In fossis aut circa proueniunt Thlaspi.
Equisetum, Mandragoras tertius cognomento Morius.
Quæ tumulis gaudent. Centaurium maius, Ruta alia agrestis aliquib⁹ sic dicta, Seseli peloponnesiacum, Phalangium, Olosteum.
Vmbrosis tumulis exilit Semperuiuum minus.
Asperis. Veratrum nigrum.
Petrosis. Smyrnium.
Aquosis. Poterion.
Inter rudera aut circa crescunt Marrubium, Erysimon, Cucumer syluestris, Alterci tertium genus.
Venit inter ruinas Altercum tertiũ.
In ruinarũ ruderibus inuenitur præcipue Tithymalus quartus.
In aggeribus se promit Pes cornicis.
Quæ in sepibus aut circa emergunt. Thlaspi, Periclymenum, Latinis Inuolucrum maius, Rhamnos, Helxine, Artemisia tenuifolia, Plantago maior, Erigeron, id est, Senecio, Dracunculus uterq;.
In sepibus ubiq; est obuia Galiopsis.
Circa domos prouenit Thlaspi.
Tectis apparet Semperuiuũ maius.
Recens confectis tegulis, Phœnix

quam Latini Hordeum murinũ appellant.

In parietibus nascuntur Helxine, Sideritis tertia, Semperuiuum minus.

Parietibus opacis. Asplenon.

Humentibus muris gaudent Adiantum, Tricomanes.

In murorum coronis emicat Semperuiuum minus.

In aggeribus murorum. Senecio.

Plantæ in domorum areis aut circa prodeuntes, Capparis, Cucumer syluestris, Tribulus terrestris, Erysimon, Marrubium.

In domorum areis ubique deprehendere est Galiopsim.

Ex fictilibus uasculis se profert Semperuiuum maius.

Circa urbes & oppida nascuntur Erysimon, Bupthalmos, Chrysanthemũ, Thytimalus quartus qui Helioscopos, id est, Solisequus uocatur.

Plerunq; circa eadem loca crescit Senecio.

VEre prodeunt Telephium & Papauer erraticum.

Æstate, Abrotonum.

COronariæ herbæ. Serpyllum hortense, Sampsuchum, Acinus, baccharis.

STIRPIVM DIFFERENTIÆ *à partibus ipsarum petitæ.*

Stirpium partes præcipuæ.
Radix.
Caulis.
Cortex.
Ramus.
Folium.
Flos.
Fructus.
Semen.

PLANTARVM DIFFERENTIÆ *à radice ductæ.*

RAdicibus alijs adnascentibus. Phu.

Quęcunque pars quacunque terram contigerit radicatur Serpyllũ hortense.

Veluti adnatis alijs. Filix.

Adnatis multis, nigris, duris, adstringentibus, cornu soliditate sibi inuicem implicitis, Astralagus.

Præter radicem nihil habet Tuber.

Radice pilosa, Polygonatum Chrysocome, Polypodium, Dryopteris, Plantago maior.

Multis capillamentis fibrata. Muris auricula altera.

Tuberculum habente. Asparagus.

Numerosis rotũdis capitulis. Oenanthe.

Ceu glandibus circiter septem aut octo, ut in Hastula regia, inhærentibus, Pæonia fœmina.

Radice fistulosa ac concaua, Cicuta, Solanum furiosum.

Muscosa. Acanthus.

Succosa. Centaurium maius, Smyrnium.

Per messem succum fundente, Anchusa.

Liquore plena, Peucedanus, Scammonia, Argemone, Poterion, Hippophaes,

altera, Anemone sylvestris, Aristolochia clematitis, Origanus syluestris, panaces Chironium, Apiũ montanum, Libanotis fœcunda prior, Asclepias, Heliotropium maius, Atractylis Latinis Colus rustica, Trifolium, Alypon, Bechion, id est, Thussilago, Ambrosia, Onosma, Pes cornicis, Hemionitis, Anthyllidis primum gen⁹, phalaris, Cepæa, Britannica, Epimedium, Anchusa altera, Ocimastrum, Tragium aliud, Heliochrysum, Verbenaca supina, Chamæcissos, id est, Hedera humilis, Phyteuma, Alisma uel Damasonium, Veronica, Peplium, Veratrum utrunque, Sesamoides utrunque, Catanance prima, Chamæsyce, quasi humilis & terrestris Ficus.

Supra digitum gracili. Echion.

Tenuis libri. Dracunculus uterque, Satyrion alterum quod priuatim erythron, id est, rubens nuncupatur.

In pingui & campestri solo crassa, in montibus graciliore, Chamæleon albus.

Inferiore sui parte tenui, superiore uero crassiore, Gladiolus, Enula Ægyptia.

Longa, Meon, Enula, Asparagus, Tragopogon, i. Barba hirci, Acanthus, Pyrethrum, Gentiana, Glycyrrhyza i. dulcis radix, Eryngiũ, Seseli massiliense, Trifolium, Rubia, Æthiopis, Polygonatũ, Symphytum petræum, Xyris, Neriũ, siue Rhododaphne, Ephemeron, Crocodilium, Verbascum candidũ fœmina. Myrrhis, Oenagra, Phyteuma, Scammonia, Ebulum Thelypteris, id est, Fœmina Filix.

Inter multas tribus quatuorue tantũ in longitudinem progressis, Chelidonium minus.

Oblonga. Asphodelus, Latinis Hastula regia, Orchis, hoc est, Testiculus, Onosma, Filix, Anchusa altera, Pentaphyllon. i. Quinquefolium, Verbenaca supina, Papauer erraticum.

Lõgissima. Aristolochia Clematitis.

Tres digitos longa. Elaphoboscus.

Longitudine quatuor digitorum. Olosteum.

Dodrantali. Pæonia mas, Circæa, Daucus Creticus.

Pastinaca erratica. Medium, Aristolochia longa.

Dodrantalem magnitudinẽ aliquando superante. Aristolochia lõga.

Paulo dodrantem excellente. Mandragoras tertius qui morius.

Duos dodrantes longa. Ambrosia.

Cubitali. Alcea, Polemonia, Scammonia, Dorycnium, Solanum furiosum.

Bicubitali. Centaurium maius.

Bicubitali aut tricubitali. Poterium.

Breui. Britannica.

Lata. Tragacantha quasi hircina spina, Lycium, Eryngium, Alcea.

Aliquantulũ lata. Cyclaminus, Crocodilium.

Alba radice. Dracunculus maior, Plantago maior, Aron, Arction, primum Ranunculi genus, Ononis, uel Anonis, Panaces Herculeum, & Asclepium, Ligusticum,

Elapho-

Elaphoboscus, Libanotis fœcunda prior, Spondylium, id est, Verticillus, seu Verticillaris herba, Circæa, Nymphæa altera, Pæonia mas, Alcea, Cucumer syluestris, Scamonia, Polygonatum, Polemonia, Gramen Parnasi, Tragium aliud, Papauer spumeum, Solanum furiosum, Pityusa, Mandragoras tertius cognomine morius, Oenagra, Tripolium, Olosteum.

Lactis liquore. Condrilla altera, Pityusa, Tithimalus tertius cognomine paralios, id est, maritimus.

Subalbida, Acorus, Gingidium, Papauer erraticum.

Buxei coloris, Glycyrrhiza.

Ruffa. Xyris.

Subruffa. Phu, Symphytum petrę̃ũ.

In nigro ruffa. Thelypteris.

Flauescente. Condrilla altera, Tuber.

Lutea. Pycnocomon.

Diluti aqua croci colore liquorem ex se remittente. Argemone.

Rubente. Acanthus. Rubia, Anchusa altera, Lycopsis.

Per æstatem sanguinea ac sangnineum succum fundente, Anchusa.

Subrubra. Onosma, Pentaphyllon.

Subrubra & succi rubescentis. Centaurium maius.

Quum ex terra foditur uirente, Phalangium.

Atra, Cyper⁹, Scolymos, id est, Carduus, Alia Ruta syluestris, aliquibus sic dicta, Cyclaminus, Pycnocomon, Filix, Chamæleon niger, Epimedium, Peucedanus, Leontopetalon, Nymphæa, Papauer corniculare, Aconitum alterum, Veratrum nigrum.

Nigricante. Echion.

Ruffa ac purpurascente. Pancration.

Superficie ruffa, intus candida. Satyrium utrunq;.

Corticis in nigro ruffi intus niuea. Colchicon.

Decorticata albescente, forinsecus rubra, Enula campana.

Rubentis corticis. Solanum somnificum.

Foris atra intus alba, Apios, Lappa, Hipposelinum, Mandragoras fœmina, Eryngium, Thapsia Libanotis fœcunda altera, Symphytũ alterum.

Summa facie nigra, buxeo colore intus. Vitis nigra.

Nigra ubi dissecta fuerit Fulua, Chamæleon niger.

Extrinsecus nigra, cortice exuta rubente. Chrysogonum.

Corticis foris nigri, intus uiridis pallescentis ué. Smyrnium.

Nigro cortice uestitus. Bulbus uomitorius.

Intus candida. Chamæleon albus, Althæa, Narcissus.

Intrinsecus pallida. Enula Ægyptia.

Interna parte Buxei coloris, Aristolochia rotunda & longa.

Derasa herbaceo colore. Polypodium.

Radice iucundi odoris. Iris, Acorus, Meon, Cyperus, Asarum, Enula, Batis, Eryngium, Ligusticum.

ſticum, Paſtinaca erratica, Seſeli Maſſilienſe, Oluſatrum, Smyrniũ Fœniculum erraticum, Aſclepias, Circæa, Aliſma, Ephemeron, Myrrhis Tripolium, Laurus alexandrina.

Odorati corticis, Ariſtolochia clematitis.

Odoris aſperi. Crocodylium.

Grauiter odorata. Chamæleon alb⁹, Panaces Herculeũ, Peucedanus, Polygonatum, Epimedium, Ariſtolochia rotunda & longa.

Non ſine aliquo uiroſo odore. Phu.

Grauiſſimi odoris liquorem fundente, Scammonia.

Terram olente, Pycn ocomon.

Vini halitu & odore ſiccata, Oenagra.

ADſtrictoria radice, Pæonia mas, Ephemeron, Verbaſcula duo.

Guſtum quadamtenus aſtringente, Filix.

Acerba, Verbaſcum candidum fœmina, Medium.

Lenti ſaporis. Æthiopis.

Inſipida, Epimedium.

Guſtu ſuaui. Batis, Myrrhis, Satyrium, Chryſocome.

Dulci. Gramen, Barba hircina, Chamæleon albus, Elaphoboſc⁹, Geraniũ, Satyrium, Arction, Gramen Parnaſi.

Corticenudata dulci. Colchicon.

Salſa. Nerion.

Amara. Gingidium, Primum Ranũculi genus, Gẽtiana, Ariſtolochia rotunda & longa, Centauriũ minus, Leucacantha, id eſt, Spina alba, Papauer erraticum, Hippophaes.

Subamara. Cyperus.

Corticis ſubamari. Panaces Herculeum.

Acri. Acorus, Aſaron, Dracunculus uterque, Aron, Ariſaron, Meon, Enula, Aſphodelus, Chamæleon, niger, Panaces Chironium, Smyrniũ, Aliſma, Tripoliũ, Thapſia.

Liquoris acris, Argemone, Alypon.

Maxime feruida. Pyrethrum.

In dulci leniter auſtera, Chryſocome.

Subacerba ſed dulci. Glycyrrhiza.

In dulci acerba. Dryopteris, Polypodium.

Acerba, amareſcenteq́; Myrtus ſylueſtris Latinis Ruſcus.

Sapore acri cum adſtrictione dulcedineq́; aliqua, Centauriũ maius.

Feruida ſimul & amara. Pancration.

MOlli radice. Smyrnium, Polygonatum, Gramen Parnaſi, Hippophaes Romanis Lappago, Hippophæſton.

Tenera, Plantago maior, Mandragoras tertius priuatim morius nuncupatus, Arction, Myrrhis.

Corticeſpoliata tenera. Colchicon.

Aliquatenus pingui. Aliſma.

Glutinoſo lentore molli, Acanthus, Enula campana, Althæa ſiue Ebiſcus, Symphytum alterum, id eſt, Solidago altera.

Dura, Centaurium maius, Smilax aſpera, Hippuris Latinis Equiſetum.

Solida & tenaci. Iris, Poterion, Trifolium, Chamæleon niger, Leucacantha.

Infirma

Infirma, Onosma.
Aspera, Nymphæa utraque.
Inani & leui. Condrilla altera.
Ponderosa, Centaurium maius.
RAdice inferiore uegeta distentaque, superiore languida & rugosa. Testiculus.
Rotunda, Asparagus, Condrilla altera, Dracunculus uterque, Argemωne, Periclymenum, Astragalus, Myrrhis, Narcissus, Pycnocomō, Tuber.
Aliquando rotunda, Cyperus.
Modice rotunda, Geranium.
Tereti, Asphodelus.
In acumen desinente, Condrilla, Nerium.
Quibusdam ceu geniculis intersecta, Anemωnæ omnes cultis nascētes.
Geniculata, Iris, Acorus, Asarum, Gramen.
Crebris geniculis dissecta, Xyris, Polygonatum.
Condylorum modo tuberculis quibusdam excrescentibus, Leontopetalon.
Aliquando corrosa, Chamæleωn niger.
Multifida, Oxyacantha.
RAdice polyporum ritu cirrhis prædita, Polypodium, unde nomen inuenit.
Cirrhis marinarum squillarum simili, Aconitum alterum.
Minimorum testiculorū figura, Orchis, id est testiculus ita idcirco appellatus, cognomine serapias.
Scorpionis caudam repræsentante, Aconitum.
Capilli in modum tenuissima, Olosteum.
Iuncea, Catanance prima.
Pomi speciem exhibente, Satyrium.
Exiguum malum æquante, Pycnocomon.
Coroneum malum referente, Lωtos Ægyptia.
Ad piri figuram accedente sed rotundiore, Apios inde nomen sortita.
Oliuam æmulante, Cyperus, Anemωnæ omnes cultis nascentes, Cotyledωn Latinis Acetabulum siue Veneris umbilicus, Catanance altera, Arisaron, Testiculus.
Aliquanto quàm oliua maiore. Anemωnæ omnes culta amantes.
Glandis effigie, Asphodelus.
Ad tritici formam coaceruata, Chelidonium minus.
Liquoris gummi referentis. Poterion.
Thuris odore, Libanωtis fœcunda prior.
Linosa, Lycium, Capparis, Tragacantha.
Equisetum, Nerion, Tithymalus mas qui characias dicitur.
Similiter alabastris nitente, Aconitum.
Clauæ alicuius modo nodosa, Nymphæa.
Pali instar in terram defixa, Aloe.

RADICVM INTER SE COLlatio iuxta Alphabeti Græci seriem.

AGrosteos, Graminis.

Radice

Radice gramini proxima: Asarum, Ruscus.
Lõge graciliori. Asarum.
Altheæ, Ebisci, siue Hibisci.
Altheæ simili. Cannabis syluestris, Anemones.
Anemones culta amantis radice numerosiore, syluestris. Ari.
Maiore quam Ari acrimonia, Arisaron. Aristolochiæ.
Longæ Aristolochiæ radicem æmulante. Gentiana.
Asphodeli. Hastulæ regiæ.
Asphodeli radicem simulante graciliore tamen. Nardus montana.
BOlbi. Bulbi.
Radice bulbosa. Ornithogalon, Dracunculus minor, Moly, testicul⁹, Satyrium, Narcissus, Bulbus uomitorius, Hyacinthus Romanis Vaccinium.
Grandi Bulbo simili. Pancration, Hemerocallis Latinis Liliũ syluestre.
Exigui Bulbi figura. Gladiolus.
GEntianæ.
Radice Gentianæ æmula. Glycyrrhiza.
Congylidis. Rapi.
In globum Rapi modo rotundata. Aristolochia rotunda, Chrysogonon, Cyclamin⁹, Leontopetalõ.
DAuci. Pastinacæ syluestris.
Radice syluestrem pastinacam imitante. Lonchitis, id est, Lanceola.
Dracontij. Dracunculi.
Ad Dracunculi radicem accedente, sed minus acri. Aron.
HEllebori. Veratri.
Veratri modo adnascentibus alijs radicibus, Ranunculus primus.
Veratri gracilitate, Chrysocome, Vetonica.
Nigrum Veratrum exprimente. Baccharis, Alisma.
Crassiore. Pentaphyllon, id est Quinquefolium.
IRidis.
Radice Iridis specie. Acorus.
CAlami. Harundinis.
Harundinis radice crassiore. Faba Ægyptia.
Cardami. Nasturcij.
Nasturcium simulante. Hiberis.
Nasturcij odore. Crocodilium.
Cinnamomi odorati.
Cinnamomo odorato proxima. Baccharis.
Cichorij. Ambubeiæ.
Ambubeiam seu agrestem Intybum æquante. Chamæpitys, Anthillidis secunda species.
Croci.
Croci radici non diuersa. Chelidonium maius, hoc est, Hirundinaria maior.
Ciperi. Quadrati odorati Iunci.
Quadrati odorati Iunci æmula. Leucacantha,
Gustum, qualis in Cypero est, obtinente. Chysocome.
MAndragoræ fœminæ.
Radice ad Mandragoram fœminam proxime alludente, maiore tamẽ candidioreq́ȝ. Mandragoras mas. Myrsines agriæ. Myrti agrestis Latini proprie Ruscum uocant.
Rusci æmula sed maiore & molliore. Laurus Alexandrina.
PAnacis Heraclei.
Radice Panaci Herculeo simillima. Ligusticum.

RAphani. Radiculæ.

Radice Raphanum imitãte. Dracunculus minor, Spondyliũ, Astragalus.

Agrestem Raphanũ effingente. Tragium aliud.

SColopendrij, seu Aspleni.

Radice in uniuersum Scolopendrium referente, maiore tantum & leuorem maiorẽ habente. Muris auricula altera.

Spondylij verticilli seu verticillaris herbæ.

Quæ Spondylio est æqualis. Apios.

Struthij Radiculæ, seu Lanariæ herbæ.

Struthium repræsentante, Polemonia.

TEutli. Betæ.

Radice Betæ figura. Alypon.

HYperici.

Radice quam Hyperici maiore. Cotiledωn altera.

ODorati rotundi Iunci aut nigri Veratri in morem sibi ipsi implicita. Phu.

RAdice idem principium sortita. Chelidonium minus, Æthiopis, Panaces Herculeum.

Ex ceposo capite exiguo & oblongo exorta. Veratrum utrunq;.

In partes distracta. Meon.

Altius descendente. Oxyacantha.

Nõ profunda. Cicuta, Panaces Chironium.

Quæ in superficiæ terræ hæret. Acorus, Filix, Phyteuma, Papauer corniculare & spumeum.

Supra terram emergente. Tragacantha.

Obliqua. Acorus, Asarum, Thelypteris, id est, fœmina Filix.

Alijs obliquis, alijs rectis, Meon.

Alijs adnascentibus quæ transuersæ feruntur. Phu.

Altera alteri insidente. Gladiolus.

Mutuo contactu sibi inuicem cohærentibus, Cyperus, Testiculus.

Sibi inuicem implicitis. Mandragoras fœmina.

Superiore altera, altera inferiore, Testiculus.

INutili radice. Daphnoides, hoc est Laureola, Lathyris, Chamæsyce quasi dicas humilem & terrestrẽ Ficum, Heliotropium maius, Cyclaminus altera, Centaurium minus, Origanus syluestris. Omnes Calaminthæ species, Chamæcissos, id est, humilis Hedera, Serpillum syluestre, Attractylis, Bechion, Conyza minor, Phalaris, Polygonon fœmina, Ocimastrum, Adiantum, Senecio, Peplos, Peplium siue Peplis.

PLANTARVM DIFFErentiæ à caule tractæ.

VEluti coliculis diuaricatis utrinque ex summo ramulorũ emergentibus, Lithospermum.

Caule glabro ac folij experte. Cyclaminus, Narcissus, Satyrium, Orobanche.

Qui præterquam in ca cumine folio nudus est, Atractylis Latinis Colus rustica.

Spinosa. Dipsacos Latini Veneris labrũ apellitant, Hieraciũ maius Latinis

tinis Lactuca erratica maior.

Spinis inter folia ex interstitio emicātibus, Hippophaes Romanis Lappago siue Lappula.

Hirsuto, Marrubium nigrum, Orobanche.

Cacumine hispido, Cirsium.

Leniter hirsuto caule, Caucalis, Verbascum candidum fœmina.

Lanuginoso, Panaces Herculeum, Papauer erraticum, Symphytū alterum, id est, Solidago altera, Anemonę omnes culta amantes, Geranium alterum, id est, altera Gruina herba.

Capillamentis quibusdam spicarū forma, Tribulus aquaticus.

Allij simile quiddam in summo habente, Moly.

Exiguis ueluti lingulis in summo secus folia exeuntibus, Hippoglosson.

Apicibus quibusdam annuentibus in cacumine promptis similitudine gruini capitis, aut caninorū dentium, Geranium alterum.

Per totū denso, Myriophyllon, hoc est, Millefolium.

Quum siccari cœperit corticem ceu tunicam dimittente, Veratrum album.

Intus concauo, Sonchus tum agrestior & aculeatior, tum tenerior & qui edendo est, Gentiana, Hieracium maius, Hipposelinum Latinis Olusatrum, Hippuris utraq; Latini Equisetum uocant, Veratrum album, Narcissus, Muris auricula altera, Acantha leuce, id est, Spina alba, Phu, Cannabis satiua, Lathyris.

Liquorem exudante, Condrilla altera, Erinus, Tithymalus mas cognomine characias.

Qui commanducatus succo irrigat, Semperuiuum tertium.

CAule uacantes plantæ, Tuber, Chelidonium minus, Chamæleon albus, Libanotis sterilis, Phyllitis, Hippophæston, Onosma, Asplenon, Chamæsice quasi humilis Ficus, Hemionitis, Mandragoras tum mas, tum fœmina, Bryon thalassion, id est, Muscus marinus, Cynoglosson, Filix, Adiantum, cui tamen tenuissimi sunt coliculi.

Interdum non emisso, Arcion Latinis Lappa.

Aliquibus locis non erumpēte, Elenium Romani Enulam siue Inulam dicunt.

Multis caulibus, Marrubium nigrū, Muris auricula altera, Eryngiū, Phalaris, Semperuiuum minus & tertium, Echion.

Simplici caule, Apium montanum, Alysson, Polygonon fœmina Latini Sanguinalem fœminam nominant, Millefolium, Alisma, Ageratum.

Plerunque unico, Peristereon rectus Latinis Verbenaca recta.

Tribus quatuorue, Alcea.

Decem aut duodecim Solanum furiosum.

GRandi caule, Gentiana, Cicuta, Poterion, Oenagra, Fœniculum erraticum.

Aliquibus locis grandi, Pityusa.

Plantæ coliculis præditæ, Cotyledon

sed in utroque, Cynocrambe, Caucalis, Cyminum syluestre, Buphthalmos, Polygonon fœmina, Coccus baphicus, Tragus, Thalictrum, Thymus, Polium montanum, Leontopodion, Lithospermum, Ligusticum, Chrysocome, Plātago minor, Senecio, Helxine, Echium, Erysimum Latinis Irio, Viola nigra, Millefoliū, Muris auricula altera, Geranium alterum, Adiantum, Semperuiuum minus, Item tertium, Ambrosia, Anemonæ omnes cultis gaudentes, Asparagus, Aphace, Erythrodanum, id est, Rubia, Alysson, Astragalus, Amomum, Arisaron, Pes cornicis, Barba hircina, Peplos, Scorpioides, Staphis syluestris, Solanum uesicarium, Sesamoides minus, Sion, Tragoriganus, Hippoglossum, Hieracium minus, Hippuris, Thlaspi, Stratiotes millefolia, Chamæpitys, Tordylon seu Creticum Seseli, Artemisia quibusdam appellata, Phalaris, Orchis serapias: Orobanche, id est, Eruangina, Ornithogalum, Eruum, Ruta syluestris.

Crasso: Cyclaminus altera: Oenanthe: Symphytum alterum, Æthiopis: Altercum.

Satis crasso. Xyris.

In summo quam in profundo crassiore. Tribulus aquaticus.

Crassitudine digitali. Faba Ægyptia, Gentiana, Chamæleon niger, Acanthus, Lathyris.

Humani pollicis crassitudine. Acantha leuce, Semperuiuum maius.

Aliquando crassiore. Acantha leuce.

Baculum crasso. Dracūculus uterque.

Tenui, primum Ranunculi genus, Smilax hortensis, Thlaspi, Ornithogalon, Chelidonium maius, Panaces Asclepium, Cyminum syluestre, Peucedanus, Nymphæa, Phyllon, id est, Folium cognomine Thelygonon, Alisma, Vetonica, Lysimachia, Limonium, Artemisia altera, item quæ hoc nomine nonnullis appellatur, Eruum, Acetabulum alterum, Buphthalmos, Echion, Ligusticum, Anemonę omnes cultis nascentes, Semperuiuum minus, Muris auricula altera, Geranium alterum.

Extremæ gracilitatis, Adianthum.

Qui minimo hominis digito est gracilior. Hyacinthus Latinis Vaccinium.

Longo. Cannabis satiua, Rubia, Lycopsis, Arction, Solanum furiosum.

Oblongo. Scolymos id est, Carduus, Elelisphacos, Latinis Saluia, Pes cornicis.

Oblongo nō tamē grandi. Tragus.

Digitali. Napus, Leontopodium.

Palmi altitudine. Cyclaminus, Veratrum album.

Longitudine duorum palmorum. Phalaris.

Dodrantali. Orchis uterque Adiantum, Sesamoides, Cynocrambe, Polypodium, Tussilago, Aron, Caucalis, Chamæleon niger, Cyminum syluestre, Apium montanum, Oenanthe, Onobrychis, Leontopetalon, Sideritis prima &

tertia, Hyacinthus, Chrysocome, Hypericum, Coris, Anthyllis prima, Trixago, Polium montanũ, Papauer spumeum, Aconitum, Colchicon, Tripolium, Tithymalus quintus priuatim cyparissias dictus, Stratiωtes millefolia, Ageratum, Linozostis Latinis Mercurialis herba, Pseudobunium, Polygalon, Verbenaca recta.

Fere dodrantali. Tragus, Semperuiuum minus.

Qui dodrante est maior. Centauriũ minus, Narcissus.

Aliquando dodrantem superante. Sideritis, Tithymalus quintus, Leontopetalon, Caucalis, Stratiωtes millefolia, Mercurialis, Verbenaca recta.

Interdum dodrantem paulo excellente, Tragus.

Duos dodrantes longo. Thlaspi, Geranium alterum, Clinopodium.

Altitudine duorum fere dodrãtum. Pæonia.

Trium dodrantum magnitudine. Ambrosia.

Semipedali. Daucus Creticus, Orobanche.

Fere semipedali. Ornithogalon.

Semipedem aliquando excedente. Orobanche.

Pedali. Melanthium Latinis Nigella, Conyza minor.

Pedalem longitudinẽ nonnunquam supergresso. Melanthium.

Altitudine quantum protensa hominis utrinq; brachia ab altero summo medio digito ad alterum, traiecta per pectus longitudine, patent, Solanum furiosum.

Dimidij cubiti magnitudine, Ormi non satiuum.

Cubitali. Cyperus, Phu. Faba Ægyptia, Plantago maior, Ranunculus primus, Chelidonium maius, Baccharis, Cnicus, Panaces Asclepiũ, Libanωtis fœcunda prior, Spondylium, Satyrium, Althęa, Vetonica, Lysimachia, Gladiolus, Xyris, Semperuiuũ maius, Senecio. Laureola, Hiberis, Aconitum alterum, Verbascum candidum fœmina, Xanthion, Lathyris.

Paulo minus quam cubitali, Rhu, Papauer erraticum.

Qui aliquando est cubito minor. Hiberis.

Cubitum excellente. Batrachion secundum, id est, Ranunculus secundus, Pityusa, Alisma, Polygonatum, Equisetum alterum, Tithymalus mas cognomine characias.

Qui interdum maior est cubito. Cyperus, Phu, Chelidonium maius, Libanotis fœcunda prior, Spondylium, Vetonica, Lysimachia, Verbascum candidum fœmina, Aconitum alterum, Semperuiuũ maius.

Bicubitali. Dracunculus uterq;, Gentiana, Myagros, Centaurium maius, Acanthus, Conyza maior, Symphytum alterum, Lotus syluestris.

Plerunq; duum cubitorum. Meon.

Propemodum bicubitali. Cirsium.

Duobus

Duobus cubitis maiore. Isatis satiua, Acantha leuce.
Duobus cubitis aliquando altiore, Symphytum alterum, Lotus syluestris.
Tricubitali, Medium.
Tres aliquando cubitos longo. Centaurium maius.
Longitudine ad quatuor cubitos. Moly.
Breui. Ladanum, Epimedium, Phillon priuatim thelygonon, Solanū satiuum, Cistus, Cotyledon, Barba hirci, Oxalis, Britannica, Anagallis, Paronychia, Sium, Ptarmice, Astragalus, Epipactis, Stratiotes millefolia, Rumex agrestis, Glycyrrhiza, Periclymenum, Tragoriganus, Melanthium, Trixago, Ambrosia.
Nitente caule, Adiantum, Gentiana.
CAule candido. Moly, Chamæpitys tertia, Cacalia, Ornithogalon, Typha.
Albæ lanuginis. Panaces Herculeū.
Liquorem lacteum remittente, Condrylla altera, Erinus, Tithymal⁹ mas cognomine characias.
Albicante, Lappa, Acantha leuce, Cynocrambe.
Spinis subalbidis. Hippophaes.
Rubro. Chamæleon niger, Hieraciū maius, Semperuiuum tertium, Orobanche, Tithymalus characias & Cyparissias.
Rubescente, Plantago maior, Isatis syluestris, Senecio, Millefolium, Helxine, Equisetum.
Aliquatenus ab imo rubente. Muris auricula altera.
Cum rubore albescente. Sideritis tertia.
Purpurascente. Aron.
Colore in pupura albicante. Phu.
Viridi. Hieracium minus.
Viridissimo. Semperuiuum maius.
Nigro. Marrubium nigrum, Nymphæa, Adiantum, Staphis syluestris.
Nonnunquam subrubro. Sonchus, tum agrestior & aculeatior, tum tenerior & esculentus.
Versicolore, ut angui similis uideatur, abundantibus & euincentib⁹ purpureis lituris, Dracunculus uterq;.
CAule astringendi uiribus efficaci, Limonium.
Dulci. Phalaris.
Liquoris acris, Tithymalus mas peculiariter characias, id est, Vallaris nuncupatus.
Gustu nō iniucundo cum adstrictione aliqua. Sideritis.
Vliginoso & salso, Semperuiuum tertium.
MOlli caule. Arction, Staphis syluestris.
Tenero. Phu, Hieracium minus, Hipposelinum, Sideritis tertia, Buphthalmos, Ornithogalon, Millefolium, Cirsium, Cynocrambe, Orobanche.
Pingui. Semperuiuum maius, Xanthion, Orobanche.
Duro. Equisetum.
Duris spinis prædito. Hippophaes.
Firmo. Hydropeperi.
Enodi & æquali. Thypha, Equisetū alterum.

Cui inest leuor. Phu, Asphodelus, Acanthus, Typha, Nymphęa, Symphytum alterum, Sideritis tertia, Dracunculus, Chrysanthemum, Hyacinthus.

Veluti arte expolito. Millefolium.

Scabro. Pastinaca erratica, Hieraciũ maius, Chamæpitys tertia, Lycopsis, Papauer erraticum, Æthiopis, Rubia, Veratrum nigrum.

Asperæ lanuginis. Symphytum alterum.

Subaspero. Baccharis, Equisetum.

ANguloso caule. Cyperus, Plantago utraq;.

Sonchus tum qui aculeatior, tum qui tenerior et edendo est. Centaurium minus, Baccharis, Symphytum alterum. Xanthium.

Spinis angulosis. Hippophaes.

Triquetro, Cirsium.

Quadrangulo. Marrubium, Orminon satiuum, Clymenum, Anagallis, Marrubium nigrum, Scordium, Veronica, Pycnocomon, Sideritis, Rubia, Æthiopis, Napus, Ebulum.

Cacumine circinato. Cirsium.

Geniculato. Phu. Hydropeperi, Cyclaminus altera, Gẽtiana, Elaphoboscus, Ligusticum, Phalaris, Equisetum.

Multis geniculis pręcincto. Pityusa, Ebulum, Polycnemon, Polygonon fœmina.

Veluti lineis intersecto, Hipposelinum.

Secus angulos eminentibus productionibus quibusdam a' singulis alarum cauis, Symphytum alterum.

Alis concauo. Hydropeperi, Muris auricula altera, Orchis serapias.

Alarum cauitatibus multis. Libanotis fœcunda prior, Æthiopis, Lotus syluestris, Leontopetalon, Xanthion, Solanum satiuum, Botrys.

Binis alis in singulis geniculis foliorum excauatis. Telephium.

Diuisionibus multis. Isatis syluestris.

In summo se diuidente. Tripolium.

CAule fruticoso. Lysimachia.

Glabri pediculi æmulo. Aconitũ

Lignoso. Aster atticus.

Geniculis tubarum modo in seipso farctis. Polygonon fœmina.

Thyrsum simulante. Alisma.

Pistilli figura. Aron.

CAVLIVM INTER SE AFFInitas & dissimilitudo secundum Græcarum literarum ordinem.

ANagallidis.

Caule Anagallidem referente. Anthirrinum.

Andrachnes. Portulacæ.

Portulacæ proximo. Telephium.

Anethi.

Anethum æmulante. Ligusticum.

Anisi.

Qui Aniso non dissimilis Meon.

Aparines, seu Philantropi.

Aparinen imitante, undiq; tamen maiore & ualidiore. Rubia.

Asphodeli, seu Antherici Albuci.

Asphodeli seu Hastulæ regiæ ęmulo. Aloe.

Ballotes,

Tithymali. Lactariæ herbæ.

Caule incisuris prædito quales in uallari Lactaria herba. Semperuiuũ maius.

Triphylli. Trifolij.

Trifolium pratense imitante, Medica herba.

Phlomi. Verbasci.

Verbasci candidi fœminæ caule graciliore, Verbascum candidũ mas.

AD BINOS CAVLES COMparatio.

Caule Libanotidem aut Fœniculum mentiente, Elaphoboscus.

Apiastrum aut Arction referente, Æthiopis.

Agrestis Dauci & Fœniculi figura, Pyrethrum.

Caule ex una radice toto prolato, Peplos.

Ex medijs folijs emergente, Xyris, Viola nigra.

Coliculis ex alarum cauis prodeuntibus, Muris auricula altera.

Ex medio proficiscente caule, Semperuiuum minus, Cacalia, Cotyledon.

Humi serpente, Anagallis, Sampsuchum, Chamæpitys, Ageratum, Tragus, Pes cornicis, Rumex agrestis, Astragalus, Verbascula duo.

Vbi adoleuit in terra sparso, Solanũ uesicarium.

In gyrum per terram strato. Capparis.

Propinquis arboribus palmitum in uitibus modo se inuoluente, Cyclaminus altera.

In sublime, uicinas stirpes scandendo, se attollente ac ex illis pendente, Equisetum.

Recto, Dracũculus uterq;, Pastinaca erratica, Lymoniũ, Lycopsis, Cacalia. Equisetum alterum, Anthyllis prima, Staphis syluestris.

Incuruo, Chamæpitys.

In terram procliui, Plantago minor, Semperuiuum tertium.

Caule qui cum flore quamprimũ amittitur, Tussilago.

PLANTARVM DIFFERENtiæ à ramulis desumptæ.

Ramulis in quibus foliola aculeos operiunt. Tragacantha.

Acuminatas spinas succulorum modo habentibus, Ononis.

Hirsutis. Aparine, Ocimastrum, Ruta syluestris.

Subhirsutis. Scammonia.

Veluti gummi mastiches fabæ magnitudine in ima parte reperto, Cõdrilla.

Copioso liquore madentibus, Tithymalus tertius qui paralios, id est, maritimus, & quartus qui Helioscopos, id est, Solisequus nominatur, Chamæsyce quasi humilis ficus.

Ramosæ plantæ, Elelisphacos, Marrubium, Stachys, Ambrosia, Solanum somnificum, Tithymalus dendrodes, id est, arborescens, tertium Sonchi genus, Napus, Aristolochia rotunda, Prarmice,

mice, Laureola, Sampsuchū, Aparine, Thelypteris, id est, fœmina Filix, Polygonon mas, Solanū somnificum, Scamonia, Ruscus, Cistus, Ladanum, Asparagus.

Vno ramulo, Artemisia aliqua.

In duos ramulos diuisa est Batis.

Binis aut ternis ramulis, Apios, Phalangium.

Aliquando pluribus quam ternis. Phalangium.

Ternis quaternisu'e aut quinis, Heliotropium maius.

Quaternis aut quinis. Tithymalus quartus.

Quinis aut senis, Erinus, Chamæcissos, id est, humilis Hedera, Glaux, Elatine, Tithymalus tertius.

Senis aut septenis. Telephium.

PAruis ramis, Ptarmice. Aparine, Tragacantha, Hypecoon, Apios.

Gracilibus. Aristolochia longa, itē Clematitis, id est, sarmentaria. Poterion, Lithospermum, Melanthium, Origanus syluestris, Serpyllum syluestre. Acinus, Andro sæmos, Polygonon mas, Polemonium, Symphytum petræum, Sideritis secunda, Elatine, Trichomanes, Anchusa altera, Apios, Tithymalus quartus.

Aliis ex superioribus alarum cauis prolatis gracilibus, Sideritis secunda.

Breuissimis. Artemisia aliqua quibusdam sic dicta.

Longis. Vitex, Poterion, Asclepias, Tragacantha, Thelypteris.

Aliis ex superioribus alarum cauis prodeuntibus longi, Sideritis secunda.

Longitudine digitorum quatuor. Chamæsyce.

Sedigitalibus. Phœnix Latinis Hordeum murinum.

Semipedalibus. Origanꝰ syluestris.

Dodrantalibus, Ononis, Seseli Æthiopicum, Anthemis seu Chamæmalum, Ocimastrum, Erinus, Elatine, Quinquefolium, Psylliū Latinis Pulicaris, Glaux, Laurus Alexandrina, Chamæcissos, Tithymalus tertius & quartus, Chamælæa, id est, Oleastellus siue Oleago.

Fere dodrantalibus, Aristolochia longa.

Dodrante aliquando maioribus, Ononis, Laurus Alexandrina.

Duos dodrantes longis & aliquando maioribus, Delphinium.

Cubitalibus, Enula Ægyptia, Chamæpitys secunda, Cytisus, Batis, Ruscus.

Cubito breuioribus. Dorycnium.

Cubitum quandoque superantibus, Cytisus.

Bicubitalibus. Glycyrrhiza, Sideritis secunda.

Trium & nonunquam quatuor cubitorum magnitudine, Scammonia.

Quinqꝫ tantum non cubitos longis, Rhamnus tertia.

RAmis nitentibus. Trichomanes.

CAndidis spinis. Tragacantha.

Lactis liquore. Tertius & quartus Tithymalus, Chamæsyce.

Rubentibus ramis. Tithymalus tertius quartus & sextus, Apios.

Nigrescentibus, Trichomanes.

Ramis acerbis, Elatine.

Mollibus ramis, Poterion.

Teneris, Polygonon mas.

Pinguibus, Scammonia.

Firmis, Tragacantha, Lithosper-mum.

Solidis aculeis & ad uulnus infestis, Onωnis, Tragacantha.

Ramis lentore suo fractu contumacibus, Ruscus, Solanum somnificum.

A medio in superiorem partem iunceo lentore flexilibus, Laureola.

Corticis egregie lenti, Laureola.

Teretibus ramis, Ptarmice.

Angulosis, Calamintha montana.

Quadrangulis, Aparine.

Geniculatis, Polygonon mas, Gramen.

Qui numerosis geniculis dissecti, Onωnis.

Qui geminatis intercepti geniculis, Linozostis.

Numerosis alarum finibus, Onωnis, Linozostis, Anthemis, Androsæmos, Heliotropium maius.

Pennatis ramis, Polemonia.

Fruticosis, Onωnis, Chamæmalum.

Cremiorum in modũ lignosis, Serpyllum syluestre.

Vitilium instar lentore suo infragilibus, Vitex, Poterium, Ruscus.

Festucarum ritu gracilibus, Pentaphyllon.

Iuncorum figura, Apios.

Lignosis, Lithospermum.

Ancorarum modo inflexis, Chamæpitys secunda.

RAMORVM INTER SE *comparatio.*

Abrotoni.

Ramis Abrotono similibus, Ptarmice. Agrosteos Graminis.

Graminis exemplo per terram serpẽtibus, Polygonon mas.

Alijs Graminibus multo ramosius. Gramen Parnasi.

Artemisiæ.

Crassioribus ramis altera est Artemisia.

Bunij, Napi.

Ramis Napo, similibus, Pseudobunion.

Delphinij.

Ramis Delphinio multo gracilioribus, Delphinium alterum.

Erebinthi, Ciceris.

Ramulis Ciceri proximis, Astragalus. Herpylli, Serpylli.

Serpylli specie in terra iacentibus, Enula Ægyptia.

Qui non hortensis Serpylli modo serpũt, sed recti stãt, Serpyllũ syluestre.

Eryngij.

Eryngij æmulis, Nardus montana.

Calami, Harundinis.

Ramis Harundinis in morem concauis, Ricinus.

Calaminthæ, Nepetæ.

Calamintha montana, & ea quæ pulegium refert maioribus, Calaminthæ tertia species.

Origani.

Ramis Origanum referentibus, Serpyllum, Symphytum petræum.

Origano tantum candidioribus, Serpyllum hortense.

Oxyschœni, acuminati Iunci.

Oxyscheni crassitudine, Lithospermũ.

Prasij.

PRasĳ, Marrubĳ.
Ramis Marrubĳ effigie, Verbascum syluestre.
Marrubio candidioribus, Stachys.
RHamni.
Ramulis prima Rhamno spinosioribus, in quibus infirmiores eadem nec penitus integræ spinæ, Rhamnus tertia.
Sisymbrĳ.
Sisymbrio maioribus. Dictamnus altera.
TRagacanthæ. Spinæ Hircinæ.
Tragacantham æmulantibus, Poterium.
HYperici.
Ramulis Hyperico maioribus, Ascyron.
PHaci, Lentis.
Lenti non dissimilibus, Anthyllidis primum genus.
CHamæpityos, Aiugæ.
Chamæpitym exprimentibus, Anthyllidis secundum genus.

BINIS RAMVLIS *collati.*

ORigano agrestiue Serpyllo proximis, Tragoriganus.
RAmis ab radice statim exeuntibus, Glaux, Heliotropium maius, Telephium, Ruscus, tertius & quartus Tithymalus, Apios, Thelypteris, id est, fœmina Filix, Batis, Delphinium.
Scammonia, Stachys, Aristolochia rotunda, Marrubium, Elatine.
Qui ex uirgis erumpunt, Verbascũ syluestre.
Qui ex alarum cauis oriuntur, Lathyris.
In cacumine ęditis, Cicuta, Lathyris.
In diuersa tendentibus Phalangium.
Humi repētibus, Chamæcissos, Tragacantha, Glaux, Botrys, Laurus Alexandrina, Chamæsyce.
Rectis, Lithospermum, Gallium, Tithymalus tertius.
Inflexis, Chamæpeuce.
In orbem circumactis, Chamæsyce.
Orbiculati circa radicem ambitus, Phœnix.

STIRPIVM DIFFERENTIAE *ab ĳs tractæ quæ caulium uel ramorum rationem habent.*

SVNT AVTEM HAEC.

1 Virgæ. 6 Adnata.
2 Viticulæ. 7 Germinatiões quędã.
3 Pediculi. 8 Festucæ.
4 Culmi. 9 Cirri.
5 Surculi. 10 Capreoli.

1 VIrgatum est Teucrium.
Virgis folio uacantibus, Spartum.
Spinosis, Cinosbaton, id est, Sentis canina.
Pilosis, Eupatorium.
Inanibus, Sambucus.
PLuribus uirgis, alia agrestis Ruta aliquibus sic dicta.
Singulari, Eupatorium, Heliochrysum, Chamædaphne.
VIrgis tenuibus, Arabis, Osyris, Libanotis coronaria Latinis Rosmarinum, Trifolium, Eupatorium, Thymelæa, Chamedaphne.
Breuibus, Heliochrysum, Spartum.
Longis, Apocynõ, Sambucus, Verbascum syluestre.

Dodrãtalibus et maioribus nõnunquam, Achillea.

Cubitalibus. Arabis, Eupatorium, Verbenaca supina, Cannabis syluestris, Chamædaphne.

Cubito maioribus, Triphyllon q̃d & Oxyphyllon dicitur.

Cubito aliquando maioribus. Eupatorium, Verbenaca supina.

Bicubitalibus fere. Thymelæa.

Tricubitalibus, & maioribus quandoque. Lycium.

ALbescentibus uirgis, Elelisphacos Latinis Saluia, Sambucus.

Puniceo colore rubentibus, Androsæmos.

Virentibus. Heliochrysum.

Nigris. Trifolium, Eupatorium.

VIrgis in odore grauibus. Apocynon.

DVris uirgis. Spartum.

Durissimis spinis. Sentis canina.

Solidis uirgis, Trifolium, Heliochrysum.

Natiuo lentore in fragilibus, Spartum, Apocynon, Osyris.

Leuore præditis. Chamædaphne.

SPeciosis uirgis. Thymelæa.

Quadantenus rotundis. Sambuc⁹.

Angulosis. Verbenaca supina.

Quadrangulis. Elelisphacos.

ARborescentibus uirgis. Verbascũ syluestre.

Vitilium modo lentis. Apocynon.

Lignosis. Eupatorium.

Fusorum figura. Achillea.

VIRGARVM INTER SE SImilitudo *& discrepantia.*

AGgni, Viticis.

Virgis Vitici ęqualibus, Anagyris, Althęæ, Ebisci uel Hibisci.

Altheæ propinquis, cæterum minoribus, asperioribus & nigrioribus. Cannabis syluestris.

CAlami. Harundinis.

Harundinum formam præ se ferentibus, Sambucus.

OXyacanthæ.

Similiter Oxyacanthæ aculeatis. Rhamnus.

SChini. Lentisici.

Lentisco similibus breuioribus tamen, Tragium.

VIrgis ab una radice surgentibus, alia agrestis Ruta.

Rectis. Rhamnus, Eupatorium, Heliochrysum, Chamædaphne.

Virgis ad ligandas vites in usum receptis. Spartum.

a SArmentosum est Abrotonum mas,

Veluti paruas viticulas profert, Idęa radix.

Viticuiis spinas acerbas habentib⁹. Tribulus terrestris.

Rimosi corticis. Vitis syluestris.

NVmerosis uiticulis, Smilax tum aspera tum lenis.

Simplici. Periclymenum Latinis inuolucrum maius.

GRandibus viticulis. Seseli Æthiopicum.

Paruis. Olosteum, Clematis daphnoides.

Tenuibns. Hedera helix quasi clauicula dicta, Smilax aspera & lenis.

Longis. Vitis syluestris, Aristolochia rotunda.

Quæ tribus quatuorúe digitis supra

pra terram se extollãt. Olosteum.
Dodrantalibus. Tithymalus secundus cognomine myrtites.
Fere bicubitalibus, Seseli Æthiopicum.
RVbentibus viticulis. Clematis altera.
VIticulis asperis. Vitis syluestris.
Duras spinas producentibus, Tribulus terrestris.
GEniculatis viticulis, Agrostis Latinis Gramen.
VIticulis uitilium modo lentis, Clematis altera.
Iunci crassitudine. Clematis daphnoides.
Lignosis. Vitis syluestris.

VITICVLARVM INTER *se affinitas & dissimilitudo.*

AMpeli hemeræ aut œnophorę, Vitis satiuæ siue viniferæ.
Viticulis satiuæ seu cultę viti respondentibus, Vitis syluestris & alba.
Pilosioribus, Vitis alba.
Sicyi hemeri. Satiui cucumeris.
Viticulis satiuo cucumeri proximis syluestris, & Colocynthis.
Smilacis asperæ.
Smilaci asperæ similibus, non tamẽ aculeatis, quamobrem lenis Smilax uocatur.

AD GEMINAS VITICVLAS *assimilatio.*

PAliuri aut caninæ Sentis instar spinosis uiticulis, Smilax aspera.
Cornicis pedi aut Gramini similibus. Olosteum.
VIticusis à radice missis, Tithymalus secundus cognomine myrtites.
Per terrã serpentibus, Gramen, Tribulus terrestris, Colocynthis.
Propinquas stirpes apprehendentibus, Periclymenum, Clematis altera, Vitis alba & nigra.
Dum uicinis arboribus implicantur, infra supráq; se circumagentibus, Smilax utraq;.
3 PEdiculis cauliũ uicem sustinentibus, Filix, Chelidoniũ min9.
Pediculo pollicem crasso, cubitali & aliquando maiore. Petasites.
4 PLuribus culmis. Cratæogonon.
Crassioribus. Oxyschœnus alter semen proferens.
GEniculatis. Bromos Latinis Hauena.
Numerosis geniculis, Cratæogonon.
Carnosioribus, Oxyschœnus alter qui fœcundus est.
Ab una radice promptis, Cratæogonon.
Oxyschœni.
Culmis ambos Oxyschœnos crassitudine longe præstantibus asperioribusq;, Holoschœnus.
5 SVrculosæ plantæ. Chamelæa Latinis Oleastellus, Hippophaes, Latini Lappagines uocant, Alypon, Thymus, Ruta syluestris, Polycnemon, Clinopodium, Hypericum, Androsæmos, Saxifraga, Ageratum, Coccus baphicus, id est, Granum quod tingendo est.

Surculosis ramulis. Solanum somnificum.
Singulari surculo, Osyris.
Gracilibus surculis. Alypon.
Nigro surculo, Osyris.
Totum fœni modo surculosum est Psyllium.

6 ALiquibus adnatis, Elaphoboscus Latinis Ceruocellum.

MVltis adnatis, Smyrnium, Pæonia, Lycopsis, Chelidonium maius, Baccharis, Circæa, Centaurium maius, Trifolium.
Paucis. Thlaspi.
Tribus quatuorúe, Ornithogalon.

CVbitalibus, Lycopsis.

TEneris, Lycopsis.
Asperis, Ornithogalon.

ADnatis undique se promentibus, Trifolium.
Protinus à radice exeuntibus, Centaurium maius.
In caule pullulantibus, Smyrnium, Pæonia, Lycopsis.
Ex uirga pendentibus, Trifolium.

IVnceis. Trifolium.

7 Germinationibus quibusdam se cus folia emicantibus, Periclymenum.

8 PAruis festucis in summo apparentibus. Stratiotes millefolia.

9 Tenuibus cirris, Androsaces.

10 CLauiculis nitet Vitis nigra.
Smilax hortẽsis clauiculis prędita est tanto undique incremento, ut scenas etiam & tentoria inumbrent.
Quæ in caulibus se promentes propinquis fruticibus aduoluuntur, Smilax hortensis.
Clauiculis satiuæ viti similibus pilosioribus tamen Vitis alba.

PLANTARVM DIFFERENTIÆ à folio mutuatæ.

FOliolis solis insigne est Hippophæston.
Spinoso folio. Dipsacos Latinis veneris labrum, Hippoglosson, Tithymalus secundus, Acantha leuce, id est, Spina alba, Anchusa, Nardus montana, Eryngiũ, Cnicus.
In extremitatibus aculeato, Cirsiũ, Acanthium.
Ab inferiore parte caulis, aculeatis per interualla folij angulis sed mollibus aculeis, Cirsium.
Ex obliquo utrinque spinulis prædito curtis, per rara interualla dispositis, Aloe.
Veluti bullis spinosis, Veneris labrum.
Aculeis breuibus, exilibus & hirsutis asperato, Echion.
Hirto folio. Cistus, Caucalis, Sampsuchum, Marrubium, Ballote, id est, Marrubium nigrum, Stachys, Conyza tum maior, tum minor, Scammonia, Chamæpitys prima & tertia, Symphytum alterũ, id est, Solidago altera, Anchusa, Papauer corniculare, Helxine, Elatine, Psyllium, id est, Pulicaris herba, Potamogeton, id est, Fontinalis herba, Verbasculum tertiũ cognomento lucernare, Hyoscyamus Latinis Altercum, Semperuiuum tertium. Modi-

Modice hirsuto. Cirsium.
Valde hirsuto. Æthiopis.
Lanuginoso. Althea, Cynoglosson.
Tomētosa lanosaq; pube obducto, Dictamnus.
Aspera lanugine supercurrente. Symphytum alterum.
Ad radicem lanoso, Leontopodiū
Quod auicularum pennis simile eruptiones habet admodum breues, Stratiotes millefolia.
Quod liquore scatet, Erinus Latinis Ocimum aquaticum, Apocynon.
Quod confricatum liquorem remittit, Androsæmos.
PLantę folio carentes. Orobanche, id est, Eruangina, Tragus, Tuber, Androsaces.
Raro folio. Sion, Othonna, Stachis.
Foliosæ stirpes. Scolymos, id est, Carduus, Asparagus, Thymus, Anthemis, seu Chamæmalum, Lonchitis, id est, Lanceola, Sideritis secunda & tertia, Asplenon, Tragacantha, Semperuiuum minus, Millefolium, Enula Ægyptia, Ptarmice, Lycium, Equisetum. Æthiopis, Glycyrrhiza, Libanotis coronaria, Romanis Rosmarinum, Cistus, Ladanum Aristolochia clematitis quasi sarmentaria, Nymphęa, Hippophaes, Peplium.
Folijs undiq; numerosis. Batis.
Folio circa radicem denso. Acetabulum alterum, Peucedanus.
Superiore sui parte foliosus est Tithymalus sextus.
In ramulis frequentissimo, Ruscus, Elatine, Solanum somnificū, Chamæcissos, id est, Humilis Hedera, Chamæpitys, Telephium, Aristolochia clematitis quasi sarmentaria, Serpyllum syluestre, Napus.
Adnatis foliosis, Chelidonium maius.
Ad radicem plurimo, pauciore circa caulem, Lonchitis.
In singulis geniculis bino, Telephium, Veneris labrum.
Tribus folijs, Satyrium.
In singulis pediculis terno folio, Trifolium.
Tribus quatuorue. Aconitum.
Tribus quatuorue & aliquando pluribus. Verbascum tertium quod Lucernare uocatur.
Tribus quatuorue aut quinque, aut sex, aut septem. Sambucus.
Quatuor aut quinque. Cyminum syluestre.
Quinque raroq; pluribus in singulis pediculis, Pentaphyllon ideo dictum.
Quinque aut sex numero, Phyllitis.
Sex septemue. Bechion, id est, Tussilago.
Decem & aliquando pluribus, Limonium.
Decem fere aut duodecim. Epimedium.
GRandi folio, Faba Ægyptia, Mandragoras mas, Cacalia, Anchusa, Petasites, Dracunculus.
Ad radicem maiore, Cestrum Latinis Veronica.
Exiguo, Hedera helix quasi clauicula, Rhamnus, Anagallis, Poteriū, Melanthium, Thymus, Alypon, Ononis,

Ononis, Anthemis, Adiantum, Chamædrys, Scorpioides, Ascyron, Senecio, Peplis, Chelidonium min⁹, Clematis daphnoides, Hippophęston. Glaucium, Tithymalus tertius.

Productionibus quibusdam exiliū foliorum, Symphytum alterum.

Ab inferiore parte exiguo. Circium, Ambrosia.

Minuto in cacumine. Cyperus.

Minore & decrescente continue ad summū caulis cacumen, Echion.

Minimo. Epipactis, Papauer spumeum.

Pollicis humani magnitudine, Semperuiuum maius.

Crasso, Telephium, Tripolium, Aloe, Verbasculum tertium quod Lucernare uocant.

Tenui Hippuris, Pityusa, Chamæsyce, Rosmarinū, Arbutus, Aphace, Tragoriganus alia, Teucrium, Gnaphalium, Parthenium, Tragacantha, Delphinium, Anthemis, Chamæpitys tertia, Achillea, Echion, Napus.

Graciliore cōtinue quo summo cauli propiore. Ligusticum.

Longo. Asparagus, Lithospermū, Vetonica, Catanance prima, Sesamoides maius, Hippophaes.

Oblongo, Nardus Gallica, Rhamnus, Rhu, Condrilla altera, Ptarmice, Muris auricula altera, Centaurium maius, Veneris labrum, Seseli æthiopicum, Rosmarinū, Testiculus alter priuatim Serapias dictus, Cnicus, Onosma, Symphytum alterum, Echion, Altercum, Aster atticus, Tithymalus tertius qui proprie paralios dicitur.

Oblongo in caule. Lathyris.

Quibusdam foliolis sub ipsum usq; uerticem oblongis, Acanthus.

Pręlongo. Enula Campana, Delphinium.

Longo ad unum digitum. Thlaspi.

Duobus digitis multo longiore, Elaphoboscus.

Tres quatuorue digitos longo. Leontopodium.

Longitudine quatuor digitorum, Onosma.

Ferme dodrantali, Mandragoras tertius peculiari nomine morius.

Cubitali. Filix.

Lato. Tribulus aquaticus, Nardus montana, Sium, Eryngium, Hipposelinum, Artemisia altera, Gramen, Altercum, Thlaspi alterum, Mandragoras mas, Semperuiuū tertium, Sonchus tertius.

Quod ex locorum bonitate est latius, Tragoriganus.

Digitum lato. Onosma.

Duos digitos lato. Elaphoboscus.

Angusto, Eruum, Leontopodium, Thlaspi, Muris auricula altera, Thymus, Symphytum alterum, Heliochrysum, Tithymalus tertius.

ALbo folio, Delphinium, Stachys, Gnaphalium, Chamæpitys tertia, Mandragoras mas & tertius cognomine morius, Papauer corniculare, Verbascum candidum fœmina, Capnos, id est, Fumus siue Fumaria herba, Cacalia.

Lacte i

Lactei liquoris, Erinus.
Albicante, Batis, Ranunculi primũ genus, Abrotonum fœmina, Elelisphacos, Calaminthe montana, Periclymenũ, Echion, Leontopodium, Cirsium, Verbenaca recta, Cynocrambe.
Pallido, Myagron.
Subflauo, Nardus Gallica.
Colore ad luteum inclinato, Smyrnium.
Lutei liquoris, Apocynon.
Aureo, Heliochrysum.
Rubro, Chamæleon niger, Satyriũ, Lonhitis, Coris.
Quod confricatum sanguinis colore liquorē reddit, Androsæmos.
Leuiter rubente, Rhu, Gentiana, Rhamnus tertia.
Cum puniceo colore aliquo, Hipposelinum, Latinis Olusatrum.
Herbacei coloris, Panaces Herculeum, Veratrum nigrum. Apios.
Cinereo, Ononis, Capnos.
Cæruleo, Telephium.
Ad cæruleum uergente, Chelidoniũ maius, Verbenaca supina.
Nigro, Cistus, Sium, Anemone alia syluestris, Echium, Altercum, Solanum satiuum, Equisetum.
Subnigro, Muris auricula altera, Eupatorium, Acanthus.
A principio atri coloris, sed paulatim mutato rubescente, Osyris.
Albescentibus maculis, Dracunculus minor.
Aliqua parte rubro, Elleborus albus.
Ex inferiore parte sanguineo, Peplium.
Vario, purpureo nimirum & supra infraq́ maculis albicantibus, Cyclamynus.
Auersa parte candido, superna herbaceo. Glaux, Rosmarinum.
Ex inferiore parte flauido, superiore uiridi. Asplenon.
Superne à terra candicante, inferiore autem sui parte herbaceo, Bechion, id est, Tussilago.
ODorato folio, Sium, Ligusticum Libanotis fœcunda prior, Stachys, Vetonica, Ononis, Panaces Asclepium.
In mandendo odorato, Eryngium.
Cum acrimonia odorato, Aristolochia rotunda.
Virosi odoris, Cicuta, Mandragoras fœmina cognomine thridacias, Marrubium nigrum Cannabis satiua, Apocynon, Sambucus, Ebulum, Glaucium, Rosmarinum.
Quum teritur grauem odorem reddente, Galiopsis.
Grauitate aliqua odorato, Filix.
Perquam iucundo odore, sed graui, Elelisphacos.
Non sine acrimonia aliqua medicatoq́ odore odorato. Smyrnium.
Multo non iniucundo sed medicamētoso odore, Achyllea.
Per autumnum hircum olente, Tragium aliud.
ADstringente folio, Britannica, Lysimachia.
Polygonatum, Olosteum, Stœbe, Elatine, Cotyledon altera.
Subacerbo, Polygalon.
Gummoso glutinosoq́, Thymelæa.
Salso,

Salso, Batis.
Amaro, Lactuca agrestis, Glaucíũ, Chamædrys, Marrubium.
Subamaro, Achillea, Pastinaca erratica.
Amaro simul & adstringente, Scordium.
Feruido, Aristolochia rotunda. Omnes Calaminthæ species, Pseudobunion.
Acerrimo & exulcerante, Clematis altera, Daphnoides.
Sapore ceu piperis acri non tamen odorato, Hydropeperi.
Amaro & gustum erodente, Chamelæa Latinis Oleastellus.
MOlli, Ricinus, Rhamnus, Gnaphalium.
Onosma, Anthyllis prima, Vetonita, Catanance altera.
Mollibus aculeis, Cirsium.
Carnoso, Telephium.
Tenero, Chelidonium minus, Aristolochia rotunda, Semperuiuum tertium.
Pingui, Batis, primum Ranunculi genus, Aloe, Smyrnium, Conyza tum maior, tum minor, Semperuiuũ maius & minus, Glycyrrhiza, Testiculus serapias, Echiũ, Solanum somnificũ, Acanthus, Verbasculum tertium quod lucernare nuncupatur, Cotyledon altera.
Modice pingui, Rhamnus, Thlaspi, Chelidonium minus.
Glutinoso, Telephium, Glycyrrhiza, Achillea.
Paululum glutinoso, Apocynon.
Squalido, Othonna.
Duro, Oxylapathon, Gramen, Stachys.
Firmo nec facile fragili, Tithymalus secundus qui myrtites, Smyrnium, Laureola.
Vitilium & corij instar lento, Bulbus uomitorius.
Leuorem habente, Acanthus, Millefolium, Mandragoras mas.
Quod interiore sui parte natiuo leuore nitet, Phyllitis.
Aspero, Acantha leuce, id est, Spina alba, Baccharis, Panaces Herculeum, Buglossum, Anchusa utraq;, Echium, Papauer erraticum, Sideritis, Pycnocomon, Cnicus.
Ex inferiore parte aspero, Asplenon.
Per ambitum scabro, Nardus montana, Eryngium.
Asperæ lanuginis, Symphitum alterum.
Subaspero, Ononis, Aconitum, Elaphoboscus, Veratrum nigrum.
Asperrimo, Dorycnium.
Exoletæ attritæq; uestis modo aspero, Elelispacos.
COncinniore folio, Hedera helix.
Circinato, Capparis, Poterium, Verbascula duo, Alysson, Semperuiuum minus, Sium, Peplium, Cistus, Sampsucum, Cotyledon.
Subrotundo, Anagallis, Aristolochia rotunda & clematitis, Marrubium, Ballote, id est, Marrubium nigrum.
In rotundo modice lato repandoq;, Aloe.
Angulofo, Hedera helix, Tussilago.
Triangulo, Scammonia.
Mucronato, Gramen, Pityusa.

Acuminati fastigij. Xyris, Oxylapathon, Ruscus, Tithymalus secundus, Muris auricula altera, Semperuiuum minus.

Venoso. Gladiolus.

Gibboso, Hyacinthus, Latinis Vaccinium.

Dorsi elati & eminentis. Muris auricula altera, Cytisus.

Per medium dorsum ueluti bullas foris & intus habente, Veneris labrum.

A tergo pendentibus ueluti tenuibus uermiculis. Phyllitis.

Rugoso. Marrubium.

Concauo quase in geniculis coniungit sinu quo rores & imbres continentur. Dipsacos Latinis Veneris labrum.

Sensim leni & ut sensum fallat in concauitatem descensu. Cotyledon.

Cribri nodo foraminibus multis et continuis pertuso. Othonna.

Veluti circumroso. Cōdrilla altera.

Inciso. Staphis syluestris, Colocynthis quæ syluestris Cucurbita est, Filix, Polypodium, Cnicus, Verbenaca recta, Coronopus, Ranunculi secundum genus, Argemone, Delphinium, Geranium, Chrysanthemum, Xanthium, Papauer erraticum, Altercum, Catanance altera.

Eruptionibus diuisis, Stratiotes mille folia.

Pluribus fissuris dissecto. Ligusticū.

Ex obliquo crebras incisuras habente. Achillea.

In partes diuiso quinque fere, aliquando tamen plures. Eupatorium.

Maioribus incisuris diuiso. Sambucus.

A medio caule præsertimque in summo cacumine breuibus diuisuris inciso. Gentiana.

Tenuissimis incisuris fisso, Anemonæ omnes, Abrotonum fœmina.

In summo incisuris diuiso. Thlaspi, Erinus.

In summo utrinque incisuris diuiso, Sideritis secunda.

Per ambitum secto. Verbenaca supina, Ebulum, Sonchus tum agrestior & aculeatior, tum tenerior et qui edendo est. Hieracium minus Latinis Lactuca erratica minor, Vetonica, Adiantum.

In extremitatibus serrato. Rhu, Eupatorium, Centaurium maius, Pentaphyllum, Papauer corniculare.

Raris diuisuris per circuitum scisso, Hieracium maius.

Quinque per ambitum diuisuris inciso, Panaces Herculeum.

Rotundo à primo ortu, cum creuerit, deinde in incisuras, quales in Erucæ folijs sunt, diuiso, Sisymbrium alterum.

FOlio Lunæ nondum tumentis in globum effigie. Hemionitis.

Scolopēdram uenenatum insectum simulante, Asplenon unde & Scolopendrium uocatur.

Delphini figura. Delphinium.

In capite folio concreto quod oculi specie globum conformat, Semperuiuum maius.

Lingulæ imaginem presentante. Co

tyledon altera.
In summo linguæ figuram exhibente Semperuiuum maius.
Bubulam linguam referente. Buglossum, idcirco ita appellatum.
Humanum pollicem imitante. Marrubium.
Auri muris propinquo. Muris auricula ideo dicta.
Alæ auis similiter pennato. Echium, Ebulum.
In summo alæ auis instar pennato. Androsæmos.
In modum alæ uolucris explicito. Filix.
Auiculæ pennas imitante, Stratiotes millefolia.
Totum fœni modo foliosum, Psyllium.
In Phasiolorum clauiculas torto in cacumine, Isopyron ob id Phasiolum nominatum.
Sub ipsum usq; uerticem foliolis ueluti nucamentis aculeatis. Acanthus.
Odore Citri. Melissophyllon Latini Apiastrum, quin & Citraginem ea de causa uocarunt.
Corymbaceo. Chrysocome.
Quod confricatum resinosum odorem reddit. Androsæmos.
Fungi in modum superposito. Petasites.
Vbi adoleuit bituminis odorem diffundente. Triphyllon quod & Oxytriphyllon dicitur.
Galeri æmulo. Faba Ægyptia.
Petasi figura. Petasites.
Lanceæ figuram ostendente. Ruscus.
Tanquam cultello in mucronem desinente. Gladiolus ideo nomen sortitus.
Acetabili forma. Cotyledon ob hoc nominata.
Vestigij humani. Cynosbati. Plin.

FOLIORVM COGNATIO *inter se & discordia iuxta Græcarum literarum seriem.*

ABrotoni.
Folio Abrotonum referente. Heliochrysum.
Agni. Viticis.
Viticem æquante. Anagyris.
Agrosteos. Graminis.
Graminis sequaci, sed latiore. Moly.
Aεzωi, Semperuiui.
Semperuiuum maius seu Sedum maius effingente, maiore tamen, Stratiotes aquaticus.
Sedi maioris in morem ueluti oculū describente. Acetabulum alterū.
Ad minus Sedum accedente. Chamæpitys, Aristolochia clematitis quasi sarmentaria.
Multo tenuiore. Chamæpitys.
Acalyphes. Vrticæ.
Vrticacei folij æmulo, sed maioris leuoris. Galiopsis.
Vrticæ mollis folio hirsutiore & agrestiore, latiore & nigriore. Vrtica altera.
Acanthæ leucæ. Spinæ albæ.
Spinæ albæ cognato. Acanthion.
Acanthi. Spinæ uulgaris.
Acanthi figuram imitante. Solanū furiosum.
Amaraci. Sampsuchi.
Amaraci æmulo. Panaces Chironium.

Ama-

Amaraci odorem, ubi confricatur, reddente. Artemisia tenui folia.
Ampeli hemeræ. Vitis satiuæ seu cultæ.
Viti cultæ simillimo uerum pilosiore. Vitis alba.
Ampeli agriæ. Vitis syluestris quam Labruscam proprie Latini appellitant.
Ad Labruscam accedente. Staphis syluestris.
Ampeli leucæ. Vitis albæ.
Vitem albam exprimente. Amomũ.
Amygdalæ.
Amygdalini folij figura. Oenagra, Nerium, Ebulum.
Longiore, Nerium, Ebulum.
Latiore. Oenagra.
Asperiore. Nerium.
Quod ex caule prodit Amygdalinum folium referente, latiore tamen et maioris leuoris, Lathyris.
Anagallidos.
Anagallidos sequaci. Antirrhinon.
Andrachnes. Portulacæ.
Portulaceum folium æmulante. Tithymalus quartus cognomine solisequus, Pepliũ, Batis, Telephiũ. Tribulus terrestris, Semperuiuũ tertium.
Graciliore. Tithymalus quartus, Tribulus terrestris.
Longiore & latiore. Batis.
Nigriore. Cepæa.
Circinatiore. Tithymalus quartus, Anemones.
Anemonę non dissimili. Argemone, Geranium.
Longiore. Geranium.
Latiore & duriore, Anemone syluestris.
Anisi.
Anisi similitudine, Meũ, Isopyron.
Anchusæ.
Anchusam referente. Onosma.
Ad Anchusæ ruborem aliquem accedente. Echium.
Anchusæ modo per terram strato, Onosma.
Anchusæ folio minore. Anchusa altera. Echium.
Aparines seu Philantropi.
Aparinę simillimo. Gallium.
Aristolochiæ rotundæ.
Aristolochiæ rotundæ longiore folio. Aristolochia longa.
Arnoglossi. Plantaginis.
Plantaginis maioris æmulo. Isatis satiua, Alisma, Clymenum, Cynoglossum.
Minore. Plantago minor, Cynoglossum.
Tenuiore, molliore & maioris leuoris, Plantago minor.
Angustiore. Alisma, Plantago minor, Cynoglossum.
Nigriore & pinguiore. Isatis satiua.
Minoris Plantaginis folio latiore: Plantago maior.
Atraphaxios. Atriplicis.
Atriplici proximo, Xãthiõ siue Phasganion.
Absinthij.
Absinthij folio maiore & pinguiore. Artemisia.
Absinthij Seriphij siue marini in modum circa ramulos diuiso, Abrotonum fœmina.
BAllotes. Marrubij nigri.
Folio Marrubium nigrum repræsentante, maiore tamen, teneriore

&minus hirsuto. Apiastrum.
Batrachij. Ranunculi.
Ranunculum mentiente teneriore tamen. Chelidonium maius.
Primi Ranunculi folio pluribus incisuris diuiso, secundus.
Bolbi. Bulbi.
Bulbum simulante. Colchicon, Hyacinthus.
Longiore & lentiore. Bulbus uomitorius.
Pinguiore. Colchicon.
Buglossi.
Buglossum repræsentante, Cirsium, Symphytum alterum.
Longiore. Cirsium.
Bunij. Napi.
Napi figura, Pseudobunion.
GIngidij.
Folio Gingidio simili, sed latiore, Pastinaca erratica.
Gingidij instar serrata. Cyminum syluestre.
Glichonis. Pulegij.
Pulegij folio maiore. Dictamnus.
DAphnes. Lauri.
Folio lauro finitimo. Polygonatum, Daphnoides, Chamædaphne, Clematis Daphnoides.
Breuiore multo. Clematis daphnoides.
Latiore. Polygonatum.
Viridiore. Chamædaphne.
Molliore & ualidiore. Laureola.
Leuoris maioris, Chamædaphne, Polygonatum.
Delphinij.
Delphinij prioris folio multo graciliore. Delphinium alterum.
Dracontij. Dracunculi.
Dracunculum æquante. Hemionitis, Aron.
Minore & minus maculoso. Aron.
Dryos. Quercus.
Querni folij æmulo. Vetonica, Verbenaca supina, Chamędrys, Chrysogonon.
Minore & angustiore. Verbenaca supina.
ELates. Abietis.
Folio Abietem omnino exprimente. Smilax Latinis Taxus.
Eleæ. Oleæ.
Oleaginum folium imitante. Catanance altera, Conyza & maior et minor. Halimus, Ligustrum, Tilia, Vitex, Lithospermũ, Chamęlæa Latinis Oleago, Ptarmice, id est, Sternutamentaria, Hippophaes, Orchis.
Colore ad oleaginum accedente, sed minore. Dorycnium.
Tenuiore. Chamelæa.
Longiore. Lithospermum, Orchis.
Latiore. Halimus, Ligustrum, Tilia, Lithospermum.
Angustiore. Dorycnium, Hippophaes, Orchis.
Pallidiore. Phyllō thelygonũ dictũ.
Magis herbaceo. Ligustrum.
Nigriore. Tilia.
Molliore. Hippophaes. Ligustrum.
Tenuiore. Vitex.
Circa uirgas oleaginum referente longiore tantũ & angustiore. Tithymalus mas, cognomine characias, ied est, vallaris.
Alijs foliolis oleagino similib⁹ multo tamen numerosioribus & minoribus. Semperuiuum tertium.

Ele-

Hippuris. Equiseti.
Prioris Equiseti folio breuiore, candidiore, molliore. Equisetũ alterũ.
Iridos.
Iridi cognato. Acorus, Gladiolus, Xyris.
Breuiore. Gladiolus.
Latiore. Xyris.
Angustiore. Gladiolus, Acorus.
Isatidis. Glasti.
Isatidis satiuæ æmulo. Tripolium, Isatis syluestris.
Maiore tantum. Isatis syluestris.
Latiore. Tripolium.
Iteæ. Salicis.
Salici respondente. Lysimachia.
CAlami. Harundinis.
Folio paruæ Harundinis figura. Gramen.
Calaminthæ. Nepetæ.
Nepetę tenuifolię propinquo. Sampsuchus, Cannabis.
Cannabis satiuæ sequaci, nigriore et asperiore tamen. Cannabis syluestris.
Cardami. Nasturcij.
Nasturcium mentiente, uere tamen speciosiore. Hiberis.
Cardami odore. Xanthium.
Cissi. Hederæ.
Hederacei folij æmulo, Asarum, Smilax hortensis, Cyclaminus utraque, Dracunculus minor, Chelidonium minus, Aristolochia rotunda, Asclepias, Seseli Æthiopicum, Viola nigra, Chamæcissos, Tussilago, Epimedium, leuis & sine aculeis Smilax, Gramen Parnasi, Periclymenum, Apocynon, Vitis nigra.
Maiore. Tussilago.
Minore. Cyclaminus altera, Viola nigra, Chelidonium minus, Asarum, Seseli Æthiopicum.
Tenuiore. Viola nigra, Chamæcissos, Smilax leuis.
Longiore. Chamæcissos.
Nigriore. Viola nigra.
Rotundiore. Asarum, Chelidonium minus.
Acutiore in cacumine. Apocynon.
Molliore. Smilax hortensis, Apocynon, leuis Smilax.
Maioris leuoris. lenis Smilax.
Smilacem Hederam referente. Altercum primæ speciei.
Ad Hederam Smilacem magis accedente, sed maiore. Vitis nigra.
Cisti.
Cisti folio longiore & nigriore. Ladanum.
Cichorij. Ambubeiæ.
Ambubeiæ siue Intybo agresti non dissimili. Condrilla, Botrys.
Latiore. Intubus satiua.
Cnici. Cartami.
Cnici folio multo minore. Atractilis Latinis Colus rustica.
Colocynthæ. Cucurbitæ.
Cucurbitæ simili, minore tamen, nigriore & duriore. Arcion Latinis Lappa aut Personacia, Conyza quæ multis Pulicaria est.
Conyzæ maioris folio minore, Conyza tertia.
Conyzæ minoris maiore. Conyza tertia.
Conyza maior.
Corij seu Coriani. Coriandri.
Coriandrũ æmulante, Napus, Thalictrum, Ranunculus primus, Parthenium

Libanωtidis.
Libanωtidē referente, Hipposelinū.
Lini.
Lini ęmulo, Osyris, Tithymalus tertius.
Linozωsteos, Mercurialis.
Mercuriali herbæ simili, Helxine.
Lωti pratensis.
Ad pratensem Lotum propius accedente, Onωnis.
Loti arboris.
Loto arbori proximo, Triphyllon quod Oxyphyllon quoq; uocaī.
MAlaches, Maluæ.
Folio maluaceum mentiente.
Geranium alterum.
Mandragoræ.
Mandragoræ candido simili sed minore, Mandragoras tertius qui morius.
Marathri, Fœniculi.
Fœniculum referente, Asparagus, Libanωtis fœcunda prior, Panaces Asclepium, Buphthalmos, Millefolium, Seseli Massiliense, Thapsia, Daucus Creticus.
In summo Fœniculi ritu pluribus incisuris diuiso, Caucalis.
Hirsutiore & maiore, Panaces Asclepium.
Minore & exiliore, Daucus Creticꝰ.
Crassiore & latiore, Libanotis fœcunda prior.
Melampyri.
Melampyrum imitante, Crateogonon.
Melilωti, Sertulæ Campanæ.
Sertulæ Campanæ cognato, sed teneriore Ligusticum.
Melissophylli, Apiastri.
Apiastri siue Citraginis æmulo, Marrubium nigrum.
Mecωnis, Papaueris.
Papaueris in morem incisuris diuiso, Leontopetalon.
Papauer agreste simulante, Argemωne altera.
Papaueri agresti similiter per ambitum serrato, Papauer corniculare.
Papauer cornutum exprimente, sed pinguiore. Glaucium.
Meleæ, Mali.
Ad malum proxime accedente, Cannabis satiua.
Moreæ, Mori.
Mori æmulo. Ficus Ægyptia propric Sycomorus.
Myrsines, Myrti.
Myrtum referēte, Myrtus syluestris Latinis Ruscus, Tithymalus secūdus ea causa myrtites uocatus.
Maiore, Tithymalus secundus.
Minore, Ruscus.
Longe latiore, Cynosbatum.
Ruscum mentiente, Laurus Alexandrina.
Idęa radix, Hippoglosson, Tithymalus sextus.
Minore, candidiore & molliore, Laurus Alexandrina.
NArthecis, Ferulæ.
Folio ferulaceum referente, sed angustiore, Cicuta.
XIphij, Gladioli.
Folio Gladioli æmulo, Iris, Sparganium.
Maiore, latiore, & pinguiore, Iris.
Angustiore & in terram magis inclinato, Sparganium.
ORigani.

Folio

Non adeo ut Filicis minutas incisuras habente. Polypodium.
Multo minoribus quam Filicis incisuris prædito. Dryopteris.
Quod nõ uno singulariq; pediculo, ut Filicis, hæret, Thelypteris.
Pyxi. Buxi.
Buxum referente. Lycium.
Pyri. Tritici.
Ad triticum alludente sed molliore, Ægylops Latinis Auena.
RHamni.
Primę Rhamni folio latiore & nigriore, tertia.
Rhodi. Rosæ.
Rosacei folij, ab inferiore parte, imaginem conformante. Cirsium.
SElini. Apij.
Folio apium repræsentante, Caucalis, Laserpitium.
Latiore. Smyrnium.
Ad radicem Apij figura, uerum multo tenuiore, Napus.
Seridis, Intybi.
Intybi æmulo, Medium.
Sicyi hemeri, Cucumeris satiui.
Cucumerem satiuum imitante, Colocynthis, Cucumer syluestris.
Sisymbrij.
Sisymbrium exprimente, Dictamn⁹ altera.
Scillæ.
Scillæ simillimo, Aloe.
Scolopendrij. Aspleni.
Scolopendrij æmulo, Lonchitis altera, Tragium aliud.
Maiore pluribus incisuris fisso & asperiore, Lonchitis altera,
Scolymi. Cardui.
Carduum imitante, minore tamen & tenuiore, Chamæleon niger.
Scorodi, Allij.
Allij odorem aliquẽ exhalante, Scordium.
Smyrnij.
Smyrnio similiter secto, Pæonia fœmina.
Spondylij, Verticilli.
Verticilli siue Verticillaris herbæ figuram ostendente, Veratrum nigrum.
Staphylini. Pastinacæ.
Pastinacæ proximo, Oenanthe.
Struthij, Radiculæ quam proprie Lanariam Latini nominant.
Radiculæ non diuerso, Papauer spumeum.
Phyteuma.
Minore, Phyteuma.
Strychni, Solani.
Solano hortensi æquali, sed latiore, Solanum halicacabum, Vitis syluestris.
Longiore. Vitis syluestris.
Satiuum halicacabum, id est, vesicarium referente, Circæa.
Sices. Ficus.
Ad ficulnei folij formam & quantitatem accedente, sed minore circa caulem, Panaces Herculeum.
Schini, Lentisci.
Lentisci similitudine, Tragium, Glycyrrhiza.
Minore, Tragium.
Schœni, Iunci.
Iunci figura, Equisetum.
In summo qualis est Iuncorum coma, Tithymalus mas peculiari uocabulo characias.
TErminthi, Terebinthi.

Folio

Folio Terebinthi specie, Elaphoboscus.

Teutli, Betæ.

Betaceum folium mentiente, Hieracium maius, Limonium, Mandragoras mas, Potamogeton.

Tenuiore, Limonium.

Triphylli, Trifolij.

Trifolij pratensis æmulo. Lotus syluestris.

Quod pratensi Trifolio tametsi æquale spacio tantum contrahitur, & angusti⁹ euadit, Medica herba.

HYoscyami, Alterci.

Alterci siue Appollinaris herbæ primæ speciei folio teneriore, Altercum secundum.

Hyssopi.

Hyssopũ æquante, Origanus, Chrysocome.

PHaci, Lentis.

Folio Lenticulæ propinquo, Enula Ægyptia, Anthyllis prima, Onobrychis, Trichomanes, Polygalon, Chamęsyce, Ononis.

Longiore, Enula Ægyptia, Onobrychis.

Phlomi. Verbasci.

Verbascum candidum fœminam simulante, Papauer corniculare, Æthiopis, Arction, Buglossum.

Hirsutiore & rotundiore, Arction.

Longiusculo & angustiore Verbascum candidum mas unde & angustifolium dicitur.

Nigriore, Buglossum.

Verbasci candidi maris æmulo asperiore tantum, Enula campana.

Verbascis candidis latiore & nigriore. Verbascum nigrum.

Chamędryos. Quercule, trixaginis.

Folio Trixagini simillimo maiore tamen nec per ambitum tantopere incisuris diuiso, Scordium cui propterea inditum nomen Trixago palustris.

Chameleæ, Oleastelli.

Oleastellum siue Oleaginem imitante, ceterum angustiore & pinguiore, Thymelæa.

Chamæleonis.

Ad Chamæleonem album proxime alludente, Silybon.

Chamęleonem nigrum referente, an gustiore tamen & candidiore, Acantha leuce, id est, Spina alba.

Acutiore & asperiore. Chamæleon albus.

Chamæpityos, Aiugæ.

Aiugæ primæ propinquo, secunda Aiuga, Anthyllis secunda.

OCimi.

Folio Ocimum exprimente, Nepeta montana, Ocimastrum, Linozostis, Erin⁹, Heliotropiũ maius.

Hirsutiore. Acin⁹, Heliotropiũ mai⁹.

Maiore, Solanum satiuum, Heliotropium maius.

Minore, Erinus.

Latiore, Solanum satiuum.

Candidiore, Heliotropium maius.

QVAE AVT AD BINA PLVrave alia expenduntur folia per sedecim particulas.

Eorum ad quæ fit collatio index.

PARTICVLA RRIMA.

FOlio Helxines aut Hederæ simili sed molliore. Scammonia.

Mercuriali herbæ aut Hederæ finitimo, Cynocrambe.

Quod summos ramos occupat Aristolochiæ aut Hederæ oblongæ figura, Lathyris.

SECVNDA.

Plantaginis aut Betæ syluestris æmulo, breuiore tamen & nigriore, Veratrum album.

Ad radicem Iuglãdis nucis aut Plantaginis effigie, Gentiana.

TERTIA.

Fœnogræcum, Lotumue aut Trifolium imitante minore tantum. Cytisus.

Ad Rutam, aut pratẽsem Lotum propius accedente. Ononis.

Cytisum, aut Lenticulam simulante: Glaux.

QVARTA.

Cyclaminum, aut Cucumerem syluestrem referente, sed minore. Aconitum.

QVINTA.

Rumicis Liliiue sequaci minore tamen, Satyrium.

SEXTA.

Chamæleoni nigro albæq; Spinę simili, crassiore tamen & nigriore, Scolymos.

Silybi aut Cardui figura, Chamæleon albus.

SEPTIMA.

Origanum agresteue Serpyllũ æmulante,

lante. Tragoriganus.
Origano, Erucæue, aut Cichorio, aut Thymo nõ absimili, sed longiore, Papauer erraticum.

OCTAVA.

Quinquefolium, Cannabemue refe rente, Eupatorium.

NONA.

Elaphobosco, aut Olusatro æquali, Phu.

DECIMA.

Cornicis pedem, aut gramen simulante, Olosteum.

VNDECIMA.

Ad Saluiæ, aut Quercus figuram accedente, sed minore. Sideritis.

DVODECIMA.

Dauci agrestis & Fœniculi imagine, Pyrethrum.

DECIMATERTIA.

Magnitudine inter Violam & Verbascum, Baccharis.

DECIMAQVARTA.

Ad Polygoni & Nepetæ longitudinem, Polemonia.

DECIMAQVINTA.

Simile quiddam in gustu Cotoneo malo, aut Punicæ reddente, Polygonatum.

DECIMASEXTA.

Inter Sisymbrium & Elelisphacum, medium odorem qui suauissimus est, fragrante, Dictamnus altera.

FOlio mox ex radice, protruso, Anchusa.
Chelidonium minus, Nymphæa, Asplenon, Sideritis tertia, Tussilago.
Productionibus quibusdã cauli adiacentium foliorum, Symphytum alterum.
In pluribus quas habent per caules eruptionibus locato, Eryngium.
Solis pediculis nixo. Chelidonium minus, Filix, Petasites.
Longis qui in caule pediculis hærente, Sideritis secunda, Tribulus aquaticus.
In geniculis ædito, Lysimachia, Polygonon fœmina, Rubia, Ebulũ.
Ex alarum cauis emicante, Orchis Serapias.
Quod à medio caule incipit, Psylliũ.
Solum cacumen uestiente, Atractylis Latinis Colus rustica.
Humi expanso, Peplos, Cynoglossum, Hippophæstum, Condrilla altera, Catanance altera, Libonotis fœcunda prior, Moly, Panaces Herculeum, Mandragoras fœmina, Chamæsyce.
In ima parte per terram strato, Testiculus, Semperuiuum maius.
Vndique ad radicẽ per terram sparso, Anchusa.
Ad summam radicem iacente, Lithospermum.
Supra aquam tantum inueniendo. Tribulus aquaticus.
Paulum extra aquam supereminẽte, Potamogeton.
Alijs in summa aqua extãtibus, alijs demersis, Nymphæa.
Recto, Phyllitis.
Inflexo, Orchis Serapias, Elaphoboscus, Phu, Chamæpeuce.
In terram annuente, Anemonę omnes cultis uenientes, Thlaspi, Alisma, Smyrnium. Buglossum, Satyrium

Prope radicem ad terram refracto, Lonchitis.

Ad summum radicis caput in terrã deciduo, Lycopsis.

Ex radice pendente. Chelidonium minus.

Ad solis cursum se circumagente, Tithymalus quartus unde Solisequus uocatur.

Contiguo inuicem, Senecio.

Sibi inuicem implicito, Dracunculus maior.

Deinceps locato. Tithymalus tertius qui Paralios.

Intercedentibus spatijs gliscẽte, Hippuris altera, Sonchus & agrestior, & qui edẽdo est, Periclymenũ, Eupatorium, Heliochrysum, Ballote, Muris auricula altera, Hieracium utrunque, Verbenaca supina, Sambucus, Ebulum, Aparine, Rubia.

Foliolis quibusdam per interualla sub ipsum usque uerticem distinctis, Acanthus.

Folio non magnis interuallis distante, Symphy[illegible]m alterum.

Maioribus interstitijs dissito, Gentiana.

Ab utraq; parte enato, Echion, Arabis.

Vtrinque deinceps emisso. Trichomanes, Muris auricula altera.

Contrarijs inuicem pediculis prodeunte, Trichomanes.

Caulem circumuoluente, Thymus.

In orbem disposito, Marrubium nigrum, Polygonon fœmina, Libanotis fœcunda prior, Rubia, Heliochrysum, Peplos.

Circa radicis caput in orbem uirente, Æthiopis.

Folio florem subsequente, Colchicon.

Per Autumnum pereunte, Smilax lenis.

FOlio exulcerandi urendiq; ignis in modum cum dolore uim habente, omne Ranunculi genus.

Fauces scarificante, Chamælea.

Quod aspera lanugine pruritum excitat, Symphytum alterum.

PLANTARVM DIFFERENTIÆ *à flore acceptæ.*

FLore spinoso, Chamæleon niger.

Clypeolis obstruso in medio, Altercum.

Quum digitis teritur humorem exudante, Ruta syluestris.

PLantæ à flore immunes, Dictamnus, Libanotis sterilis, Phyllitis, Onosma, Filix, Asplenon, Hemionitis, Adiantum, Epimedium, Hippoglossum, Chamæsyce.

Largo flore, Gallium, Circæa, Typha, lenis Smilax, Napus, Artemisia aliqua, Abrotonum fœmina.

Coma plena, Hipposelinum, Hyacinthus, Spica referta, Thymbra.

In singulis foliorũ germinationib⁹ frequentiore quam folia quę à radice usque ad summum se proferunt, Polygonatum.

In singulis caulibus uno, Iris.

Triplici quadrupliciúe in singulis scapis, Hemerocallis.

GRandi flore, Medium, Solanum somnificum, Oenagra.

Pusillo,

Pusillo, Viola nigra, Lut⁹ Ægyptia, Pityusa, Androsæmos, Chamædrys, Artemisia altera, Amomũ, Circæa, Alcęa, Chamæpitys, Astragalus, Stratiotes millefolia, Sideritis tertia.

Gracili, Isatis syluestris, Artemisia altera, & aliqua alia nonnullis sic dicta, Alisma, Verbenaca supina, Semperuiuum minus, Galiopsis, Gallium.

Longo. Poterion.

FLore splendente. Nymphæa alia. Egregij splẽdoris. Chrysanthemũ

LActeo flore, Erinus, Gramen Parnasi, Dorycnium, Lotus Ægyptia, Laureola, Altercum tertiũ, Thymelęa, Ephemerõ, Stratiotes mille folia, Sãbucus, Ebulũ, Scamonia, Smilax lenis, Sesamoides maius, Hiberis, Moly, Arabis, Cynosbatum, Ligustrum, Cistus fœmina, Batis, Thlaspi, Cyclamin⁹ altera, Capparis, Aristolochia rotunda, Acanthus, Aloe, Origanus syluestris, Ruta alia agrestis, Daucus Creticus, Dauci tertia species, Aparine, Caucalis, Marrubium nigrum, Phalangium, Artemisia altera, Oenanthe, Leucoiũ, id est, Viola candida ob id nuncupata, Phyllon theligonon, Satyrium, Cacalia, Hypericum, Chamępitys secunda, Polygonatum.

Candido pallescẽteue, Verbascũ candidum fœmina, Alisma, Spondylium.

Subalbido. Anemone aliqua locis cultis nascens, Cicuta, quartũ Ranunculi genus, Colchicon, Tithymalus tertius.

Albescente & leniter luteo. Orobanche.

Pallido, Poterium, Tussilago, Papauer corniculare, Semperuiuum minus, Plantago minor.

Quamplurimum pallido, Hemerocallis.

Melino, Nardus Gallica, Erysimon, Isatis syluestris, Ruta syluestris, Chamępitys prima & tertia, Panaces Herculeum, Hieracium utrunq;, Peucedanus, Conyza minor, unũ ex Leucoijs, Nymphęa alia, Buphthalmos, Ascyron, Androsęmos, Chrysanthemum, Symphytum alterum, Altercum secũdum, Gallium, Thapsia, Senecio, Verbascum syluestre.

Ad melinum seu luteum colorẽ uergente, Elaphoboscus.

Aureo & rutilo. Ranunculus tertius, Panaces Asclepium & Chironium, Artemisia aliqua, Ageraton, Verbascum syluestre.

Rubente, Solanum somnificum.

Humoris sanguinei. Ruta syluestris.

Subrubro, Scordium, Cannabis syluestris.

Roseo. Oenagra, Chamæpeuce, Faba Ægyptia.

Purpureo, Verbenaca supina, Fumus, Astragal⁹, Glaux, Asarum, Hyacinthus, Altercum primum, Viola nigra, Antirrhinon, Vitex alter, Anemone aliqua locis cultis nascẽs, Aristolochia longa, Acantha leuce, Calamyntha montana, Delphinium, Lychnis coronaria, Triphyllon peculiariter Oxytriphyllon dictũ, Echion,

unum

unum ex Leucoijs, Testiculus, Anthyllis secunda, Gladiolus.

Purpureo ipsius cacumine, Cirsium.

Purpuræ colore ad puniceum inclinato, Anchusa altera, Centauriū minus.

Purpurascente, Sesamoides minus, Chamæleon albus, Thymus, Cyclaminus, Trixago, Orchis Serapias, Medium, Lycopsis, Pityusa, Galiopsis.

Inter purpureū & candidum medij coloris, Baccharis, Veratrum nigrum, Heliotropium maius.

Puniceo. Anemone aliqua cultis locis nascens, item quę syluestris est, Argemone, Anagallis mas, Leontopetalon, Onobrychis, Sideritis tertia.

Glauco, Anagallis fœmina, Vna ex uiolis quę sunt Græcis Leucoia.

Quadantenus glauco. Centaurium maius.

Atro, Dictamnus altera, Solanum furiosum, Circæa, Leontopodiū.

Pallido aliquibus uero locis purpureo, Atractylis Latinis Colus rustica.

Luteo sed aliquo tempore colore purpuræ: Ranunculus primus.

Puniceo & aliquoties albo, Papauer erraticum.

Niueo aut phœniceo, Polygonon mas.

Candido in pallido uel auri modo flauescente, Pentaphyllon.

Luteo aut candido, Thelephium.

Rubro uel ad aurum uergente, Lysimachia.

Ter quotidie, ut fertur, mutato colore apparente, nempe matutino albente, meridie paulo min⁹ quam purpureo, phœniceo uespere, Tripolium.

Vario. Chamæleon niger.

Albo cum purpureo, Vitex alter.

Qui Corymbo Hederæ similis acinis præditus est in lacteo colore ex parte rubentibus, Hippophaes Romanis Lappago.

In albido per mediū purpureo. Phu.

Candido, in medio quod croceum sit habente, Nymphæa.

Per ambitum niueo in medio luteo, Parthenium.

Purpureo & in medio mali colore, Aster atticus, Latinis Inguinalis.

Purpuræ colore & per medium puniceo, Xyris.

Pene purpureo, medio albicante, Sesamoides minus.

Foris quidem herbaceo, intus uero & aperto lacteo Ornithogalon.

Qui comicis personis hiantibus similis, niger quidem est, candida tamen ueluti lingula ab hiatu oris ad inferius labrum exerta, Lonchitis, id est, Lanceola.

Vario inter purpureum, album & aureum colore. Achillea.

Colore in candidum, uiridem, luteū, purpureum, & cæruleum uariante, Iris.

Niueo, media parte croceo, in aliquibus autem purpuræ aspectu. Narcissus.

Exiguum quid purpuræ in medio habente quod tamen in croci colorē uariet. Pastinaca erratica.

Colore intus ad aurum inclinato, foris per

ris per ambitum circumpositis folijs albis luteisue aut purpureis, Anthemis seu Chamæmalum.

ODorato flore, Asarum, Ligustrũ. Cyclaminus altera, Baccharis, Gramen Parnasi, Gallium, Caucalis, Viola nigra.

Acuti odoris iuxta ac iucundi, Panaces Asclepium.

Graueolente, Asclepias, Artemisia altera.

Grauissime odorato, Aristolochia longa, Anthyllis secunda.

Amaro flore, Ephemeron.

Nõ adeo amaro, Conyza minor.

Egregie amaro, Chamæcislos.

Gustum erodente, Serpyllum sylue-stre.

Amaro & uiscoso, Sideritis tertia.

MOlli flore, Dictamnus altera, Hippophaes, Alypon.

Infirmo, Conyza minor.

Leui nec aspero, Alypon.

Scabro. Marrubium.

FLore in orbem circumacto, Smilax lenis, Scammonia, Medium, Hieracium minus.

Fere rotundo, Periclymenum.

In arcum flexo, Iris.

Incisuris pluribus secto, Phalangiũ.

FLore foliolis stellę similibus, Aster Atticus, unde nomen inuenit.

Oculi figurã circumscribente, Buphthalmos ideo nuncupatus. Chrysanthemon.

Scorpionis caudæ similiter inflexo, Heliotropium maius.

Ceu muscoso capillo, Vitis syluestris.

Capillorum specie qui in pappos euanescant. Chamæleon albus.

Humani capilli modo euanescente, Senecio.

Vbi confricatur Sampsuchi odorem spirante, Artemisia tenuifolia.

Foris per ambitum circumpositis folijs Rutaceorũ magnitudine, Anthemis siue Chamæmalum.

Racemoso, Elleborus niger.

Corymborum Hederæ modo ceu racemis sibi inuicem cohærentib[9] sed minoribus, Hippophaes.

Corymborum in morem antequã se pandat concreto, Hipposelinũ.

Vasculis Alterci simili. Asarum.

Muscoso, Cypros Latinis Ligustrũ.

Concretione muscosa, Myrice Latinis Tamarix.

Pileolum æmulante, Aristolochia rotunda, Lonchitis.

Comicis personis hiantibus non absimili, candida ueluti lingula ab hiatu oris ad inferius labrum exerta. Lonchitis.

Verticillorũ imaginem præ se ferente, Marrubium.

Pedum lecti speciem describente, Clinopodium, unde nomen sibi adsciuit.

Calatorum instar concauo, Scammonia.

FLORVM MVTVA PROpinquitas *& distantia eodem, quo supra ordine.*

ANagallidis.

AFlore cæruleæ Anagallidis colore. Muris auricula altera.

Anemones.
Anemone propinquo, Leontopetalon.
Syluestri Anemonę finitimo, Papauer erraticum.
Punicei coloris minus profunde quam in syluestri Anemone splendētis, Argemone, Papauer erraticum.
Serius quam Anemones syluestris surgente, Argemone.
Anethi.
Anethi æmulo, Bunion Romanis Napus.
BOlbi, Bulbi.
Flore Bulbi figura, Ageratum.
HEliochrysi.
Heliochrysi flore minore, Ageratū.
Ii violæ nigræ aut purpureæ.
Flore Violæ purpureæ seu matronali cognato. Hypericum.
Ad eius magnitudinem accedente, Moly.
Isatidis. Glasti.
Glastum referente, Staphis syluestris.
CIchorij, Ambubeiæ.
Flore Ambubeiam seu agrestem Intybum imitante, Condrilla.
Crambes. Brassicæ.
Brassicæ simillimo, Anagyris.
Crini. Lilij.
Lilium æmulante, Phalangiū, Nymphæa, Lotus Ægyptia, Satyrium.
Qui cum hiscere cœperit Lilio diuisione est similis, Hemerocallis, ea de causa Latini Lilium syluestre appellitant.
Croci.
Croci figura, Colchicon, Cnicus, Othonna.
Latioribus folijs ac Crocus, Othonna.
Cyami. Fabæ.
Fabaceum florem referente, Periclymenum.
LEucoij, Violæ candidæ.
Flore candidæ Violę ęmulo. Chelidonium maius, Moly, Delphinium, Lychnis coronaria, Chamæcissos, Antirrhinon, Glaux, Amomum.
Eiusdem in modum luteo, Spartū.
Minore, Chamæcissos, Antirrhinō, Glaux, Moly.
Lychnidis.
Lychnidi proximo, Centaurium minus, Cannabis syluestris.
MEconis, Papaueris.
Papauerum florem mentiente, Anemonę omnes.
NArcissi. Flore figuram Narcissi referente, maiore tamen & teneriore, Phu.
ORigani.
Flore Origani æmulo, sed odoratiore, Maron.
Agrestem Origanum simulante, Dictamnus altera Cretensis.
PEgani, Rutæ.
Rutaceum florem imitante, Aristolochia clematitis, quasi dicas Sarmentariam, Symphytum alterum.
Prasij. Marrubij.
Per interualla Marrubij modo disposito, Clinopodium.
RHodi. Rosæ.
Rosacei floris effigiem ostendente, Cyclaminus, Alcea, Nymphea alia, Althea, Nerium siue Rhododaphne.

Rhoę. Punicæ.
Punicæ cytinorum figura, Altercũ, Cistus.
HYacinthi. Vaccinij.
Hyacinthinum florem referente, Glycyrrhiza, Chamælen niger.
Hyperici.
Hypericum æquante, Cotyledon altera.
Phlomi. Verbasci.
Coronario Verbasco æquali, Chrysogonum.
CHamæmali, Anthemidis.
Chamæmalini capituli ritu undique per orbem incisuris diuiso, Aster Atticus.
Chamæmali flore maiore, Buphthalmos.
OCimi.
Ocimi florem omnino imitante Pycnocomon.
MVisco aut Oleæ simili, Cacalia.
FLore undique exeunte, Smilax leuis.
Ex Bulbi diuisione, quæ in medio, se promente, Colchicon.
Ad radicem fixo, Asarum.
Per caulem pãso, Orchis, Narcissus, Scordium, Argemone, Marrubiũ utrunque, Gladiolus, Lonchitis, Typha, Aster Atticus, Iris, Thlaspi, Polycnemon, Anemone omnes, Muris auricula altera, Acetabulum utrunque, Viola nigra, Plãtago minor, Barbahirci, Dracunculus uterq;, Elelisphacos, Vetonica, Helxine, Ambrosia, Medica herba, Chamælen niger, Panaces Asclepium, Ligusticum, Seseli Peloponnesiacum, Pastinaca erratica, Semperuiuum minus, Xyris, Orminon, Clymenon, Pæonia utraque, Isatis syluestris.
Summis caulibus sublocato, Tithymalus mas.
In ramis exorto, Anchusa altera, Heliotropium maius, Hydropeperi, Cretensis altera Dictamnus, Tragus, Lathyris, Polemonia, Sideritis secunda, Botrys.
Pentaphyllon, Origanus syluestris.
In singulis germinib⁹ porrecto, Thapsia.
In uirgis posito, Catanance altera.
Eupatorium, Origanum, Sambucus.
Veluti uiticulas occupãte. Idęa radix
In uiticulis consistente, Tithymalus secundus.
In adnatis ædito, Lycopsis, Ornithogalon, Elaphoboscus.
In caule & adnatis prolato; Rumex priuatim Oxalis dicta.
In germinationibus quibusdã quæ secus folia apparente, Periclymenum.
In eminentibus productionibus quibusdam collocato, Symphytum alterum.
In festucis uigente, Stratiotes millefolia.
In summis cirris sito, Androsaces.
Ex foliolis ueluti nucamentis aculeatis protruso, Acanthus.
Qui folio adiacet, Echion, Chelidonium maius, Chamædaphne, Alysson, Papauer spumeum, Mandragoras fœmina, Hydropeperi, Linozostis, Cynocrambe, Lithospermum.

Singulis folijs adnexo, Polygonon mas.

Inter folia emicante, Asarum, Laurus Alexandrina, Ruscus, Cyperus.

Veluti folijs superposito, Periclymenum.

Folijs subiacente, Peplos, Peplium, Chamæsyce.

In triquetris, quæ sunt ueluti siliquę, porrecto, Xyris.

Concauitates alarum nacto, Chamępitys tertia, Leontopetalon.

Circa alas auium modo pennatas erumpente, Androsæmos.

Culmen adsecuto, Gallium, Typha, Aster Atticus, Iris, Anemonę omnes, Heliotropium maius, Polycnemon, Polemonia, Abrotonū fœmina, Lathyris, Spondylium, Barba hircina, Sison, Origanum, Plantago minor, Veronica, uterque Dracunculus, Elelisphacos, Holoschœnus, Ægilops, Libanotis fœcunda prior, Thapsia, Ebulus, Panaces Herculeum & Asclepium. Arabis, Achillea, Cicuta, Chamæleon niger, Pastinaca erratica, Ligusticum, Seseli Peloponnesiacum, Caucalis, Sambucus, Erysimon, Leontopetalon, Dorycnium, Clymenum Pæonia utraque, Isatis syluestris, Sparganiū.

Ex medio caule ad summum usq; cacumen emisso, Plantago maior.

Qui toto capite sub aqua se condit & rursus oriente sole emergit, Lotus Ægyptia.

Qui recta surgit, Iris.

Qui oriente sole se explicat, occidente uero se claudit, Lotus Ægyptia.

Deinceps disposito, Gladiolus, Altercum, Eupatorium.

Per interualla segregato. Marrubiū.

Paribus iter se spacijs discreto, Iris, Gladiolus.

In orbem constituto, Marrubium nigrum.

Fructus, seminis & cæterorum quæ florem necessario consequuntur, ut umbellarum & pericarpiorū, perspicuum est eandem prope cū illo esse positionem. Capitulorū tamen, cum florē ipsum non semper respiciant, situs non erat huc rereferendus.

FLore cito dehiscente, Senecio.

Vere tantum se proferente, Tussilago.

Æstate apparente, Hiberis, Artemisia altera, Scammonia.

Per messem nascente, Asphodelus.

Autumni exitu se prodente, Colchicon.

Protinus deciduo. Papauer erraticū, quamobrem Græcis rhœas uocitatur.

Qui quamprimum cum caule marcescit, Tussilago.

Flore ignis modo cum dolore urente ulceranteq;, omne Ranunculi genus.

STIRPIVM DIFFERENTIAE *à fructu deductæ.*

POmis prædìtus est Mandragoras, tum mas, tum fœmina.

Aculeato fructu, Xanthion.

Nucleis uacuo, Comaros, id est, arbutus. Confer-

Confercto, Oxyacantha.
Contentis intus ueluti lanis, Cynosbatum.
Lanis pleno, Nerion.
Copiosum uinosumque succum effundente, Sambucus.
STeriles plantæ, Hedera helix, Libanotis una, Oxyschœnus alter, Dictamnus, Asplenon, Hemionitis, Adiantum, Phyllitis, Onosma, Epimedium, Filix.
Vberiore fructu, Lyciũ, Rhamnus tertia, Rhu.
Decem duodecimue acinorum, Solanum furiosum.
MInuto fructu, Alysson, Smilax, lenis, Polycnemon, Papauer corniculare.
Tenui, Rhamnus tertia.
Oblongo, Sentis canina, Cornus.
Digitali prope longitudine, Apocynon.
Lato, Rhamnus tertia, Rhu.
In sum̃a sui parte modice lato, Thlaspi.
CAndido fructu, Rhamnus tertia, Hedera cãdida, Papauer spumeũ.
Pallido, Mandragoras fœmina.
Luteo croci colore, Mandragoras mas.
Auri fulgore, Abrotonũ fœmina.
Primum uiridi per maturitatẽ sanguineo, Oxyacantha, Vitis alba, item syluestris, Sentis canina. Smilax aspera, Ruscus, Solanum halicacabum, Laurus Alexandrina, Chamædaphne, Tragus.
Nigro, Ligustrum, Tilia, Lycium, Hedera nigra, Solanũ furiosum, lenix Smilax, Vitis nigra, Laureola.
In nigro purpurascentis coloris, Sãbucus.
Ante maturitatem uiridi, postea uero ut maturuit ruffo aut cæræ colore, Cornus.
A principio herbacei coloris, cum ad maturitatem peruenit ruffo nigroque, Solanum satiuum.
Qui aut ruffus aut ruber existit maturitatem adeptus, Arbutus.
Per initium uiridi, mox rubente, postremo ubi maturuit atro, Rubia.
FRuctu suaueolente, Batis, Mandragoras fœmina.
Acrem simul & iucundum odorem spirante, Polycnemon.
Cũ grauitate odorato, Lotus arbor.
Subgrauis odoris, Mandragoras mas.
SVb adstringente fructu, Smilax hortensis.
Vehementer adstringente, Tragus.
Os commendante ac esculento, Lotus arbor, Cornus.
Dulci, Lotus arbor, Tribulus aquaticus.
Subdulci. Tilia.
Amaro, Lycium.
Amarissimo. Colocynthis.
Leniter linguam erodẽte, Tithymalus secundus.
Acri & glutinoso, Cyclaminus altera.
MOlli fructu, Batis, Cyclaminus altera.
Osseæ intus duritiei, Ruscus.
Solido, Tribulus aquaticus.
Fragili, Oxyacantha.
Qui leuore est prædictus, Solanũ halicacabum, Lycium.

Aſpero Ricinus.
Qui tenaci contactu ueſtibus hæret. Xanthion.
Qui cum manditur ueluti palearum acus linguæ & dentibus repræſen tat. Arbutus.
ROtundo fructu, Batis, Rubia, Lathyris, Solanum ſatiuum, Halicacabum & furioſum, Vitis ſylueſtris, Xanthion, Ruſcus, Chamædaphne, Colocynthis.
Acuminati uerticis. Tragus.
FRuctu cornu in modũ inflexo, Nerion, Papauer corniculare unde nomen inuenit.
Oui uitellum æquante, Mandragoras fœmina.
Lanis cum dehiſcit Acanthi ſpinæ pappos referentibus, Nerion.
Crocato, Hedera nigra.
Folliculi ſpecie, Rhamnus tertia, Apocynon.
Fabaceam ſiliquam conformante, Apocynon.
Fœnogræci cornicula imitante, Papauer corniculare.
Concretione ſua muſcoſo, Tamarix.
Mediocris pilæ quantitate, Colocynthis.
Duplicis clypeoli figura, Alyſſon.
Verticillum repræſentante, Rhamnus tertia.

FRVCTVVM SIMILITVdo *& inter ſe diſsidium eadem cum ſuperioribus ſerie.*

ANethi.
Fructu Anethi æmulo, Dauci tertia ſpecies.
Amygdalæ.
Amygdalæ nucem æquãte. Nerion.
BAlani. Glandis.
Fructu oblongæ glandi propinquo, Cucumer ſylueſtris.
Botryos & Staphyles, Racemi & vuæ.
Racemoſo, Phyllon, Rhu, Solanum furioſum, Sambucus, Ricinus, Vitis alba & nigra, Tilia.
Vuæ racemiq; figura qualis eſt quem Græci Epiphyllida uocant, Smilax aſpera.
Vuarum inſtar molli, Solanum furioſum.
Exiguis vuis non diſſimili, Vitis ſylueſtris.
ELææ. Oliuæ.
Fructu Oliuæ figuram exhibente, Capparis, Cornus, Sẽtis canina.
Incipienti Oliuæ proximo, Phyllon.
Grandem Oliuam æquante, Xanthion, Erebinthi, Ciceris.
Magnitudine Ciceris, Laurus Alexandrina.
Erinei. Caprifici.
Caprificum referente, Sycomorus.
THermi, Lupini.
Fructu Lupinum repræſentante, Smilax lenis.
CAryi baſilici. Nucis regiæ.
Fructu Nucem regiam ſeu Iuglandem æmulante, Tithymalus ſecundus.
Capparis.
Capparis effigie, Lathyris.
Coccimilei. Pruni.
Pruni magnitudine. Arbutus.
Corymbi, Baccæ Hederaceæ.
Corymbum referente, Solanum furioſum.

riosum, Cyclaminus altera, Polycnemon, Polemonia, Abrotonum fœmina.

Coni seu Strobili, Pineæ nucis.

Pineæ nucis figura. Chelidonium maius.

Libanotidis.
Fructu Libanotidi propinquo. Batis.

Mandragoræ fœminæ.
Pomo Mandragoræ fœminæ duplo maiore. Mandragoras mas.

Meconis ceratitis, Papaueris cornuti. Fructu Cornuti Papaueris gracilitate. Chelidonium maius.

Myrti.

Myrti baccam æquante. Oxyacantha.

Olynthorum, Grossulorum.
Fructu ficorum grossulis dulciore, Sycomorus.

Pepercos. Piperis.
Fructu piperis figura, Lycium, Lotus arbor,

Maiore. Lotus arbor.

Platani.

Pilularum Platani æmulo Xãthion. Glycyrrhiza.

Asperiore, Glycryrhiza.

Pyri. Tritici.

Tritici magnitudine. Tragus.

Rhagis staphyline. Acini uuacei.
Fructu acinum uuæ imitante, Cyclaminus altera, Solanum halicacabum.

Paruis ueluti uuarum acinis, Trag⁹.

Sicyi hemeri. Cucumeris satiui.
Fructu Cucumeris satiui longe minore. Cucumeris syluestris.

Syces. Ficus.

In interiore farcto nullis, qualia in Fico frumentis latentibus, nec ramis, ut ficus, sed caudici adnascente, Sycomorus.

Schini, Lentisci.

Lentiscinum fructum repræsentante, Tilia.

Terminthi, Terebinthi.
Terebinthini fructus figura, Ligustrum, Sambucus, Ebulus, Rhu.

Pendulo fructu, Tragus.

Annuo fructu inuicẽ alternato, id est, post annum emisso, Tithymalus secundus.

Ter quaterúe per annum colligendo, Sycomorus.

Non, nisi unguibus aut ferro ante scalpatur, maturescente, Sycomorus.

PLANTARVM DIFFERENtiæ à semine sumptæ.

Sine flore semen gignit Ambrosia.

Fabis paululum bullarum modo supra operculum emergentibus, Faba Ægyptia.

Veluti semine prædita est Helxine.

Semine cuspidibus raris munito. Asarum.

Piloso, Daucus Creticus, Eupatorium.

Subhirsuto, Triphyllon priuati, Oxitriphyllon.

Ob supercurrentem lanuginem deprænhensu difficili, Leontopetalon.

Veluti lanis inuoluto. Centaurium maius.
Aristis ueluti capillis inter ipsum semen exeuntibus, Ægilops Latinis Auena.
Concauo. Aparine.
Quod confricatum liquore manus inficit, Ascyron.
COpioso semine, Libanotis fœcunda prior, Phyteuma, Linozostis fœmina, Pæonia utraque, Seseli Æthiopicum, Polium montanũ, Limonium, Ambrosia, Altercũ, Scriphium seu Absinthium marinum.
Totos ramulos implente, Botrys.
Vmbella plena, Daucus tertius.
Plenis capitibus. Cirsium, Isopyrũ.
Differtis siliquis, Ocimastrum.
Gemino semine, Linozostis mas, Tordylon seu Seseli Creticum, Spondylium.
In singulis uasculis bino, Æthiopis.
Duplici tripliciu'e, Leontopetalon, Ægilops.
Triplici uitriculis inuicem discreto, Lathyris.
Terno aut quaterno, Aphace.
Quino aut seno, Dorycnium.
PAruo semine. Chelidonium maius, Medium, Peplos, Capparis Helxine, Sison, Pæonia utraq;, Eruum, Plantago maior, Thlaspi, Arction, Erysimon, Ammi, Ambrosia, Gramen Parnasi, Thymelæa, Isopyron, Papauer corniculare, Catanance secunda, Dorycnium, Apios, Tordylon, Apocynon, Linozostis mascula, Cynocrambe, Lithospermum.
Crasso, Phalangium.
Tenui, Apium montanum, Vrtica mollis.
Longo, Seseli Massiliense, Apium montanum, Olusatrum
Oblongo, Acanthus, Ligusticum, Sison, Orminon satiuum, Phalaris, Narcissus, Cnicũs.
Lato, Gentiana, Pityusa, Seseli Peloponnesiacum, Libanotis fœcunda altera, Laserpitiũ, Nymphæa.
Paululum lato, Oxytriphyllon, Thapsia, Alysson.
SPlendente semine, Satyrium alterũ
ALbo semine, Daucus Creticus, Libanotis fœcunda prior, Aparine, Phalaris, Papauer satiuum, Altercum tertium.
Ruffo, Securidaca, Sesamoides minus, Papauer erraticum, Colchicon.
Ruffescente, Ruta aliqua syluestris.
Flauido, Altercum secundum.
Melino, Acanthus.
Rubro, Pæonia utraque, Ægilops, Capparis, Oxalis, Limonium, Xyris.
Quod confricatum sanguineo liquore manus cruentat. Ascyron.
Rubro colore Croci, Solanum somnificum, Aron.
Puniceo, Anchusa tertia.
Fusco, Orminon syluestre.
Atro, Barba hircina, Aphace, Ruta syluestris, Ligusticum, Seseli Æthiopicum, Sison, Olusatrũ, Smyrnium, Libanotis fœcunda altera, Melanthium, Phalangium, Orminon satiuum, Nymphæa, Hypericum, Chamæpitys secunda, Polemonia.

semonia, Ocimastrum, Papauer corniculare, item syluestre, Erin⁹, Altercum primum, Sideritis, Oxyschœnus alter, Verbascum candidum fœmina, Narcissus, Psyllium, Apocynon.

Principio uiridi mox sanguineo, Thymelęa.

Herbaceo primum, cum maturuit ante capillamentorum Croci rutilo colore, Dracunculus minor.

Ab ipso ortu cinereo, ut maturitatē attigit capillamentorum croci colore puniceoq́; Dracunculus maior.

Diuersi coloris, Anagyris. Dorycnium, Tithymalus tertius.

Non colore uno, sed ex altera parte subruffo, Smilax hortensis.

Candido ruffoq́; Cnicus.

Quod cortice nudatum lacteo colore se offert, Lathyris. Quod est in nigro subruffum foris; intrinsecus candidum, Staphis syluestris.

Extimo operimento nigro, intus albo, Thymelæa.

In medio rubentium aliis quinque aut sex in purpura nigris, Pæonia utraque.

Semine grati odoris, Panaces Herculeum, Napus, Seseli Æthiopicum & Peloponnesiacum, Apiū montanum, Libanotis fœcunda altera, Melanthium.

In gustu odorato, Poterium, Daucus Creticus.

Graueolente, Spondylium.

Aromatum modo odorato, Ligusticum, Tordylon, Petroselinum, Olusatrum.

Vinoso odore & sutui, Ambrosia.

Acerbo semine, Erinus.

Viscido Nymphæa.

Pingui & oleoso, Myagron.

Si corticem detraxeris, dulci, Lathyris.

Amaro, Sesamoides utrunque, Securidaca, Seseli Æthiopicum, alia agrestis Ruta nonnullis sic dicta.

Acri, Oxalis, Thlaspi, Erysimon, Hidropeperi, Dracunculus minor, Poterium, Smyrnium, Staphis syluestris, Peplium, Panaces Herculeum, Ligusticum, Seseli Massiliense & Æthiopicum, Sison, Cyminum syluestre, Ammi, Apium montanum, Petroselinū, Olusatrum, Daucus tertius, item Creticus, Libanotis fœcunda prior, Melanthium, Xyris.

Subacri, Tordylon seu Creticum Seseli.

Saporis medicati, Lotus syluestris.

Molli semine, Ephemeron.

Carnosiore, Seseli Peloponnesiacum.

Pingui & fuliginoso, Paliurus.

Duro, Aparine, Periclymenum, Psyllium Dorycnium, Apocynon.

Operimenti duri, Thymelæa.

Maturescēte uua durato, Anagyris.

Lapidoso, Lithospermum ea de causa ita nominatum.

Firmo, Ligusticum, Olusatrū, Nymphæa.

Quod difficile uellitur, Periclymenum.

Non plane solido, Anagyris.

Leui ac polito, Satyrium alterum,

Dorycnium.
Scabro, Helxine, Staphis syluestris.
Cuspidibus subasperis. Asarum.
Vestibus hærente. Helxine.
Adeo aspero & hirsuto, ut uestibus siccatum hæreat, Eupatorium.
Leni, Gentiana.
ORbiculato semine, Orminon syluestre, Lithospermum, Cannabis satiua, Gladiolus, Xyris, Peplos, Anagallis, Oxyschœnus alter, Libanotis fœcunda prior, Dorycnium, Latyris, Tordylon, Heliotropium minus, Smyrnium, Peplium, Thymelæa, Linozostis mascula, Aparine, Chamæsyce, Cynocrambe.
Non plane rotundo, Anagyris.
Anguloso, Seseli Massiliense, Cnicus, Libanotis fœcunda prior.
Cuspide angulosa. Asarum.
Trigono, Staphis syluestris, Ruta alia syluestris nonnullis sic nuncupata.
Triquetro in pericarpijs clauso, Lonchitis.
Acuminato, Oxalis Latinis Acetosa.
Veluti infracto, Thlaspi.
Veluti punctis distincto, Androsæmos.
Longiorem ueluti apicem suspēdente ex altero cacumine, Oxyphyllon.
Perforata, Phyteuma.
Multis foraminibus terebrato, Catanance altera.
SEmine pulicis figuram exprimente, Psyllium Græci, Latini Pulicarem eadem de causa dixerunt.
Quod cortice nudatum ricinum animal æmulatur, Ricinus unde & nomen inuenit.
Vituli narem referēte, Antirrhinon siue Anarrhinon, idcirco nomen ei inditum.
In medio umbilici figura. Aparinæ.
Renem repræsentante, Smilax hortensis, Anagyris.
Testiculi instar pendulo, Linozostis mascula.
Scorpionis caudam æquante, Scorpioides ob id appellata.
Viperinum caput simulāte, Echion.
Corniculi in morem inflexo, Medica herba.
Quum siccatur ad speciem unguium examinati milui se contrahente. Catanance prima.
Verrucæ similiter pendente. Heliotropium minus.
Piceæ halitu, Chamæpitys secunda.
Glumoso ac paleaceo, Gentiana, Cyminum syluestre.
Quasi foliaceo, Laserpitium.
Epithymo simili, Alypon.
Resinoso. Libanotis fœcunda prior.
Resinæ odore. Hypericum.
Resinam pineam fragrante, Ruta syluestris.
Myrrhæ sapore. Smyrnium.
Cuspidi lanceæ respondente, Lonchitis, id est, Lanceola ideo nuncupata.
Ancipitem securim referente. Securidaca.
Clypeoli effigie, Tordylon seu Creticum Seseli.
Verticillum imitante, Libanotis fœcunda utraque.

Disci

Nigellæ

Nigellæ proximo, alterum sylueſtre Cyminum.
Nigellæ ſapore. Iſopyron.
Meconis. Papaueris.
Papaueraceum ſemen exprimente, Phyllon thelygonon, Papauer corniculare, Altercum primum.
Maiore, Phyllon thelygonon, Chelidonium maius.
Minore. Peplos.
Veluti nigri papaueris, Androſæmos.
Myrſines. Myrti.
Ad Myrtinum ſemē alludente, Thymelæa.
NArthecis. Ferulæ.
Semine ferulacei æmulo, ſed minore. Thapſia.
ORigani.
Semine Origanum guſtu reſipiente, Ammi.
Ormini.
Ormini sylueſtris æmulo, Eleliſphacos.
Coloris & figuræ ab hoc uariantis ſatiuum.
Orobi. Erui.
Eruum æquāte, Æthiopis, Catanance prima, Lithoſpermum, Tithymalus tertius.
Maiore, Lathyris.
Minimi Erui quantitate, Dorycniū.
Oxyſchœni, Acuminati Iunci.
Oxyſchœno ſimili, Holoſchœnus.
PEpereos. Piperis.
Semine Piperis ſapore, Vitex.
Praſi. Porri.
Porri ſimilitudine, Pycnocomon.
Pyri. Tritici.
Tritici figura, Batis, Centaurium minus.
RHoę. Punicæ.
Semine Punicę acinum referente, Pæonia utraque, Capparis.
SElini. Apij.
Semine Apio non diſſimili, Siſon.
Seſeleos æmulo, uerum latiore, candidiore, Spondylium.
Maſſilienſis Seſeleos ſemine odoratiore & acriore, Seſeli Æthiopicum.
Seſami.
Seſamum mentiente. Seſamoides utrunque.
Spondylij. Verticillaris herbæ.
Spondylium imitante. Gentiana.
Schini, Lentiſci.
Lentiſcinum ſemen referente, ſed minore & breuiore, Tragium.
TEutli. Betæ.
Betacei ſeminis æmulo, uerum rotundiore & duriore. Sideritis ſecunda.
Teleos. Fœni græci.
Fœni græci figura, Lωtus ſylueſtris, Myagron.
Multo minore, Lωtus ſylueſtris.
Tithymali characiæ. Lactariæ uallaris.
Tithymalo characiæ reſpondente, Tithymalus ſextus.
Hyoſcyami. Alterci.
Alterci ſeu Apollinaris herbæ ſemine minore. Napus.
Hyperici.
Hyperici effigie, Aſcyron, Cotyledωn altera.
PHaci, Lentis.
Semine Lenticulæ proximo, Medica herba, Pityuſa, Spartū, Coccus ba-

cus baphicus, id est, Granum tinctorium.

Minore, Aphace.

Dimidiatæ Lentis figura, uerũ multo graciliore, Phalangium.

Phlomi, Verbasci.

Verbasci æmulo, Symphytum alterum.

SEmine in calyculis latente, Gentiana.

In pomis concepto, Mandragoras.

Ceu membrana incluso, Narcissus.

In terram inclinato, Eupatorium.

SEmine Autumno maturescente, aliqua agrestis. Ruta quibusdã sic nominata.

INutili semine, Poterium.

PLANTARVM DIFFERENtiæ *secundum ea quæ à flore, fructu & semine pendent, cuiusmodi sunt hæc fere.*

1 Calyces. 5 Capitula & uascula.
2 Verticilli. 6 Siliquæ.
3 Spicæ. 7 Pappi.
4 Vmbellæ. 8 Spinæ.

1 CAlyce magno summum coliculum occupante, Tragopogon, id est, Barba hircina.

Cytinis duris & aculeatis, Hyoscyamus primus.

2 VErticillis orbiculatis caules, ut in Marrubio, per interstitia cingentibus, Sideritis.

3 SPicis septem aut octo Lolio similibus, Hordeum murinum.

Viridi spica, Thymbra seu Satureia.

Satureię modo spicata est Veronica.

4 VMbella constant Libanotis fœcunda prior, Cicuta. Chamæleon niger, Panaces Asclepium, Ligusticum, Semperuiuum minus, Ageratum, Caucalis.

Densiore umbella, Stratiotes millefolia.

Lata, Seseli Peloponnesiacum.

Vegetiore, Stratiotes millefolia.

Circinata, Pyrethrum, Achillea, Heliochrysum, Sambucus.

Vmbella Anethi & Coriandri figura, Seseli Massiliense, Smyrnium, Elaphoboscus, Pyrethrum, Origanus syluestris, Stratiotes millefolia, Panaces Herculeum, Thapsia, Pastinaca erratica, Daucus Creticus.

Erraticæ Pastinacæ imaginem ostendente, Daucus tettius.

Sambuci formam referente, Arabis, humilis Sambucus quæ proprie Latinis Ebulum dicitur.

Veluti corymbis arescentibus, Heliochrysum.

Non Hyssopi modo in rotæ speciẽ orbiculata sed multifida & ueluti diuisa, Origanus.

5 CApitulo spinoso, Hippophæstum, Dipsacos Latinis Veneris labrum, Atractylis, Latini colum rusticam uocãt, Acantha leuce, id est, Spina alba, Scolymos, id est, Carduus.

Spinis acutissimis horrente, Eryngium.

Inani, Epithymum.

Semen continente, Isopyron, Cnicus, Catanance prima, Nigella, Apium montanum, Cyminum syluestre

uestre Nymphæa, Psyllium, alia Ruta syluestris, Lotus Ægyptia, Tithymalus tertius & quartus.

Quod uermiculos quosdam in media medulla ostendit per longitudinem diuisum, Veneris labrum.

VEneris labrum in singularum germinationum caulibus singula capitula porrigit.

Duo triaue profert Psyllium.

Quinque aut sex. Cyminum syluestre.

Sex aut septem, Catanance prima.

EXiguo capitulo, Polium montanum, Melanthiũ. Gracili, Epithymum, Isopyrum.

Oblongo, Argemωne, Melanthium, Papauer satiuum, erraticum & tertium, Veneris labrum, Hieraciũ maius.

In angustum contracto, Psyllium.

CApitulo cum aruerit candorem induente, Veneris labrum.

Nigro, Nymphæa.

Nigro aut cæruleo, Anemωnæ omnes.

Spinis horrente quæ modo uirides, nunc pallidæ, alias candidæ, aliquando etiam glaucæ uidentur, Eryngium.

GRauiter cũ suauitate aliqua odorato, Polium montanum.

ACri & quod olfactu sternutamenta proritat, Ptarmice, id est, sternutamentaria ideo sic dicta.

CApitulo molli, Cyminum syluestre.

Aspero, Sideritis secunda.

ROtundo capitulo, Cyminum syluestre, Ptarmice, Nymphæa, Anthemis, Onωnis, Tithymalus tertius.

In rotundo oblongo, Centaurium maius.

Seseli, Papauer syluestre quod pithitæ à dolij forma quasi doliare nuncupatur.

Quasi incisuris diuiso, Leontopodium.

Interiore sui parte discurrentibus ueluti cancellis dissepto, Melanthiũ.

CApitulo spinis stellatim circumsepto, Eryngium.

Marinum Echinũ simulante, sed minore & oblongiore, Acantha leuce.

Spinis echinato, Veneris labrum.

Cano hominis capillo simili, Poliũ montanum.

Capillorum modo caudas habente, Epithymum.

Piri figura, Aristolochia longa.

Oliuæ speciem exhibente, sed maiore & latiore & ut platani pilula, pilosiore, Solanum furiosum.

Corymbi effigie, Polium montanũ.

Non aliter ac Pilula, quam in arboribus aliquot Cachryn uocant, anciso, Ornithogalon.

Veluti asparagi cacumine, Anemωnæ omnes.

Globi figura, Sideritis secunda.

Thyrso non dissimili, Acanthus.

CAPITVM ET VASCVLOrum inter se collatio.

ANemωnes.

Capitulo Anemones minore, Papauer erraticum.

Anemones culta amantis oblongiore, capitulo syluestris.

Anethi.

Anethi.
Anethi æmulo, Seseli Æthiopicum, Daucus tertius, Tithymalus quartus.
Anthemidis seu Chamæmali.
Chamæmalini capituli formam describente, Ptarmice.
THymi.
Capite Thymũ imitante, Symphytum petræum.
MEconis. Papaueris.
Papaueraceum caput mentiente, Apium montanum, Melanthium, Centaurium maius.
Multo tenuiore. Apium montanũ.
Papaueris maximum uasculum referente, Lotus Ægyptia.
Erratici papaueris ęmulo, sed oblongiore & in superiore sui parte latiore, Argemone.
PEgani. Rutæ.
Capite paulo ac Rutæ satiuæ maiore, alia agrestis Ruta nonnullis ita uocata.
ROtundum pomum aut Papaueris caput imitante, Nymphæa.
CApitulo tribus maiori ex parte partibus constituto, alia Ruta syluestris aliquibus sic nominata.
In caulibus consistente, Leontopodium, Cyminum syluestre, Eryngium, Solanum furiosum, Veneris labrum, Acantha leuce, Carduus, Cnicus, Sesamoides minus.
In adnatis sito, Centaurium maius.
In medio floris prominente, Anemonę omnes, Ornithogalon.
Cacumen tenente, Melanthium, alia agrestis Ruta, Polium montanũ, Isopyrum, Apium montanum, Ptarmice, Tithymalus tertius, Thymus, Anemonæ omnes, Alisma, Psyllium, Sideritis secunda, Leontopodium, Cyminum syluestre, Eryngium, Solanum furiosum, Veneris labrum, Acantha leuce, Carduus, Sesamoides minus.
CApitulo ubi emarcuit flos, extuberante, Nymphæa, Aristolochia longa.
6 SIliquatæ plantæ, Delphinium, Solanum somnificum, Eruum, Xyris, Androsaces.
Veluti siliqua in terram decliui semen complexa, Orminon.
Folliculo in quo continetur fructus, Lathyris, Solanum halicacabum.
Siliqua non adeo hirsuta, Hypericũ.
In summo pendentibus paruulis ueluti locustis duplici crure diuaricatis, in quibus semen est, Bromos Latinis Auena.
MVltis siliquis, Isatis syluestris, Dorycnium. Duplici, Clymenũ.
Triplici, Lathyris.
PArua siliqua, Glycyrrhiza.
Tenui, Erysimum.
Longa, Anagyris.
Oblongo quodam folliculo, Solanum halicacabum.
Siliqua quadamtenus oblonga, Aconitum alterum.
SIliqua ruffa, Glycyrrhiza.
Herbacea, Staphis syluestris.
SIliqua in rotundo oblonga, Hypericum, Ruta syluestris.
Triangulari, Xyris.
Aliquantulum caua, Tithymalus mas cognomine characias.

Siliqua linguæ figura, Isatis syluestris.

Folliculo quodam uesicam referente, Solanum halicacabum, id est, uesicarium ob id ita uocatum.

Corniculata siliqua, Circæa, Erysimon, Hedysarum, alterum syluestre Cyminum.

Amygdalæ propinqua, Pæonia utraq;.

Veluti oblonga glande, Capparis.

Hordei magnitudine, Hypericum.

Melanthij uasculum imitante, Ocimastrum.

Veluti pilula, Sparganium.

Peluis figura, Tithymalus mas.

Vesparum fauis simili, Faba Ægyptia.

Iridem & polyporum cirrhos simulante, Clymenum.

SILIQVARVM INTER *se collatio.*

Erebinthi. Ciceris.

Siliqua Ciceri proxima, Leontopetalon, Dorycnium, Staphis syluestris.

Teleos. Fœni græci.

Siliqua Fœni græci specie, Smilax hortensis, Erysimum.

Crassiore & longiore, Smilax hortensis.

Hyosciami. Alterci.

Siliqua Alterci figura, Ocimastrum.

Alterci primi uasculo teneriore, secundum Altercum.

Phaci, Lentis.

Siliqua Lentis similitudine, Glycyrrhiza.

Maiore, Aphace.

Phasioli siue Phaseli.

Phaseli formam exprimente, Spartum.

Pendula siliqua, Isatis syluestris, Cyminum alterum syluestre.

Sibi inuicem annuente, Clymenũ.

7 In Pappos deflorescunt Typha, Senecio, Conyza minor, Cirsiũ.

8 Spinam emittit Colus rustica.

Latiore spina est Silybon.

Spinam aquis occultat Tribulus aquaticus.

Spina quæ ex medio prodit Echinũ marinum aut Cinaram æmulante, Chamæleon albus.

FINIS.

INDEX GRAECARVM NOMENCLATIONVM, QVAE STIRPIBVS A' DIOSCORIDE

alijsq; Graecis rei herbariae scriptoribus aßignantur.

A

ἔβενος

κύτισος

ῥόδια

INDEX NOMENCLATIONVM LATINARVM, QVAE STIRPIBVS TAM A PRObatis autoribus, quam ab officinis, & uulgo herbariorum tribuuntur.

A

Betoni-

E

F

Flos

I

L

M

Platanus

S

Verga-

FINIS.

INDEX GERMANICARVM APPELLATIONVM QVAE TAM ARBORIBVS QVAM

fruticibus & herbis in his Commentarijs adscribuntur.

feld

Gaman-

Frawen kraut 163

gäl

groß

groß

T

INDEX NOMENCLATVRAE STIRPIVM ARABICAE.

A

Alphagel

Herbum

Ocinmum

Tarcon

נשלם מורת מקום

INDEX NOMENCLATVRAE
STIRPIVM HEBRAICAE.

ELENCHVS IN HIERONYMI TRAGI DE STIRPIBVS COMMENTARIOS CVRATIONES *morborum indicans.*

A

B

Cacoëthi-

C

Febribus

N

O

Prurigines

Q

R

S

T

Vmbi-

Τέλος.

Δόξα τῷ θεῷ τῷ βασιλευτῇ.

DAVID KYBERVS, CANDIDO Lectori.

CVm nemo adeo oculatus sit, ut non interdum inter legendum quædam prætereat, ignoscent nobis (ut speramus) studiosi, si quando & in hoc opere errata aliqua deprehenderint, quæ tamen tanta non sunt, ut uel mediocriter doctum hominem remorari poßint. Annotauimus uero nonnulla ex his quæ impedimento legentibus esse posse putabamus. Tuum erit candide Lector labores nostros candide interpretari. Vale.

Folio:	linea.	lege
6.	2 & 3.	Ocimi.
11.	24.	Quamobrem pueri, qui &c.
14.	10.	deseßionibus.
25.	12.	decoctione aut decocto.
26.	19.	Conradus
32.	30.	internetioni
38.	1.	stellatorum
46.	14.	illæ
50.	14.	Germani
51.	15.	tam
63.	30.	multorum
537.	6.	Filix saxatilis.

Alicubi etiam Empirica male scriptum est pro Emparia. ¶ Voce erosionis interdũ non proprie usi sumus, substituatur ergo in locum eius, affectio, uel, uitium, aut aliquid tale &c. Reliqua prudens Lector facile per se corriget.

¶ In Præfatione D. Gesneri hæc sunt errata:

	Facie	linea	lege
b 1.	1.	7.	medice
	2.	11.	Tarentinus
	2.	15.	cæteris.
2.	1.	1.	Apollodorus, &c. & Apollonius.
	2.	6.	magis
3.	2.	15.	adde, potius
		16.	petunt
4.	1.	13.	Epicharmi.

Acanthus, seu Branca ursina Italica uera.
Welsch Berenklaw.
Pertinet ad Caput CXIIII. secundi libri.



INDEX CHARTARVM.

abcd ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ. AAa BBb CCc DDd EEe FFf GGg HHh IIi KKk.

ARGENTORATI
Excudebat Vuendelinus *Ribelius, Anno*
M. D. LII.

